7/7/1982

S.1301 A



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
I. G. Pintz, sc.

# NOVA ACTA
# PHYSICO - MEDICA
## ACADEMIAE CAESAREAE
## LEOPOLDINO - CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM

EXHIBENTIA

# EPHEMERIDES

SIVE

## OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA

A

## CELEBERRIMIS GERMANIAE
## ET EXTERARVM REGIONVM
# VIRIS

HABITA ET COMMVNICATA SINGVLARI STVDIO
COLLECTA

## TOMVS TERTIVS

ACCEDVNT APPENDIX ET TABB. AEN.

CVM PRIVILEGIO SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS.

*NORIMBERGAE,*

Impenſis WOLFGANGI SCHWARZKOPFII.

TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCLXVII.

BRITISH MUSEUM



SACRATISSIMO ET POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQVE PRINCIPI
DOMINO DOMINO
# IOSEPHO II
ROMANORVM IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE HIEROSOLYMORVMQVE
REGI

HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE,
CROATIAE, SCLAVONIAEQVE REGNORVM
PRINCIPI HAEREDITARIO
ARCHIDVCI AVSTRIAE
LOTHARINGIAE BARRIQVE
DVCI
MAGNO DVCI ETRVRIAE
ET RELIQVA
IMPERATORI, REGI
ET DOMINO SVO
DOMINO LONGE OMNIVM CLEMENTISSIMO.

# AVGVSTISSIME IMPERATOR

Indulgeas pro ſumma TVA Clementia audaciae noſtrae, quum novam hancce obſervationum phyſico-medicarum collectionem ad pedes TVOS



hu-

humillime deponimus, et AVGVSTISSIMO NOMINI TVO in ſubmiſſiſſimi venerabundique cultus ac devotiſſimae gratae mentis documentum demiſſiſſime inſcribimus. Gratiſſima pariter ac devotiſſima mente TANTOS DIVAE memoriae FVNDATORES, ASSERTORES et AMPLIFICATORES, beneficentiſſimos AVGVSTOS, DIVVM in primis PARENTEM TVVM, OPTIME IMPERATOR, recordatur Academia noſtra; TVAM nunc MAIESTATEM, ut unicum PRAESIDIVM ſuſpicit et admiratur, ardentiſſimiſque votis a ſupremo Numine expetit, ut TE, CAESAR AVGVSTE, Sceptra

ſol-

ſollemnibus Germaniae ſuffragiis iam dudum TIBI decreta, ab Imperii Proceribus TIBI oblata, et communi Europae conſenſu TIBI, ut VNICO, qui tenere poſſet, tradita tenentem, adiuvet, pacem a DIVO PARENTE ſtabilitam perdurare iubeat, pacatamque TVAM Germaniam priſtinae dignitati vindicet. Optime enim conſuluit Germaniae totque gentibus Deus, quum TE IMPERATOREM conſtituit, ut omnibus malis prudentia TVA mederetur, noſque ad ſummam tranquillitatem et optatam antea magis, quam ſperatam, felicitatem traduceret. Itaque nunc TVA CAESAR AVGVSTE,

freti clementia, quae TIBI prima et antiquiſſima Virtus eſt, Germaniae, Litteris boniſque artibus de TANTO PRINCIPE gratulamur, ad iſtam dignitatem divinitus elato, qua ſublimius aut praeſtantius inter homines nihil eſt, qui ad eas excitandas ornandaſque in hoc excelſo fortunae gradu IPSE ornamenta litterarum ad maximas AVGVSTAE SOBOLIS dotes cum immortali gloria adiungit, ea benigne tuenda ſuſcipit coetuſque doctrinarum cauſſa inſtitutos auctoritate ſublevat et liberalitate locupletare dignatur.

)( )(

Quae

Quae quum ita ſint, TVAE, quae latiſſime patet, benignitati, OPTIME IMPERATOR, nos venerabundo cultu commendamus ad TVOS ſanctiſſimos pedes officioſe proiecti. Si dicendi flumen, ſi ubertas verborum, ſi accumulatio virtutum in TE conſpicuarum nobis in promtu forent; multa tamen reliqua fore, arbitramur, quae vel leviter commemorata, vel omiſſa, aut non digno TANTO PRINCIPE ſermone proferantur; quibuſque dicendis nec temporis, etiam ſi longiſſimum concedatur, ſpatium, nec virium imbecillitas ſufficeret. TVAE vero SACRATISSI-

MAE MAIESTATI, AVGVSTISSIME CAESAR, duabus potiſſimum de cauſſis hanc noſtram opellam dedicare voluimus. Primum, quia illa, tum ceteris Maximo Principe dignis virtutibus ex IMPERATORII STEMMATIS propagatione inſitis, tum his praecipue a Deo Opt. Max. peculiariter donata atque celeberrime exornata eſt: quod cum ipſa ſtudia ardentiſſime amet, in iiſque ſingulariter excellat, ſeſeque ad exemplum praeſtantiſſimorum quorumlibet Heroum ſtudioſiſſime componat; vere quoque doctis (in quorum numero nos vel nullos, vel minimos eſſe ingenue fatemur)

non

non ſolum apprime faveat, verum etiam eosdem exemplo Divorum atque Sacratiſſimorum Principum, prudentiae veterum non immemor, promoveat, ſtudiiſque debita praemia deeſſe non patiatur. Quo fit, ut quiſque ſibi per ſtudia atque virtutem aditum ad honorum faſtigia quaerat, et plerique certatim boni atque eruditi eſſe contendant, quum videant, non faſtuoſos et falſo eruditionis titulo gloriantes, ſed doctos dumtaxat atque prudenter bonos a PATRE PATRIAE SAPIENTISSIMO IN SPEM SAECVLORVM DATO, ad cuius nutum atque voluntatem cuncti ſe componunt, in pretio haberi.

Cui accedit, quod DIVVS LEOPOLDVS, omne litterarum genus inuſitato quodam nullaque temporum longinquitate oblitterando amore complexus, ut publicum et ſempiternum prolixiſſimae huius voluntatis ac ſummae tam in univerſam rem litterariam quam potiſſimum in illa ſalutarium humano generi et ad ſcrutanda atque explicanda naturae arcana corporumque vitia et morbos curandos comparatarum doctrinarum ſtudia benignitatis ac munificentiae monumentum exſtaret, ſingulare prorſus Societatis noſtrae ſuſcepit patrocinium. Cuius rei ecquod luculentius illuſtriusque

argu-

argumentum eſſe poteſt, quam quod non modo ampliſſimis privilegiis donarit, ſed tracto etiam a ſe cognomine LEOPOLDINAM dici voluerit Societatem hanc noſtram? In quo ut ille quidem mirificam et omnibus ſaeculis praedicandam iniit rationem: ita omnes, quibus doctrinarum dignitas cordi eſt, ſed nos inprimis maximo ſibi et ad omnem poſteritatem pertinente beneficio obſtrinxit. Cuius, ut omnes intelligant, ſacroſanctam apud nos eſſe memoriam, ab illo tempore, publico quaſi artis diſciplinarumque medicarum nomine, haec eſt a maioribus noſtris comparata ratio,

ut,

ut, qui noſtrarum qualiumcunque lucubrationum fructum iure ſuo a nobis repetere poſſint, quibusque noſtrum in propagandis artis medicae doctrinis ſtudium ſingulariter probari debeat, AVGVSTISSIMIS IMPERATORIBVS Acta Societatis noſtrae, quantulacunque ea ſint, inſcriberemus, nulla alio conſilio, quam ut diuturnitati conſuleremus demiſſiſſimae in illos obſervantiae noſtrae, eamque, quantum fieri per nos poſſit, ad immortalitatem perduceremus. Quod illi quidem gratiſſimi devotiſſimique animi officium, tantum abeſt, ut improbaverint, ut, pro incredibili, qua Societatem no-

ſtram

ſtram fovebant ac tuebantur, clementia, ſua etiam promoverent auctoritate. Quae cum ita ſint; quis poteſt eſſe unus, cui magis, quam SACRATISSIMAE MAIESTATI TVAE, omnium paternorum avitorumque ornamentorum velut heredi, ipſos DIVOS MAIORES aliquando illuſtraturo, hoc obſervationum noſtrarum volumen tertium offeramus? Quod ut boni conſulere ne dedignetur MAIESTAS TVA, caput eſt ſummaque flagrantiſſimorum votorum noſtrorum. Ceterum, quas primas eſſe intelligimus officii noſtri partes, aſſidue venerabimur Deum, ut TE, IMPERATOR OPTIME,

)(.)( )( CON-

CONIVGEMque et PARENTEM AVGVSTAM, HEROICAMQVE FAMILIAM TVAM Saeculi Delicias, in tot populorum ſpem atque ſolatium ſaeculorumque aeternam gloriam diutiſſime ſoſpitet, TVOQVE Regno Antoninorum aetatem reſuſcitet. Quae vota pio animo nuncupare ſtudent.

SACRAE CAESAREAE
MAIESTATIS TVAE

humillimo obſequio devotiſſimi
Caeſareae Leopoldino-Carolinae
Academiae Naturae Curioſorum
Praeſes, Director, Adiuncti,
et Collegae.

# PRAEFATIO.

Tertius novorum horum Actorum tomus nunc, quae DEI gratia eſt, comparet; ſerius quidem, et poſt ſex annorum a ſecundi editione decurſum. Sed huius morae graviſſima cauſſa fuit ſuperiorum annorum continui belli longe lateque diffuſi calamitas, quae muſas harumque cultores valde quoque turbavit. Qua demum iuvante DEO ſedata apparatus pro novo tomo colligendi occaſio commoda facta eſt.

Dum muſae reviviſcere coeperunt; illico apparatus adeo accumulatus eſt, ut typis excuſus in ſpiſſum volumen accreverit, tarditatemque gravitate compenſarit. Impium vero fuiſſet, communicata ſupprimere; vel ſaltem eorum publicationem vetardare. In poſterum autem nobis curae cordique erit, ut tomi DEO volente ſequuturi praegreſſis magis aequales evadant.

Academiae noſtrae quorundam Collegarum celeberrimorum maximeque fructuoſorum obitum vehementer dolemus; valde vero gaudemus plurium virorum exterorum indigenorumque eruditione ac muneribus celeberrimorum acceſſu, quibus iacturam ex aſſe at-

 que

que feliciter ſupplendi nobis copia viciſſim facta eſt. Et gloriamur in ſplendore ſingulari, quem Academia noſtra obtinuit; dum non ſolum plures generoſiſſima ſtirpe nati verum etiam tres Comites illuſtriſſimi de MOLTKE nomen ſuum honorificum eidem dare haud dedignati ſunt.

Gaudemus praeterea, bibliothecam noſtrae Academiae interea temporis, magna ex parte liberalitate Collegarum, inſigniter locupletatam eſſe variis nec paucis raris pretioſisque operibus, quae indicis continuatio iam iam ſub prelo ſudans ſpeciatim indicabit et cum Collegis noſtris communicabitur.

Acerbo quidem fato amiſimus noſtrum Bibliothecarium, Dominum Doctorem ac Profeſſorem KNIPHOF, qui memoratam Bibliothecam in ordinem exquiſitum redegit et hactenus conſervavit; ſed haec quoque amiſſio feliciter iam eſt reſtituta.

Denique ſignificamus, tardiorem huius tomi editionem, futurorum promtiori, D. V. publicatione nos eſſe compenſaturos.

I. Con-

I.

Continuatio

# CATALOGI

## Dnn. Collegarum Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum,

*ab anno 1761. uſque ad annum 1765. in eandem receptorum.*

### Anno 1761.

Ordo receptionis.

634. Dn. *Joannes Chriſtophorus de* DREYHAUPT, Potentiſſ. Reg. Boruſſ. a Conſiliis intimis, Regiminis, bellicisque ac domanialibus, Advocatus Fiſci Ducatus Magdeburgici, Senior Collegii ICtorum quos Scabinos vocant, Praetor & Comes Salinarum civitatis Halenſis, & Academiarum, Regiae Berolinenſ. & Electoral. Moguntinae Scientiar. utilium, Sodalis. *Antonius Caſtor II.*

435. Dn. *Julius Erneſtus de* SCHÜTZ, Eques Miſnicus, Hereditarius in Erdmannsdorf, agrorumque conterminorum, Hohenfichte & Jaegerhof, Poſſeſſor, Regius & Electoral. Saxonicus Capitaneus praepoſitus, Praefecturar. Auguſtoburgi, Franckenbergae & Saxenburgi. *Palladius IV.*

636. Dn. *Paulus Auguſtus* SCHRADER, Sereniſſ. Ducis Brunsvicenſ. Conſiliarius & in ſanctiſſimo Senatu a libellis, Di-

ctor Juris dicundi per loca Coenobii Riddagshuſani & in Colonia Veltenhofiana, Societatt. Teutonic. Goettingenſ. Regiomontan. & Helmſtadienſ. Sodalis. *Agricola.*

637. Dn. *David Franciscus* HEZEL, Medicinae Licentiat. & Liberae S. R. I. Civitatis Halae Svevor. Phyſicus ordinarius. *Hierax IV.*

638. Dn. *Joannes Andreas* DEISCHIUS, Medicin. & Chirurg. Doctor, & Practicus in inclyta Republica Auguſtana. *Democedes III.*

639. Dn. *Petrus* LYONET, ICtus & cauſarum in Curiis Juſtitiae, quae Hagae Comitum ſunt, patronus, Societatum Scientiar. Regiae Anglicanae & Boruſſicae, itemque Belgicae, nec non Reg. Academ. Scientar. Rhothomagenſ. Sodalis. *Philagrius III.*

640. Dn. *Fridericus Chriſtianus* MEUSCHEN, Sereniſſ. Ducis Saxo-Hildburghuſani in rebus ad Legationem pertinentibus Conſiliarius, Regiae Anglicanae Societatis, itemque Electoral. Bavaricae Academiae Scientiarum Sodalis. *Xenocrates II.*

641. Dn. *Joannes Conradus* LOEHE, AA. LL. & Philoſoph. Magiſter, Poëta Laur. Caeſ. Alumnor. & Oeconom. in Altorfina Academ. Inſpector, Societat. Teuton. Altorf. Senior, & Helmſtadienſ. Membrum honorarium. *Meto.*

642. Dn. *Cornelius* PEREBOOM, Medicinae Doctor & Poliater Hornanus Weſtfriſiorum. *Philoxenus IV.*

643. Illuſtriſſimus Dominus *Adam Gottlob* MOLTKE, Comes in BROEGENTOED, Liber Baro de Lindenborg & Hoegholm, Dominus de Tryggenvelde & Alslew,

Ordo receptionis.

Ordinis Elephantini Eques auratus, S. R. M. Daniae & Norwegiae Conſiliar. intimus & ſupremus Curiae Mareſcallus, Praeſes Argentariae Hafnienſis, itemque regiae Societatis ad Aſiaticas terras mercaturam exercentis, nec non regiae Pictorum, Sculptorum & Architecturae Academiae. *APOLLO Muſagetes II.*

644. Dn. *Joannes* HILL, Medicinae Doctor & Practicus Londinenſis, Regiaeque Anglicanae Societatis Scientiarum Sodalis. *Dioſcorides IV.*

645. Dn. *Ludovicus Claudius* CADET, Regii Hoſpitii Pariſienſis militum invalidorum Pharmacopoeus primarius & Senior, itemque Inſpector generalis Pharmacopoeorum & Pharmaciarum in Noſocomiis ad regios Gallicanos exercitus pertinentibus. *Avicenna III.*

646. Dn. *Laurentius* SPENGLER, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Daniae & Norwegiae Mechanicus aulicus. *Archyta Tarentinus II.*

## Anno 1762.

Ordo receptionis.

647. Dn. *Wilhelmus Ludovicus* WILLIUS, Medicin. Doct. & Practicus Emmendingenſis, Civitatisque huius & territorii Marchionatus Hochbergenſis, in Ducatu Bada-Durlacenſi, Phyſicus ordinarius. *Leonides IV.*

648. Dn. D. *Erneſtus Jeremias* NEIFELD, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Reg. Polon. & Elect. Saxon. Conſiliar. aulicus, Practicus Liſſae in Polonia maiore. *Nileus II.*

649. Dn.

Ordo receptionis.

649. Dn. *Joannes Vlricus* Bilguer, Medicin. & Chirurg. Doctor, generalis Praefectus Chirurgorum regii Exercitus Boruſſici, & Goettingenſi regiae itemque Electorali Moguntinae Scientiarum Societati adſcriptus. *Nymphodorus IV.*

650. Dn. *Carolus* Morton, Eques Anglus, Medicinae Doctor in regio Collegio medico Londinenſi, Noſocomii infantum expoſititiorum Medicus ordinarius, regiae Anglicanae Societat. Scientiar. Secretarius, regiorumque Manuſcriptorum, ut & Manuſcriptorum Muſei Britannici Cuſtos. *Antigenes Cleophantinus II.*

651. Dn. D. *Fridericus Caſimir* Medicus, Electoral. Praeſidii militaris Manheimenſis Medicus ordinarius, Civitat. Francodalienſ. & Praefecturae Frensheimenſ. Phyſicus, atque Electoralium Academiar. Scientiar. Moguntinae & Bavaricae, Sodalis. *Micon II.*

652. Dn. *Dionyſius van de* Wynpersse, Theologiae Doctor, & in Groningenſi Academia Profeſſor Philoſophiae. *Timaeus II.*

## Anno 1763.

653. Dn. *Daniel Hieronymus* Liber Baro *de* Praun. *Jaſon III.*

654. Dn. *Joannes Caſparus* Sulzer, Sereniſſ. Ducis regnantis Saxo-Gothani & Altenburgenſis Conſiliarius aulicus & Archiater. *Stantius II.*

655. Dn. *Petrus von* Westen, Philoſoph. & Medicinae Doctor, eiusdemque Profeſſor ordinarius in Gymnaſio Ottinienſi, in Inſula Fionia Danorum. *Philoxenus V.*

656. Dn. *Joannes Fridericus Carolus* Grimm, Medicinae Doctor & Practicus, civitatisque Iſenacenſis Medicus ordinarius. *Clidemus III.*

657. Dn.

657. Dn. D. *Joſephus Antonius* CARL, Sereniſſ. Elector. Bavariae Conſiliarius, Phyſico-Chymiae, Materiae medicae & Botanices in Ingolſtadienſi Academia Profeſſor publicus ordinarius, Electoral. Bavarienſ. Academiae Scientiar. Sodalis. *Nebrus II.*

658. Dn. *Joannes* STRANGE, Societatis botanicae Florentinae Sodalis. *Philetes IV.*

659. Dn. *Joannes Georgius Antonius de* STENGEL, Sereniſſ. Princip. Elector. Palatini intimus actualis Conſiliarius & Referendarius, atque in ſanctiſſimo Senatu a ſecretis libellis. *Philaretus III.*

660. Dn. *Arnulfus* VOSMAER, Phyſiotomei Sereniſſ. Principis Arauſionenſis Director, & Regiae Academ. Scientiar. Pariſienſis Sodalis ad litterar. commercium obligatus. *Archibius II.*

661. Dn. *Joannes Hieronymus* CHEMNITZ, Regiae Danicae Legationis, in aula Caeſarea ſubſiſtentis, Antiſtes ſacrorum. *Ariſtomachus III.*

## Anno 1764.

662. Dn. *Carolus* BONNET, Conſiliarius in Senatu ampliori illuſtris Reipublicae Genevenſis, Academiae Imperialis Petropolitanae, itemque regiarum Academiarum Scientiarum, Londinenſis, Pariſienſis, Bononienſis, Stockholmienſis & Goettingenſis, nec non Electoralis Bavarienſis & Harlemenſis Sodalis. *Anaxagoras III.*

663. Dn. *Torbernus* BERGMANN, ad regiam Academiam Vpſalienſem Mathematum & Phyſices Adiunctus. *Eratoſthenes II.*

Ordo
receptionis.

664. Illuſtriſſimus Dominus *Adamus* MOLTKE, Comes in BROEGENTOED, reliqua, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Daniae & Norwegiae ab interioribus cubilis, & Praefectus Cohortis ad ſtatum marinum pertinentis. *Jaſon IV.*

665. Illuſtriſſimus Dominus *Georgius* MOLTKE, Comes in BROEGENTOED, reliqua, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Daniae & Norwegiae Regis Cohortis delectorum equitum, corporis cuſtodiae adſuetorum, Praefectus. *Caſtor III.*

666. Dn. *Henricus Chriſtianus* HAENEL, Sereniſſ. Saxoniae Electoris Conſiliarius aulicus & Archiater, Exercituum Electoralium Medicus ſupremus, Collegiorum, medico-chirurgici & ſanitatis, Praeſes. *Arantius II.*

667. Dn. *Otto Fridericus* MÜLLER, Illuſtriſſimi Comitis *de* SCHULIN Studiorum Moderator. *Vegetius II.*

668. Dn. *Joannes Georgius* KILLMAR, Medicinae Doctor & Practicus, itemque Phyſicus & Senator Civitatis Aſcanienſis. *Chaereas III.*

669. Dn. *Valmont de* BOMAER, Hiſtoriae naturalis Pariſiis Demonſtrator, Societatis litterariae Clermondio-Ferrandienſis, & Academiae regiae elegantiorum litterarum Cadomenſis, in Normannia, Sodalis. *Archibius III.*

670. Dn. *Petrus Simon* PALLAS, Medicinae Doctor & Practicus Hagae Comitum, Regiaeque Anglicanae Societatis Scientiarum Sodalis. *Vegetius III.*

671, Dn.

Ordo
receptionis.

671. Dn. *Joannes Chriſtianus Daniel* SCHREBER, Medicinae Doctor & Practicus Lipſienſis, Societatisque oeconomicae ibidem florentis Secretarius & Sodalis, regiaeque Holmienſis Academiae Scientiarum Correſpondens. *Theophraſtus Ereſius IV.*

## Anno 1765.

672. Dn. *Chriſtophorus* MOLINARIUS, Auguſtalis aulae Viennenſis Medicus ordinarius. *Demetrius III.*

673. Dn. *Georgius Chriſtianus* REICHEL, Philoſophiae & Medicinae Doctor, ac Facultatis Medicae in Academia Lipſienſi Adſeſſor. *Aretaeus III.*

674. Dn. *Joannes Fridericus* ZÜCKERT, Medicinae Doctor & Practicus Berolinenſis, Academiaeque Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. *Chryſermus III.*

675. Dn. Doct. *Philippus Bernhardus* PETTMANN, Medicus obſtetricans publicus iuratus & Phyſicus ordinarius Liberae ac Imperialis Civitatis Francofurtenſis ad Moenum. *Philomuſus V.*

676. Dn. Comes *Franciſcus* GINANNI, Patricius Ravennas. *Philagrius IV.*

677. Dn. D. *Carolus Gottlieb* PAULI, Collegii medici & Sanitatis in Wratislavienſi civitate Adiunctus, Phyſicus ibidem & Noſocomii publici Medicus ordinarius. *Philagrius V.*

II.

# CATALOGVS

## Dominorum Collegarum huius Academiae, hactenus, quoad quidem nobis conſtat, demortuorum.

Ordo receptionis.

324. Dn. D. *Adam Fridericus* PEZOLT, Chemiae Profeſſor publicus ordinarius in Academia Lipſienſi, †. d. 17. Maii, 1761. ann. aetat. 82.

332. Dn. D. *Joannes Fridericus* WEISMANN, Sereniſſ. Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis Conſiliarius aulicus, Medicinae Profeſſor publicus ordinar. Phyſicus Erlangenſis, †. d. 19. Auguſt. 1760. ann. aetat. 82.

*Memoria eius extat in Appendice huius Tomi*, *pag*. 425.

404. Dn. D. *Eberhard David* HAUBER, Theologiae in Academia Hafnienſi Profeſſor publicus ordinarius, Praepoſitus ad aedem St. Petri, & regiae Berolinenſis Academiae Scientiarum Sodalis. †. d. 8. Februar. 1765. ann. aetat. 70.

421. D. *Joannes Henricus de* SPRECKELSEN, J. U. Licentiatus, & Inclytae Reipublicae Hamburgenſis Conſul. †. d. 31. Maii 1764. ann. aetat. 73.

435. Dn. D. *Joannes Hieronymus* KNIPHOF, Univerſitatis Erfurtenſis Rector Magnificus, Facultatis Medicae Senior & Aſſeſſor primarius, Collegii Sanitatis Aſſeſſor, Pathologiae & Praxeos Profeſſor publ. ordinarius, Academ. Caeſar. Nat. Curioſor. Adiunctus & Bibliothecarius. †. d. 23. Januar. 1763. ann. aetat. 59.

*Memoria eius extat in Appendice huius tomi pag*. 397.

450. Dn.

Ordo
receptionis

450. Dn. *Joannes Joachim* LANGE, Mathematum Profeſſor publ. ordinarius in regia Fridericiana, & Academiae Scientiarum Berolinenſis Sodalis. †. d. 18. Auguſt. 1765. ann. aetat. 67.

480. Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* KÜHNST, Phyſicus Civitatis Cizenſis. †. d. 2. Maii 1762. ann. aetat. 60.

496. Dn. D. *Petrus Chriſtianus* WAGNER, Sereniſſimi Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis a Conſiliis intimis & Archiater, regiaeque Monſpelienſis Academ. Scientiarum Sodalis, Medicorum Senatus Director, & Civitatis Byruthinae Phyſicus primarius. †. d. 8. Octobr. 1764.

499. Dn. D. *Carolus Fridericus* HUNDERTMARK, Medicinae in Academia Lipſienſi Profeſſor & Facultat. Medicae Adſeſſor ordinarius, regiarum Societatum Scientiarum, Londinenſis & Holmienſis, itemque Inſtituti Bononienſis Sodalis. †. d. 8. Maii 1762. ann. aetat. 48.

505. Dn. D. *Joannes Jacobus* KIRSTEN, Phyſiologiae & Chemiae Profeſſor publicus ordinarius in Academia Altorfina. †. d. 4. Januar. 1765. ann. aetat. 55.

550. Dn. D. *Chriſtophorus Fridericus* KÜHN, Medicinae Practicus Iſenacenſis. †. d. 28. April. 1761. ann. aetat. 50.

556. Dn. D. *Georgius Leonhardus* HUTH, Reipublicae Norimbergenſis Phyſicus ordinarius. †. d. 25. Febr. 1761. ann. aetat. 56.

558. Dn. D. *Joannes Guilielmus* WIDMANN, Reipublicae Norimbergenſis Phyſicus ordinarius. †. d. 15. Auguſt. 1766.

562. Dn. D. *Fridericus* BOERNER, Medicinae in Academia Wittembergenſi Profeſſor publ. extraordinarius, & Societatum Teutonicarum, Goettingenſ. Jenenſ. & Helmſtadienſis, Sodalis. †. d. 30. Junii 1761. ann. aetat. 38.

Ordo receptionis.

570. Dn. D. *Polycarpus Fridericus* SCHACHER, Medicinae Profeſſor publ. extraordinarius in Academia Lipſienſi. †. M. Maio 1762.

571. Dn. D. *Matthias Georgius* PFANN, Sereniſſimi Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis Conſiliar. aulicus, & Medicinae in Academia Erlangenſi Profeſſor publ. ordinarius. †. d. 16. Junii 1762. ann. aetat. 43.

590. Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* REINMANN, Civitatis Ducalis Rudolſtadienſis & totius Provinciae Phyſicus ordinarius. †. d. 14. Februar. 1761. ann. aetat. 38.

592. Dn. D. *Joannes Chriſtianus* JACOBI, Medicus ordinarius militum praeſidiariorum Vinarienſium, & Academiae Electoral. Moguntinae Scientiarum utilium Sodalis. †. d. 11. Jul. 1762. ann. aetat. 45.

595. Dn. D. *Carolus Wilhelmus* SACHS, Poliater Wratislavienſis, Regiique Collegii medici ac Sanitatis ibidem Adſeſſor. †. 1763.

596. Dn. D. *Gerardus Andreas* MÜLLER, Conſiliarius aulicus Haſſiacus, Anatomiae, Botanices & Chirurgiae Prof. publ. in Academia Giſſenſi. †. M. Mart. 1762.

613. Dn. D. *Joannes Chriſtophorus* HENNICKE, Celſiſſimor. Comitum Hohenloicorum, Bartenſteinenſis, Waldenburgenſis & Neuenſteinenſis Conſiliarius & Archiater, Medicinae Practicus Oehringenſis. †. d. 3. April. 1763. ann. aetat. 65.

614. Dn. D. *Joannes Fridericus* SCHREIBER, Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis Conſiliarius aulicus, Anatom. & Chirurgiae in Noſocomiis Petropolitanis Profeſſor publ. & Imperialis Academiae Scientiarum ibidem Sodalis. †. d. 28. Januar. 1760.

676. Dn. Comes *Franciſcus* GINANNI, Patricius Ravennas. †. d. 8. Mart. 1765. ann. aetat. 50.

III.

# CATALOGVS

## ALPHABETICVS

## Excellentiſſimorum Virorum, qui pro tertio hoc Tomo Obſervationes phyſico-medicas communicarunt.

Dn. *Joſephus* BENVENUTI, Philoſoph. & Medicin. Doctor, Luccenſium Thermarum in Hetruria Medicus ex Reipublicae auctoritate praefectus, Societatis regiae Goettingenſ. Inſtituti Scientiar. Bononienſis & Academiae phyſico-botan. Florentin. Sodalis, Academ. N. C. *Epicharmus II.* pag. 407.

Dn. *Torbernus* BERGMANN, ad Regiam Academiam Upſalienſem Mathematum & Phyſices Adiunctus, Acad. N. C. *Eratoſthenes II.* pag. 166.

Dn. D. *Joannes Ulricus* BILGVER, Generalis Praefectus Chirurgorum regii Exercitus Boruſſici, & Goettingenſi regiae, itemque Electorali Moguntinae Scientiarum utilium Societati adſcriptus, Acad. N. C. *Nymphodorus IV.* pag. 91.

Dn. *Andreas Elias* BÜCHNER, S. R. I. Nobilis, Conſiliar. Archiater & Comes Palatin. Caeſareus, Potentiſſ. Reg. Boruſſ. a Conſil. ſanctioribus, in regia Fridericiana Academ. Medicin. & Philoſoph. natural. Prof. publ. ordinar. & regiar. Academiar. Scientiar. Londinenſ. Berolinenſ. & Monſpelienſ. Sodalis, Academ. Natur. Curioſ. PRAESES. pag. 437.

Dn.

Dn. D. *Godofredus Henricus* BURGHART, regii Collegii Bregenſis Profeſſor primarius, & Caeſareo-regiae Societatis Olmutienſis litterarum humaniorum Sodalis, Acad. Nat. Cur. *Zoſimus III.* pag. 328.

Dn. *Ludovicus Claudius* CADET, Regii Hoſpitii Pariſienſis militum invalidorum Pharmacopoeus primarius & ſenior, itemque Inſpector generalis Pharmacopoeorum & Pharmaciarum in Noſocomiis ad regios Gallicanos exercitus pertinentibus, atque regiae Pariſienſis Academiae Scientiarum Sodalis, Acad. N. C. *Avicenna III.* pag. 96. 261.

Dn. D. *Henricus Fridericus* DELIUS, Sereniſſ. Marggrav. Brandenb. Culmbacenſ. Conſiliar. aulicus, Medicinae in Erlangenſi Academia Profeſſor publ. ordinarius, regiae Societat. Monſpelienſ. & Academ. Scientiar. & Artium Rhotomagenſis Sodalis, Acad. N. C. *Democedes II.* pag. 404.

Dn. D. *Joannes Petrus* EBERHARD, Medicinae, Philoſophiae & Matheſeos in Academia Halenſi Profeſſor publicus ordinarius, & Electoral. Moguntinae Academiae Scientiar. utilium Adſeſſor ordinarius, Acad. N. C. *Euclides IV.* pag. 348.

Dn. D. *Joannes Bernhardus de* FISCHER, quondam Ruſſorum Imperatricis, ANNAE, glorioſiſſ. memoriae, Perſonae Medicus, & per Ruſſias, medicas res dirigens Archiater, Acad. N. C. *Olympus.* pag. 207. 310.

Dn. D. *Joannes Fridericus Carolus* GRIMM, Medicinae Doctor & Practicus Iſenacenſis, Acad. N. C. *Clidemus III.* p. 64.

Dn. D. *Petrus Immanuel* HARTMANN, Medicinae theoret. Anatomiae & Pharmaciae in Academia Francofurtenſi ad Viadrum Profeſſor publ. ordinarius, Electoral. Moguntin. Academiae Scientiar. utilium, itemque Societat. Ducal. Teuton. Helmſtadienſis Sodalis, Acad. N. C. *Menon.* p. 4. 553.

Dn.

Dn. D. *Joachim Fridericus* HENCKEL, Medicinae & Chirurgiae Doctor & Practicus Berolinenſis. pag. 49.
Dn. Licent. *David Franciſcus* HEZEL, Liberae S. R. I. Civitatis Halae Suevorum Phyſicus ordinarius, Acad. N. C. *Hierax IV.* p. 56.
Dn. *Joannes Chriſtianus* HILDEBRAND, Medicinae Doctor & Practicus Islebienſis, Civitatisque huius Praetor, Acad. N. C. *Aemilius II.* p. 25. 133.
Dn. D. *Joannes Jacobus* HUBER, Anatom. & Chirurg. in Collegio medico-Chirurgico Caſſellano Profeſſor publ. ordinarius & Decanus provincialis, Sereniſſ. Landgravii Haſſiaci Conſiliar. aulic. & Archiater, Aulae Bada-Durlacenſ. Medicus, Facultat. med. patriae, quae Baſileae eſt, Collega, regiar. Societat. Scientiarum, Londinenſis & Berolinenſis, itemque Helveticae Sodalis, Acad. N. C. *Aretaeus II.* p. 527.
Dn. D. *Gottlieb Henricus* KANNEGIESSER, Caeſareae Celſitudinis, Magni Ruthenorum Ducis, Conſiliarius Juſtitiae, in Academia Kilonienſi Medicinae Profeſſor publ. primarius & Collegii chirurgici Praeſes, Acad. N. C. *Telamon II.* p. 371.
Dn. D. *Joannes Georgius* KILLMAR, Phyſicus & Senator Civitatis Aſcanienſis, Acad. N. C. *Chaereas III.* p. 299.
Dn. D. *Joannes Fridericus* KRÜGELSTEIN, Phyſicus provincialis Ohrdrufienſis & Sereniſſ. Principis Hohenloici Medicus ordinarius. p. 45.
Dn. D. *Antonius* MATANI, in Academia Piſana publicus Medicinae Profeſſor, regiar. Academiar. Scientiarum, Londinenſ. & Monſpelienſis, itemque Botanicae Florentinae, Sodalis, Acad. N. C. *Athenaeus II.* p. 409.
Dn. D. *Fridericus Caſimir* MEDICUS, Electoralis Praeſidii militaris Manheimenſis Medicus ordinarius, Civitatis Francodalienſis & Praefecturae Frensheimenſis Phyſicus, atque Electoralium Academiar. Scientiarum, Moguntinae & Bavaricae, Sodalis, Acad. N. C. *Micon II.* p. 62.

❖ ✳ ❖

Dn. D. *Joannes Carolus Vilelmus* MOEHSEN, Collegii medici in terris Potentiſſ. Boruſſor. Regis ſupremi, ut & Collegii Sanitatis Membrum, Juventutis generoſae utriuſque Scholae militaris, quarum altera *Ecole militaire*, altera *Cadetten-Corps* vocatur, & Gymnaſii regii Joachimici Medicus ordinarius, Acad. N. C. *Abſyrtus II.* Append. p. 1.

Dn. D. *Fridericus Simon* MORGENSTERN, Civitatis Magdeburgenſis Phyſicus & Electoralis Moguntinae Academiae Scientiarum utilium Sodalis, Acad. N. C. *Ariſtogenes III.* p. 330.

Dn. D. *Godofredus Guilielmus* MÜLLER, Poliater Francofurtenſis ad Moenum, Acad. N. C. ADIUNCTUS, d. *Mundinus I.* p. 330. 501.

Dn. *Otto Fridericus* MÜLLER, Illuſtriſſimi Comitis de SCHULIN Studiorum Moderator, Acad. N. C. *Vegetius II.* p. 122.

Dn. *Wolfgangus Jacobus* MÜLLNER, Sereniſſ. Marchionis Brandenb. Culmbacenſis Chirurgus primarius, artis obſtetriciae in inclyta Norimbergenſi Republica Magiſter, & regiae Pariſienſis Academiae Chirurgorum Sodalis, Acad. N. C. *Philomuſus IV.* p. 481.

Dn. D. *Rüdiger Fridericus* OVELGÜN, Comes Palatinus Caeſareus, Medicus provincialis Moguntinus, Archiater Waldeccenſis & Reverendi Capituli & Civitatis Fritzlarienſis Medicus ordinarius, Acad. N. C. *Diophantus II.* p. 271.

Dn. D. *Petrus Simon* PALLAS, Medicinae Practicus Hagae Comitum & regiae Londinenſis Societatis Scientiarum Sodalis, Acad. N. C. *Vegetius III.* p. 430.

Dn. D. *Cornelius* PEREBOOM, Poliater Hornanus Weſtfriſiorum, Acad. N. C. *Philoxenus IV.* p. 20.

Dn. D. *Philippus Bernhardus* PETTMANN, Medicus obſtetricans publicus iuratus & Phyſicus ordinarius Liberae ac Imperialis Civitatis Francofurtenſis ad Moenum, Acad. N. C. *Philomuſus V.* p. 493.

Dn.

❧ ✲ ❧

Dn. D. *Wolfgang Thomas* RAU, Sereniſſ. Electōr. Bavar. in Comitatu Wieſenſteig, & Illuſtr. Reipublicae Ulmenſis in oppido & territorio Geislingenſi Phyſicus provincialis, Acad. N. C. *Serapion III.* pag. 141. 242.

Dn. D. *Joannes Adamus* RAYMANN, Phyſicus Eperieſinus in ſuperiori Hungaria, Acad. N. C. *Ariſtophanes I.* p. 225.

Dn. D. *Joannes Jacobus* RITTER, Medicinae Practicus Peilaviae Sileſiorum, Acad. N. C. *Mundinus II.* p. 386.

Dn. D. *Joannes Gottlieb* SCHAEFFER, Medicinae Practicus in Libera & Imperiali civitate Ratisbonenſi, Acad. N. C. *Sabinus III.* p. 1. 132.

Dn. *Joannes Chriſtianus Daniel* SCHREBER, Medicin. Doctor & Practicus, Societatis Oeconomicae Lipſienſis Sodalis & Secretarius, Academ. regiae Scientiarum Holmienſis a litterarum commercio, Acad. N. C. *Theophraſtus Ereſius IV.* p. 341. 473.

Dn. *Julius Erneſtus de* SCHÜTZ, Eques Miſnicus, Haereditarius in Erdmansdorf &c. Electoralium Saxonicarum Praefecturarum Auguſtoburgi & Franckenbergae Capitaneus praepoſitus, Acad. N. C. *Palladius IV.*

Dn. D. *Jacobus Reinboldus* SPIELMANN, Chemiae, Botanicae reliquaeque Materiae medicae in Argentoratenſi Academia Profeſſ. publ. ordinarius, Capituli Thomani Canonicus, Imperialis Petropolitanae, regiae Berolinenſis & Electoral. Moguntin. Academiae Scientiarum Sodalis, Acad. N. C. *Heraclides IV.* p. 442.

Dn. BALTHASAR SPRENGER, Philoſoph. Magiſter & Theolog. Lector in Collegio theologico Ducali Tubingenſi, ac Societat. latinae Jenenſis Sodalis. p. 131.

Dn. D. *Gottlieb Carolus* SPRINGSFELD, Medicus Ducalis aulicus & Phyſicus Civitatis Leucopetrenſis, itemque Sereniſſ. Marchion. Brandenb. Baruthini Conſiliarius aulicus & Archiater, ac regiae Berolinenſ. Academ. Scientiarum teu-

tonicaeque Lipſienſis Sodalis, Acad. N. C. *Stantius I.* p. 459.

Dn. D. *Joannes Caſparus* SULZER, Sereniſſ. Ducis Saxo-Gothani & Altenburgenſis Conſiliarius aulicus & Archiater, Acad. N. C. *Stantius II.* p. 157. 307.

Dn. D. *Chriſtophorus Jacobus* TREW, S. R. I. Nobilis, Sacr. Caeſar. Maieſt. Conſiliarius, Archiater & Comes Palatin. Caeſar. Sereniſſ. Marchion. Onoldino-Brandenb. Conſiliarius aulicus & actualis Archiater, Reipubl. Norimb. Phyſicus ordinarius & Collegii medici Senior primarius, Regg. Societat. Scientiar. Londinenſ. Berolinenſ. & Botanicae Florentinae Sodalis, Ephemerid. N. C. DIRECTOR. Append. p. 445.

Dn. *Zacharias* VOGEL, Medicinae & Chirurgiae Doctor & Practicus Lubecenſis, Acad. N. C. *Nymphodorus III.* p. 80. 161.

Dn. *Petrus a* WESTEN, Medicinae Doctor & Philoſoph. Profeſſor in Gymnaſio Ottinienſi, Societatum Jenenſium Sodalis, Acad. N. C. *Philoxenus V.* p. 197. 351.

Dn. D. *Wilhelmus Ludovicus* WILLIUS, Civitatis Emmendingenſis & territorii Marchionatus Hochbergenſis, in Ducatu Bada-Durlacenſi, Phyſicus ordinarius, Acad. N. C. *Leonides IV.* p. 179. 412.

Dn. *Dionyſius van de* WYNPERSSE, Theologiae Doctor, & in Groningenſi Academia Philoſophiae Profeſſor, Acad. N. C. *Timaeus II.* p. 112.

Dn. *Joannes Fridericus* ZÜCKERT, Medicinae Doctor & Practicus Berolinenſis, Academ. Electoralis Moguntinae Scientiar. utilium Sodalis, Acad. N. C. *Chryſermus III.* p. 506.

NOVO-

# NOVORVM ACTORVM PHYSICO-MEDICORVM ACADEMIAE CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM

## TOMVS TERTIVS.

## *OBSERVATIO I.*

## Dn. D. JOANN. GOTTLIEB. SCHAEFFER.

### De *Hepate monſtroſo, in funiculo umbilicali infantis recens nati reperto.*

Obtigit mihi anno 1748. caſus quidam rarior, quem tunc temporis novellis litterariis Ratisbonenſibus inſerendum curavi, qui vero nunc etiam in novis hiſce Academiæ Cæſareæ Actis phyſico-medicis commemoratione quadam dignus mihi videtur. Scilicet quar-

to Februarii ſupra dicti anni ad mulierem, quæ paulo ante puellulam enixa erat, vocabar. Infans iſte ceteroquin bene & perfecte formatus erat; verum ad finem funiculi umbilicalis, ubi is corpori accretus eſſe ſolet, obſervabatur: 1) Umbilicus fere ad magnitudinem thaleri extenſus & dilatatus; 2) tumor figuræ cylindricæ, ovo anſerino fere ſimilis. Hic tumor a fundo umbilici protuberans, (ſub quo, ſi modice levabatur, vaſa umbilicalia, eorumque in abdomine ulterior progreſſus, diſtincte conſpicienda erant,) ad partem dextram ſubfuſcus, inſuper durus denſusque tactu fuit, ut adeo nec prolapſo inteſtino, nec egreſſo omento ſimilis eſſet, conſequenter pro omphalocele ſatis nota, quam alii ſupponebant, eo minus illum habere potuerim, quo minus alia indicia illam confirmantia, aderant. Hinc externe ad evacuandum meconium clysma, & ad tumorem ſacculos partim diſcutientes, partim emollientes, cum vino coctos, adplicare curavi; pro interno autem uſu Julepum confortativum præſcripſi. Nocte ſequente infans dormiebat perquam tranquille; aſt altero die admodum male ſe habere, & tormina ſpasmodica cum febricula pati, animadvertebatur; tumor tamen non augebatur, ſed color in dextra parte pridie ſubfuſcus, hodie in flavo-viridem degenerabat, fœtorem cadaveroſum ſpargens. Ex quo, aliisque concurrentibus indiciis, gangrænam lethalem, mortemque præſagiebam, eadem nocte, præcedentibus gravibus motibus convulſivis, inſecutam.

Quum poſtero die cadaver ſecarem, integumentis a tumore caute remotis, ſimulque facile deductis eius involucris usque ad partem dextram iam plane ſphaceloſam, deprehendi non ſine admiratione, ſubſtantiam illic incluſam partem hepatis eſſe. Hoc enim viſcus, e ſitu ſuo naturali egreſſum, inſtar molis rotundo-oblongæ in funiculum umbilicalem ſe inſinuaverat (*vid.*
Tab. I. *Fig.* 1. *b. Tab. I.*). Separatum hepar a partibus adnatis atque exemptum, figuram ſupra & infra convexam, & ſecundum longitudinem depreſſam, oſtendebat, veſicam felleam inferius in-

cluſam habens cum vena portæ & umbilicali, reliquis viſceribus omnino ſanis ac integris. Mater, ſe tempore geſtationis lapſam, aut aliam violentiam paſſam fuiſſe, negabat, nihilque plane aliud ſibi accidiſſe, quod fœtui nocere potuiſſet, conſtanter aſſeverabat.

Quemadmodum igitur ex pluribus conſtat Obſervationibus, dari ſubinde recens natos infantes, e quorum abdomine viſcera egreſſa ſunt ſola cute tecta; (vid. *Memoires de l'Academie Royale des Sciences, ann.* 1716. *pag.* 178. *Edit. Amſtelodamenſ.* & *Miſcellan. Nat. Carioſ. Decur. I. Ann. VI.* & *VII. Obſerv.* 232.) inſuperque, teſtante *Jobo de* MEEKREN in *Obſerv. chirurg. medic. Lib. I. Cap. VI. p.* 69. 70. e non ſat firmiter ligato fune umbilicali annulus umbilicalis ruptus atque per eum viſcera prolapſa ſunt; quorſum etiam pertinent Obſervationes fœtuum, inteſtinis nudis per apertum abdomen propendentibus, natorum, in Diſſert. *Georg. Alb.* FRIED, Argentorati 1760. ventilata: ita in caſu ſupra adducto, opinor, accidere potuit, ut, vel ob malam embryonis conformationem, involucra abdominis non penitus formata, aut formata quidem, ad debitam tamen magnitudinem & firmitatem non deducta fuerint; vel, ob vix ſenſibilem quandam vim, apertura lineæ albæ circa umbilicum nimis extenſa, & hepar poſtea in hanc aperturam intruſum innatumque fuerit. Meo igitur iudicio, ſitus iſte hepatis haud dubie iam in primis graviditatis menſibus ita præternaturalis redditus, cauſſam figuræ eius irregularis dediſſe videtur, unde dein ulterius factum, ut hepar iſtud incluſum non ſolum in partu valde comprimeretur atque ſuggillaretur, verum etiam, ex quo infans reſpirare cœpit, in parte iſta valde conſtricta, & a reniſu lineæ albæ extenſæ coarctata, liber ſanguinis motus fuerit impeditus, ex quo paulo poſt gangræna, tandemque mors neceſſario ſequi debuit.

 Expli-

## Explicatio Figurarum Tab. I.

Fig. 1. Exhibet ſuperficiem ſuperiorem ſive exteriorem hepatis monſtroſi.
- a. Pars maior in funiculo umbilicali incluſa.
- b. Minor pars in abdomine detenta.
- c. Locus annulo umbilicali circumdatus.

Fig. 2. Superficiem inferiorem ſeu interiorem indicat.
- a. Maior pars in funiculo umbilicali incluſa.
- b. Pars minor in abdomine occulta.
- c. Locus annulo umbilicali circumdatus, cum ramis vaſorum ſanguiferorum.
- d. Venæ portæ truncus.
- e. Veſicæ felleæ compreſſæ collum.
- f. Vena umbilicalis.

(*Ratisbona Halam miſſa d.* 19. *Januar.* 1762.)

*OBSERVATIO II.*

# Dn. D. PETRI IMMANVEL HARTMANN.

## De

## *Calculo ſub lingua exſecto.*

Calculus iſte ſublingualis, Helmeſtadii anno 1761. plebeiæ ſortis viro, expedita dexterrimi ibidem Chirurgi, *Joann. Ludov.* Stűberi, manu exciſus, tametſi non unicum ſui generis eſt exemplum, tamen cum ob ſingularem ſuam magnitudinem, tum ob aliquam eiusdem notæ calculorum, in humanis corporibus repertorum, paucitatem infrequentiamque, mereri omnino viſus eſt, cuius memoria inter alias Medicorum obſervationes, calamo conſignatas, locum occuparet, atque ad poſteros conſervaretur. Quo conſilio etiam huius calculi imaginem,

nem, naturali magnitudine atque figura exacte expreſſam, inſimul communicare volui. Commemoratis autem primo iis, quæ ad hiſtoriam ſublingualis huius calculi pertinent, excitabo porro alios quosdam eiusdem generis lapillos, ſub lingua natos, paſſim a Medicis obſervatos atque deſcriptos, de ortu denique & cauſſis præſentis huius calculi breviter ſtrictimque diſputaturus.

Propoſito igitur dicendorum ordine, ab hiſtoria huius calculi protinus exordiamur. Vir quadraginta circiter annorum, temperamentum, quod Medici vulgo dicunt, cholerico-melancholicum nactus, habitus corporis ſtrictioris, ſed maxime lacertoſi, ſtaturæ plus quam mediocris & quadratæ, & ex omni parte craſſæ, vultus torvi & furvi, vitæ generis vilis, (quippe de plebe homo,) ſed admodum laborioſi, & in Zythopœi famulatu *a*) victu uſus ſolido crudoque, verbi cauſſa, carne bubula & ſuilla, lardo, leguminibus, & id genus ceteris, vini, quod vocant, aduſti appetentiſſimus, bibensque ſæpenumero plus etiam, quam quod præcordia poſcunt, ante ſesquiannum circiter, poſtquam per aliquot hebdomadum intervallum de ſingulari ſalivæ lentore conqueſtus erat, ſenſim ſub lingua, ad dextrum frenuli lingualis latus, eam partem, qua ſalivalis ductus, qui a maxillari glandula prodit, & ab inventore Whartonianus dicitur, oſculum patet, intumeſcere, ſine notabili tamen dolore, ſenſit. Succrevit autem in dies hic tumor, pedetentimque induruit adeo, ut non ſolum vicina vaſa, quibus raninorum nomen eſt, inſigniter premeret efficeretque tumida, verum etiam libero linguæ motui maximum obiiceret impedimentum. Quin etiam demum integro trimeſtri ſpatio poſt, quam cœperat, tumoris huius tanta fuit durities, tantaque magnitudo, ut hac maiorem fabam, illa calculum perfecte æquaret. Inter hæc quoque ſubiectis muſculis dolorem moleſtiamque afferre, duosque apices diſtincte prodere cœpit; al-

 terum,

*a*) Noſtrates vocant *einen Brauknecht.*

terum, eumque ſuperiorem, ſub ipſa lingua, eo in loco, ubi primum comparuerat hic tumor, alterum vero inferiorem extrinſecus ſub mento, qui hanc partem velut aculeo perforaturus videbatur. Pertæſus ergo harum moleſtiarum ægrotus, quicquid hic eſſet duri acutique corporis, ante memorato Chirurgo excidendum permiſit. Atque is, tenui, quod intrinſecus in ore ſuperinductum erat, involucro membranaceo facillime inciſo, protinus hunc ipſum calculum, quem nunc porro deſcripturus ſum, eduxit. Leve vulnus mox conſanuit.

Calculi vero huius formam figuramque, prunorum nucleum Tab. I. quodammodo referentem, *Figuræ* 3. 4. 5. *Tab. I.* optime luculentiſſimeque demonſtrant, circa quas adhuc notari meretur, quod eo apice, quem littera *a* ſignat, mentum, eo, cuius nota eſt littera *b*, linguam reſpexerit; quod porro hinc inde in ſuperficie varias quaſi rugas impreſſas habeat, præcipue in apice, littera *b* ſignato; & quod denique in illo margine, qui magis curvus eſt altero, ab apice, *a* nota diſtincto, usque ad mediam partem ſulcum oſtendat. Longitudo, ſi menſuram Rhenanam ſequamur, eſt unius pollicis, ſubtracta una decima (*Linie*), latitudo perfecte dimidium pollicem, ſive quinque decimas æquat; craſſitudo denique, media calculi parte, eſt trium decimarum una cum dimidia, ad utrumque apicem vero ſeſquidecimæ. Vnius drachmæ & grani pondus exhibuit ad ſtateram examinatus. Coloris eſt obſcure ex luteo albicantis, qualis interdum lapidum, quos dicimus, cancrorum eſſe ſolet, & paſſim adhuc ſanguinis adſperſi maculas prodit. Tandem quoque inſigniter eſt durus, & nequaquam rarus atque ſpongioſus; unde & aquæ iniectus ſubſedit. Temperavi mihi ab examine chemico, quanquam perægre hanc amplioris cognitionis curioſitatem reprimebam; elegans tamen hoc, nec quotidie obvium huiusmodi calculi exemplar parci ſibi iuſſit.

Venio nunc ad alteram huius commentationis partem, aliquot memorabiliora calculorum, in ductibus ſalivalibus repertorum,

torum, exempla breviſſime nunc enarraturus *b*). Quibus ex dictis intellecturos arbitror lectores, mihi in præſentia nihil omnino eſſe negotii cum aliis varii generis calculis, paſſim quoque in faucium antro deprehenſis, quorum apud Obſervationum medicarum Scriptores mentio eſt iniecta: ſed eos ſaltem lapillos ad præſens meum pertinere inſtitutum, quos tubuli ſalivales, & ante omnes frequentiſſime Whartoniani *c*), velut in ſinu tulerunt. Accipite ergo, lectores, frequentem horum calculorum apparatum. Inter Arabes Medicos invenio AVENZOAREM, Hiſpalenſem, in viro quodam natum ſub lingua obſervaſſe calculum, loquelæ maxime officientem: quæ expeditiſſima ſit facta, poſteaquam felici ſectione hoc ipſum impedimentum eſt remotum *d*). Ex Latino-barbaris, ut vulgo vocari ſolent, *Gentilem* FVLGINATEM vidiſſe calculum, magnitudine fabæ ſimilem, ſub lingua generatum, refert *Nicolaus* NICOLVS, teſte *Joanne* SCHENCKIO *e*). Eadem quoque fuit obſervatio *Jacobi*

*b*) Equidem iam pridem ante me clariſſimum Virum, *Chriſt. Arend.* SCHERERVM in eadem materia tractanda fuiſſe occupatum, atque edidiſſe Argentorati cIↃIↃCCXXXVII. Diſſertationem *de Calculis e ductu ſalivali excretis*, novi: ſed vehementer quoque doleo, hoc ipſum ſcriptum, licet curioſe quæſitum, nunquam in meas incidiſſe manus.

*c*) Hos enim huiusmodi concrementis lapidoſis eſſe fœcundiſſimos, tam anatomici, quam chirurgici Scriptores ſuo confirmant teſtimonio. Confer celeberrimi viri, *Hermanni* BOERHAAVE *Prælection. academ. in proprias Inſtitution. Tom. I. pag.* 170. ex illuſtris *Alberti de* HALLER Edit. altera, Gœttingæ cIↃIↃCCXLIV.

*d*) In Opere practico, quod *Theiſir* vocatur, *Lib. II. Tract. II. Cap. II.* Conferant quoque *Joannis* SCHENCKII *Obſervat. medic. Libr. I. pag.* 182. Edit. Lugdun. cIↃ IↃCXLIV.

*e*) In libr. & loc. citat. & in *Nicolai* NICOLI *Sermonibus VII*, qui mihi ad manus ſunt, Venetiis anno cIↃCCCCXCI, folio maximo excuſi, *Serm. IV. Tract. I. Cap. VI. pag.* 8.

*cobi* FOROLIVIENSIS *f*). Similes calculos ſublinguales ab aliis quoque Medicis eſſe viſos, narrat *Alexander* BENEDICTVS *g*). Atque forſan obſcurorum hodie virorum horum longe obſcuriora & infrequentiora opuſcula attente evoluturo plura adhæc huius generis occurrent exempla. Dein, renatis ex litteris, huiusmodi calculos obſervarunt, *Antonius* BENIVENIVS in pharmacopœo quodam *h*); *Hieronymus* MONTVVS in fœmina quadam, ſtrobuli inſtar *i*); *Hieronymus* CARDANVS in viro quodam *k*); *Joannes* KENTMANNVS in tibicine lapillum teretem, duorum circiter piſorum magnum, lauri baccæ arefactæ atque excorticatæ ſimilem, colorisque ſpadicei *l*); *Laurentius* JOVBERTVS ſemel in homine quodam *m*); *Matthias* VNTZERVS in muliere calculum oblongum duriſſimum atque ſiliceum, forma atque magnitudine dactylorum oſſiculis reſpondentem *n*); *Conradus Ludovicus* WALTHERVS in viro lapillum albicantem, teretem, & pondere drachmam fere æquantem *o*); *Petrus* FORESTVS, celeberrimus

*f*) Confer. eiusdem *Commentar. in Aphoriſm.* HIPPOCRATIS *Sect. IV. Aphor. 79.* & *Antonii* GVAINERI *Practicam, pag. 91.* Edit. Venetæ, quam poſſideo, anno CIↃCCCCXCVII. in fol. emiſſæ.

*g*) In *Libr. XXII. Cap. XXXIV. de morborum ſignis, cauſſis, & cet. p. 412.* Edit. Baſileenſis, ann. CIↃIↃXLIX. in fol.

*h*) Teſte *Matthia* VNTZERO in *Florilegio de Nephritide*, p. 25. Edit. Hallenſis, CIↃIↃCXIV in quart.

*i*) In *Anaſceue morborum*, Lugduni CIↃIↃLX. emiſſa, *Libr. IV. Cap. I.*

*k*) In *Commentario ad Libr.* HIPPOCRATIS *de alimentis*, *Lection. XL. Text. XLI.* Conf. quoque *Jo.* SCHENCKIVS *libr. & loc. cit.*

*l*) In *Generibus XII. calculorum, qui in corpore ac membris hominum innaſcuntur, num. III.*

*m*) In *Provocatione ad Paradox. III. Decad. II. contra ſententiam Brunonis* SEIDELII, pag. 234. Opp. Francofurti ad Mœnum CIↃIↃXCIX. editor.

*n*) In Libr. & loc. iam antea excitato.

*o*) *In Mediciniſch-chirurgiſchen Schatz ſonderbarer Anmerckungen, p. 321.* Edit. Lipſienſ. CIↃIↃCCXV. ubi & icon deprehenditur adiecta.

rimus ille atque locupletiſſimus obſervationum medicarum ſcriptor, binos calculos, ex diverſis hominibus prodeuntes, alterum inſigniter durum, nucis avellanæ magnitudine, forma vero nonnihil longiore, alterum autem paullo maiorem ampilioremque *p*); *Cornelius* OEMMA huius generis varios *q*); *Franciſcus* TIDICÆVS duo id genus exempla, alterum in puero ſeptem octove annorum, in quo duo lapilli, eodem involucro incluſi, ſubaſperi, coloris cineritii, magnitudinis vero ad nucleum ceraſi interiorem, vel ſemen fœnigræci accedentis, aut nonnihil maioris, & colore, forma, atque magnitudine maxime æquales, ex tuberculo ſublinguali prodierunt *r*); alterum in adoleſcente, qui ipſe ſibi albeſcentem huiusmodi calculum, nuclei pinei ſimilem, ex dehiſcente ſub lingua tumore extraxit *s*); tandemque *Petrus* SPEHRERIVS in Monacho quodam lapillum, phaſeolorum magnitudine, duritieque ſumma *t*). Præter ea obſervati ſunt huius generis calculi ſublinguales à *Petro* BORELLO in viro quodam, cui duo rugoſi, & arenulis velut acutis conſtantes, alter magnitudine nucem avellanam æquans, alter vero eandem non nihil ſuperans, ſunt exſecti *u*); ab *Ehrenfried* HAGENDORNIO, qui binos lapillos poroſos, albicantes, ad maiorem fabam magnitudine accedentes, feminæ cuidam ſub lingua natos & exſectos vidit *x*); à *Baldaſſare* TIMÆO à GÜLDENKLEE in mercatore quodam Ham-

*p*). In *Obſervat. medicar. Libr. XIV. Obſerv. XVI. pag. 126.* Edit. Francofurt. cIↄIↄcII. in folio.

*q*). In *Coſmocritie, Libr. I. Cap. VI.* Conf. SCHENCKIVM in Libr. & loc. citat.

*r*). In *Litteris ad* SCHENCKIVM *datis.* Videſis Libr. & loc. allegat.

*s*). In Libro & loc. iam excitat.

*t*). Apud eundem Scriptorem loco ſæpius citat.

*u*). In *Hiſtoriarum & Obſervationum phyſico-medicarum Centur. II. Obſerv. XVII. pag. 122.* Edit. Françofurt. ad Mœnum cIↄIↄCLXX. in 8v.

*x*). In *Obſervat. & hiſtoriar. med. practic. Cent. I. Obſervat. LXXI. pag. 105.* Edit. Francofurt. cIↄIↄCXCVIII.

Hamburgenſi, cui poſt repetitas oris collutiones huiusmodi calculus proſiliit, amygdalæ magnitudinem formamque nonnihil longiorem habens *y*); à *Petro* ESTANOVE, Chirurgo Montiſpeſſulano, in viro, circiter quadragenario, qui poſt diuturnos linguæ dolores, tandem ab huius notæ calculo per ſectionem liberatus eſt *z*); à *Felice* PLATERO itidem in viro quodam, qui calculum huius indolis à nucleo corni parum abludentem, eiecit, nec non in tribus aliis hominibus, quibus ſimiles calculi diverſæ magnitudinis ſub lingua ſunt nati *a*); à *Thoma* BARTHOLINO varii ſublinguales calculi, Patavii exemti *b*); à *Jacobo* SEIDELIO in muliere, ex qua calculus coloris ſubflavi, magnitudine articuli digiti, prodiit *c*); à FREYMUTHO, Chirurgo quodam legionario Boruſſico, in viro, qui calculum, fabæ minori ſimilem, una cum copioſa materia tophacea excrevit *d*); à *Joanne* HOOLEN, Chirurgo Amſtelodamenſi, in femina, cui ſimilis lapis albicans & rugoſus, pondusque ſemunciæ circiter æquans, ex ore excidit *e*); & ab *Auctore* denique ἀνωνύμῳ in milite Gedanenſi, qui ex eadem parte, ex qua præ-

*y*). In *Caſuum medicinal. Libr. I. Caſ. XXXV. pag. 69.* Edit. Lipſ. clↄIↄclxvii.

*z*). Conf. *Lazari* RIVERII *Opera omnia, pag. 682.* Edit. Francofurt. clↄ ↄlxxix.

*a*). In *Ephemerid. Acad. Cæſar. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX. & X. Obſervat. CXLIV:* & *Obſervation. medicar. Lib. III. pag.* 377. Edit. Baſiliens. clↄIↄclxxx.

*b*). In *Anatomia reformata, Lib. III. Cap. ultimo, pag. 374.* Edit. Hagæ Comit. clↄIↄclv.

*c*). In *Michaelis* LYSERI *Cultro anatomico, & ibidem annexis obſervationibus pag. 294.* Edit. Francofurt. clↄIↄclxxix. & apud SCHENCKIUM *loc. cit.*

*d*). In *Samuel* SCHAARSCHMIDTS *mediciniſchen und chirurgiſchen Nachrichten. Erſtem Jahrgang. Obſerv. XLVI.*

*e*). In *Stephan.* BLANKARTS *Holländiſchen Jahrregiſter, II. Theil, Obſ. XLVII. pag. 79.* Edit. germanic. Lipſ. clↄIↄcxc.

præſens calculus exciſus eſt, lapillum teretem, coloris ſpadicei, extrinſecus ſemine papaveris velut obſitum, ſesquipollicem longum, & tres octavas pollicis craſſum, excrevit *f*); His exemplis longe plura adhuc, ex variis Academiarum Societatumque litterariarum commentariis atque diariis colligenda, addi poſſunt. Huc refero huius generis exemplum, in *Transactionibus Anglicanis* g), ut vocantur, relatum: numeroſiora in Ephemeridibus & *Actis phyſico-medicis Academiæ Naturæ Curioſorum h*) deſcripta, à *Simone* SCHULTZIO, *Chriſtiano Friderico* GARMANNO, *Joanne Georgio* WIRSUNGO, *Samuele* LEDELIO, *Emanuele* KOENIGIO, *Vito* RIEDLINO, *Roſino* LENTILIO, *Georgio* DETHARDINGIO, *Joanne Mauritio* HOFFMANNO, *Balthaſare* KRYSINGIO, *Wolfgango Henrico* SCHREY, & *Jobo* BASTERO paſſim obſervata. Porro ſimilem huius generis hiſtoriam, & à *Joanne* KANOLDO in *Collectiones rerum naturalium, medicarum, artificialium, litterariarumque Wratislavienſes* i) congeſtam, excitaſſe hic liceat. Idem hoc exemplum, longe luculentius deſcriptum, & præter hoc aliud eiusdem argumenti, à *Joanne Hartmanno* DEGNERO communicatum, adiectisque iconibus illuſtratum,

*f*). In *neuen geſellſchafftlichen Erzæhlungen für die Liebhaber der Naturlehre, &c. III. Theil, pag.* 317. ſeq. Edit. Lipſiens. cIↃIↃCCLX.

*g*). In *Num. 83. pag. 4060.* Conf. quoque *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Dec. I. Ann. II. Obſervat. I. pag. 2.*

*h*). V. c. *Decur. I. Ann. II. Obſervat. I. & XLIII. Ann. IV & V. pag. 299. Ann. X. Obſerv. CXLIV. Decur. II. Ann. X. Obſ. CXVI. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CCXLII. & Append. pag. 91. Cent. I. & II. in Append. pag. 197. Cent. V. & VI. Obſerv. XLVIII. Cent. IX. & X. Obſ. LXXIX. pag. 402. Volum. III. Obſ. XC. & Vol. VIII. Obſ. XX.*

*i*). In *Breslauer Sammlungen, VII. Verſuch. Mens. Januar. Claſſ. IV. Artic. XVI. Obſ. 3.*

tum, *continuatis Collectionibus Wratislavienſibus* k) inſeruit illuſtris, Cæſareæ huius Academiae Præſes, *Andreas Elias* BÜCHNERUS, quem non modo præceptorem, ſed alterum quoque parentem veneror veneraborque, paterni amoris, immortaliumque beneficiorum in me locupletiſſime collatorum nunquam immemor futurus,

*Dum parcent animæ fata ſuperſtiti.*

Haud diſſimilia calculorum exempla, a variis clariſſimi nominis viris obſervata, complectitur *Commercium*, quod dicitur, *litterarium Noribergenſe*, l). Præter hæc illuſtris, dum viveret, *Joannes Theodorus* ELLERUS huiusmodi calculos ſublinguales obſervaſſe ſe adſerit in *Actis Academiæ regiæ ſcientiarum Berolinenſis* m). Poſtremo *Acta* quoque *eruditorum Lipſienſia* n) aliquot habent, quæ huc referas, exempla, diverſis locis obſervata. Cave vero, putes, exactam nunc huiusmodi exemplorum eſſe meſſem, nihilque reſtare ſicilimentorum: quandoquidem plures adhuc id genus calculos a doctis ſollertibusque Obſervatoribus paſſim commemoratos o) novi, quorum ſcripta tantummodo ſcribenti hæc non fuerunt ad manus.

Su-

k). In *Miſcellaneis phyſico-medico-mathematicis*, *ann.* cIↄIↄccxxviii *Menſ. April. Claſſ. IV. Artic.* 5.

l). In *Ann.* cIↄIↄccxxxi. *Spec. X. Num. II. pag.* 74. *Ann.* cIↄIↄccxxxii. *Spec. XLIX. pag.* 386 & *Ann.* cIↄIↄccxxxiii. *Spec. XI. pag.* 86.

m). In *Memoires de l' Acad. des ſcienc. & des bell. lettr. Ann.* cIↄIↄccLv.

n). In *Ann.* cIↄIↄcxcix. *pag.* 58. & *Ann.* cIↄIↄccxxiii. *pag.* 83.

o). Verbi cauſſa: ZACUTUS *Luſitanus*, *in Medicor. princip. hiſtor. Tom I Tract. I. Obſervat. XLIX. Marcus Aurelius* SEVERINUS *in Libr. de efficaci medicina chirurgica*, *Part. I. Cap. XXXI. Joannes Georgius* SCHENCKIUS *in Lithogeognoſia*, Francof. ad Mœn cIↄIↄcix. edit. *Chriſtianus Fridericus* GARMANNUS *in Tract. de Miraculis mortuorum*, *Lib. III. Tit. III.* §. 41. *ſeq.*

*Theo-*

Supereſt, ut, inſtituti memores, ad extremum in originem cauſſamque præſentis huius calculi ſublingualis, quoad eius fieri poteſt, breviſſime inquiramus, anteaquam miſſos facimus lectores. Atque hic nemini, ſupra a nobis commemoratam huius calculi hiſtoriam attente perlegenti dubium fore ſperamus, ſi ſedem, ex qua exciſus eſt hic lapis, curate æſtimarit, quin is ipſe in ſalivali maxillaris glandulæ ductu, quem Whartonianum vulgo dicimus, ſit natus. Proinde primo ipſius ſalivæ mixtionem in tantum, in quantum noſtri argumenti refert, curioſe expendemus; dein, quid ad huius calculi ortum ipſe ſalivalis liquor conferre potuerit, breviter disputabimus; ſubjuncturi denique & ex his præmiſſis expedituri modum, quo hic calculus in denſam huiusmodi maſſam coactus, exortusque videtur. Nolite vero, quod primæ partis intereſt, curioſum ſalivæ examen chemicum a nobis expectare, lectores; quippe hic labor, ab aliis iam curioſe exhauſtus *p*), nunc quidem infructuoſus foret, argumentoque noſtro parum lucis allaturus. Pluris potius, noſtro ſaltem iudicio,

*Theophilus* BONETUS *in Medicina ſeptentrionali collatitia, Lib. I. Sect. XXV. Cap. VI & VII. Thomas* BURNETUS *in Theſauro Medic. pract. Lib. X. pag.* 215 Edit. Londinenſ. CIƆIƆCLXXIII. *Georgius* FRANCUS *à* FRANCKENAU in *Lapicidina microcoſmica*, Cap. LIV. LV. & LVI. *Henricus von* ROONHUYSEN in *hiſtoriſchen Heilcuren*, Lib. I Obſ. XXIX. & *Richardus* WISEMANN in *Severall chirurgical Treatiſes*, Lib. IV. Cap. VIII. & *Chriſt. Arend* SCHERER in *Diſſert. cit.*

*p*). Ex inſigni huiusmodi tentaminum numero quædam tantummodo excitaſſe ſufficiat; verbi cauſſa, *Bartholomæi* BOSCHETTI Diſſert. de *Salivatione mercuriali*, *Cap. I. Artic. II. pag.* 7. *ſeq.* Edit. Venet. ſpuriæ, hoc eſt, Genev. CIƆIƆCCXXXII. *Joſephi* LANZONI *Exercitat. de Saliva humana, eiusque natura*, &c. Ferrariæ, CIƆIƆCCII *Philippi* VERHEYEN *Corporis humani Anatomiæ Libr. II. Tract. I. Cap. XXV. pag.* 112. ſeq. Edit. Bruxell.

iudicio, ad huius commentarioli materiam intereſt, ſimplici tantum ſermone ſequentia expoſuiſſe experimenta. Collegimus uno eodemque tempore ex tribus diverſæ ætatis, diverſi corporis habitus, diverſique, ut in Medicorum ſcholis audit, temperamenti hominibus, ſingulis cæteroquin ſanis, dum ieiuni adhuc quotidie eſſent, ſalivæ uncias octo. Horum alter iuvenis erat, quindecim annorum, ſanguineo & ſucci pleno corpore præditus; alter vir erat triginta ſex annos natus, ſanguineo-cholerica humorum temperie conſpicuus, corporisque nonnihil gracilioris. Tertia vetula erat, quatuor ſupra ſexaginta annorum, melancholica, ut & inde animus ſæpenumero turbaretur, eſſetque

*Frons læta parum, & deiecto lumina vultu,*

vegetæ ſatis alioquin firmæque ſanitatis. Singula hæc ſalivæ genera, totidem vaſculis murrhinis, antea exacte ad ſtateram examinatis atque definitis, infuſa, impoſuimus ſimul arenæ balneo, quod Chemici dicunt, eoque ignis gradu, cui vulgo digeſtorii nomen eſt, & qui nunquam nonageſimum thermometri Fahrenheitiani, aut quadrageſimum Reaumuriani gradum ſuperavit, proximus vero ſemper fuit, in vapores diſſoluta ſenſim expulimus in aërem: quo facto præterlapſis ſex horis, vaſcula hæc una cum ſaliva trutinæ examine denuo ſubiecimus, omnibusque recte computatis & detracto vaſculorum pondere, ſalivam iuvenis ſescuncia duobusque ſcrupulis, viri uncia, drachmis tribus granisque ſeptem, vetulæ denique uncia, quatuorque ſcrupulis & duodecim granis deprehendimus imminutam. Lance denuo poſt ſex horarum intervallum adhibita, prior ſaliva per

xell. cIↃIↃccxxvI. *Antonii* NUCKII *Sialographiam*, *pag.* 44. Edit. Lugd. Batav. cIↃIↃccxxII. *Caroli* DRELINCOURT Diſſert. *de Lienoſis*, *in Oper. omnibus*, *pag.* 806. Edit Hagæ cIↃIↃccxx. & *Joannis Conradi* BARCHUYSEN *Acroamata Jatro-chemica*, *pag.* 364. *ſeq.* Edit. Vltrajectin. cIↃIↃccIII.

per vapores perdiderat unciam cum duabus drachmis, & viginti ſeptem granis; alterius ſalivæ pondus unciam, drachmamque & quinque grana amiſerat; aniculæ tandem ſaliva ſex drachmis, duobus ſcrupulis novemque granis nunc erat minor. Atque, ut paucis dicam, tandem iuvenilis ſaliva poſt undeviginti horas, virilis poſt viginti cum dimidia, & ſenilis poſt viginti tres & quadrantem horæ in materiem ſiccam, ex flavo albicantem, & velut tophaceam *q*) eſt converſa. Ad hæc pondus tophi huius ſalivalis, arte producti, non fuit idem: quippe, quæ ex iuvene erat, ſaliva, tophaceæ materiæ viginti ſeptem tantum dedit grana; ex viro triginta ſex; & ex vetula quinquaginta quatuor *r*). Quibus experimentis hoc ſaltem locupletiſſime evinci demonſtrarique arbitramur, quod ſalivalibus humoribus terreſtres inſint particulæ, ablata aquoſa fluidaque portione generandis calculis aptæ idoneæque. At enim vero diſpiciamus nunc porro, quid ad huius calculi, quem præ manibus habemus, originem ipſa eius viri, ex quo exciſus eſt, ſaliva ſingulariter conferre potuerit? Quod anteaquam definiri poteſt, neceſſe omnino videtur, ut generatim cauſſas, ex quibus ſalivæ receptaculis diverticulisque calculi innaſci poſſunt, accuratius inveſtigemus. Atqui hic, vi antecedentium experimentorum, in genere ponere atque conſtituere non veremur, omne illud, quod ſalivam tenuiori aquoſa ſua parte privat, aut ean-

*q*). Illuſtris *Herrmannus* BOERHAAVE ex viginti ſalivæ unciis, ſupra commemorata methodo tractatis, impetratas eſſe aquæ, vulgaris omnino ſimillimæ, undeviginti uncias, & maſſæ tophaceæ fere unciam, teſtatur in *Prælection. in propr. Inſtitut. Tom. I. pag.* 182. Edit. iam citat.

*r*). Ex præcedenti adnotatione cuilibet legenti facile patebit, Bœrhaavianam materiæ huius tophaceæ computationem noſtris rationibus ſubductis & ſupra expoſitis longe eſſe maiorem; quod discrimen ſoli forſan maiori exſiccationi, quam noſtris experimentis inſtituimus, adſcribi oportere exiſtimamus.

eandem plurimis craſſioribus & terreſtribus particulis inficit, adeoque ſpiſſiorem & viſcidiorem reddit, calculorum quoque ex eadem enaſcentium fore cauſſam. Duplicem autem huius mutationis deprehendimus fontem: alterum ipſam peculiarem vaſorum ſalivalium conditionem, alterum vero ſingularem ſalivalis laticis, quod ad ipſius mixtionem attinet, naturam. Quod ſi igitur vaſa ſalivalia primo ſpectes, ſecundum ipſas Pathologorum demonſtrationes omnis illa eorundem conditio, quæ humori in illis contento quietem qualemcunque inducit, ipſum quoque liquorem aut particulis gravioribus craſſioribusque fœcundiorem efficiet, aut fluidiori parte privabit. Hunc autem vaſorum quorumlibet, in humano corpore reperiundorum, ſtatum triplici accidere modo, inter omnes vere conſtat: primo ſi ab aucta in illis vitali contractione naturalis eorundem diameter imminuitur atque coarctatur, quam mutationem græco nomine vulgo *ſpasmum* dicunt; dein ſe eadem vi contractili imminuta diameter maior evadit ampliorque, quam naturali ceteroquin convenit ſtructuræ, quem ſtatum itidem græco *atoniæ* vocabulo inſigniunt; tum denique ſi vaſa, tunicis ſuis quomodocunque disruptis, contentos humores extra ſe dimittunt, et in qualiacunque vicinarum partium diverticula effundunt. Singulariter ergo ſalivales ductus ſi ſpectes, licet eminenti non ſint præditi irritabilitate, non omnem tamen irritabilitatem contractilemque vim, adeoque etiam ſpasmi admittendi facultatem, ab ipſis abeſſe, luculentiſſime, ut ſolet, demonſtravit illuſtris *Albertus de* HALLER *s*). Atqui ex triplici iſto, quod modo expoſuimus, mutatorum vaſorum genere, hoc ipſum, ſpaſticam nimirum ductus ſalivalis Whartoniani dextri, in huiusce fine in primis, contractionem *t*), in noſtro exemplo adfuiſſe, ut ſtatua-

*s*). Conferantur magni huius viri *Elementa Phyſiologiæ*, *Lib VII. Sect. III. §. XII. Tom. II. pag. 438 ſeq* Edit. Lauſann cIɔIɔccLX.

*t*). Videſis modo laudati viri *Libr. & Tom. cit. §. XIII.* ſtatim ſequent. pag. 444.

ſtatuamus, ſequentibus inducimur argumentis. Quippe alia ex his reliquorum binorum vitiorum, hic forte adſumendorum, atoniæ ſcilicet aut disruptionis, præſentiam hic anteceſſiſſe negant: alia vero de ſpaſtica coarctatione nos certiores eſſe jubent. Primo laxos & ἀτόνους hos antea fuiſſe ductus veriſimile non eſt, quod viri, ex quo excluſus eſt hic ſublingualis lapillus, temperamentum fuit cholerico-melancholicum, ſtrictiorque corporis habitus, ſaliva lenta atque pauca, nec tamen ulla antea de propendulis laxisve ductuum ſalivalium oſculis *u*) querela, ut nobis in hæc inquirentibus, ipſo ægroto enarrante, conſtitit. Dein vero, quo minus disruptum antea hunc ſalivalem ductum iudicemus, exinde prohibemur, quod nulla inflammatio, nullus abſceſſus, frequens alioquin huiusmodi calculorum cauſſa *x*), hic præceſſit; quemadmodum cuilibet, ſupra commemoratam huius exempli hiſtoriam attente perlecturo, ſignorumque, quibus noſtrarum partium incendia & abſceſſus dignoſcuntur, gnaro, facillime æque, ac locupletiſſime conſtabit. Contra ea vero ſpaſticam hic ductus huius ſalivalis ſubfuiſſe conſtrictionem; adeoque adfluentem ſalivam in itinere ſuo primo inſigniter retardatam, tandemque penitus retentam eſſe, atque ſic in morboſam perveniſſe quietem, à vero proxime averſum eſſe videtur, quoniam, demonſtrantibus Pathologis, temperies cholerico-melancholica ſpasmorum eſt feraciſſima, ſalivæ excretio ſenſim ſenſimque imminui & lenteſcere cœpit, atque præter hæc frequens fuit vini, quod aduſtum dicimus, uſus, quippe potulenti, ad concitandam partium corporis

*u*). Quemadmodum in iis hominibus ſæpenumero conſpicimus, qui hydrargyroſin experiuntur.

*x*). Evoluturo ſupra recenſitos Scriptores, qui huiusmodi calculorum hiſtorias commentariis ſuis inſeruerunt, plura id genus occurrent exempla.

poris noſtri irritabilitatem, & inducendum exinde earundem ſpaſmum haud mediocriter efficacis. Quotusquisque autem eſt, niſi elementorum phyſiologicorum ignariſſimus, qui neſciat, quoslibet corporis noſtri humores, ſicubi forte in vaſis ſuis ad quietem fuerint perducti, tenuioribus & aquoſis ſuis particulis privari, quia partim calor naturalis, qui nobis perpetuo ineſt, has leviores moleculas difflat diſſipatque, partim quoque attractio particularum ſimilium, quae vulgo graeco nomine ὁμογενῶς dicuntur, nullo quippe phyſicam hanc vim turbante progreſſivo motu, ſeiungit aquoſas partes a reliquis, & aut ad diſſipationem, aut ad reſorptionem reddit proclives; partim denique venulae, in ductuum cava hiantes, tenuiorem aquoſioremque laticem hauriunt reſorbentque y). Verum enim vero ſi cum hactenus definita vaſorum conditione humorum quoque indoles atque mixtio conſpiraverit, tantum abeſt, ut exinde calculorum, ex humoribus enaſcentium, impediatur ortus, ut potius eo facilior evadat condenſatio coactioque. Atque is alter calculorum ſublingualium fons eſt, quem ſupra iam attigimus, nunc breviſſime explorandus. Phyſiologis demonſtrationibus abunde ſatis evincitur, omnium corporis humani humorum, ſi mixtionem ſpectes, admirabilem eſſe conſenſum convenientiamque ſummam. Quod ſi igitur demonſtraverimus, in praeſenti viro, cuius ſublingualem lapillum prae oculis habemus, ſalivam plurimis craſſis terreſtribusque particulis fuiſſe & etiam nunc eſſe refertam, neminem Lectorum putamus dubitaturum, quin ex huius quoque ſalivalis liquoris indole atque mixtione nati huiusce calculi deſumi poſſit argumentum. Atqui haec res facillima erit

*y*). Confer. illuſtrium virorum, *Alberti de* HALLER *Lib. cit.* Lib. VII. Sect. III. §. XVI. XVII. pag. 449. ſeq. *Philippi Conradi* FABRICII Diſſert. *de Genuina calculi renalis geneſi*, hic anno cIↄIↄccLVI. publice defenſa, §. XIV. & XV. & *Abrahami* KAAU *Perſpirationem dictam Hippocrati*, Cap. XXIII. pag. 210. ſeq. Edit. Lugd. Batav. cIↄIↄccxxxVIII.

erit expeditu. Quippe tales eſſe novimus ſanguinem ceterosque inde ſecretos humores, qualem chylum inteſtina elaborant. At enim vero in præſenti viro plurimæ ſpiſſorum lentorumque humorum concurrerunt cauſſæ. Primo enarrare quid vetat temperiem cholerico-melancholicam, terreſtrium portiuncularum grandiori mole laborantem *z*), & fluxionis pæne impatientem? Huic, ſi lubet, vitæ genus adiunge, laborioſiſſimum, corpusque frequentiſſime intenſiori ignis, qui ad cereviſiam coquendam requiritur, calori exponens; unde fieri non poteſt, quin artus

*Perfundat toto proruptus corpore ſudor*,

adeoque ſanguis copioſe tenuioribus aquoſis ſuis particulis privetur. Adde inſignem vini aduſti appetentiam, à quo etiam humores mirifice coguntur atque condenſantur *a*). Adde denique cetera alimentorum genera, quibus hic vir veſci ſolet, legumina, carnes bubulam ſuillamque, lardum, aliosque cibos ſolidos atque craſſos, chylo ſolidas quoque & lentas particulas adfatim inferentes. *b*) Tum profecto, his omnibus curioſe collatis, nemo mirabitur, ſi ſalivam etiam huius viri viſcidis tenacibusque moleculis refertiſſimam declaremus. Tertium, quod nunc ſupereſt disputandum, paucis abſolvi poteſt, & ex iis, quæ iam commentati ſumus, facili conficitur conſecutione. Scilicet

*z*) Si placet, conferatur elaborata à me & Præſide illuſtri, *Andrea Elia* BÜCHNERO defenſa Diſſert. de *Temperamentorum ratione in Semioticis habenda*, §. XII. ſeq. Halæ, cIɔIɔCCLII.

*a*) Luculentius hoc docet *Michael* ALBERTI in Diſſert. de *Spirituum ardentium uſu & abuſu diætetico.* Halæ cIɔIɔCCXXXII.

*b*) Hac de re evolvi poſſunt illuſtris *Joannes Andreas de* SEGNER in Diſſert. de carne ſalita & fumo indurata, Gœttingæ, cIɔIɔCCXXXVI. *Michael* ALBERTI in Diſſ. de victu fumoſo, Halæ, cIɔIɔCCXIII. & celeberrimus *Joannes Friedericus* CARTHEUSER in Diſſ. de pravo carnium muriaticarum nutrimento, Francof. ad Viadr. cIɔIɔCCXLIV.

cet delatus ex maxillari glandula in Whartonianum canalem ſalivalis liquor, in hoc viro ſua natura iam lentior, contracto forte per ſupra commemoratas rationes huius ductus oſculo, ibidem ſubſtitit, & hinc, amiſſa per cauſſas itidem iam enarratas fluidiori & aquoſa portione, ſenſim in eiusmodi tophaceum corpus, quod & noſtra, ut ſuo loco recenſuimus, exhibuerunt experimenta, coiit atque concrevit. *)

(*Helmſtadio Halam miſſa, d. 24. Januar. 1762.*)

## OBSERVATIO III.

## Dn. D. CORNELII PEREBOOM.

### *Nephritis inſolitis ſymptomatibus concomitata.*

Antje Frederiks, virgo 29. annorum, Chloroſi & menſium ἀταξία, alvoque utplurimum obſtipata, laborans, octo fere annos, variis animi deliquiis, ſæpe in horribiles convulſiones deſinentibus, corripiebatur, quæque ultimis tribus annis adeo fuere frequentia, ut bis ſæpe intra Nychthæmeri ſpatium eadem ſuſtentaret.

Poſt varia plurium Medicorum, etiam celebrium, irrita conamina, tandem ad me venit, cumque me multum auxilii allaturum eſſe nulla fere ſpes ſupereſſet, ſuaſi tantum copioſum potum aquæ frigidæ, cui modica quantitas Elixirii acidi Dippelii inmiſcenda eſſet; quod vero inopinato ſtatim adeo profuit, ut intra 14. dies ſemel tantum paroxysmum pateretur, quamvis interdum de dolore inteſtinorum, (qui malum ſemper concomitatus erat,) conquereretur. Cum ex his ſuſpicabar, laxitatem inteſtinorum cauſam morbi eſſe, & quia ægrotæ latus ſiniſtrum & femur eiusdem lateris de die in diem intumeſceret, ipſam præ ingenti debilitate fieri hydropicam, interpoſitis lenio-

*) Tophacea ſalivæ contenta probari etiam poſſunt ex tartaro ſic dicto, dentibus frequentes adcreſcente. TREW.

nioribus purgantibus & roborantibus abundantem lympham per diureſin evacuare tentabam, data eum in finem expreſſione Millepedum vivarum, & loco aquæ frigidæ, Decoctum frigidum Millefolii pro potu ordinario præſcribebam. Sed quod maxime miraberis, (ipſe certe valdopere mirabar, cum dolorem colicum eſſe, non nephriticum fateor, ſupponebam,) ſecunda ab huius uſu die tanta quantitas maſſæ calculoſæ in fundo matulæ apparuit, ut, ſi forte ſabuloſa hæcce excretio continuaretur, id omne accurate ſervandum fore, curaverim. Quo etiam facto, intra octiduum, decantata ſupernatante urina, unciæ viginti quatuor arenæ albæ, intermixtis lapillis copioſis triquetris, granorum fere omnes quatuor, ſex, octove, cum urina excretæ ſunt. Ceterum urina fuit pauca, coloris citrini, ſine ullo alio ſedimento.

Variis vero doloribus vagis, præcipue lumborum cruciatibus, maxime cum ad matulam properaret, hoc tempore affligebatur, qui adeo fuere acuti, ut quandoque in animi deliquium incideret. Hoſce dolores quidem, data bis in die drachma dimidia Balſami de Copaiba, ut FULLERUS proponit, compeſcere conabar, ſed fruſtra; plurimum vero ſolatii percepit ab hauſtu olei Olivarum, quantitate quatuor unciarum, addita uncia una Syr. Papav. albi, veſpertino tempore data.

Sed potum oleoſum plus ſemel aſſumere negabat, cumque præ doloribus debiliſſima fieret, & quædam phænomena ſuſpicionem moverent vermium in inteſtinis latentium, die à prima Nephritidis diagnoſi octava, ab uſu Millepedum ad uſum cereviſiæ huius diureticæ, ſimulque roborantis, tranſivi: Rec. Cerevis. recent. libr. xij. Limatur. mart. unc. ij. Sem. Sinap. unc. j. Ciner. Geniſt. unc. xij. Poſt duarum dierum macerationem, transcoletur, eamque doſi unciarum quinque bis de die præſcripſi; neque abhinc tantum arenæ, ſed etiam urinæ ſecretionem, eamque facilem in dies augere lætus conſpexi. Notandum quoque eſt, ægrotam hocce tempore iterum ſemel

quotidie plerumque hora pomeridiana quinta, inſtar ſemimortuæ per duas tresve horas animo linqui conſueſcere, quod vero ſymptoma, data cereviſia præſcripta, una alterave hora ante paroxysmum per quinque dies feliciter præcavere potui.

Continuatis per unam hebdomadem præſcriptis remediis, quibus bis quotidie adiunctus fuit bolus ex Stanni raſura, Corall. rubr. præparat. & Conſerv. Abſynth. confectus, die decima tertia a prima apparitione arenæ, una vice huius depoſitio in fundo matulæ diſparuit, & quæ interea collecta erant, ponderata, uncias ſedecim æquabant, adeo ut intra duodecim dies plus quam 40. uncias ſecretas eſſe conſtaret. Toto hocce tempore urinæ color conſtanter fuit, uti ſupra dictum eſt.

Supererant adhuc dum animi deliquia, circa quæ notandum erat, quod ægrota eadem inſtare ex ſenſu peculiari in inteſtinis, in tormina deſinenti, præſentire potuerit, ſimulque venter mirifice intumeſceret, donec tandem quaſi cataleptica in terram procideret, neque ullo adhibito medicamine ad ſeſe revocari potuerit, pulſu interim, durante paroxysmo, omnino immutato. Horum, ut iam innui, phænomenorum cauſſam proximam eſſe vermes, & ad profligandum malum cum iis tantum bellum gerendum eſſe, præſupponebam. Quem in finem expertum mihi remedium, Lapid. Cancr. in mortar. pulv. unc. j. quotidie devorandam dedi, & quamvis nulli vermes cum fecibus exiere, tamen poſt huius uſum quatriduum morbum penitus profligatum eſſe, &integram ſanitatem brevi rediiſſe, teſtor & admiror.

An itaque tantorum malorum caterva calculum renis ſiniſtri, ſed prægrandem & vi diureticorum diffractum, pro ſola cauſſa habuerit, certa quidem non aſſequi poſſum coniectura, nec tamen prorſus impoſſibile eſſe autumo.

OB-

# *O B S E R V A T I O IV.*

## Dn. D. CORNELII PEREBOOM.

### *Partus convulſivus.*

Cariſſima coniux, temperamenti ſanguinei, ætatis 28. annorum, prima vice gravida, & toto geſtationis tempore ſaniſſima, nono menſe abſoluto, die Novembris 1759. quarta, de dolore abdominis conqueritur. Inſtituto examine, huncce dolorem eſſe ſpurium, ut aiunt, comparuit. Dato itaque anodyno eum pacare conabar, ſed fruſtra; per totam etenim inſequentem noctem, nullis auscultabat remediis. Interim pulſus ſatis fortis, & florida facies V. Snem indicabant, quæ ad uncias ſex ſequenti die hora undecima in brachio dextro inſtituta fuit. Sed hora duodecima dira & inexpectata convulſio totius corporis omnem ſpem vitæ demere videbatur. Atque hoc modo res ſeſe gerebat; conquerebatur primo uxor de cœcitate, ſeque nihil poſſe videre affirmabat; deinde ſe ſentire motum quendam ſpasmodicum in minimo ſiniſtræ manus digito aiebat & oſtendebat, moxque manus, tum brachium, tandemque totum corpus horrende convellebantur, os ad nares trahebatur, oculique motu inexplicabili tremulo in orbitis ſaltare videbantur. Deſinebat vero convulſio in reſolutionem muſculorum, & paulo poſt in hemiplexiam ſiniſtri lateris. Interim miſera ægra ſenſim ſenſimque ad ſe redibat, quidque actum erat, inquirebat. Sed paulo poſt altera convulſio priorem excipiebat, quæ poſtea adhuc 50. ad minimum alias, eodem modo incipientes & pergentes, niſi quod vires penitus fractæ, & omnes ſenſationes externæ internæque abolitæ manerent, ſubſequentes habebat. Sic dies, ſic ſequens tranſibat nox. Interim clariſſ. Grashuisio in conſilium vocato, proponebamus alteram V. Snem, quæ vero non inſtituta, ſed paregoricum datum

tum eſt, quod ſtatim evomuit. Huc uſque os uteri vix digiti introitum permiſerat, ſed poſtridie hora matutina decima veri dolores & nixus parturientium ſeſe convulſionibus intermiſcere incipieb ant, quamvis hæ impedirent, quo minus partus promoveretur. Situs tum fœtus naturalis tactu comparuit, & nimiam ſenſibilitatem primiparæ omnium ſolummodo eſſe cauſſam miſeriarum. Conſultum itaque fuit arte abſolvere partum, quod ab obſtetrice perita facili negotio, mortuo infante, peractum eſt. Sed matris deploratæ quoque ultimum vitæ halitum expectabamus, quo in ſtatu vires aquæ frigidæ experiri, ultimum erat refugium; quæ primo guttatim, dein cochleatim data, optatum producebat effectum. Nam ſimulac primæ fere guttulæ aquæ ingeſtæ erant, ſtatim conſcientiæ ſuæ ægra dabat ſignum. Oculi enim aperiebantur, ſtertor imminuebatur, & voce tremula iuvamen adeptum indicare volebat. Sed mox altera convulſio, & nunc quandoque animi deliquium filum vitæ abrumpere conabantur. Incidebat vero in mentem, me manu propria & rite præparaſſe Eſſentiam Succini, eamque hoc tempore feliciter in uſum vocari poſſe. Neque ſpem eluſit experientia. Nam ſimulac ipſam ſub nares tenebam, & unam alteramve guttulam interne dabam, ægrotam ex animi deliquio revocare potui. Poſtea ambas ſuperiores extremitates, ſiniſtram maxime, collum & faciem, per totam inſequentem noctem hac Eſſentia illinivi, eo quidem effectu, ut convulſiones ſenſim ſenſimque hinc mitiores fieri aperte pateret, & ægra iam aquæ frigidæ hauſtulos medicos deglutire poſſet. Nec obliviſci oportet ſingulare auxilium, quod ad convulſiones præcavendas non ſine ſucceſſu in uſum vocavi. Scilicet cum obſervaveram, convulſiones conſtanter in digitis extremitatis ſiniſtræ incipere, ligaturam brachio ſiniſtro circumdedi, & ſimulac initium paroxyſmi deprehenderem, fortiter conſtrinxi, unde ſæpe tota convulſio in partem infra ligaturam determinabatur. Tandem circa noctem ſomnus naturalis finem huius ſce-

næ fecit. Sequenti die, lochiis iam rite fluentibus, pro conditione ſua ſatis bene ſe habuit debiliſſima ægra. Diæta graviter vulneratorum præſcripta eſt, & veſperi clysma, cui Cort. Peruv. uncia dimidia adiecta erat. Ab huius enematis ſtimulo ſemel adhuc & ultima vice convulſa, ſequenti tamen nocte ſalutari ſomno reficiebatur. Cum vero die puerperii quarta iam res in vado eſſe putarem, febri corripiebatur, cui, præter communia febris lacteæ ſymptomata, delirium, poſt febrem adhucdum continuans, ſeſe adiunxit. Delirium puerperarum eſſe, ſibique peculiare, & tanquam ſpecificum pro fatali hocce morbo eſſe remedium notum, clariſſ. GRASHUIS indicabat. Scilicet mane & veſperi ſequentem Bolum per octo dies exhibuimus: Rec. Sal. vol. c. c. gr. xvj. Cort. Peruv. ſubtil. pulv. ſcrup. j. Syr. Roſar. rubr. q. s. F. Bolus, cuius uſu ægra perfecte ad ſeſe rediit. Roborantia & nutrientia poſtea felicem caſui finem, & ægræ perfectam ſanitatem brevi reddiderunt.

Coronidis loco addere placet, ipſam die 14. Jan. 1761, Deo juvante, meque obſtetricante, (hunc enim theſaurum anili manui amplius non confidere volebam) feliciter partum ediditſe.

(*Horna Weſtfriſiorum Halam miſſæ d.* 15. *Febr.* 1762.)

## *OBSERVATIO V.*

## Dn. D. JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

De

## *Efficacia inſigni Sulphuris Auripigmenti correcti, in Ophthalmia ſeroſo-catarrhali pertinaciter recidivante.*

Vir, illuſtri ſtemmate natus, & graviſſimis præfectus muneribus, ætatis 57. annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, nullis a iuventute, præter rebellem ophthal-

miam ſeroſam, qua ante viginti quatuor annos per ſpatium anni dimidii laboravit, obnoxius fuit morbis. Præterlapſo decennio graviſſimam cerebri commotionem, quam e lapſu de ſcala altiori lapidea & vehementi capitis ad axin anteriorem rhedæ, inferius locatæ, ferro obductam, alliſu reportavit, expertus eſt; qua per triduum rationis, loquelæ, omniumque ſenſuum uſu privatus, adhibitis congruis remediis feliciter tandem reſtitutus eſt. Excepit anno elapſo graviſſimum hunc affectum ſcabies humida admodum rebellis, ægri patientiam per ſpatium duorum annorum miſere excrucians, quæ poſtmodum uſu fonticuli in brachio excitati, & remediorum antimonialium ſublata eſt. Belle ab hoc tempore valuit non ſolum, excitato & per octo annos geſtato in brachio fonticulo, ſed eo etiam iterum coſnolidato, quum brachium totum, eroſione cutis herpetica affectum, ulteriorem eius conſervationem interdixit, & nihil per ſex annos præter naturam ſenſit, quam macilentum corporis habitum & pathemata abdominis flatulenta, ſine dubio a vitæ genere ſedentario & adpetitu ſæpius excedente profecta.

Menſe Martio anni præteriti vir hic generoſus, a catarrho leviore liberatus & remedio laxante mannato uſus, nihil tale cogitans, mane tumore palpebrarum oculi dextri earumque conglutinatione affectus eſt, & paucis interiectis diebus ſiniſtrum oculum idem tumor, cum palpebrarum conglutinatione occupavit. Adhibita ſtatim & per aliquod tempus continuata fuere remedia anticatarrhalia, & præcipue Tinctura ſaponacea b. Schulzii, itemque pulveres ſalino-rhabarbarini, interpoſitis remediis laxantibus; ſed ophthalmia in dies gravior evadebat, ſiquidem mane palpebræ per 2. horas conglutinatæ manſerunt, illisque adhibito fotu apertis, ſerum mucoſo-viſcidum ex oculis, rubore & ardore affectis, cum excoriatione & pruritu marginis utriusque palpebrarum tumentis & inſigniter rubentis, toto die largiter effluxit. Ad ſerum tale viſcidum per M. S. diffuſum, attenuandum, eiusque adfluxum a capite derivandum,

dum, æger, præmiſſa venæſectione, Tincturas alcalinas ſaponaceas, pulveres ſalino-reſolventes, ſacculos diſcutientes, quolibet octiduo laxantia anticatarrhalia, & alternis diebus pediluvia per IV. hebdomades non interrupto ordine uſurpavit, motu corporis equitando & ambulando quotidie ad plures horas inſtituto, & exacta diæta obſervata. Ab uſu horum remediorum æger, alvo quotidie ter & quater aperta, optime ſe habuit, verum ophthalmia in dies gravior peiorque evaſit, dum tumor palpebrarum, earumque ardens rubor, & effluvium ſeri viſcidi, cum ſenſu titillationis marginum palpebrarum, quam ſucceſſive maior rubedo & longior palpebrarum tempore matutino conglutinatio excepit, continuarunt.

Menſe Maio æger aquam Selteranam, præmiſſo laxante mannato, bibere incepit, ſed ab illius uſu, ob tumorem, gravitatem & ruborem palpebrarum in dies auctum, & ſenſum titillationis in marginibus earundem intolerabilem, mox deſiſtere coactus fuit. Ad ſerum viſcidum reſolvendum & per inferiora eliminandum, aqua Sedlicenſis in uſum vocata fuit; ob eadem vero iam recenſita ſymptomata ab illa quoque deſiſtendum fuit. His remediis nihil proficientibus, æger mane infuſum reſolvens theeforme, Tincturam alcalino-ſuccinatam ter de die ad gutt. XL. & veſperi duas Pilulas Edinburgenſes, ab Illuſtr. & Excellent. Büchnero *a*) correctas, interpoſito ſingulis XIV. diebus laxante anticatarrhali, adſumſit, externe mane & veſperi fotu & ſacculis diſcutientibus & roborantibus oculis proſpexit, & in brachio ſiniſtro, ad derivandum affluxum, veſicatorium adplicare permiſit, continuando pediluvia, motum corporis & diætam admodum reſtrictam. Per IV. hebdomades hæc remedia,

*a*) Vid. Ejusdem Diſſertatio de *Medicamentorum mercurialium cum ſalibus paratorum efficacitate, per adiunctum ſulphur ad certos quosdam morbos magis accommodanda*, pag. 38.

media, educto ſimul intra octiduum, ope veſicatorii, copioſo ſero e brachio, in uſum vocata ſunt, eo cum effectu, ut oculi ſplendorem lucis iterum perferre potuerint; verum effluvium ſeri mucoſo-viſcidi ex oculis, cum tumore & conglutinatione palpebrarum matutina, indeſinenter perſeveravit.

Cum vero generoſus hic æger, poſtquam antea intra triduum alvum habebat apertam, per tres menſes continuos quotidie quater & quinquies alvum laxiorem expertus eſſet, ſine ullo ſeri mucidi ex oculis profluentis decremento, optime ceteroquin ſe habens, iudicavi exinde, glandularum oculi & ductuum palpebrarum excretoriorum relaxationem inſignem, rebellis huius mali & continuantis ſeri mucidi effluvii rationem continere, idcirco viro generoſo infuſum per epicraſin laxans, e ſale Sedlicenſi, pulvere rhabarb. cort. Chin. rad. Gentian. rubr. Liquor. terræ fol. tartari, & infuſo ſummit. Millefol. paratum, mane & pomeridie ad quatuor circiter uncias, & veſpertino ſemper tempore Pilulas duas Edinburgenſes correctas, interponendo quolibet octiduo per quatuor dies limaturæ martis ſcrupulum unum, cum corticis Cinnam. granis v. coniunctum, bis de die cum vino rhenano ſumendum, & ſubiungendo Ptiſanæ reſolventis & tonicæ uſum pro potu ordinario, inſimulque externe collyrium *Weisbachii* ſiccum, e butyri maialis illoti uncia dimidia, cui ego, meliori cum effectu, butyrum aliquoties cum aqua Roſarum lotum ſubſtitui, Tut. ppt. drachma dimid. Nihili alb. gr. xv. Sacchar. Saturni & Vitrioli alb. ana gr. vj. paratum, veſperi cuilibet oculorum angulo exteriori piſi magnitudine adplicandum, ſedulo ſimul continuato pediluviorum, fotus & ſacculorum discutientium uſu, præſcripſi, quibus remediis per tres hebdomades continuatis, ſubſequente largiore alvi excretione & imminuta palpebrarum titillatione, quæ initio a collyrii uſu per pauca temporis momenta auctior evaſerat, generoſus hic æger ſenſim ſenſimque a rebelli hoc affectu in totum liberatus eſt.

In-

Integro dein præterlapſo menſe, ad robur oculorum firmandum, aquam Schvvalbacenſem in uſum duxit, qua per tres dies adhibita, graviſſima iterum affectus eſt ophthalmia. Ego in conſilium vocatus, remedia laxantia, reſolventia, discutientia & derivantia in- & externa præſcripſi, ſed fruſtraneo cum effectu. Unguentum ophthalmicum clariſſ. Dn. D. Jacobi, in Novis litterariis Erfurtenſibus publici iuris factum quod ægro de meliori erat commendatum, ipſe paravi, & illud cum aqua ophthalmica Matthioli adplicandum curavi, eius vero ingratus & inſperatus effectus, dum titillatio marginum palpebrarum, in dies increſcens, non ſolum tumorem, gravitatem & ruborem palpebrarum, ſed etiam effluvium ſeri viſcidi & conglutinationem palpebrarum adauxit, ulteriorem eius interdixit uſum. Reiteravi igitur præcedens infuſum per epicraſin laxans, & reliqua ibi recenſita remedia, quibus per 3. hebdomades continuatis, ophthalmia ſenſim ſenſimque imminuta ceſſavit.

Hæc dum acta eſſent, conſpectui meo ſe obtulit perdocta & lectu digniſſima Commentatio Viri de orbe erudito & re medica immortaliter meriti, Illuſtr. & Excell. Büchneri *b*), qua perlecta condolui, quod nullam antea correcti huius Sulphuris Auripigmenti notitiam habuerim, ratus futurum fuiſſe, ut in hoc rebelli affectu efficax præbuiſſet remedium. Interea Sulphur hoc correctum cum Tinctura eiusdem illico parandum curavi, eiusque, ſi malum hoc repullularet, periculum facere decrevi. Elapſo quatuor hebdomadum ſpatio generoſus æger, cuius oculi hactenus ab omni immunes fuerant vitio, mane titillationem leviorem in marginibus palpebrarum oculi ſenſit, quam altero die effluvium ſeri viſcidioris & conglutinatio palpebrarum matutina exceperunt. Ego conſultus iterum, exhibita pilular. mercurialium doſi, viro gratioſo mane ad guttulas XL.

 Tinc-

*b*) De *Medicamentorum ex Auripigmento præparatorum præſtantiſſimo uſu.* Halæ, 1758.

Tincturam ſulphuris Auripigmenti correcti, & veſperi quovis ſulphuris huius grana duo cum Sacchari lactis Helvetici ſcrup. j. Conch. citrat. & Antimon. diaphoret. ana gr. v. præſcripſi, conjuncto Ptiſanae demulcentis & tonicæ pro potu ordinario, collyrii Weisbachii ſicci, fotus & ſacculorum diſcutientium uſu, quibus remediis per XIV. dies adhibitis Vir iſte generoſus ab ophthalmia hac ſeroſa graviſſima ſenſim ſenſimque feliciter liberatus eſt, & adhuc per aliquot menſes, adiuvante gratia divina, immunis a rebelli & contumaci hoc affectu vivit. Effectus, quem æger illico de his remediis ſenſit, potiſſimum in auctiore, alias haud conſueta, nocturna tranſpiratione & crebriore alvi apertione conſiſtebat, unde per ſpatium ſex hebdomadum eidem mane doſin Tincturæ auripigmenti & veſperi pulverem cum ſulphuris huius grano uno & dimidio exhibui, quorum remediorum uſum magna in generoſo hoc viro mutatio ſequuta eſt, ſiquidem non ſolum quovis mane in lecto facilem & ſpontaneam auctiorem expertus eſt tranſpirationem, quam ſubinde potu Thee promovit, unde ab hoc tempore non ſolum affectus rhevmatici, ipſi alias familiares, ceſſarunt, ſed etiam quotidie alvum laxiorem obtinuit, quæ antea ſegnior erat, & vix intra biduum reſpondere ſolebat.

## *OBSERVATIO VI.*

## Dn. D. JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

De

### *Admirando correcti Sulphuris auripigmenti effectu in febre petechiali cum purpura alba complicata.*

Vocabar d. 3. Aug. anni præteriti ad Juvenem ætatis 15. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici & habitus corporis carnoſi, qui d. 30. præcedentis menſis Julii derepente meridie,

ridie, inter prandium, Cephalalgia enormi & plenaria adpetitus viriumque proſtratione correptus erat. Prægreſſis noctibus æger, ob æſtum inſignem & ſomni defectum, aucto in dies virium decremento, valde inquietus fuerat. Eius cognati illico mihi referebant, parentes ipſius, ætate haud provectos, ante 3. hebdomades uno die ægrotare incepiſſe, & nihil, præter capitis dolores, adpetitus viriumque defectum, accuſaſſe; ſexto vero morbi die matrem, & ſeptimo die patrem, cibum adhuc ore tenentem, præter omnium ſpem vitam cum morte commutaſſe: copioſis maculis atro-rubentibus poſt mortem in ſuperficie cadaverum conſpectui ſe datis.

Ego in ægroto hoc ſequentia obſervavi: Pulſus debilis & æſtus ſiccus & urens tactui ſe offerebant. Dolor capitis urgebat cum deliriis nocturnis. Virium proſtratio inſignis aderat, cum dolore colli rhevmatico admodum vehemente, & reſpirationem impediente, ob extenſionem eius uſque ad pectus. Manus & brachia tantum maculis minutulis, inſtar morſus pulicum, conſperſa erant, nullis exanthematibus in reliquis corporis partibus conſpicuis. Sitis moderata & alvus aperta erat. Signis his de febris petechialis præſentia convictus, ad miasma putridum corrigendum & placida diaphoreſi eliminandum meas direxi indicationes. Præſcripſi hinc ægroto, ut mane ſeri lactis aciduli tres ſcutellas aſſumeret, & coniunxi hor. matut. 7. & 10. guttulas 30. Mixturæ leniter diapnoicæ, ex Eſſent. Scord. drachm. ij. Spirit. Nitri dulcis drachm. j. paratæ, Species pro Ptiſana, loco potus ordinarii aſſumenda, e rad. Scorzon. drachm. iij. C. C. tornat. rad. Chin. Liquirit. ana drachm. j. & pauxillo Caſſiæ lign. quarum drachm. ij. cum aquæ font. Menſ. una & dimidia, addito dimidii pomi Citri ſucco, decoqui debebant, & Mixturam diapnoico-demulcentem, e Matr. Perlar. ppt. C. C. ſine igne ppt. Conchar. citrat. ana drachm. j. Nitri depurat. Scrup. ij. Liquor. min. anodyn. ſcrup. dimid. Aqu. flor. Sambuc. & Acac. ana unc. iij. concinnatam, pomeridie hor. 2. 5.

&

& 8. ad cochlear unum ſumendam, imperato regimine temperato.

Die 4. Aug. percepi, ſtatum ægri prægreſſa nocte fuiſſe mediocrem, illum non dormiviſſe & leviter deliraſſe. Maculas petechiales in brachiis & manibus adhuc adeſſe, roſeo colore gaudentes, & nullas amplius aliis in locis prodiiſſe, reliqua, uti præcedenti die continuare.

Die 5. Aug. retulit ægri cognata, gravius illum nocte prægreſſa deliraſſe, non dormiviſſe & crebro ſe in lecto jactitaſſe; maculas petechiales in brachiis adhuc adeſſe, hodie vero in collo purpuram albam adparere, & ægrum valde debilem exiſtere. Juſſi igitur præcedentia remedia, cum temperato regimine, continuare.

Die 6. Aug. percepi, ægrum prægreſſa nocte morti proximum fuiſſe, omnem defeciſſe ſomnum, ob inquietudinem ſummam & delirium illum lectum mutaſſe, & bis hac nocte inſtar moribundi obriguiſſe, reſpiratione valde anxia & interrupta exiſtente; maculas petechiales in brachiis manibusque evanuiſſe, purpuram vero albam in collo adhuc adeſſe, alvum heri ac hodie laxam fuiſſe bis de die, cum excretione ichoris aquoſi, & virium defectum ita increſcere, ut adſtantes, parentum exemplo perterriti, nihil aliud, quam mortem expectent. Ancipiti hoc in ſtatu, ad conſervandum adfluxum humorum verſus peripheriam, & promovendam miaſmatis maligni excretionem, veſperi hora IXna pulvisculum e Matr. Perlar. ppt. C. C. ſine igne ppt. Antimon. diaphor. ana gr. v. & Sulphur. auripigmenti correcti grano uno compoſitum, ægro exhibendum præſcripſi, adplicato ſimul ſuræ emplaſtro veſicatorio.

Die 7. Aug. referebatur, magnam cum ægro nocte prægreſſa eveniſſe mutationem; unica enim hora poſt adſumtum pulverem præterlapſa, copioſum prodiiſſe ſudorem, quem brevi poſt placidiſſimus excepiſſet ſomnus: ægrum nunc quietum eſſe, deficiente adhuc adpetitu; purpuram in collo & pectore

ſparſim effloreſcere, ſub leni continuante transpiratione, &, remoto emplaſtro veſicatorio, e veſica cochlear unum ſeri flavi, fœtorem inſtar ovorum putridorum intolerabilem ſpargentis, effluxiſſe. Juſſi uſum Ptisanæ, Eſſentiæ diapnoicæ, & veſperi pulveris prædicti continuare.

Die 8. Aug. nunciabatur, noctem fuiſſe paululum inquietam, cum interrupto ſomno, & adſtantes hodie obſervare, quod æger difficulter audiat; adpetitum redire, & ægrum quietum eſſe, erumpente adhuc purpura alba. Iniunxi matutinum guttularum & Ptiſanæ pro potu ordinario uſum, & quoniam æger pulverem oblatum abhorrebat, pomeridie hora IVta Eſſentiam diapnoicam iterum exhibere iuſſi.

Die 11. Aug. certior de ægri ſtatu factus, illum quietum eſſe & ſomno, adpetitu & reſpiratione libera iterum frui, leviori auditus difficultate continuante, comperi. Reiteravi igitur uſum prædictæ Eſſentiæ & Ptiſanæ pro potu, unicumque adhuc pulverem cum gr. j. Sulphuris auripigmenti correcti illi præbere hoc veſperi ſerio iuſſi.

Die 12. Aug. inviſens ægrum, illum quietum & in collo & pectore purpuram albam copioſam & optime elevatam deprehendi. Aderat pulſus regularis & æqualis, cum leni madore, & placido, uti æger referebat, diurno ac nocturno ſomno. Ob inſignem pulverum averſationem, nihil amplius præſcripſi, & æger d. 16. Aug. puſtulis deſiccatis lætus lectum reliquit, & adhuc, quæ Dei gratia eſt, optime valet.

## *OBSERVATIO VII.*

# Dn.D.JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

De

### *Febre maligna exanthematica multiformi, prægreſſa licet incongrua medicatione, feliciter tandem curata.*

Vir annorum 40. temperamenti cholerico-melancholici, laborioſus, macilentus & mobili vitæ generi deditus, prægreſſo refrigerio crebriore, dum ob hoſtium metum terræ frigidiori noctu incubuit, & perpeſſo terrore, languorem omnium artuum & plenarium adpetitus defectum per quatuor hebdomades ſenſit, cum virium in dies magis invaleſcente decremento. Aeger, intra hoc temporis ſpatium, remediis ſic dictis domeſticis & commoventibus uſus, tandem, ob ſummam debilitatem & plenarium adpetitus defectum, quum ne miculam panis deglutire potuit, Medicum conſuluit, qui ipſi, ob defectum adpetitus, remedium vomitum & alvum ciens exhibuit, a cuius reiterato uſu a die 21. Novembr. anni præteriti, uſque ad diem 23. eiusdem menſis, plus quam vicies vomuit, & intercurrentibus animi deliquiis plus quam triginta ſedes aquoſas habuit, ita ut colluvies ſtratum penetrando, e lecti receptaculo profluxerit. Prædicto ergo die 23. Novembr. pomeridie ægri uxor, omnia, quæ ante acta erant, reticens, meam efflagitavit opem. Interrogata, quomodo maritus ſe haberet, reſpondit, illum valde debilem eſſe, eiusque adſpectum, ob oculos profunde ſub fronte latentes, adſtantibus terrorem iniicere; omnem abeſſe ſomnum, ſitim ſumme auctam eſſe, unde nocte prægreſſa quatuor menſuras cereviſiæ tenuioris bibiſſet; pruritum & ardorem in cute ſæpius ſe exſerere, & ægrum afflatum auræ frigidioris in hypocauſto calido accuſare. Ob ardorem

ergo

ergo in cute & ſenſum auræ frigidæ adſpirantis, purpuram prædicens, ad cauſticam ſeri acrimoniam mitigandam, & miaſma halituoſum corrigendum, præſcripſi ſeri lactis acidulo-dulcis menſuram unam quotidie bibendam, coniuncto Ptiſanæ, e rad. Scorzon. Chin. raſur. C. C. & pauxillo Caſſiæ lign. paratæ, uſu, interponendo mane hor. 7. & 10. Mixturæ, ex Liquor. C. C. ſuccinat. drachm. j. & Mixtur. ſimplic. rectificat. drachm. dimid. compoſitæ, guttulas XXV. & poſt meridiem hor. 2. 5. & 8. pulverem abſorbentem & diapnoicum, ſimulque interdicto cereviſiæ potu, moderatum hypocauſti calorem, diu noctuque conſervandum, imperando.

Die 25. Novembr. retulit uxor ægroti, ſitim excedentem, coma vigil & inſignem debilitatem continuare, cum aſthmatica pectoris conſtrictione, & ſenſu refrigerii ſpontanei; purpuram albam profunde in cute hærere, & circa lectum fœtorem vappido-dulcem obſervari. Cognovi ex hac relatione, ſerum cauſtico-halituoſum non ſolum irritando ſenſiles fibras cutaneas refrigerium ſpontaneum, ſed etiam aſthmaticam pectoris conſtrictionem producere. Eo igitur direxi indicationes, ut partim abſorbentibus tenerioribus, demulcentibus & leniter acidulatis humorum reſolutio imminueretur, & halituoſa ſeri indoles corrigeretur, partim etiam blande diſcutientibus adfluxus humorum ad peripheriam promoveretur. Priori indicationi ſatisfacturus, ſequentia præſcripſi: Rec. Rad. Scorzon. Liquirit. C. C. raſpat. ana drachm. iij. Caſſ. lign. optim. drachm. j. M. F. Species, quarum drachm. ij. cum aquæ menſura una & dimidia, addito dimidii pomi Citri ſucco, decoquendæ, hocque decoctum percolatum frigide bibendum. Porro, Rec. Cremor. Tartari, C. C. ſine igne ppt. Sacchar. lact. Helvet. ana drachm. dimid. M. F. Pulv. divid. in IV. part. aequ. quarum una pomeridie hor. 2. & 5. cum Ptiſana ſumatur. Alteri indicationi proſpexi, præſcribendo Tincturam ſulphuris auripigmenti correcti ad guttulas 30. mane hor. 7. & 10. veſperi

autem hor. 9. Sulphuris auripigmenti correcti gr. unum & dimid. cum abſorbente & diapnoico fixo commixtum.

Die 27. Novemb. referebatur, debilitatem continuare, ſitim vero mitiorem eſſe, & poſt pulverem veſperi adſumtum ardorem in cute & ſudorem copioſiorem ſubſequutum fuiſſe, cum ſomno tranquillo per quatuor horas durante; pruritum in cute per intervalla accedere, purpuram in tergo & collo confertim erumpere, ſenſum auræ frigidæ ceſſare, & poſt adſumtam Tincturam ſulphuris auripigmenti ægrum mirifice refici. Continuata ergo fuerunt præcedentia remedia.

Die 29. Novemb. percepi, in pectore & abdomine purpuram albam copioſe erumpere, ſudorem & ardorem in cute alternis vicibus accedere, & in abdomine borborygmos crebriores & murmura audiri. Ob hos ergo borborygmos, latitantem intus & inteſtina ſtimulantem materiam purpuraceam indicantes, nequaquam autem alvi profluvium præſagientes, uti crebrior in hiſce morbis me docuit experientia, & metuendam inde inæqualem eruptionem, ad cauſticam ſeri halituoſi indolem demulcendam, eiusque adfluxum ad peripheriam leniori analeptico promovendum, non ſolum pulveres & Ptiſanas prioris indicationis, d. 25. Novemb.; ſed etiam Tincturam auripigmenti cum infuſo theeformi leniter crocato, e ſpeciebus pro Ptiſana, addito pauxillo croci parato, & circa meridiem hor. 12. & 3. aquæ Cinnam. ſine vino duo cochlearia adſumere iuſſi.

Die 1. Decemb. retulit uxor ægri, pruritum in cute & ſudorem ceſſare, intra ſcapulas purpuram adhuc conſpici, in pectore vero & abdomine heri una vice illam evanuiſſe; ſomnum hac nocte ceſſaſſe, & ob ſitim excedentem ægrum IV. menſuras tenuioris cereviſiæ, & quod excurrit, bibiſſe. Retulit inſimul uxor, maritum ſuum in oſſe ſacro, verſus os coccygis, intra commiſſuram natium immanes pati dolores, dum heri hac in regione puſtula minor exorta eſſet, quæ, intra breve tempus latius ſerpendo, excoriationem & abſceſſum, duos pollices lon-

longum & latum, formaſſet, ambitu eius atro-rubente & valde dolorifico exiſtente; contineri hoc abſceſſu materiam, ſebaceam, lardi ad inſtar firmiter adhærentem, cum dolore urente inſigni, unde æger nec quieſcere, nec dormire, nec ſedere, nec tergo incumbere poſſet. Miratus ſubitam morbi cataſtrophen, & repentinum abſceſſus mali moris ortum, qui more conſueto, quamvis perperam, longiori in dorſum decubitui adſcribitur, probe id obſervante Werlhofio *in Obſ. de Febr. intermitt.* §. *V. pag. m.* 20. remedia d. 29. Novemb. præſcripta, omiſſa aqua Cinnamomi, illique ſubſtituto veſperi pulvere abſorbente cum Sulphuris ſupra dicti grano uno & dimidio, continuare, & externe mundificantibus & abſtergentibus abſceſſui proſpicere Chirurgum iuſſi.

Die 4. Decemb. nunciabatur, ægrum, ob ſomni & moderatæ tranſpirationis præſentiam, mediocriter ſe habere, & borborygmos, antea adſtantibus valde terrificos, in totum ceſſare, abſceſſum vero in oſſe ſacro verſus natium commiſſuram maximis ſtipatum eſſe doloribus, ita ut patiens vitæ finem, impatiens, ſibi ſæpe exoptet; abſceſſui cataplasma domeſticum, e farina ſecalina, melle & croco impoſitum eſſe, ægro Chirurgi inſpectionem non concedente; orificium abſceſſus longitudine & latitudine minimum æquare digitum, materia alba tenace totam abſceſſus cavitatem replente. Interne præcedentia remedia continuare & externe unguentum abſtergens & fotum diſcutientem adhibere iuſſi.

Die 10. Decemb. referebatur, ægrum mediocriter valere, alvum regularem & ſitim mitiorem eſſe, ſudorem per intervalla accedere, cum augmento æſtus, & purpuram, cuticula ſcalptu deraſa, ceſſare; nova vero nudius tertius acceſſiſſe exanthemata, nimirum puſtulas inſtar variolarum, quæ in medio punctulum nigrum depreſſum oſtenderent; priori die duodecim apparuiſſe, hodie vero triginta & plures tales puſtulas, cum puncto nigro, in toto corpore erupiſſe, cum alter-

 nante

nante æſtu & ſudore: ex abſceſſu circa os coccygis mariti uxorem multum glutinoſæ & tenacis materiæ, ope digitorum linteo obvolutorum, acerbo cum ægri dolore, extraxiſſe, & ſinum inſtar minimi digiti hiare, ambitu eius adhuc inflammato & valde dolorifico exiſtente, unde æger admodum debilis evaderet. Ob cauſticam & putridam ſeri indolem, puſtulis nigricantibus ſe manifeſtantem, neceſſarium duxi corticem Peruvianum exhibere, cum pulvere antifebrili Bernhardiano, his in caſibus, admodum proficuo. Præſcripſi ergo Electuarium, ex Cort. Peruv. unc. dimid. cum Roob Juniper. unciis iij. paratum, de quo mane hor. 9. & pomeridie hor. 3. circiter drachmas duas aſſumeret, coniuncto veſperi ſequentis pulveris uſu: Rec. Sal. Sedlicens. drachm. ij. Pulv. Cort. Peruvian. drachm. j. rad. Gentian. rubr. Rhabarb. Sal. Tart. ana drachm. dimid. M. F. Pulv. divid. in vj. part. æqu. externe vero linimentum ex Olei ovor. rec. drachm. iij. Balſam. Peruvian. drachm. j. ope lintei carpti ſinui adplicare imperavi.

Die 16. Dec. retulit mihi ægroti uxor, durante Electuarii & pulverum uſu plures adhuc erupiſſe puſtulas varioloſas, & intra ſpatium IV. dierum, effluente humore aquoſo poſt apertionem, illas iterum evanuiſſe, relicta macula ex flavo fusca; ab uſu linimenti miraculi ad inſtar intra duos dies carne repletum coaluiſſe abſceſſum, omni ceſſante dolore; heri vero, poſt pruritum inſignem, purpuram rubram copioſiſſimam in toto corpore erupiſſe, unde æger perterritus, & mortem pertimeſcens, nova deſideravit remedia. Ad mitigandam humorum acrimoniam & eruptionem purpuræ adiuvandam, infuſum theeforme ex Speciebus demulcentibus, & veſperi pulverem die 10. Decemb. præſcriptum adſumere ſuaſi.

Die 20. Decemb. percepi, ægrum lectum de die ad aliquot horas relinquere, poſtquam purpura, quæ cum largo ſudore in toto corpore eruperit, nunc deſiccare inceperit. Adpetitum inſatiabilem & famem quaſi caninam adeſſe, ita ut eius ſtimu-

ſtimulis æger e ſomno excitatus bis noctu iuscula pultiformia comedere cogeretur. Commendavi hinc moderatam diætam, parcius, quamvis crebrius, iuscula & pulmenta ex oryza, farina & lacte parata, aſſumenda, utque ſimul ligna ſecando, vel ambulando, moderate corpus exerceat. Die tandem 27. Decemb. ipſe æger me convenit. Deprehendi illum emaciatum & debilitatum adhuc, optime vero ſe habentem, & nihil accuſantem præter famem caninam, cuius ortum diuturno adſcribit ieiunio, quum per continuas ſeptem hebdomades ne unicam panis miculam comederit, ſed unice potu vitam ſuſtentare coactus fuerit. Denuo ergo eidem imperato victus moderamine, motu corporis leniore & uſu infuſi theeformis præcedentis matutino, lætus illum dimiſi.

## *OBSERVATIO VIII.*

## Dn. D. JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

### De

### *Hydrophobia ſymptomatica, poſt ſphacelum per metaſtaſin obortum, ſponte ſublata.*

Salivam canum aliorumque rabidorum animalium, humoribus corporis noſtri communicatam, mirifica ſua & venenata indole, non ſolum genus adficere nervoſum, ſed præcipue oeſophagum & reliqua deglutitionis organa ad liquida deglutienda inepta reddere, triſtes, ſontici huius morbi obſervationes evincunt. Inſomnia terrifica, dolores artuum lancinantes & rhevmatici, impotentiam aquam deglutiendi, & reliqua, quæ fœmina hydrophoba, a celeberr. D. Nungent *a*) feliciter reſtituta, ſenſit ſymptomata, ut & ſalutaris remediorum antiſpasmodi-

*a*) *An Eſſay on the Hydrophobia.*

modicorum & opiatorum, præſertim eius, quod ex Aſæ fœtid. gr. xij. Moſchi ſcrup. dimid. & Camphoræ gr. vj. conſtitit, effectus, veritatem antea dictorum ſatis ſuperque comprobare videntur. Venenum ab extra in corpus delatum gravem hunc morbum modo citius, modo tardius excitare, unanimi quamplurimæ obſervationes teſtantur conſenſu; eius vero ortum atque proventum in morbis acutis a cauſa interna, omni prorſus exulante contagio externo, pauciores tantum edocent Autores *b*). Quod autem Hydrophobia in morbo acuto ſponte oborta, &, quod præcipuum eſt, per criſin denuo ſublata ſit, nullibi me legiſſe vel audiviſſe recordor. Subiungam igitur eo lubentius hanc de Hydrophobia, criſi ſphaceloſa terminata, obſervationem, quo certius eſt, eam inter rariores locum mereri.

Fœmina annorum 34. temperamenti cholerico-ſanguinei, nunquam a cane, multo minus a rabido, demorſa, optima a iuventute gaviſa eſt ſanitate uſque ad annum vigeſimum, quo febre continua correpta, copioſiſſimos experta eſt ſudores, quos, aëri frigidulo derepente ſe exponens, in totum ſuppreſſit. Per aliquod temporis ſpatium ſanitati iterum reſtituta adparuit, ſed non multo poſt doloribus artuum rhevmaticis, & brevi interiecto tempore, arthriticis, cum nodis & tuberculis, poplitum & cubitorum flexuram obſidentibus, quæ maturatione aperta vix ac ne vix quidem medelam receperunt, diu excruciata eſt. Ab hoc tempore fœmina iſta admodum cachectica evaſit, ita ut ſinguli infantes, quorum quinque in lucem edidit, & quibus ubera ſugenda præbuit, ob lac flavo colore & ſalſo ſapore præditum, intra tres hebdomades morti ſuccubuerint. Interim tamen per quinque annos ſatis bene ſe habuit; mutato vero domicilio & mutatis aëre potulentisque, primo Novembris die 1759.

*b*) Illuſtr. *van* SWIETEN *Comment. in Boerhaav. Aphorism. Tom. III. §.* 1130.

1759. veſperi, poſt aquæ fontanæ hauſtum, cardialgiam gravem agrypnia & creberrimis iectigationibus ſtipatam, experta eſt. Hæc ſymptomata, coniuncta inſigni virium proſtratione, uſque ad diem quintum graviter adflixerunt ægrotam, quo apparentes in brachiis & femoribus papulæ purpuraceæ, & increbeſcens virium proſtratio, maritum, ut me acceſſeret, impulerunt. Ego accedens, & pulſum admodum debilem, inſignem virium proſtrationem, artuum tremorem, cardialgiam mitiorem, cutim ſiccam, & æſtum primo attactu leniorem, ſed brevi in digitis urentem ſenſum clandeſtinum excitantem deprehendens, illico ad motum humorum inteſtinum coërcendum, & acrimoniam illorum corrigendam, pro potu ordinario Decoctum avenaceum tenue, ſucco Citri acidulatum, & Decoctum ceraſorum acidorum exſiccatorum ægrotæ exhibui, coniungendo uſum Mixturæ nitroſo citratæ ad cochlear j. pomeridie quolibet bihorio, & mane hor. 7. & 10. Eſſentiæ Scordii & Spir. Nitri dulcis æquales partes ad guttulas XXXVI.

Die 6. Nov. eadem continuarunt ſymptomata. Cardialgia mitior evaſit & fere ceſſavit in totum. Dolor lenis rhevmaticus colli ſentiebatur ab ægrota, & ſomnus reficiens, anxie deſideratus, adhuc deeſt. Die 7. Nov. obpræegreſſum terrorem, cum ægra, ploratu filiolæ percepto, e lecto exſiluit, virium proſtratio valde increbuit. Retulit ægra, dolore cardialgico iam ceſſante, totum corpus ſæpe inopinato obrigeſcere, & omnium muſculorum tendines ita rigidos fieri, ut ne digitum quidem movere poſſet; ceſſante autem corporis artuumque rigiditate, ſenſum in hypochondriis oriri, ac ſi quis cultrum utrique infigeret lateri, eoque iterum brevi ſublato, caput valde dolere, inſuperque de mitiori ſiti, & ingrata ſenſatione, quam a potu perciperet, conquerebatur, quare eadem continuare iuſſi remedia. Pomeridie famula attonita maxime mutatum ægrotæ ſtatum mihi retulit, quod nimirum ne guttulam potulentorum deglutire poſſet, nec vellet. Ego accedens, amica adhortatio-

ne ægræ perſuadere volui, ut tantum aliquid vini lymphati degustaret; ſed illa, dentes firmiter comprimendo, omnem recuſavit potum. Cum ab adſtantibus perciperem, quod ſana jus carnium lubentiſſime bibiſſet, illud ipſe præbens ori admovi, ſed convulſa ferme non adſumſit. Veſperi ægram ſuaviter delirantem & æſtu graviore laborantem inveni, omnia tentavi, ut potum adſumeret, ſed fruſtra. Per totam noctem ſuavia deliria, ægrypnia & æſtus ſatis gravis continuarunt, & ne guttula potulentorum aſſumta fuit.

Die morbi octavo æſtus & delirium augmenta ſumſerunt. Ob ſtatum hunc ægrotæ fere conclamatum, dum nec medicamenta, nec alimenta, nec potulenta adſumebat; & ob triduanam alvi obſtructionem, clyſteris iniectionem ſuaſi, ſed fruſtra, quia ægra inquieta eandem non permiſit. Toto die & tota nocte ægra omnem reformidavit potum, valde inquieta & delirans, continuante æſtu ſicco. Sæpius quidem linguam exſeruit & labia, cruſta ab æſtu nigerrima obducta, lambendo, ſitis indicia dedit, potulentis autem allatis convulſa ferme illa recuſavit. Die morbi nono venæſectio in pede inſtituta eſt, ad octo uncias, ubi ſanguis nigerrimus illico aquæ fundum petiit. Aquæ metus, æſtus & deliria continuarunt. Die morbi decimo eadem perſeverarunt ſymptomata, & lotium emiſſum odorem ſpiritui ſalis ammoniaci ſimillimum ſparſit. Hodie a ſonitu potulenti in vitrum effuſi inquietudo auctior evaſit.

Die morbi undecimo famula accurrens retulit, ægrotæ ſtatum hac nocte denuo mutatum eſſe, dum potulenta de novo deglutire cœpiſſet: præterea ægram hac nocte ſæpius manibus nates contrectaſſe, ſeque in natibus maculam nigram, latitudine palmam manus æquantem, deprehendiſſe. Ego accedens in muſculo glutæo maiore ſiniſtro partem ſphacelatam, latitudinem manus æquantem, ægrotam quietam, delirantem, ſub delirio ridentem & parcius bibentem, offendi. Credidiſſem ſitim excedentem, cum ægrota per tot dies nihil fluidi adſum-

ſerat,

ſerat, largam potulentorum quantitatem deſideraturam eſſe; ſed miratus ſum ægræ abſtinentiam a potu, dum nullam accuſabat ſitim, nihil, præter iusculum carnis, ſucco citri acidulatum, bibens. Ad inhibendam putredinem externe partem affectam ſaturato Corticis Chinæ Decocto fovere, & interne idem remedium largiter adſumere iuſſi; verum ægra hunc corticem nec in ſubſtantia, nec in Decocto adſumſit. Nocte omnis ceſſavit ſomnus. Die morbi duodecimo carnem muſculi glutæi putredine corruptam exſcindere iuſſi; ut fotus corruptioni magis magisque reſiſtere poſſet, ſed maritus, neſcio utrum uxoris, an expenſarum pertæſus, id non permiſit, unde ægra, viribus exhauſta, inſomnis, ſuaviter delirans, & ſub delirio ridens, die decimo tertio mane hora Xma placide exſpiravit.

Notatu certe dignum hoc in caſu mihi videtur, partim quod aquæ metus per plures adfligens dies ſymptomaticus, partim vero, & quod præcipuum eſt, quod critice ſublatus fuerit. Scripta Medicorum evolventi, & obſervationes de Hydrophobia perlegenti, patebit, quosdam Auctores inflammationem œſophagi, & organorum deglutitionis pro cauſſa accuſare, ſed minus recte, dum præſens obſervatio luculenter contrarium teſtatur. Ægrota hæc per quatuor dies liquida deglutiendi facultate prorſus orbata fuit; ſimulac vero acris & cauſtica materia, œſophagum partesque adiacentes relinquens, ſedem ſuam in muſculo glutæo fixit, & corrodendo vaſa ſanguifera ſtaſin ſphaceloſam produxit, illico tunc facultas deglutiendi rediit. Si igitur inflammatio organorum deglutitionis cauſſa hydrophobiæ fuiſſet, non liquet, qui fieri potuerit, partim ut aquæ metus, oborto in partibus remotis ſphacelo, ceſſaverit, partim ut ſphacelus in partibus ſaltem remotis, & non potius in affectis ſe exſeruerit. Si quis autem perpendit, ſphacelum a cauſſa interna potiſſimum ſtagnationi humoris cauſtico-acris, vaſa ſanguifera corrodentis, & hinc putredinem ſanguinis extra motum conſtituti inducentis, natales ſuos debere, & ſphacelum in alia

 parte

parte obortum hoc in caſu facultatem liquida deglutiendi reſtituiſſe, facile perſpiciet, hydrophobiam in hac ægrota non ab inflammatione, ſed potius à ſtagnante humore cauſtico in organis deglutitionis productam eſſe, eoque discuſſo & alias partes occupante, ceſſaſſe.

Nonne igitur ad præſervandum aquæ metum remedia, cauſticam ſalivæ animalium rabidorum indolem corrigentia & immutantia, optima forent? Dum autem quodlibet venenum peculiaris indolis, ex effectu adeo diverſo cognoſcendæ, ſingulare antidotum requirere videtur, merito oboritur altera quæſtio: quodnam in tali caſu ſpecificam eiusmodi præſtet efficaciam? num cuprum limatum, aut fuligo lebetis cuprei? Lubens fateor, me modum agendi huius remedii ignorare, interim ulteriori experientiæ id committendum videtur, dum ab incognito agendi modo ad remedii futilitatem nulla valet conſequentia, dummodo provide inſtituta obſervatio effectum confirmet. Interea exulans ſalutaris huius remedii effectus præterlapſo quodam poſt vulnus inflictum temporis ſpatio, eoque valde exiguo, uſum eius nimis arctis circumſcribit limitibus. Num ergo Mercurius? Præter alios celeberrimos Auctores nuperrime clariſſ. & experientiſſ. D. SCHRADER *c)* uſum eius in-et externum efficacem in truculento hoc morbo expertus eſt, & reliqua uſitatiſſima in eodem adminicula expoſuit. Si quis inſignem humores alterantem & evacuantem mercurii virtutem perpendit, efficaciam eius etiam hoc in affectu haud proletariam iudicabit; & cum experientia ſalutarem mercurii effectum in rabie canina plus vice ſimplici comprobavit, operæ pretium videtur, data occaſione vires huius remedii ulterius explorare, utrum potius in ſtadio priore, ubi aquæ metus adhuc exulat, malum certo averruncet, an vero in poſteriori etiam, ubi aquæ metus adeſt, truculentum hoc malum depellat? Deficiente adhuc

*c) Obſervat. rarior. ad rem medicam & obſtetriciam ſpectantium Faſciculo I. Obſerv. VIII. pag. 43.*

huc fido & certo diriſſimi huius morbi antidoto, cordatus quisque Practicus nullam prætermittet occaſionem huius remedii, quod externe & interne clariſſim. SCHRADER ægro tali adplicuit, periculum faciendi, ut iteratis obſervationibus tandem conſtet, quid de efficatia mercurii in rabie canina curanda ſtatuendum ſit. Optandum eſſet, ut ventura dies mercurii effectum hoc in morbo fidum & conſtantem manifeſtaret, dum cum eodem ceu minus pretioſo remedio, plurium, præſertim pauperum, ſaluti proſpici poſſet, quam cum pulvere Tunquinenſi, ob Moſchi admixtionem ſatis quidem efficaci, & experientia Sinenſium & celeberrimi GMELINI comprobato, ſed ob pretii conditionem non cuilibet præſcribendo.

(*Islebio Halam miſſæ, d. 20. April. 1762.*)

## OBSERVATIO IX.

# Dn. D. IOANN. FRIDER. KRVGELSTEIN.

## *Anatomia fœminæ gravidæ, Hæmorrhagia uteri demortuæ.*

Virgo quædam, habitus pallidi, gracilis, quadrageſimo circiter ætatis anno in matrimonium fuit ducta. Menſtrua a decimo quarto ætatis ſuæ anno ſine ulla ataxia fluxerunt, ſæpius vero quadantenus aucta prodibant, quamvis pallidus corporis color, ad cachecticum vergens plane aliud ignoranti perſuadere potuiſſet. Per aliquot menſes maritata, abortum paſſa eſt ſecundo circiter, vel tertio graviditatis menſe. Abhinc per integrum fere annum incolumis permanſit; denuoque gravida reddita, nullo ſymptomate laboravit, niſi vomitu periodico circa horam ſextam veſpertinam, quarto & dimidio circiter graviditatis menſe, circa finem Novembris orto. Vomitus per integrum fere menſem durans, tandem deſiit; & gravida

vida perfecte ſana viſa fuit. Tertio vero Januarii a. c. ſubito exorta fuit hæmorrhagia uteri. Obſtetrix, alias ſatis gnara, exploratione facta, ex ſola vagina ſanguinem hunc profluere adfirmavit, orificium uteri vero adhuc eſſe duriuſculum, rimamque minime eſſe apertam, adſeruit. Parens meus, in conſilium vocatus, minime ſuffragatus fuit obſtetrici, ſed potius tantam ſanguinis copiam non ex ſola vagina, ſed & ex utero provenire, cenſuit. Partus dolores ne quidem minimi ſentiebantur. Difficile augurium erat, an hæc hæmorrhagia a placenta, orificio uteri interno adhærente, & quadantenus ſoluta, aut alia cauſa proveniret. Prius credere diſſuadebat graviditas non adeo provecta, & orificium uteri adhuc clauſum. Hæmorrhagia enim uteri a placentæ, orificio interno, ſive cervici uteri inhærentis, ſolutione octavo demum graviditatis menſe producitur, ſecundum communia auctorum teſtimonia & experientias. Graviditatem vero hanc ad octavum menſem nondum perveniſſe, probavit maxime minor intumescentia abdominis, & umbilicus in coniculum nondum elevatus, quod etiam dein anatomica corporis ſectio confirmavit.

In dubio itaque cauſarum ſtatu, doloribus ad partum abſentibus, & orificio uteri, ſecundum relationem obſtetricis, paululum tantum dilatato, nil parens agere poſſe cenſuit, niſi quod remediis temperantibus & antiſpasmodicis, orgaſmum ſanguinis, & motus ſpaſticos imminueret, ac maniluviis impetum ſanguinis revelleret. Hæc remediorum genera effecerunt, ut, hæmorrhagia deſinente, ſanitas, quoad externa, rediret. Gravida vero, contra iuſſum patris, nimis feſtine in aërem liberiorem progreſſa, variis geſticulationibus & iracundia commota, in hæmorrhagiam denuo incidit. Iisdem remediis adhibitis, denuo ceſſavit hæmorrhagia, ſed nullo, quoad cauſas morbificas, commiſſo errore, periodice ſemper recurrebat circa quartam noctem, continuo quaſi torrente, ſine ullis ad partum doloribus. Poſt quamlibet hæmorrhagiam vehemen-

tiſſimi

tiſſimi ſentiebantur fœtus motus, externe quoque obſervandi. Hæmorrhagia bis vel ter recurrente, tertio ante obitum die veſperi gravida, frigore quaſi conquaſſante correpta, nullum ab hoc tempore fœtus ſenſit motum.

Poſtridie ſymptomatibus magis magisque invaleſcentibus, præter me in conſilium duxit obſtetricantem huius civitatis iuratum. Hic, exploratione facta, placentam cervici uteri toti adhærentem ſenſit; orificium uteri vero craſſum, non deterſum, parumque ſaltem dilatatum, ita ut vix digiti indicis apicem admitteret. Plenarius defectus dolorum ad partum, orificii craſſities, minor apertura, & ſingularis illius ſub exploratione ſenſibilitas, operationem plenarie diſſuadebant obſtetriciam. Rebus ſic ſtantibus, gravidam ſorti ſuæ reliquimus, et, ut aliquid tantummodo nos agere videretur, temperantia, & leniter adſtringentia exhibuimus. Ab hoc tempore hæmorrhagia non periodice, ſed continuo rivo erupit. Ultimo ante obitum matris die lenem quendam dolorem, in uteri latere ſiniſtro, dolorum ad partum ad inſtar, ſed vix per quadrantem horæ durantem, nec fundum, nec aliud latus adficientem, perſenſit. Hæmorrhagia vero vehementiſſime continuante d. 23. Januar. obiit.

Die ſequenti ſectio anatomica inſtituta fuit, qua ſequentia obſervavimus:

1) Coniculus umbilicalis, in gravidis alias provectis conſpicuus, plane defuit.

2) Integumentis communibus diſſectis,

α) membrana adipoſa, & omentum, multa pinguedine erant referta; cor quoque multa pinguedine circumdatum erat;

β) ventriculi cordis ſanguine plenarie carebant;

γ) pulmo ſiniſter aliquid purulenti alebat;

δ) reli-

δ) reliqua viſcera ſana, & recte ſita obſervabantur, niſi quod nonnulli tractus inteſtinorum tenuium gangrænoſi eſſent. In craſſis maculæ tantummodo gangrænoſæ conſpiciebantur.

3) Utero vero diſſecto

a) nullus plane profluebat ſanguis, craſſities vero parietum non diminuta;

b) in fundo uteri reperiebatur ſcirrhus, dimidii pugni magnitudine,

c) Fœtus, ſexus fœminei, ſextum & dimidium circiter menſem agebat, & omnia ſigna, fœtui immaturo ab Excellent. Roederer in *Art. obſtetr.* attributa, referebat.

Caput in dextro ileo, nates in ſiniſtro deprendebantur, pedibus ad umbilicum foetus decuſſatim reſupinatis, capite paululum ad os ſacrum reclinato.

d) Funiculus umbilicalis craſſitie fere, qua in fœtu maturo conſpicitur, eadem erat, ſanguine craſſo, livescente turgidus.

e) Placenta uterina præternaturaliter diviſa erat in lobos duos, quaſi fœtuum gemellorum, unum maiorem, dextrum latus occupantem, alterum, triplo minorem, ſiniſtre ab orificio uteri ſitum. Hi lobi duo cervici uteri, ſive ſegmento eiusdem juncti, in orificii uteri axi funiculo umbilicali connectebantur, ita ut hic 2. pollicibus abeſſet a centro placentæ. Lobus maior dexter fibris menbranaceis rigidis, quaſi in ſubſtantiam uteri progredientibus, concretus erat cum utero, ita ut maxima vis ad ſolutionem placentæ requireretur, quoniam placenta corpus continuum cum utero efficere videbatur. Proxime ad orificium uteri placentæ lobus dexter ſeparatus erat ab utero palmæ minoris diametro; unde hæmorrhagia continua.

f) Lobo

*f*) Lobo dextro placentæ ſoluto, in dextro uteri latere, prope cervicem, reperiebatur ſcirrhus priori haud paullo minor.

Memorandum etiam adhuc eſt, quod hæc fœmina laboraverit ulcere cruris dextri antiquo, per multos annos fluente. Femur dextrum quoque craſſitie ſiniſtrum ſuperavit conſpicua.

## *Epicriſis.*

Scirrhus in fundo uteri repertus impedivit non ſolum adhæſionem placentæ ad illum locum, ſed & extenſionem fundi uteri tantam, quanta requiritur ad fœtum perfectum continendum. Continua vero ſanguinis congeſtio placentam per ſe iam iam, ob adhæſionem ſuper orificium uteri, ad ſolutionem pronam, ſolvit. Scirrhi ambo porro impediverunt contractionem uteri, & hinc dolores ad partum, unde in ſiniſtro tantummodo uteri latere aliquis exortus fuit dolor ad partum. A compreſſione valida, fœtus, & inanitione vaſorum eiusdem, ſine dubio convulſionibus correptus fuit. A corporis gracilitate & pallore non ſemper ad defectum pinguedinis tuto concludi poteſt. An ulcus cruris dextri cauſa procatarctica ſcirrhi in dextro latere uteri reperti fuerit, clarum nondum eſt. Fœminæ nulla menſtruorum ataxia laborantes nihilominus ſcirrhis uteri laborare poſſunt.

(*Gotha Halam miſſa d.* 26. *Maii* 1762.)

## *OBSERVATIO X.*

## Dn. D. IOACHIM. FRIDER. HENCKEL.

De

## *Tumore exciſo & per ligaturam deſtructo, ſcirrhoſo, in inguine dextro.*

Suavis, prudens & alacris matrona, quæ iam trigeſimum annum attigerat, circiter abhinc duodecim annis in inguine

dextro parvum tumorem obſervabat, ex obſtructione glandulæ inguinalis obortum, quem per omne illud tempus ſecum ferebat, neque opem quærebat, quoniam hic tumor non augebatur, neque moleſtiam ipſi creabat, talique in loco conſtitutus erat, quem pudor celabat, inſuper quoque a quibusdam Medicis erudiebatur, talem tumorem herniam eſſe, cui medendæ bracherio opus eſſet. Cum vero hoc adminiculum quoque reſpueret, tumori iſti amovendo manus auxiliares nullo modo præbebat. Interim ille ad tempus maior ac durior evadebat, imo brevi intervallo inſigniter augebatur, dolores excitabat, & ægrotantem cogebat, ut Medici ordinarii auxilium imploraret. Concludebatur etiam meum hac de re conſilium rogare. Cum itaque tumorem examinabam, ſimulque audiebam, quamdiu iam duraverit, & quomodo tractatus fuerit, neque ſigna pathognomonica herniæ invenire poteram, iudicabam illum ſcirrhoſum glandularum inguinalium tumorem eſſe, cui inflammatio ſe iunxiſſet, quæ cum celeri curſu tantum illi incrementum conciliaſſet. Applauſum clariſſimi Medici ordinarii in eo mihi conciliabam, qui iam conſilium dederat, ut cataplasma emolliens & anodynum applicaretur. Decernebamus, illis ſpeciebus adiungere reſolventia, nempe unguentum nervinum cum ſapone Veneto mixtum, unguentum reſolvens ad mammas, mercurium præcipitatum rubrum, & emplaſtrum diachyl. cum gummis; quoniam autem iam vere inchoaſſe videbatur ſuppuratio, dum fluctuatio diſtincte notabatur; hinc reſolventia omittebantur, emollientia vero & maturantia ſimul imponebantur, & præcipue mel, ſapo niger, ſquilla, cantharides, in ſubſidium adhibebantur.

Cum ſuppurationem quotidie augeri poſſe ſpes aderat, & quod totus tumor ea ſolvi poſſet, contrarium experiebamur; fluctuatio enim diminuebatur, tumorque minor evadebat & mobilior, & quidem absque dolore: imo tumor ad eam magnitudinem redibat, quam multos per annos habuerat. Spes oriebatur

tur, fore ut ſolveretur. Maturantia itaque remanebant, & reſolventia coniungebantur, præcipue unguentum reſolvens ad mammas, mercurius præcipitatus ruber, cataplasma & emplaſtrum emolliens. Medicus ordinarius optima reſolventia interne ordinabat, ſimulque diætam & regimen. Tumor magis magisque decrescebat; hinc Medicus ordinarius Cicutam eligebat; de qua varia, quæ bona eſſent, lectione hauſerat. Interrogatus, num propria ipſum experientia teneret, negando reſpondebat. Ego illi exponebam, quæ de hoc remedio expertus eſſem, & incipiebamus in- & externum Cicutæ uſum, ſecundum indicationes. Nihil plane deerat, unde quantitatem quotidie augebamus, & cum ægrota nobiscum per tres ſeptimanas nullam plane diminutionem tumoris ſentiret, amplius ea uti nollebat. Cum affirmari non poſſet, num aliis medicamentis diminutus tumor integer diſcutiendus eſſet, ægrota interrogabat, anne tumor exſcindi queat? Is quidem aliquo modo, ſed parum, mobilior factus, per tactum vaſis cruralibus quam maxime vicinus deprehendebatur. Itaque non ſtatim tale conſilium placebat, ſed periculum notabatur, cui ſubiiceretur. Cum vero perſeveraret, & omnia ſuſtinere vellet, decernebam tumorem adeo profunde ſeparando proſequi, quousque fieri poſſet, tum vero per ligaturam reliquum deſtruere. Medicus ordinarius ſuſcepto operi adſtipulabatur, & ſingula eum in finem requiſita præparabantur.

Incidebam tumorem in media parte, illumque exſcindere incipiebam, auxiliante Medico ordinario. Admodum profunde ſeparabam tumorem, priusquam in latere externo arteria diſcindebatur, quæ vero non magna erat. Hac compreſſa, inter exſcindendum magis profunde penetrabam in quantum mihi ſecurum eſſe videbatur, & ſanguine operatio non retardabatur. Tum ligabam tumorem tam profunde, quam fieri poterat. Interim tamen ſufficiebat mihi, quod ligatura ſaltem circa, & non ſub tumore fieri poſſet. Porro deligationem vul-

neris mediante linteo carpto ſicco, & ſpleniis neceſſariis ſuperpoſitis peragebam, quorum primum Spiritu vini rectificatiſſimo humectatum erat, & uſitata ſic dicta Faſcia ad bubonem omnia firmabam. Aegrota ſingula hæc ſtrenue perferebat, omnesque dolores patienter ſuſtinebat. Interna neceſſaria medicamenta, diætæ & regimen ordinabantur. Poſt duo vel tres dies impoſita ligatura nobis anſam dabat exſtirpationem proſequendi, & ſecundum ligaturam profundius incidendo penetrandi. Deligatio fiebat priori modo, omittendo ſaltem ſpiritum vini rectificatiſſimum, & plumaceolos ſupra vulnus poſitos, unguento baſilico illinendo. Elapſo iterum biduo vel triduo, ſecunda ligatura magis contrahebatur, ſimulque alia fila huncin finem circumligabantur, interim tamen ſuperior pars tumoris nec flacceſcere, nec emori volebat ſicque impediebat continuationem operationis in profundiori parte, quæ idcirco uſque ad ſecundam ligaturam exſcindebatur, quo facto tandem arteria, quæ in medio tumoris erat, & ſanguinem effundebat, conſpiciendam ſe præbebat. Ad ſiſtendam hanc hæmorrhagiam agaricum optimo cum effectu adhibebamus, deligatio vero non mutabatur, præterquam quod omnia ſicca imponerentur.

Sequentibus diebus omnem operam impendebam, ut ligaturam ſub toto tumore applicarem; aſt nondum id fieri poterat, & ſufficiebat mihi, illa tumorem ipſum tam profunde cingere, quantum fieri poterat. Sequentibus diebus hæc ligatura magis contrahebatur, quem in finem filorum numero maiori utebamur. Quam difficilis hæc operatio propter profunditatem ſit, ocularis inſpectio & ipſa experientia quemlibet docebit. In deligatione nihil mutabatur. Nunc demum hic tumor ligatus flacceſcebat & colorem mutabat. Cum non amplius auderem ligaturam magis profunde applicare, propter vaſa cruralia, filum cum nodo chirurgico circumponebam, hocque facto tumorem integrum uſque ad ligaturam decuſſatim findebam, ut viderem, num forſan adhuc arteria ſanguinem funderet.

deret. Cum vero hoc non accideret, illum uſque ad ligaturam penitus exſcindebam, fila ſeponebam, & provide vulneri agaricum inſerebam, cum maiori addita lintei carpti copia. Poſt triduum agaricus ſeponebatur, tuncque reliquum huius tumoris in conſpectum prodibat, quod, quoniam parum eſſet, arripiebam iſtud provide cum hamulo, & cum forfice incurvato prope vaſa cruralia abſcindebam, totum vulnus dein linteo carpto & ſicco implebam & priorem deligationem continuabam. Sequentibus diebus ad latus externum in vulnere parvas quasdam particulas, ad inſtar induratæ membranæ adipoſæ deprehendebam, quas, ne ſequentibus temporibus nova crearent incommoda, etiam cum hamulo prehendebam & cum forfice incurvato exſcindebam. Hoc facto nihil ſupererat, niſi magni profundi vulneris ſanatio, quæ & exoptatum conſequebatur finem, ita quidem, ut prudens hæc Matrona mentisque alacritate prædita, ab omni malo cancroſo, alioquin extimeſcendo, tuta ac immunis redderetur.

Uterque noſtrum ſæpiſſime mirabatur mentis conſtantiam, bonumque regimen continuum huius matronæ; raro enim omnino occurrunt eiusmodi exempla in artis noſtræ exercitio; neque etiam facile talem gravem, operoſam ac incertam denuo ſuſcipere placet medelam, quoniam ſimul fama, gloria & commodum ſub eadem in periculo verſantur, promiſſorum haud habita ratione. De reliquo, dum ad finem huius obſervationis propero, adhuc circumſtantia quædam in mentem mihi venit, cuius paucis adhuc mentionem faciam: nempe cum tertia ligatura applicabatur, ægrota dolorem prorſus ſingularem in partibus genitalibus internis ſentiebat. Num forſan ligamentum, rotundum uteri dictum, huius doloris cauſſa fuit? Credo quod ſic.

# OBSERVATIO XI.

## Dn. D. JOACH. FRIDER. HENCKEL.

De

## *Impoſſibili repoſitione uteri poſt partum inverſi.*

Theoria variorum malorum medelam facillime ſperare permittit, experientia vero ſæpiſſime contrarium docet, prouti & obſervatio præſens me de hac veritate certiorem reddidit. Fœmina quædam, trigeſimum iam ætatis annum egreſſa, tertia vice felici defuncta erat partu, obſtetrix autem referebat, poſtquam placenta uterina levi labore fuerit ſoluta, magnum corpus, durum, eminens ſe deprehendiſſe, unde ſibi perſuadebat, brevi tempore alterum infantem ſubſecuturum eſſe. Dum vero hoc non contingebat, ulteriori exploratione adhibita, aliter ſe habere rem cognovit. Sed cum ſub hocce ſtatu opem ferre neſciret, rogat maritum & amicos, ut me accerſere iuberent, meumque implorarent auxilium. Itaque ſpatio novem horarum elapſo ad ægrotam veniebam; obſtetrix mihi quoque referebat, quæ iam antea annotavi, & huic addebat, ægrotam magnam ſanguinis copiam perdere. Itaque mali exquiſita prius inſtituenda erat indagatio, id quod nullo alio modo, niſi tactu fieri poterat. Hic autem me erudiebat totum uterum inverſum & in vaginam prolapſum eſſe, quæ tota illo implebatur. Idcirco varias quæſtiones movebam, ut cauſſam huius mali expiſcarer; ſed ab obſtetrice nulla extorqueri poterat. Itaque mox ea, quibus ad repoſitionem uteremur, parabantur. Cum vero eam molirer, vaginam ab utero ita impletam inveniebam, ut in anteriori manendum mihi eſſet parte, & omnis mea opera, ad repoſitionem directa, etſi leniori modo fieret, tamen dolores excitaret, eaque propter ipſa ægrota peteret,

ut

ut a conatu deſiſteretur. Quia etiam hæmorrhagia perſeverabat, conſilium capiebam, repoſitionem differre, atque interim convenientem ſitum, diætam & regimen præſcribebam. Inter interna medicamenta ordinabatur potio nitroſa, & cum de multo dolore circa lumbos quæreretur, quaſi de dolore poſt partum, anodynum addebatur. Aegrota inde quiescebat, dolores minuebantur & lochia fluebant, urinam vero mittere & alvi excrementa deponere non poterat. Primum fiebat, dum uterum in altum tollebam, alterum clyſterum ope obtinebatur. Animadvertebam etiam, inverſum uterum minui, & vaginam liberiorem fieri. Quo facto, poſt aliquot dies repoſitionem tentare ſuadebam. Itaque ſingula hunc in finem parabantur. Manibus meis nunc inverſum uterum & in vagina pyro ſimilem propendentem, comprehendere poteram, nihil vero de orificio uteri detegere poteram, ſed inverſus uterus magis elevabatur tenuiorque evadebat, donec eiusdem extremum cum vagina continuum eſſet. Hoc peracto repoſitionem incipiebam, aſt, omni licet adhibita opera tamen inverſum uterum in ſitum naturalem reponere non poteram. Aegrota rurſus de doloribus conquerebatur, & ulteriora tentare precibus negabat, quoniam dolor iam mitior factus eſſet, hincque malum ulterius ferre mallet. Interim tamen repoſitionem in alio ſitu, flexis nimirum genubus, & cubitis innitens, denuo tentare audebam; id quod mihi negabatur. Suadebam ergo, ut conſilium iniretur de ſanando malo; ſed eo res non pervenit. Nihil itaque reſtabat, cum ægrota malum ſe velle perpeti declarabat, niſi ut congruum quoddam peſſarium adhiberetur. Hoc placebat & deſuper reſponſum promittebatur. Poſt octiduum ægrotam occubuiſſe comperiebam. Inquirenti mihi, quæ cum ea acta fuerint, referebatur, febriles quosdam motus ſuperveniſſe, & ægrotam, accedente inſigni virium debilitate, ex vita disceſſiſſe. Maritus mihi nunciabat, quod in priori æque ac in ultimo partu, multis ſub doloribus, magnaque opera adhibita, placenta ute-

uterina extracta fuerit; obſtetrix idem illud pertinaciter negabat.

(*Berolino Halam miſſæ, d.* 20. *Julii.* 1762.)

## OBSERVATIO XII.

## Dn. Licent. DAVID. FRANCISCI HEZEL.

### *Exſtirpatio glandulæ Parotidis ſcirrhoſæ.*

Matrona quædam illuſtris, in aula vicini Principis vitam agens, tumorem in latere capitis ſiniſtro, ſub radice auris ſiniſtræ, in regione glandulæ parotidis, nucis moſchatæ magnitudine exſurgentem, ſentiit, quem primum, cum nullo dolore aliisque ſymptomatibus ſtipatus fuerat, fere non attendebat. Cum vero ſenſim ſenſimque creſcere videretur, varia tentamina, emplaſtris, cataplasmatibus, fomentis, reſolventibus & diſcutientibus, mercurialibus, emollientibus, imo lenioribus corroſivis, facta ſunt; aſt irrito plane ſemper ſucceſſu. Sicque per 3 integros annos tumor tractatus, nec ſublatus eſt, in maiorem potius molem excreverat, & pugni magnitudinem longe ſuperabat. Varii Chirurgi, & inter illos inprimis Chirurgus aulicus, tumorem ſectione extirpare conſultum duxerant; ſed diu hanc exciſionem illuſtris ægrota abhorrebat & repudiabat. Tandem Chirurgus apud nos extirpationem ſuſcipere auſus eſt, felicemque curationis eventum audacter promiſit. Et ego cum alio Collega in conſilium vocatus, maxime quidem difficilem fore operationem, ſed tamen poſſibilem & proficuam, præſagiebam, argumentaque Dn. Collegæ, qui in negativam abibat, refutabam. In Halam ergo noſtram ægrota ſe contulit, & tumorem inſpiciendi nobis facultatem fecit. Erat autem ille longitu-

gitudine 4 ½, latitudine 4, & craſſitie 3 pollicum conſpicuus, cum variis prominentiis a ſiniſtra aure & proceſſu condyloide uſque ad collum, & a maxilla ad cervicem uſque ſe extendens. Immobilis plane erat, & faſcia lata maxime comprimebatur. In ſuperiori parte mollior, in inferiori durior & attactu dolorificus reperiebatur. Cutis externa maxime tenuis conſpiciebatur, tunicaque, cui tumor involutus quaſi erat, tranſlucebat. Colore erat ex rubro, albo, violaceo, & citrino quaſi variegatus. Vaſa ſanguifera inſignia hinc & inde ſerpebant, & in cute ſe oculis ſubiiciebant. Subſtantiam ſcirrhoſam & induratæ glandulæ ſimilem nobis offerebat. Ut vero tutiſſimus iret Dn. Collega meus, tentamen aliquod ſuſcipiendum ſuadebat, ut nempe pane ex tritico, quater fermentato calideque applicato tumor discutiatur. Aſt optanda potius, quam ſperanda erat diſcuſſio; hincque, ne inutilibus tempus tereremus, cauſticum ex calce viva & cineribus clavellatis in forma hac ⊢ impoſitum eſt, & pulveres temperantes, cum aquis & Emulſionibus convenientibus, pro uſu interno præſcribebantur. Poſt 4 horas cauſticum partes ſuas absque magno dolore egit, & ſeparata altero die eſchara, tunica tumoris nuda iacebat. Cutem ab hac tunica difficili quidem modo (cum, ob ante dictam compreſſionem cum faſcia factam, arctiſſime cohæſiſſet cum tunica,) ſeparare Chirurgus incepit, cumque inferior pars ob intenſiſſimum dolorem ſeparari non potuiſſet, portionem aliquam cutis, tunicæ tumoris quaſi adnatam, alio cauſtico a reliqua cute ſeparavimus.

Facta ſic præparatione, & tumore nudo fere iacente, apparatus ad operationem neceſſarius comparatus eſt, variaque medicamenta, tum interna, tum externa, ſingularia præcipue ſtyptica ad manus erant, & operatio ſequentem in modum inſtituta felicique ſucceſſu finita eſt. Tumor nempe a ſubiacentibus partibus ope partim inſtrumentorum obtuſorum, partim ſcalpello, vaſis arterioſis bene ligatis, ſeparabatur. Cum vero

circa baſin ſuam ita firmiter cohæreret, & tam altas radices egerit, ut ſcalpello ibi minime uti poſſibile eſſet, & in inferiori parte doloris ſenſibilitas tanta eſſet, ut ſeparationem illius ægra plane repudiaret, radicibus, pollicis craſſitie, bene ligatis, tumor ſcirrhoſus, quantus erat, exſcindebatur, vulnusque ſtypticis probe munitum deligabatur, & ægra lecto immiſſa quieti relinquebatur. Deligatio a Chirurgi miniſtro ſemper comprimebatur, & datis variis confortantibus & temperantibus ægra prima nocte paululum quieſcebat, & non niſi de difficili deglutitione, cui mucilagine ſemin. Cydonior. cum Syr. Viol. permixta, occurrebat, conqueſta eſt. Altero die Mixturam bezoardicam cum Sacch. analept. ordinabamus, & circa collum coſtasque ſuperiores cutem intumeſcere obſervabamus, quapropter lintea ſpiritu vini camphorato madefacta applicata ſunt. Tertio poſt operationem die deligatio prima facta eſt, cumque vulnus illud amplum & ſpatioſum absque ulla hæmorrhagia iam bene ſuppurare cerneremus, digeſtiva adhibita & lintea ſpiritu vini rectificatiſſ. & Liquore ſtypt. Weberi imbuta ſuperimpoſita ſunt. Tumor circa coſtas ſuperiores in dies maior evadebat, & infra mammam ſiniſtram ſe extendebat, quapropter ille ſacculis ex Spec. emollient. & cataplasmatibus ad maturationem perductus, ſcalpello apertus eſt, poſt cuius aperturam materia purulenta ad libram unam uſque cum intolerabili fœtore effluxit, & poſt meridiem ſimilis quantitas iterum emanavit, quod tamen vulnus poſt aliquot dierum ſpatium iniectionibus ex aqua Calcis vivæ cum melle roſar. & Olibano paratis, item decocto rad. Symphyti conſolidatum eſt. Reliquiæ & radices tumoris ſcirrhoſi, præcipue infra auriculam hærentes, nova ligatura conſtringebantur, & partim Spiritu flammifico, partim Lapide infernali auferebantur. Febris quidem vulneraria ſuperveniebat, ſed paucos poſt dies remittebat, ægraque noſtra poſt duorum menſium ſpatium ex Hala noſtra hilari animo & bona valetudine iterum diſceſſit.

*Expli-*

## Explicatio Figurarum Tab. II.

Fig. 1. a. a. a. a. Faciem externam tumoris glandulæ Parotidis monſtrat.
b. b. b. Vaſa ſanguifera hinc inde diſperſa.
c. c. c. c. Lineæ, quibus cauſticum ad aperiendum tumorem impoſitum fuit.

Fig. 2. d. d. d. Cavitatem denotat, poſt exciſum tumorem conſpicuam.
e. e. Radices tumoris.

Fig. 3. f. f. f. Tumorem exemptum, IX. uncias pondere æquantem, ſiſtit.
g. g. g. Portionem cutis denotat, quæ tumori tam firmiter adhærebat, ut, ob atrociſſimos, ſolo attactu excitatos, dolores, ab illo ſeparari non potuerit.

## *OBSERVATIO XIII.*

## Dn. Licent. DAVID. FRANCISCI HEZEL.

De

## *Mercurii præcipitati rubri ad integrum ſcrupulum interna aſſumtione.*

Nobilis quidam, 30 circiter annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, loco pulveris temperantis ſeu præcipitantis, a Pharmacopœi miniſtro accepit Mercurii præcipitati rubri ſcrupulum unum, quem immediate poſt prandium aſſumſit. Aſt vix deglutivit, cum ſtatim male ſe haberet, & præſenti hoſpiti famulisque ſuis nunciaret, ſe forte incongrui quidpiam vel fortius venenum adſumſiſſe; ingentes enim dolores & tormina in abdomine ſe ſentire. Quærelam hanc vomitus frequentiores

& alvi deiectiones cum lipothymiis excipiebant. Facies erat pallida & oculi torvi, abdomen intumeſcebat, ægerque miſere torquebatur. Vocatus ego, quæ prægreſſa ſint, ex relatione adſtantium exploravi. Ut vero de medicamento, ſeu veneno aſſumto, certiorem me redderem, Pharmacopœum acceſſi, & Miniſtro examinato Mercurii præcipitati rubri ſcrupulum unum, ad uſum externum & carnem luxuriantem in digito pedis abſumendam, ancillæ poſtulanti porrectum eſſe audivi. Cauſſa igitur morbi explorata, & ſpecie veneni detecta, convenientia remedia ordinavi, & imprimis per lactis uſum, quotidie ad 5 vel 6 menſuras, quarum una 4℥. uncias ponderis medicinalis habet, epotum, & Enemata demulcentia frequentiſſime iniecta, tantum effeci, ut Nobilis æger, licet omnia ſymptomata, veneni aſſumtionem concomitantia, ut inflammationem internam, ſalivationem, dentium mobilitatem, & in ſpecie circa ſextum & ſeptimum diem dolorem maxime urentem in inteſtinis & ano præcipue expertus fuerit, intra 14 dierum ſpatium priſtinæ valetudini reſtitutus, varios exceſſus & inebriationes perferre, nobilemque Virginem ſibi nubere potens fuerit.

## *OBSERVATIO XIV.*

## Dn. Licent. DAVID FRANCISCI HEZEL.

### *Cancri aperti & exulcerati horrenda ſpecies.*

Femina ruſtica, annum quinquageſimum ætatis transgreſſa, poſt inflictas ſibi alapas tumorem in maxilla ſuperiori & oculo ſiniſtro dolorificum ſentit, & tumore iſto ſublato, tuberculum quoddam, verrucæ ſimile, circa canthum oculi internum, naſum verſus, obſervavit. Quoniam vero ex hoc tuberculo ſeroſus humor continuo emanabat, varia primum Em-

plaſtra

plaſtra & pulverem a Medicaſtro quodam acceptum arſenicalem, poſtea vero calcem vivam, in pulverem redactam, impoſuit, ſicque effecit, ut cancer apertus & exculceratus inde enatus ſit. Ad nos ergo delata & viſitata, ſeptum naſi, os unguis, & lacrymale, ut & palpebram inferiorem oculi dextri non amplius offendebamus, oſſa totius orbitæ vacillabant, & bulbus oculi, quaſi iam exſiccatus, nervo optico iam exulcerato paululum adhærebat. Hoc extirpato, & oſſibus orbitæ corroſis ſeparatis & exemtis, omnia convenienti modo defendebantur, & remediis abſorbentibus, exſiccantibus, aliisque deligabantur, interne vero, ad maſſam humorum corrigendam & dyscraſiam acrem & corroſivam demulcendam & temperandam, varia porrecta ſunt, irrito tamen ſemper ſucceſſu. Invaluit enim malum in dies magis magisque, itaquidem, ut poſt anni, & quod excurrit, ſpatium tota fere facies, carne & oſſibus ſuis privata, eam figuram repræſentaret, quæ Tab. III. delineata eſt. Horrendum aſpectu erat, pulſum arteriarum in cerebro, oculum dextrum pendulum quaſi & in utrumque latus labentem, linguamque ſemper mobilem, cernere. Alimenta omnia per cannulam in œſophagum deferebantur, & tituba voce ſonum edebat. Interim tamen uſque ad ultimum fere vitæ halitum in miſerrimo corpore mens ſana manebat, & forti patientique animo tandem exſpirabat. *Tab. III.*

## Explicatio Fig 1. Tab III.

a. a. a. Marginem denotat oſſis frontis corroſi & carie abſumti.

b. b. b. Cerebrum oſſibus denudatum, ſed membranis ſuis adhuc tectum, ut arteriarum pulſus adhuc conſpici potuerit.

c. Bulbus oculi dextri quaſi exſiccatus, nervo optico leviter adhuc adhærens.

d. Glandula lacrymalis.
e. Particula oſſis zygomatici.
f. Lingua continuo agitata.
g. Interior oris cavitas.
h. Introitus in œſophagum.
i. Novæ carnis per ſuperficiem exporrecta regeneratio.
k. Labium oris inferius ab utroque latere arroſum.
l. Ingens ulcus retro aurem ſiniſtram.

(*Hala Suevorum Norimbergam miſſæ, de* 20. *Julii* 1762.)

## OBSERVATIO XV.

## Dn. D. FRIDERICI CASIMIRI MEDICI.

### *Morbus, mors & inſpectio anatomica Sereniſſimi Principis* ****

Sereniſſimus Princeps * * * * athleticæ conſtitutionis, nondum ſexageſimum agens annum, præcedenti tempore pertinaciſſimo herpete capitis, membrorumque ſuperiorum, per multos laboraverat annos, ſatis bene ceteroquin degens; ante quinque autem, vel ſex circiter annos, ab hoc malo liberari cupiens, varia hunc in finem adhibuit, tam interna, quam externa remedia. Diſparuit quidem inde herpes, ſed ab hoc tempore ſucceſſive conqueri cœpit de pectoris anguſtia, cui ante duos circiter annos ſucceſſit oppreſſio & difficultas reſpirandi adeo aucta, ut ſub paroxyſmo decumbere, uti alias ſolebat, non potuerit, à quibus tamen, per venæ ſectiones, & congrua quædam medicamenta, liberatus fuit. Ante ſedecim menſes denuo anxietas præcordiorum cum continuo aſthmate recrudeſcebat, & per plures ſeptimanas admodum vehementer

&

& pertinaciter continuabat, tandem vero iterum ita mitigabatur, ut integra fere, paucis ſaltem quibusdam incommodis exceptis, rediiſſe videretur ſanitas.

Circa finem Februarii anni præteriti, dextri lateris paralyſis ſubito oboriebatur, qua ceſſante, dolor & tumor hypochondrii dextri ſeſe manifeſtavit, pedes tumor œdematoſus, præſertim dextrum, occupabat, qui ſubinde evaneſcebat poſt leniſſimum purgans exhibitum. Increvit autem tunc anxietas & aſthma, accedentibus inprimis convulſionibus totius corporis, magis tamen dextri lateris, & ſubſultibus nervorum. Sæpiſſime etiam ſuppreſſio circuli ſanguinis, ſub ſummis anxietatibus, animadvertebatur, quæ ſola venæ ſectione tollebatur, quam Ipſe Sereniſſimus Princeps absque conſilio inſtitui iuſſit. Interim & cerebrum non intactum manebat, ſiquidem iudicium memoriaque ſubinde vacillabant, cum intercurrentibus per intervalla deliriis. Dolor in hypochondrio dextro, & reſpiratio difficilis, erectum ſedere, imo pronum, per noctes multas coëgerunt Sereniſſimum Principem, ſummis cum doloribus; pulſus ſemper fortis & celer, obſtaculum circa pulmones hærere, ſatis demonſtrabat, quod inſuper etiam venarum iugularium turgescentia, & œdematoſus manuum ac brachiorum tumor magis adhuc confirmabant. Appetitus interim fere ſemper conſtans manebat, nullaque ſitis aderat, donec tandem vi morbi oppreſſus, die 25 Decembris placide expiraret Princeps, circa nonam antemeridianam.

Inſtituta dein anatomica ſectione, in abdomine primo contra naturam, omentum undique putrefactum deprehendebatur, meſocolon & meſenterium, unacum appendicibus coli, colliquata adparebant, & in pelvi, ſub veſica, abſceſſus gangrænoſus, rectum quoque inficiens gangræna, offendebatur.

In pectore, pulmones undique erant accreti coſtis, tam in dextra, quam ſiniſtra parte, ſimulque ſanguine & maculis niger-

nigerrimis referti ac quaſi gangrænoſi; ſiniſter cordis ventriculus vacuus, dexter vero ad crepaturam uſque ſanguine repletus. In dextro pectoris latere, in parte infima pulmonis, & in diaphragmate, abſceſſus trium pugnorum magnitudine latitabat, qui per diaphragma tranſiens, in ipſum hepar penetrabat, quod pluribus adhuc aliis minoribus abſceſſibus ſcatebat.

Ex iis ergo, quæ poſt mortem interna docuerunt, ſatis patet, quænam cauſa morbi, ſcilicet herpes retropulſus & male curatus. Manifeſto etiam ex ſumme depravata viſcerum conditione patet, unde originem ſuam traxerint reſpiratio difficilis, oppreſſio pectoris, aſthma, dolor in hypochondrio dextro, convulſiones, ſubſultus nervorum, paralyſis, œdematoſus manuum tumor, ſuppreſſio circulationis, & ipſa demum mors.

(*Manhemio Halam miſſa, d.* 27. *Auguſt.* 1762.)

## *OBSERVATIO XVI.*

## Dn. D. IOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *Hiſtoria ſymptomatum a morſu Aſpidis productorum & medelae.*

Puella XII. annos nata, (aurigæ cuiusdam filia) optima fruens, ut plebs ſolet, valetudine, firmis & ſanis parentibus genita, ultimo Junii die 1761. tempore meridiano in vicino nemore commorata, ſenſit inopinato pedis dolorem diriſſimum. Circumſpiciens animadvertit animalculum ſerpens, quod data deſcriptione, Colubri ſpeciem, forſan Colubrum Aſpidem *), in rupi-

*) Coluber ſcutis abdominalibus 146, ſquamis caudæ 46. Linn. Syſt. Nat. Edit. X. p. 46.

rupibus noſtri agri non adeo rarum, ſemper conieci fuiſſe, dolenti pedis denudati loco circumvolutum. Perterrita clamavit, atque ſub ipſo clamore deficiens animo cecidit. Humi proſtratam filiam invenit vicina accurrens mater. Intumuit totus, intra quartam horæ partem, cum atrociſſimo loci commorſi dolore, pes, a digitis ad abdomen uſque, ſumma cum anxietate puellæ ad ſe redeuntis, ſudoreque frigido madentis. Evanuit rediitque lipothymia. Mox cum domum delata eſſet hæc puella, ego accerſitus, integra fere hora præterlapſa, inveni reſpirationem difficilem, per intervalla meliorem liberioremque, pulſum æqualem, vix immutatum. Phænomena enim priora, ante meum adventum, fide digni retulerunt, obſervata. Statim vulnerato loco iuſſi adplicari ſcarificationem, adpoſitis ſucceſſive XVIII. circiter cucurbitulis. Sano ſimillimus arte exſuctus ſanguis fuit. Repertum eſt autem vix ſemipollicem infra malleolum internum, vulnusculum, duas lineas latum, in ambitu effuſo ſanguine inquinatum, ſcalpello quaſi leviſſime inflictum. Nunc hauſit vaſculum infuſi radicis Serpentariæ Virginianæ, nitri puri Scrupulo uno atque Mixturæ ſimplicis rectificatæ, ſine Camphora, guttis XX. imbutum, omni bihorio, ſimulque inungi oleo Olivarum totum pedem curavi. Ad extinguendam ſitim parce cereviſiam ſecundariam adſumſit.

Egregie ſic mitigavi ſymptomata gravia, cum periculo haud levi, ut viſum fuit, coniuncta, intra horæ ſpatium. Remanebant vero tumor, immobilitas, dolor, mirifice omni adtactu auctus. Suaſu adſtantium ſtolidorum parentes nimium creduli prima hac nocte vulneri, ut adtraheret venenum, exſiccatum impoſuerunt bufonem, quem ſtatim, ubi reſcivi, reiicere iuſſi. Labente nocte anxie dormiens ægra interdum deliravit. Pulſum ſequenti die fortiorem atque celeriorem, ut febrientium eſſe ſolet, deprehendi. Omitti frictiones cum oleo Olivarum, & tumorem ſacculis, floribus Meliloti refertis, obtegi, præcepi. Adparuit enim, præſertim in femoris ſuperiori

riori & interiori parte, cui tendo tricipitis muſculi adhæret, inflammatio adeo aucta, elevato tumore conſpicua, ut abſceſſum ægræ minaretur. Quievit interdiu, cibum tenuem ſumſit, remediorum vero prioris diei uſum retinuit. Rigidos autem immobilesque pedis digitos tertio die leviter movere cœpit, quantumvis tumente adhuc dolenteque vehementer pede. Die quarto Nitri uſum cum Mixtura ſimplici continuavit, ſed pulverem radicis Glycyrrhizæ, ut ſuavius remedium evaderet, me admiſcere, rogavit. Subſtitui ſimul pro Serpentaria Virginiana radicem Chinæ orientalis, ne nauſea ægræ moveretur. Sudavit interdum, propinquæ ſanitatis ſpes acceſſit, durante licet pulſus velocitate. Quinti diei nocte rurſus delirare leviter incepit, forſitan exinde, quod interdiu mediocrem generoſi vini hauſtum aſſumſerat. Nec tunc extendere, ſed ſaltem movere poterat pedem antea candidum, nunc maculis, ubique violaceis, luridis, amplis, præſertim externis, conſpurcatum. Sexto tamen die ab uſu medicamentorum interno abſtinuit, quum præter pulſum parum naturali velociorem, reliquæ actiones integræ rurſus eſſent. Nunc aliquoties ſeſe ipſa lavit Anhaltina aqua, claudicavit pede adhuc leviter tumente, ſed duodecimo die, quum hic tumor cum maculis evanuit, recta rurſus incedere potuit. Ceterum cum uſu horum remediorum, licet mox vigente adpetitu, diæta febrilis coniuncta fuit.

## *OBSERVATIO XVIII.*

## Dn. D. IOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *Deſcriptio emphyſematis ſtupendæ amplitudinis, a tuſſi phthiſica oborti.*

Quadragenarius vir, robuſto corpore, latoque & hirſuto pectore præditus, animi commotionibus, inprimis iracundiæ, vehementer indulgens, bona valetudine ſemper uſus, duri-

durioribus variis peractis laboribus, varias vitæ generis ſæpe graviores iniurias perpeſſus, lanio enim fuit, tandem reſpiratione difficili, ſub quocunque motu leviſſime aucto, laborare incepit, cui poſtea tuſſis ſicca, idiopathica, cum dorſi atque pectoris doloribus vagis coniuncta, acceſſit. Elapſo dein a primo inſultu integro anno, perierunt, cum adpetitu, ſomnus & vigor, turbatis actionibus naturalibus, ceſſante inprimis conſueto pedum ſudore, inſimulque vegetus corporis habitus cum fœdo triſtique fuit commutatus. Hieme anni 1762. ſibi gravem futurum morbum ſenſit. Suadentibus amicis tunc varios plantarum adperientium ſuccos recens expreſſos, & pulveres avide devoravit. Amavit autem præ reliquis ſecalis e nive pullulantis, atque hederæ terreſtris tenellæ ſuccum. Hæc omnia, coniunctis V. Sne. & purgante aloëtico, fruſtra ſunt uſurpata.

Ineunte vere eiusdem anni perquam vehemens tuſſis oborta fuit, cum frigore inſolito, quod rurſus exceperunt pulſus celer, fortis, æſtus continuus, reſpiratio priori anguſtior ſublimiorque, dolores laterum, inprimis dextri, punctorii, in intercoſtalibus pleuraque oborti, ſub qualibet tuſſi, ut anxie æger conquerebatur, atrociter aucti. Linguæ ſiccitas cum eiusdem albedine connexa, adpetitus nunc plane deficiens, ſudores in partibus ſuperioribus cum anxietate erumpentes, urina fuſca, mox cruda, mox cocta deiiciens, defectus virium auctus, artuum tremor, ſomnus rarus, inquietudine ſumma inſomniisque anxiis ſtipatus, dolor capitis cum ſtupore & gravitate ſæpe coniunctus, præcordiorum anxietas incredibilis, ſymptomata potiora fuerunt, in ægro tunc obſervanda, quæ pleuritidis ſiccæ, ſymptomaticæ, prodiderunt præſentiam. Huc uſque enim ſputa nondum reiecit, licet ſæpe vehementiſſima fuerit tuſſis. Mea conſilia roganti, Rhabarbari drachmam dimidiam, variis ductus rationibus, exhibui; Venæſectionem autem & revellens enema debili valde ægro vix convenire putavi. Addidi deinde omni trihorio Nitri depurati ſcrupulum

 unum

unum, cum Gummi ammoniaci electi granis quinque commixtum, ex infuſo herbæ Scordii & florum Papaveris erratici, ſecundum artis præcepta parato, hauriendum. Præterlapſis aliquot diebus ad mitigandam tuſſim & excitandam diaphoreſin lenem, Mixturæ ſimplicis ſine camphora rectificatæ, Croci orientalis extracto tinctæ, præbia mane ægro ſumere ſuaſi.

Continuato horum remediorum uſu, octavo circiter die tuſſis ſicca humidior evadere cœpit. Omiſi mox Gummi ammoniaci uſum, atque ſaltem nitrum, pulvere radicis glycyrrhizæ ſuavius redditum, exhibui. Decimo die evanuerunt punctorii laterum dolores, imminuta fuit laſſitudo & aliquid ſpei, trahendæ ulterius miſeræ vitæ, ægro meo adfulſit, licet nulla de integra valetudine recuperanda ſupereſſe potuerit. Tunc enim exſpuere cœpit, perſiſtente vehementiſſima tuſſi, puris, quod phthiſici parare ſolent, ſtriis ſanguineis interdum tincti, incredibilem vim, omni nychthemero vix libra una pondere leviorem. Cum his certiſſima ſimul lentæ depaſcentis febris indicia prodierunt. Senſit horrores quotidie, inſequente fugaci & tranſitorio æſtu. Pulſus erat celer, fortis, durus, interdum debilis, reſpiratio evadebat ſublimis iterumque anguſta, frequens, cum tuſſi vehementiſſima & convulſiva connexa; corpus vero omne manifeſto interno calore conſumente, ex ſiti linguaque ruberrima coniiciendo, cœpit viribus exhauriri. ☞ Appropinquante decimi ſexti totius morbi diei nocte, ſubito ſub dextri lateris clavicula obortus eſt atrociſſimus dolor, excitans tuſſienti ægro disruptæ in collo tracheæ ſenſum. Celerrime intumuerunt exinde dicti loci integumenta, inflata ſimul ſunt reliqua vicina loca, hincque momento citius tumor ingens faciei, colli, pectoris, dorſique venit in conſpectum. Poſt decimam ab initio mirandi eventus horam ipſe vidi partes indicatas, ultra fidem elevatas, quæ antea tam emaciatæ fuerunt, easque unica nocte magis adhuc intumuiſſe, adſtantes ſancte ſunt teſtati. Cutem vero inveni tres circiter digitos transver-

ſos a carne ſubiecta recedentem, colore, qui fœdus, lividus fuſcusque ipſi fuit, vix mutato. Adparuit pectus collo, inflatum collum capiti ubique fere æquale. Diſparuerunt omnes rugæ, diſparuerunt omnes inæqualitates, omnes cavitates, foveæ oris, naſi, oculorumque adperturæ. Levis illa ſub tactu tota ſuperficies cutis, madida tenui ſudore, ceſſit facillime preſſioni digitorum molli, ſed ſemper iterum elevabatur, remoto illo premente corpore, fluidi rariſſimi, valde elaſtici, ſtrepentis ſibilantisque in celluloſo contextu contenti, ingratum valde, turgidam cutem mulcenti, ſenſum renixu excitantis. Atque hanc materiem, in celluloſa tela agitandam, aërem rarefactum, ſatis tamen adhuc elaſticum exſtitiſſe, nullus dubitare cogor, licet ingreſſus vias me ignorare, a nemine nunc certo determinatas, *) lubenter profiteor. Vnicum addo, fines anteriores & inferiores in coſta quarta ſpuria utriusque lateris, ſuperiores ad capillitium, poſteriores in ſexta dorſi vertebra, ſuperiores in nucha fuerunt. Perterriti cum ægro adſtantes, quum ego deeſſem, noctu collo inflato mollem exſiccatam anguillæ cutem, omnem ſpem atque fiduciam in inſonti hoc adminiculo collocantes, circumligarunt, quam ipſi deinde retinere permiſi. Mox vero ante acceſſum meum officioſus quidam in omnes Chirurgus tumidæ faciei ex aceto, vino mixto, fotum adplicuit: hunc autem, quum varia conciliaſſe ægro incommoda perſpexiſſem, removeri iterum iuſſi. Impoſuerunt nunc, me ſuadente, adſtantes ſacculos maioranæ herba refertos, atque leniter perpetuo fricarunt tumida loca linteis mollibus, fumo Succini imbutis. Licet autem, quotiescunque æger tuſſivit, toties iterum tumorem magis ſpiritu extenderit, primo tamen die ſubſidio deſcripto ille imminutus, & ſenſim octa-



*) Celeberrimi *la LOUETTE* de hoc argumento tradita vix omne punctum abſolvere videntur. Conf. *Abhandlungen, welche an die Pariſer Academie der Wiſſenſchaften eingeſendet werden, II. Theil. n. 5. überſezt von BEER.* Leipzig 1754.

vo circiter eſt plane diſſipatus. Evanuit autem in faciei latere dextro, deinde ſiniſtro, mox in collo & dorſo, tandem & in pectoris latere dextro, in quo primum eſt obortum, niſi rariſſimum, certo ſtupendum hoc emphyſema.

Symptomata autem, quæ enarravi, iam aucta, virium perpetua imminutio, corporis perdurans conſumtio, mollia pedum flaccidaque œdemata, reſpiratio anguſtior, imminuta puris vis exſpuenda, quæ maxima, ut dixi, fuit, exitum morbi triſtem, plane ineluctabilem indicaverunt. Deliria fugacia quatuor ultimis diebus ſubinde ſunt oborta, pulſus nunc debilior & intermittens exſtitit. Interea alacris omnibus conſanguineis viſus æger ſubito ſuffocatus, quum cibum adhuc adpeteret, ſub exacerbationis aditu, exſpiravit. Vitæ cupidus, ſpe certiſſimæ ſanitatis olim recuperandæ fretus, inepta auxilia ab amicis ſæpe quæſivit, ut phthiſici ſolent, oblata autem, quamvis inſontia, vix guſtavit. Ego vero de induſtria pauca ipſi exhibui remedia, quum parum auxilii, in deſperato malo, ab arte exſpectandum eſſe putaverim. Toto decurrente morbo cibos ex vegetabili regno depromtos, putredini reſiſtentes, atque interdum, quum phthiſis vera adeſſet, ex Palmæ fariniferæ granis, Sagou quæ dicuntur, tenuia iuſcula cocta ſumſit, & cereviſiam ſecundariam, ſucco citri leniter acidulatam, ad ſitim exſtinguendam, adhibuit. A decimo ad trigeſimum quintum, qui ultimus vitæ fuit, diem, modo Nitri puri, modo Tincturæ flor. Papaveris rhœados doſes parcas ſub noctem ſumſit. Vt cibum aliquo modo adpeteret, Electuarii ex Extracto abſynthii, trifolii fibrini, conſerva hederæ terreſtris & melle deſpumato confecti, portiunculas interdum, ante illum capiendum, deglutivit. Mane, & ante comparens emphyſema, & poſt illud deletum, vaſculum Succi recens expreſſi foliorum tuſſilaginis & hederæ terreſtris aſſumſit, ſæpius etiam eidem Looch tuſſilaginis, vel oxymel Squilliticum ſubſtituit. Ad leniendam tuſſim aliquoties uno alterove grano maſſæ Pilularum de cynogloſſa,

cum

cum coralliis rubris præparatis commixta, atque ad avertendam a viſceribus imi ventris impuritatum vim, pulveris Rhei orientalis præbio me interdum eſſe uſum, addo. Balſamicorum uſum ſemel tentavi, ut ulcus forſan conſolidarem internum; tentatum vero, quum ſpes medelæ mihi labaſceret, mox omiſi.

## OBSERVATIO XVIII.

## Dn. D. JOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *Aſcites cum abſceſſu purulento peritonæi coniunctus.*

### *I. Morbus, ſymptomata, medela.*

Fœmina quinquaginta annorum, ſæpius diu antea ſpaſmis hyſtericis & convulſionibus totius corporis fuit tentata, admodumque graviter exinde, cum inſigni omnium functionum turbatione, debilitata. Sopitis his mali hyſterici ſpaſmis, prodierunt in ſcenam phænomena alia, prioribus graviora, magisque inſidioſa. Coniungebatur cum proſtrato adpetitu apepſia, exſpuebat perpetuo ſalivam ſpumoſam, albam, copioſam, peſſimi ſaporis, intolerabilis fere odoris, utrumque vero ſibi eſſe familiare in ore faucibus & naribus, ægra eſt continuo conqueſta. Tardius excretæ feces, immutata fere omnia; defluxit vero, his ſymptomatibus præſentibus, ex uteri vagina ſanies peſſime fœtens, magna vi, omnia arrodens, ſanguine ſincero ſæpe admiſto, aliquoties copia inſigni. Succeſſive ſenſit ægra dolorem in hypogaſtrio pulſantem, prementem, lancinantem, oborto ſimul tumore mox infra umbilicum duro, nullo ſingulari colore prædito, perſiſtente interea ichoris uterini profluvio. Mutatus eſt corporis habitus & decolor redditus, atque conſumtis carne pinguedineque, ſenſim gracilior evaſit: neque tamen aucta eſt ſudoris excretio, neque manus pedesve leviſſime intumuerunt. Tres circiter hebdomades ante tragœdiæ finem acceſſit

ceſſit prioribus cruciatibus, imminuta tamen ex vagina fluentis materiæ copia, atque fere ceſſante, diarrhœa frequens colliquativa, cadaver olens, voluntati vix obtemperans, nec prohibenda. Actiones corporis vitales nunc, quum ægra decumberet, ſatis bonæ, pro modo valetudinis, fuerunt, paucis adhuc diebus ante mortem libere ſpiritum duxit, nec anhelavit, circuli ſanguinis eadem integritas, eadem conditio fuit. Nullum dolorem ſenſit, niſi in loco antea indicato, atrociſſimum quidem primo, imminutum vero poſtea pro ratione auctæ illius tumoris amplitudinis. Agrypnia per tres menſes laboravit, per adeo longum enim tempus dirus ille morbus, tamque grave illud malum, variis ſtipatum mutationibus, ægram miſere excruciavit; ſenſuum vero exercitium interim utriusque gradus optimum exſtitit. Placide tandem, licet ſero, exſpiravit, viribus corporis exhauſta.

## *II. Cadaveris Sectio.*

Ex ventris mole & fluctuatione in illo, hydropem aſciten cognovi, reliquorum vero mirabilium plane eventuum cauſſam ægre ratiocinio, melius cultro, melius diſſectione cadaveris detegendam eſſe, putavi. Aggreſſus itaque poſt XXXII. horas a morte opus, ſequentia in demortua inveni. Abdomen hæmiſphæricum, ſplendens tumore, inferius parum candidum, ſuperius maculis luridis violaceisque, putredini propriis, poſt breve tempus iam conſpurcatum fuit. Per cannulam, inflicto vulnuſculo in lateris ſiniſtri inferiori parte immiſſam, primum aliquot puris guttulæ prodierunt, deinde latex vividiusculus aqua paullo denſior, magna in copia perpetuo rivulo, VI. libras civiles circiter pondere æquans, emanavit. Subſiſtente fluxu, conſuetis in locis, conſuetaque ratione corrugatum nunc abdomen adperui, diſſectis integumentis univerſalibus, muſculis & peritonæo in cavitate ſub epigaſtrio ſita inveni omentum naturali magnitudine, gangræna correptum, putridum, nigrum, omni pinguedine deſtitutum. Inteſtina omnia magnitudine

dine naturalia, maculis tamen gangrænoſis hinc inde obſita, ileum eodem ſupra umbilicum loco cum ieiuno hærens, ventriculum ſacci inſtar, hepar molle, omni limbo nigrum, ut gangrænoſum itidem ibi videretur. Veſicula fellea ſuo hærebat in loco, flava bile turgida; ſplen ſine macula & ſine labe fuit, ſed pancreas durius, ac alias eſſe ſolet, glandulis licet reliquis meſenterii integris incolumibusque.

Hæc fuit conditio viſcerum ſupra umbilicum in peritonæi cavitate poſitorum; neque enim peritonæum ibi aliquid ſingularis monſtrive præ ſe tulit. Ad umbilicum diviſa fuit inveſtiens hæc membrana in duas laminas, quarum poſterior totum ventrem imum diviſit in duas cavitates inſignes, alteram deſcriptam, viſcera pleraque continentem, alteram, quæ reſtat, ut deſcribatur. Poſterior illa lamina deſcendit ad tertiam lumborum vertebram usque, nunc ulterius utrimque ad pelvim ſic extenſa, ut ſuperiorem & poſteriorem inferioris inſignis cavitatis ſtrueret parietem. Deſcendit antrorſum anterior lamina, atque viſcera in pelvi collocata operiens, recurrit iterum ad ſe uniendum cum lamina poſteriori. Sic anterior hæc lamella conſtituit ſacci parietem anteriorem & inferiorem; utraque autem hæc lamina ſingulari craſſitie, dura & fere calloſa exſtitit. Pure albo, viridiuſculo, ſpiſſo fœtente, præter aquam autem, quæ effluxit, copiæ inſignis, circiter tres libras æquantis, fuit repleta hæc burſa. Poſteriorem & inferiorem parietem magna vis muci oblinivit, ac ſi puris eſſet ſedimentum. Pone capſam conſpiciendi fuerunt renes, naturalis pene caloris, ſed emaciati; veſica urinaria autem integra erat. Uterus tandem, cum ſua vagina, tantam qui olim fudit ſaniei rodentis vim, ſine macula, ſine ullo vitio exſtitit. Inveni & vidi in thorace aperto mediaſtinum molle, digitis ut ferme conteri poſſet, pericardium ſuo liquore deſtitutum; licet alias protracto agone, quod ſingulare videtur, iuſto minorem quantitatem contineat, ac tan-

dem utrumque pulmonum lobum, ſimul cum vaſis maioribus, cordi adnexis, ſanguine vacuum, diaphragma vero integrum, ut decet.

Pauca hæc mihi ſecanti obſervare permiſerunt, præſens putredo, temporis anguſtia, aliaque, quæ evitare non fuit datum, impedimenta. Sunt tamen omnia hæc fideliter obſervata & enarrata illius ponderis, illius argumenti, ut cauſſam, ortum, progreſſum, finem morbi exponant, confirment, medelamque mox tradendam vix reddant mancam. Sic rerum gnari facile perſpicient potiorum, licet ſingularia utique non eluceſcant, nexum. Sopitis aſa fœtida ſpaſmis, novo ingruente morbo, ſolvendæ alvo rhei orient. veri, emendandis humoribus arcani duplicati, gummi ammoniaci puri, decocti radicis leviſtici, infuſi herbæ trifolii fibrini, ut ars docet, per aliquod tempus, uſum putavi idoneum. Repudiavit interim ægra, quum ſervandæ vitæ, recuperandæ ſanitatis, nullam ſpem, mortis vero ſummam certitudinem ſibi ipſa ſupereſſe crederet, omnia, ſalutis gratia, adhibenda. Diætæ indulſit febrili, pauca & aquoſa bibit. Sed cur abfuit morbo, cum tanta humorum corruptela coniuncto, febris ad articulum fere mortis usque? Cur bona reſpiratio, repleto adeo abdomine? Cur ſenſuum exercitium liberum, integrum, quod & in aliis ex hac gente morbis pluries contingit, læſa manifeſto nervei fluidi ſecretione? Hæc & alia æque forſan obſcura, alias Phyſiologiæ doctrinas tollere, alias confirmare videntur. Quomodo formavit natura cavum lamellarum peritonæi inconſueta ſeparatione? Sed multa ſub morbis natura producit, quæ ſub ſanitate vix contingere poſſe videntur: cavum enim eiusmodi intra peritonæum tantæ amplitudinis adfuiſſe, certe ſcio. Paracenteſis vix potuit ægræ adferre opem, ne quidem levamen, machina tota contra illud adverſante.

# OBSERVATIO XIX.

## Dn. D. IOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *Effectus quidam Opii in corpore ſano obſervati.*

Profecto pauci accurate adtenderunt ſani, quid ipſis ſumto orientalis papaveris ſucco, Opium dicto, eveniat, licet tot gentes illo, dum valent, abutantur. Diverſi in ægroto corpore obſervati effectus, exempla clarorum fama Medicorum, hoc aliquando temere utentium, deſiderium in ſe ſentiendi, quid fiat, quidque fieri poſſit hoc devorato, aliquem tandem, quem probe ſcio, impulerunt, ut granum unum crudi Opii ante mox capiendum ſomnum deglutiret. Parca vegeto corpori copia inſignes vix illa nocte præbuit effectus. Obdormivit quidem primum anxie multisque inſomniis vexatus, ſæpe triſtiſſimis, ut ſomnolentus in perpetuo delirio verſari videretur; quies vero ſequens incommoda inde oborta ſuſtulit. Reſpiratio crebra, anguſta anxiaque tunc fuit, pulſu frequenti debiliori naturali. Sudavit poſt viij. circiter horas corpore toto, die altero bene rurſus valuit, accedente tamen leni diarrhœa fœtidiſſima. Tumens facies, præſertim ſub inferioribus palpebris, livido luridoque colore tincta, lingua alba, crurum debilitas & torpor eodem hoc die præſentes, res inconſuetæ fuerunt.

Uſui nec ſedantium, nec ſtupefacientium unquam adſuetus, hoc periculo audacior factus, alio, celeberrimi Angli exemplo excitatus, alia rurſus tentavit paulo graviora, (conf. Young's *Eſſays on Opium, founded on practical Obſervations*) quamvis aliis, ut mox idem eodem pondere ſumant, vix ſuadet. Bene igitur valens, tempore autumnali, quarta a prandio hora devoravit huius ſingularis corporis, ſcilicet Opii crudi optimi, tria grana. Incommodum nullum, niſi mœrorem, viriumque

animæ debilitatem hora prima percepit. Hora ſecunda, ſcilicet pomeridiana quinta, caducus lectum petiit. Iacuit calore moderato cubilis, veſtibus indutus, varia anxietate præcordiorum cruciatus, perpetuo proclivis ad ſomnum, quem tamen, pulſu nunc tardiore, capere nequivit. Senſim obortus in hypochondrio utroque, præſertim vero dextro, dolor partem coli, ut viſum eſt, occupavit. Tetendit ille, atrocior factus, omnia abdominis integumenta adeo, ut ne digitus infra coſtarum ſpuriarum marginem, verſus diaphragma, potuerit impelli. Tandem intra horam ſeptimam & octavam veſperi incredibili illum vehementia adflixit, perturbatis ſimul plane reſpirationis rhythmis, a ſuffocatione maioribusque malis timentem, lectum angore plenum ſurgendo fugientem. Spiritum ſumma moleſtia trahens, aperto ore, titubante pede, aliquoties conclave perambulavit. Famis ingentis, bulimi fere ad inſtar, ſenſum, cibo tamen abhorrens, tulit; citrini coloris, cum ſedimento multo, magnam vim urinæ minxit. Mente tamen ſatis integra arteriarum pulſum tardiorem & debiliorem percepit. Fuderunt pallida corporis extrema, frigore rigentia, copioſum ſudorem. Circa nonam horam citreum malum manducavit, ac ſuperbibit aliquot infuſi Thée vaſcula. Nunc cœpit & ſpaſmus muſculorum pectoris abdominaliumque leniri, dolor mitigari, & manuum frigus cum leni calore commutari, ructavit aliquoties & quod memorabile fuit, cum diriſſimo illo angore raucedo ſeſe copulavit, rimæ glottidis arcte conſtrictæ ſenſum excitans, faucibus vero exſiccatis, larynx vix muci aliquid ſcreatu proferre potuit. Hora hac præterlapſa, plurimi fuerunt diſſipati cruciatus. Oris amarorem nauſea, hanc vomitus infuſi Thée, cum citreo malo & muco gaſtrico mixti, exceperunt. Sitiens aliquot vaſcula infuſi illius calidi iterum ſorbillavit ad ſomnum pronus decubans, calefactis pedibus horis duabus primis, ſcilicet undecima & duodecima, anxie quidem, inſomniisque obrutus, poſtea autem placide & quiete obdormiſcere cœpit.

Quinta

Quinta matutina hora maduit totum corpus leni ſudore. Reliquit deinde, ſomno minus refectus, cubile. Præfuit negotiis inſequentis diei vigentibus actionibus omnibus, exceptis animalibus. Alvum ante meridiem exoneravit, deiectis excrementis ſpumoſis, liquidis, mucoſis, cum pruritu, ardore ſummoque teneſmo, ultimo adhuc per complures horas durante, plus incommodi, quam magna pars ſymptomatum prioris diei, creante. Tunc redierunt ad priſtinam integritatem omnia, hoc die, lingua ſicca, albaque, habitus totius corporis pallidus, lividusque fuerunt.

## *OBSERVATIO XX.*

## Dn. D. IOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *Turritis foliis radicalibus ovatis, caulinis cordato-oblongis, integerrimis nitidis.*

RADIX ramoſa, teres, dura, ſubfuſca, perennis, radiculis capillaribus ſparſis.

*Gemma* caulis foliorumque, foliolis triangularibus glabris, apice reflexis, ciliatis, imbricatis.

CAULIS ſimplex, integer, teres, ſubflexuoſus, glaberrimus, glaucus, pedem 1. & ultra longus.

FOLIA *radicalia* ovata, obtuſa, integerrima, ſuperne venoſa, nitida, carnoſa, petiolata, patentia, congeſta.

*Petioli* lineares, carinati, ciliati, baſi latiores, amplexicaules, folio longiores; *caulina ima* oblonga, integerrima, nervo in dorſo longitudinaliter eminente, baſi ciliata, amplexicaulia, glabra, erecta, glauca, *ſumma* cordato-oblonga, acuminata, ſuperne ſubvenoſa, margine revoluta, ſparſa, pallide viridia.

PEDUNCULUS teres, ſubflexuoſus, leviſſime punctatus, corymbo

bo terminatus, nudus, glaber; *corymbus* brevis, rarus, floſculis terminalibus ſeſſilibus marceſcentibus, *pedicelli* pauci uniflori, teretes apice incraſſati, glabri, ſenſim decreſcentes, ſummis æqualibus erectis.

CALYX *perianthium* tetraphyllum, obtuſe tetragonum, foliolis ovato-oblongis, concavis, acuminatis, apice æqualibus, oppoſitis, baſi leviſſime gibbis, erectis, caducis, viridiuſculis.

COROLLA tetrapetala, regularis, *petalis* oblongis, anguſtis, erectis, albis, *limbo* ſubemarginato, leviſſime reflexo, *unguibus* linearibus, gracilibus, calycem æquantibus.

STAMINA *filamenta* 6. ſubulata, erecta, quatuor longitudine perianthii, duo oppoſita paullo breviora, candida. *Antheræ* ſagittatæ apice, reflexæ, erectæ, polline flavo.

PISTILLUM *germen* teretiuſculum, angulis duobus oppoſitis, obtuſiſſimis, apice incraſſatum, longitudine ſtaminum. *Stylus* nullus. *Stigma* obtuſum, leviſſime emarginatum, marceſcens, fuſcum.

PERICARPIUM *ſiliqua* teretiuſcula, ſubcompreſſa, ſtricta, bilocularis, bivalvis, angulis duobus obtuſiſſimis, oppoſitis, pedicellis imis aliquoties longior, erecta, diſſepimento *valvis* longiore, apice globoſo.

SEMINA numeroſa, oblonga, acuminata, filamentis breviſſimis ſuturis ſiliquæ adfixa.

OBSER-

## OBSERVATIO XXI.

## Dn. D. IOANN. FRIDER. CAROLI GRIMM.

### *BRASSICA alpina, perennis. RUPP. Flor. Ien. p. 75. HALLERI Catal. horti & agri Goetting. p. 253.*

1. Leviorem loco priori datæ deſcriptionis differentiam, ſicco plantæ exemplari, nec naturæ propriam eſſe, reor. Caulina folia numquam perfoliata, calycem utique baſi leviter gibbam, & ſtamina antheris inſtructa, vix perianthio longiora, inveni, pluries eiusdem in natali loco examinatæ ſtirpis.

2. Habitat in ſolo lapidoſo, pauca vegetabili humo tecto, frutetis copioſis, raris arboribus obſito, ſub umbroſo, humidiuſculo, cacuminum montium altiorum, apricorum. Paſſim obvia fuit in iugo montis *Kielforſt*, verſus ſeptentrionem, ad ripam fluvii Werræ, e regione pagi *Neuenhoff*.

3. Medio Maio floret, brevioris vitæ planta & ſubito rurſus disparens.

4. Molliſſima eſt, tactuque glabra tota, ſapore acri, naſturcino, odore fere nullo, digitis etiam trita, habitu grato, viridi, nitido. Radicalia folia interdum tota evadunt violacea.

(*Iſenaco Halam miſſa*, d. 22. *Octobr.* 1762.)

OBSER-

# OBSERVATIO XXII.

## Dn. D. ZACCHARIÆ VOGELII.

### De

### *Operatione Cataractæ nova, per extractionem Lentis cryſtallinae opacae inſtituta.*

Eſt iam ultra decennium, quo operatio cataractæ, quam pro inſtituto exponam, longe correctior & emendatior nobis eſt explicata, ita ut quam certiſſime conſtaret, cataractam capere initium ab obſtructione Lentis cryſtallinæ, dein autem perſeverare, vel in plena Lentis cryſtallinæ induratione vel in diſſolutione ſubſtantiæ dictæ Lentis, quæ *Cataracta lactea* audit, huiusque morbi curationem nullo alio modo, quam idonea operatione manuali abſolvi poſſe. Non dicam vero curationem huius morbi olim fuiſſe perverſo modo inſtitutam, quum ſecundum regulam in omnibus curationibus communem, ſcilicet ſecundum cognitionem & experientiam, fuerit incepta & peracta. Nam Cataracta hæc habebatur membrana ſeu cuticula, quæ in camera poſteriori progigneretur & efficeret, ut obiecta non poſſent repræſentari in oculo. Quocirca Chirurgi uſi ſunt acula vel lata, vel rotunda, aut alio quodam inſtrumento artificiali, quod per idoneam manuductionem in camera poſteriori immittebatur, ut membranula, quæ viſum impediret & cœcitatem efficeret, detergeretur. Nonnumquam vero, licet fortuito, ipſa Lens cryſtallina adtingebatur, quæ ex ſitu ſuo ordinario in paulo inferiori collocatione ſuppreſſa reiiciebatur, & in latere cameræ poſterioris depoſita adſervabatur. Interdum quidem hac operatione perficiebatur, ut antea cœci viſum recuperarent, interdum tamen ac ſæpius malum ex operatione proficiſcebatur priore peius, prouti Hiſtoria regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis multis teſtatur exemplis.

Quum

Quum autem hodie vera & genuina Cataractæ ſeu ſuffuſionis natura nobis ſit revelata, neceſſe quoque fuit, ut nova quædam & meliora inſtrumenta, ad hanc operationem commodiſſima, invenirentur. Quod primum fecit præſtantiſſimus Chirurgus DAVIEL, qui & novam operationis methodum, & nova ſimul inſtrumenta excogitavit. Legimus hanc methodum in Commentariis Academiæ Pariſinæ Chirurgorum, qui ſub titulo prodierunt: *Memoires de l' Academie Royale de Chirurgie Edit. Pariſ. 4. Tom. II.* pag. 337. ſqq. explicatam, eodemque loco videmus inſtrumenta figuris expreſſa. In explicatione operationis autem fruſtra quærimus ſubtiliſſima ejus artificia, quæ vel maxime neceſſaria ſunt ſcitu, ſi extractio Cataractæ recte & feliciter fieri debet. Clariſſimus quidem *de la* FAYE, in paulo ante dictis Commentariis, p. 563. ſqq. hanc methodum Davielianam quibusdam inſtrumentis adauxit, eamque nonnullis inſtrumentis ornavit & paulo adcuratius deſcripſit; ſed tamen ſubtiliſſimas actiones vel maxime neceſſarias ad hanc Operationem reticuit.

Quare hanc tam excellentem & ſingularem Operationem, toti generi humano utiliſſimam, deſcribere periculum faciam ita, ut ea, quæ ab aliis omiſſa ſunt, ſupplere, & quæ minus adcurate poſita ſunt, emendare ſtudeam. Itaque ægrotum, noſtro morbo oculari laborantem, proponam, & oſtendam methodum, ſecundum quam operatio rite & feliciter a me fuerit peracta. Antequam vero operationem ipſam & ſubiecti operandi ſitum exponam, neceſſe mihi videtur, de inſtrumentorum apparatu, quo uſus ſum, eorumque recta adplicatione & præſtantia nonnulla præfari.

Ut autem huius rei tractatio a recta ratione ſuſcipiatur, placet ante definire, quinam ſit morbus hic, qui Cataracta dicitur, cuiusque curatio operatione abſolvenda eſt. Eſt autem morbus oculi, qui in obſtructione et opacitate lentis cryſtallinæ conſiſtit. Ad operationem vero feliciter inſtituendam maxime

refert cognoſcere, quantopere Lens cryſtallina ſit indurata, quum ea alio tempore magis indurata eſſe poſſit, adeoque ad operationem & curationem felicem recte adcommodata &, ut alii dicunt, matura, alio tempore minus, quoniam ea interdum adeo emollita eſt, ut in ipſo operationis actu fluida deprehendatur.

His bene cognitis, Chirurgus habeat curam optimorum inſtrumentorum. Quorum primum mihi fuit in hac ſequenti operatione Scalpellum, quo cornea tranſparens interſcinditur. Huius enſis debet eſſe ſubtenuis, & uno latere paululum convexus, altero concavus, eiusque longitudo viginti linearum, & latitudo trium linearum ſpatium haud excedat, cuſpis autem & acies Lanceolæ in totum ſimilis ſit neceſſe eſt. Ex his ergo patet, nos deſiderare ſcalpellum ſubtiliſſime fabricatum & optime acuminatum, quo introductio huius inſtrumenti in cámeram anteriorem eiusque reductio fiat cum indolentia & teneritate maxima, quum verendum ſit, ne plicæ proceſſuum ciliarium & arcus pupillæ lædantur. Figuram huius ſcalpelli exhibet Fig. 2. Tab. III. in qua quiſque videbit egregiam Domini *de la* Faye emendationem illius inſtrumenti, quod B. Scharpius invenit.

Alterum, quo vſus ſum, inſtrumentum, quod â CL. *de la* Faye *Kiſtitôme* adpellatur, & Fig. 3. Tab. III. adponitur, nihil aliud eſt, quam Lanceola occulta, theca ſive capſa argentea cincta, & in fronte roſtro aurato prædita. Hac Lanceola capſula lentis cryſtallinæ diſcindi debet; ſed hoc inſtrumentum longe alia virtute gaudet, quam ut eodem araneum hoc rete tenerrimum, quo Lens cryſtallina tanquam a capſula quadam includitur, tantum tranſcindatur. Simulac enim hoc inſtrumentum adplicatur, adtingitur etiam Lens cryſtallina, & ex ſitu ſuo ordinario naturali vertitur, ut eo tutius ac commodius per arcum pupillæ tranſeat. Nam quo minus hoc Cataractæ tranſitu annulus ſeu corona Iridis læditur, eo feliciores effectus ſequuntur operationem. Contra

tra autem, ſi forti aliquo & imprudenti oculi preſſu annulus læditur, aut dilaceratur, ut eo citius excidat Cataracta, eo peiores effectus producit.

Tertium inſtrumentum, quod Fig. 4. Tab. III. ſiſtit, aureum cochlearium gracile eſt, eiuſque craſſitudo vnius lineæ. Paulo adcuratius autem ſi conſideratur inſtrumentum, idem nominare licet ſpecillum (*eine Sonde*), quod ea ſubtilitate gaudet, vt pro lubitu flecti poſſit & in fronte, loco globuli, cochleari forma ornatum ſit. De adplicatione huius conductoris eiusque præſtantia infra erit dicendi occaſio.

Quartum locum inſtrumentorum adparatus occupat Volſella, Fig. 5. Tab. III. depicta, cuius ope portio capſulæ opacæ lentis cryſtallinæ, quæ annulo pupillæ adhæret, adprehendi poteſt, eaque aut ſubtiliſſime abrumpi, aut ad angulum curvato forfice, cuius imaginem exhibet Fig. 6. amputari, ut oculus & facies commundetur. Neutiquam vero inutile erit, ſed potius ſuaſor ſum, ut etiam inſtrumenta Viri clariſſ. DAVIEL, quæ in ſupra nominatis *Commentariis Regiæ Academiæ Chirurgorum* loco citato extant, in promtu ſint, quia forfices probe inventi operationi multum inſervire poſſunt. *) Præter hos forfices reliqua inſtrumenta non minus laudanda cenſeo, quoniam ad utrumque oculum ſunt parata. Noſtrum vero ſcalpellum Fig. 2. ſiniſtro tantum oculo adcommodatum eſt, & ſiniſtra manu in operatione dextri oculi Operatori agendum eſt. Quare, quum non omnes Chirurgi, licet verſatiſſimi, ſint ambidextri, nec B. SCHARFII conſi-



*) Exemplum probat meum conſilium. Equidem vidi, operantem feciſſe diviſionem corneæ tranſparentis una linea inferiorem, quam methodus permittit. Hoc progreſſum operationis arcebat. Lens cryſtallina enim in annulo Iridis ingreſſa remanebat, quia cornea illi nec cedere, neque ad tranſitum viam dare poterat. Quapropter adprehendebat operator forficem Davielianum, & amplificabat inciſionem, quo facto Lens cryſtallina excidebat ex apertura.

conſilium ab omnibus probetur, ſuadeo, ut illa quoque ad manus ſint, quoniam, vti iam dixi, in operatione tam dextri, quam ſiniſtri oculi, adplicari, & dextra pariter ac ſiniſtra manu, qua ſcilicet Operator prævaleat, teneri poſſunt. SCHARPIUS vero conſilium dat Chirurgo, qui Cataractam oculi dextri per diviſionem corneæ tranſparentis extrahere cogitat, ut poſt tergum ægroti ſe vertat, eiusque caput ventri ſuo adponat, tunc palpebram ſuperiorem manu extollat ſiniſtra, & miniſtro inferiorem aperire iubeat. Chirurgus vero cultellum, quod alias ſiniſtro oculo adcommodatum eſt, dextra manu teneat, & corneam transparentem diſcindat cameramque anteriorem aperiat. His abſolutis in fronte ægroti ſe ponat, & miniſter eius poſt tergum, ut caput & palpebram ſuperiorem ſecundum operantis voluntatem teneat. Dein autem Chirurgus in ipſa operatione pergit.

Quodſi igitur quis Davielianis inſtrumentis uti velit, ſciat, hæc ſecundum oculi conditionem ſeu ſtatum præſentem flectenda eſſe, ſi optatus ſucceſſus ſperari debet. Itaque inprimis habenda eſt oculi ægrotantis ratio; ſcilicet utrum profundus in orbita iaceat, & an bulbus oculi planus, an magis aut minus concameratus ſit ac promineat; dein, utrum a latere, an directe, mediove, magis aut minus curvatus ſit, ut hæc inſtrumenta, flexibilitatis dote prædita, ad felicem operationem quam optime formari poſſint. Ex quo ſatis aperte videmus, flexibilitatem horum inſtrumentorum vel maxime neceſſarium & optimum eſſe requiſitum, quum ea pro re nata ad oculum formari & à prudenti Chirurgo flecti poſſint. Id unicum in ſupra dictis Commentariis l. c. valde obſcure, vel plane nullo verbo adtigerunt Auctores; alia autem, quæ ad operationem ſpectant, ſatis eleganter & adcurate explicata invenimus.

Sed ne longior ſim, quam neceſſe eſt, dimittam hæc, & ad ipſam operationem, in ſiniſtro oculo a me inſtitutam, nunc accedam.

Vir

Vir quidam, ſexaginta & quinque annorum, qui per tres annos ſiniſtro oculo obcœcatus erat, nitidos adhuc & bene concameratos oculos habebat. Cauſſam ſuæ calamitatis adtribuebat plagæ cuidam, quam ante aliquot annos in pupilla directe ſuſtulit, cui vehemens oculi tumor acceſſit & tandem inflammatio ipſa. Poſt factam inflammationis diſcuſſionem viſendi facultas imminuebatur, & ſenſim ſenſimque cœcitas ipſa ſubſequebatur. Nunc autem quum ſentiret, ſe dextro oculo minus uti poſſe, quam antea & vereretur, ne omnem viſum amitteret, conſilium & auxilium a me flagitavit. Itaque afflictum oculum contemplatus ſum & examinavi ſumma diligentia, prouti ars noſtra præcipit, & animadverti, Cataractam adeſſe coloris candidi, paululum in flavum vergentis, adeoque maturam. Iris vero motum habebat ordinarium naturalem, & vix fortiorem, quam in oculo ſano, ita quidem, ut pupilla nimis parva & rotunda coarctari & pro lubitu longe amplius, quam ordinarie, aperiri poſſit: quo facto circulum in oculo obſervavit ægrotus. Ex hoc phænomeno judicium tuli de bono ſucceſſu ſperando, quem mihi pollicebatur color deſcriptus, ſi operatio rite perficeretur. Quum igitur ægrotus conſilium meum probaſſet, & operationem ſuſtinere cum animi tranquillitate promiſiſſet, ante omnia convenientem corporis præſcripſi præparationem, vt felicius expediretur Operatio. Ita enim per aliquot dies ante operationem non modo vitæ a negotiis alienæ victuſque tenuis & digeſtibilis rationem ægrotanti præcepi, ſed etiam in his diebus ſuperfluos humores idoneis remediis per alvum, & poſt duos dies ſanguinem abundantem venæſectione eduxi. His præmiſſis operationem ipſam adgreſſus ſum, cui deſtinavi diem claram atque ſerenam, & conclave, in quo operatio inſtituebatur, a me eligebatur tale, in quo nimius ſolis ſplendor aberat. Antequam vero operationem ſuſcipiebam, adparatum inſtrumentorum ſupra deſcriptum, & cum hoc etiam emplaſtrum Diapalmæ & ſplenium quoddam molle, ex linteo

complicato, ita amplum, vt eodem oculus contegi queat, dein collyrium & mixturam temperantem adferre curabam.

His omnibus præſtructis ægroti ſitum commodiſſimum conſtituere meditabar. Itaque eundem in lumine collocabam ſedili paulo humiliori, & contegebam oculum dextrum cum ſplenio molli ante memorato. Ego autem verſus ægrotum altius ſedebam, & ſcamillum adferre jubebam, cui pedem meum dextrum imponere & cubitum genu ſuffulcire volebam, ne armata manus trepidaret, ſed ut ſtabilis & firma in operatione quieſceret. Dein quidam miniſter a tergo conſtituebatur, qui ægrotantis caput ad pectus ſuum deprimeret & immobile contineret manibus, ita quidem, ut manum dextram adplicaret genæ dextræ, & digitos infra mentum, ſiniſtram vero manum ſincipiti ſeu fronti verſus oculum morboſum teneret, & indice digito atque medio palpebram ſuperiorem diduceret gnaviter, ea tamen cum attentione, ne bulbus oculi ullo modo premeretur: inferiorem autem palpebram ego ſiniſtra manu expandebam. Quidquid autem alii de ſpeculo oculi dicant, illoque in hunc finem omnino vtendum eſſe commendent, his omnibus adſenſum non tribuo, ſed potius inſtrumenti hujus uſum diſſuadeo, quum metuendum ſit, ne, adhibito ſpeculo, intra operationis aut primæ inciſionis tempus oculus comprimatur, quod perquam facile evenire poteſt, ita ut humor vitreus lentem cryſtallinam in pupillam protrudat, adeoque Iris convexa reddatur & lædatur, ſi forte prorſus non dilaceretur. Quantane ſpes recuperandi viſum poſt operationem remanet ægroto? Certo nulla. Princeps igitur cura mihi fuit, admonendi adflictum hominem, vt in ipſo operationis actu tranquillitatem conſervaret, atque pupillam quam maxime firmam teneret. Triſtis enim experientia docet, ægrotos nonnunquam oculos emittere & circumferre tantopere, ut Chirurgus in ſuo opere retardetur, vel plane ab eo deſiſtere debeat, ne incommodum

tam

tam flebile, damnumque non reſarciendum ſuo labore producat.

His omnibus bene diſpoſitis, dextra manu ſcalpellum ocularium ſupra nominatum adprehendebam pollice, digito indice & medio ita, ut in ſcriptione calamum ſcriptorium; tum vero, ſicut jam dixi, cubitum genu imponebam, deinde corneam tranſparentem cultello dividebam: ſcilicet immittebam cuſpidem hujus ferramenti in tunicam corneæ tranſparentis, loco una dimidia linea diſtante â ſclerotica, & una linea altiori, quam interſectio tunicæ corneæ tranſparentis eſt, prout Fig. 8. Tab. III. monſtrat, adeoque in camera anteriori eram, tumque produxi cultellum cum dexteritate ſupra Iridem, ne arcus pupillæ, nec ſubtiliſſima filamenta & ſurculi in circulo Iridis rumperentur, neque una ciliarium arteriolarum læderetur. Poſtquam igitur abſque ulla læſione ſuper totam Iridem & pupillam convexe cum latere cultelli prætergreſſus eram, educebam cuſpidem cultelli in directa illa linea, qua intus illum immiſi, ſcilicet loco una linea dimidia diſtante â ſclerotica, ejuſque acumen dirigebam anterius, quo corneam tranſparentem paulo infra, quatenus eam cultello tenebam, ſcilicet linea dimidia â ſclerotica, ſolertiſſime incidere poſſem. Humor aqueus autem, quantulum de illo in camera anteriori deprehendebam, paululum extendebat corneam ante cultellum, quo adcurate ſatis & recte fieri poſſet inciſio. Hoc facto, cultellum de manu ponebam, & inſtrumentum alterum, quod *de la* FAYE *Kiſtitôme* vocat, adprehendebam, & corneam diviſam ope roſtelli aurati extollebam ejuſque cuſpidem per pupillam ad opacam lentem cryſtallinam producebam, quo annulus Iridis in priori parte inſtrumenti Kiſtitôme repræſentaretur; tum vero lanceolam occultam educebam celeriter, & capſulam lentis cryſtallinæ dividebam. Hac apertura facta ponebatur lens cryſtallina, ante pupillam jacens, in longe commodiori ſitu & planiori, ut illa tuto,

tuto, & abſque magna læſione annuli & plicarum proceſſuum ciliarium Iridis, per pupillam educeretur. Denique tertium inſtrumentum ſcilicet aureum cochleare, adprehendebam, quod tunicæ ſcleroticæ adplicabam tranſverſe, ſcilicet una linea inferius, quam vulneratio ſeu inciſio eſt, & bulbum oculi premebam gradatim, ita ut hac continua & duplicata preſſione Cataracta, ſeu lens cryſtallina indurata, per pupillam tranſiret, & ex apertura, in tunica corneæ tranſparentis facta, excideret. Perſpiciebam autem, Iridem ex ſitu naturali fuiſſe verſam, annulumque Iridis nullo circulo amplius circumſeptum eſſe, ſed deformis mihi videbatur. Poſtquam igitur opaca Lens cryſtallina ſuſcepta erat, immittebam iterum hoc cochleare in oculum infra corneæ tranſparentis regionem, illiuſque per pupillam adplicatione liberabam internam lentis cryſtallinæ capſulam ab immunditiis quibuſdam pituitoſis, & paullo poſt in ſitu commodiſſimo collocabam Iridem, ita vt nulla perturbatio oculi aut confuſio ſitus deprehendi poſſet. Denique autem ope ejuſdem cochlearii, (ſpatula enim aurea tunc temporis carebam, quæ alias adhiberi debet & Fig. 7. depicta eſt,) diviſam corneam tranſparentem inferiori vulneris margini apte imponebam, prouti labia vulnerum alligare fas eſt, ſi ſubtenuem cicatricem efficere ſtudemus. His abſolutis palpebram ſuperiorem dimittere miniſtro jubebam, & ego palpebras concludebam, eaſque firmas, tamen molliter, comprimebam.

Elapſo quodam intervallo aperiebam palpebras omni cum prudentia, & ægroto oſtendebam nonnullas res, quæ in promtu erant, quas ipſe nominare & ab aliis diſtinguere valebat *). Poſt hæc autem palpebras decenter comprimebam, & ſuper illas

*) Haud ignoro, Heisterum, alioſque, ejuſmodi oſtenſionem ſubitam reprehendere; ſed ex ſingulari ratione id feci, ſcilicet ut hominis adflicti animus adquieſceret, ſi felicem operationis eventum clara luce videret.

illas emplaſtrum Diapalmæ, linteo illinitum, imponebam, quo bulbus oculi & vulneratio corneæ tranquilla maneret, eiusque ſanatio tutior ac celerior evaderet. Super hoc emplaſtrum cum faſcia imponebatur ſplenium, in collyrio tepido tinctum. Hæc deligatio ſemper continuabatur; ſcilicet tertia hora poſt operationem primum quam leniſſime, absque ullo tamen emplaſtri attactu, reſolvebatur vinctura, & novum ſplenium, collyrio probe imbutum, denuo ſuperimponebatur, eodemque modo diebus ſequentibus innovabatur deligatio.

Peracta hac deligatione prima, veſicam inter ſcapulas excitare, illamque per octiduum apertam ſervare iubebam. Subſequenti autem die, poſt operationem ſecunda, emplaſtrum removebam ab oculo, palpebrasque omni adtentione extollebam, & ſpongia, calido vino humectata, bulbum oculi & palpebras bene extergebam & emundabam. Inflammationem oculi quidem deprehendebam admodum levem, tamen emplaſtro Diapalmæ recenti palpebras obtegebam, & collyrio reſolvente continuabam. Poſt ſex dierum ſpatium iterum denudabam oculum adflictum, & bulbum eiusdem penitius conſiderabam, videbamque vulnus corneæ transparentis ſanatum, cicatricem vero adhuc bene notari poſſe. Porro pupillam ſeu annulum Iridis deformem obſervabam & immobilem, atque octagono ſimilem. Aegrotus autem lumen diurnum videbat, & dignoſcebat res ante oculum poſitas. Quum præterea inflammatio ſcleroticæ notabilis nulla, ſed valde exigua eſſet, deligationem prædicta ratione ad nonum usque diem tantum continuare præcipiebam, & ſequenti poſt operationem die decima per aliquot diei horas lumine uti ægroto conceſſi, ſed ita, ut oculus viridi umbella protegeretur: nocturnis autem horis ſplenio, reſolvente collyrio imbuto, obtegebatur. Neutiquam vero intermiſi medicamenta lenitiva, temperantia, digeſtiva & diaphoretica porrigere ægroto, ſed optimo cum effectu durante curatione adhibui illa.

Elapſo uno menſe recedebat deformitas oculi & octanguli forma in annulo Iridis. Conſtrictio potius & dilatatio in pupilla naſci videbatur, & cicatrix admodum tenuis erat & vix animadverti poterat. Ab hoc tempore ægrotus oculo ante adflicto bene utitur, & dexter oculus etiam convaleſcere incepit.

Hæc ſunt pauca illa, quæ habui de Operatione nova extrahendi Cataractam ſeu humorem cryſtallinum ex oculo.

Antequam vero Lectorem dimittam, placet mantiſſæ loco quæſtionem aliquam ſolvere, quæ rem propoſitam niſi ornet, certe tamen ab eadem prorſus non remota videtur. Illud forſitan quærendum foret: Num hæc deſcripta operandi methodus, quæ per inciſionem corneæ transparentis & extractionem Cataractæ ex oculo fit, ſemper ſit anteponenda illi, quæ per introductionem acus in cameram poſteriorem fit, qua Operator Cataractam ſeu lentem cryſtallinam ex ſitu naturali ponit & ad latus cameræ poſterioris infra ſcleroticam deprimit *)? Abſolute quidem hæc vel altera non habenda eſt optima, tamen habita ratione ſignorum, quæ ante operationem bene inquirenda ſunt, una præſtantior eſſe poteſt altera. Nam ſi conſiderato oculo conſtat, lentem cryſtallinam eſſe ſatis duram & tenacem, nullumque humorem in capſula cryſtallina adeſſe, ita ut capſulæ pars anterior ad Lentem cryſtallinam firme adhæſa videatur, depoſitionem Cataractæ ſuſcipiendam eſſe exiſtimo, quia annuli ſeu corneæ Iridis ratio longe melior hac methodo haberi, & ad futuram motionem capax ſervari poteſt. Signum vero, ex quo mihi certa ſpes ſemper orta eſt Cataractam deponi poſſe, a colore lentis cryſtallinæ ſubflavo magis, quam candido, ſumſi, & ex circulo quodam circa lentem cryſtallinam ſplendente. Si vero color admodum albus, aut tantum ita albus eſt, ut parum perlu-

*) Conferantur, ſi placet, ea, quæ de hac depoſitione dixi in *Obſervationibus* meis *Medico-chirurg.* Obſervat. XLVI. p. 327. ſqq.

perluceat candidus, & colore aliquo fuſco intermixtus adparet, recte concluditur, lentem cryſtallinam non ſatis duram, ſed mollem, & in capſula circa eandem humorem denſum eſſe, ideoque nunquam tentanda eſt depoſitio, ſed Davieliana methodus locum habere videtur. In tali enim caſu Operator humorem tenebricoſum, & mollem lentem cryſtallinam, facta inciſione in camera anteriori, ex oculo quam mundiſſime puriſſimeque excipere, & de claritate oculi, quæ ad viſum requiritur, omni ratione longe certior fieri poteſt, quam ſi operatio per depoſitionem, acu immiſſa, facta eſt. Inſanabilis enim obſcuritas remaneret, & adflictus homo nunquam recuperaret viſum.

Hæc hactenus; alio tempore, ſi plures mihi obvenient caſus, plura de hac re dicendi ſimul erit occaſio.

(*Lubeca Halam miſſa d.* 12. *Decembr.* 1762.)

## *OBSERVATIO XXIII.*

## Dn. D. JOANN. VLRICI BILGVER.

### *Vulnus abdomini per fuſum inflictum, relicta in illo eiusdem parte, ſub ſanatione tandem ex ano prodeunte.*

Accidit anno 1754. in Sileſia, prope vicum *Langendorf*, haud procul a *Ziegenhals* ſitum, ut adoleſcentula, cum pecora paſceret, & more iſtius populi lanam ductura, fuſum præcinctura reconditum gereret, pecora feſtinanter perſequens procideret, & humi proſtrata fuſum illum mala ſua fortuna in abdomen intorqueret. Fuſus abdomen ad duos latos digitos infra umbilicum perforaverat, & diffractus, partem aliquam duos latos digitos æquantem in cavitate abdominis reliquerat.

Vulnerata de vehementioribus punctoriis doloribus in abdomine conquerebatur. Vulnus ſtatim ſatis ampliavimus, diligentiamque, quam debebamus, adhibuimus, ut fuſi partem, ſi poſſemus, reperiremus atque extraheremus; ſed operam perdidimus. Poſtridie aliquantulum inflammatum vidimus abdomen, quod igitur linteaminibus, decoctis calidis reſolventibus imbutis, ſedulo fotum, vulnus vero ſuppurantibus tractatum fuit. In ipſo autem vulnere nihil comparebat, quod fecibus alvinis aut aſſumtis ſimile eſſet, & de inteſtino vulnerato ſuſpicionem moveret. Cum autem, tum propter alvi obſtructionem, tum alio conſilio, enemata frequentius in alvum immitterentur, factum eſt die poſt acceptum vulnus quinto, ut vulnerata de vehementioribus punctoriis doloribus, in inteſtino recto ſe ſe exferentibus, conquereretur, ac paulo poſt relictam illam fuſi partem, una cum enematis antea iniecti liquore egereret. Per totum illud tempus nulla gravia vel ſuſpecta ſymptomata, præter leviores quasdam commotiones febriles, animadvertere licuit. Eiecta illa fuſi parte, vulnus ſanationem facile admiſit, & die a vulneratione decimo ſexto cicatricem contraxit, vulnerataque plane convaluit. Cum ergo nihil in vulnere hoc obſervare licuerit, quod inteſtinorum vulnerationem argueret, inducimur ad credendum, fuſi partem ſibi fortaſſe viam in inteſtinum rectum, non in ipſo vulnerationis actu, ſed poſtea demum ſenſim paulatimque paraviſſe.

# OBSERVATIO XXIV.

## Dn. D. JOANN. VLRICI BILGVER.

### *Vulnus regioni pubis glande plumbea inflictum, abſceſſum ſcroti poſt ſe trahens, ſubſequente glandis per anum reiectione.*

Miles gregarius ex Legione *Hauſiana*, nomine *Lembke*, annos duodeviginti natus, in prælio illo prope *Kunnersdorf* commiſſo, glande plumbea, e ſclopeto miſſa, ita vulneratus erat, ut glans regionem pubis perforaret, & in ipſam abdominis cavitatem penetraret. Decimo a vulneratione die ſauciatum in noſocomio militari, quod tunc temporis *Stetini* erat, prima vice conſpexi. Hoc temporis intervallo caro ſpongioſa & putris vulnus, quod a nemine ampliatum fuerat, adimpleverat & ſic obſtipaverat, ut id nullo modo perſcrutari potuerim. De reliquo vero nullis gravibus ſymptomatibus hactenus vulneratus afflictus fuerat, ipſumque vulnus, quod linamentis ſiccis tectum erat, ſic ſatis facilem ſanationem admittere videbatur. Elapſis quatuordecim diebus integumenta communia, vulneri vicina, levi inflammatione tentabantur, quæ in ſuppurationem tranſiens, infra vulneris locum abſceſſum generabat, qui, inciſo tumore, facile tolli poterat, & a quo ad plenariam usque perſanationem nullum ſymptoma producebatur. Febris vulneraria, fluxu alvi copioſiori, ſine tamen torminibus, comitata, per quatuor ſeptimanas durabat. Verſus finem quartæ hebdomatis ſcrotum valde inflammatum deprehendebatur, ſatisque tumidum. Admotis ſedulo cataplaſmatibus, in parte inferiori ſepti ſcroti inflammata tumidaque cutis ſigna nati puris prodebat. Cute amplo vulnere inciſa, effluebat pus tanta in copia, ut libram integram excederet. Sub huius emiſſione ſpem ſimul concepimus, fore ut glans plumbea ſimul ex plaga facta prodiret. Sed ſpes nos

 deſti-

deſtituit. Nec via, qua pus ad hunc usque locum perveniſſet, detegi ullo modo poterat. Pure illo emiſſo, parum eiusdem ex cavo iſtius abſceſſus poſtea exibat, isque dein, ſpatio octo ſeptimanarum carne impletus, cicatricem ducebat. Eodem tempore & canalis ille, quem ſibi glans plumbea, abdomen penetrans, paraverat, adimpletus & cicatrice obductus eſt. Febris quoque & alvi fluxus ſtatim, poſtquam pus ex ſcroto effluxerat, conquieverunt. Cum ergo verſus finem ſeptimæ hebdomadis nihil reliquum eſſet, niſi ut & vulnus glande factum, & inciſio a nobis facta, cicatrice confirmarentur, & cum vulneratus nil plane moleſti usquam perſentiſceret, accidit, ut is, alvum aliquando egerens, glandem plumbeam una cum fecibus deiiceret. Hoc facto, nullam inteſtini cuiuscunque inflammationem ſuppurationemve paſſus, elapſa ſeptimana octava, noſocomium militare reliquit, ſanus & optime valens, præterquam quod in loco vulneri vicino hernia inteſtinalis paulatim gigneretur; quæ tamen idoneo faſciandi genere retineri & coërceri facile poterat. Hoc ergo vulnus ex genere eorum eſt, quæ nos in aliqualem admirationem rapiunt, ſive inteſtinum adeo feliciter læſum ſupponamus, ſive credamus, inteſtino illæſo glandem plumbeam ipſam pedetentim illud perforaſſe, & ita ano exiiſſe.

## *OBSERVATIO XXV.*

## Dn. D. JOANN. VLRICI BILGVER.

### *Vulnus abdominis, cum vulnere hepatis & vaſorum biliariorum coniunctum, feliciter curatum.*

Miles quidam gregarius, ex legione *Sylurgica*, anno 1756. in pugna prope *Lowoſitz* pugnata, glande plumbea, e ſclopeto proiecta, tactus, periculoſiſſimum vulnus acceperat. Glans enim, regionem hypochondriacam dextram penetrans, per muſculos

culos abdominales obliquos, ipſum hepar, veſiculam felleam, aut certe eius ductus perforando ad dextram apophyſin transverſam primae lumborum vertebrae usque pervenerat, quo loco ſub cute digitis facile contrectanda, facile quoque, inciſa cute, protrahebatur. Vulneratus febriebat primo vehementius, poſtea vero febre lenta laborabat. Alimentorum digeſtio, hancque excipiens ſecretio chyli, minus recte fieri poterat, quoniam bilis, una cum pure ex vulnere affatim effluens, vim ſuam in chylum exercere haud valebat. Et bilis quidem ex apertura vulneris anteriori effluxus eo usque continuabat, donec hiatus ille, adhibito ellychnio, apertus ſervaretur. Praeterea & alvi fluxus moleſtus erat; qui tamen, medicamentis roborantibus aſſumtis, & fomentis calidis foris adhibitis, conquieſcebat. Tandem & remoto ex plaga anteriori ellychnio, ille effluxus bilioſi humoris ceſſabat, & utraque vulneris apertura, tertio poſt vulnus acceptum menſe medio, carnem gignebat, cicatricemque ducebat. Interea tamen lenta febricula ſupererat. Sed & haec remittebat, cum aegrotus, relicto noſocomio, alimenta gelatinoſa aſſumeret, & libero puroque aëre frueretur. Sanatio huius vulneris luculenter probat, de nullius fere vulnerati vita plane deſperandum eſſe, dum ſaltem bonae ſint vires naturae. Ceterum maxime mirum nobis videtur, alvi fluxum contingere potuiſſe tum, cum bilis tanta fieret & continua profuſio. Contrarium aliquando factum eſſe legimus in *Transactionibus Philoſophicis Regiae Societatis Scientiarum Anglicanae.* In illo enim vulnerato iacturam bilis ſequuta eſt alvi obſtructio, ingens flatuum proventus, citaque mors.

(*Torgavia Halam miſſae d.* 28. *Decembr.* 1762.)

*OBSER*

# OBSERVATIO XXVI.

## Dn. D. LVDOVICI CLAVDII CADET.

### *Experimenta, quibus evincitur, Boraci ineſſe principium cupreum, arſenicale, & terram vitreſcibilem.*

Origo Boracis *Paulo* HERMANNO in ſua ſic dicta Materia medica tribuitur neſcio quibus lapidibus nitroſis, e terræ viſceribus extractis, calcinatis, & elixivatis, quorum lixivium cryſtalliſatum Boracem exhibeat. Verum ex opinione communi tam veterum quam recentiorum Phyſicorum, oritur hoc ſal ex variis mineris, potiſſimum cupri, & Boracem exinde extractum meliorem eſſe exiſtimant eo, qui ex aliis mineris eruitur. Hæc ultima de origine Boracis opinio eo eſt probabilior, quo certius cognovi, cuprum ad partes conſtituentes Boracis eſſe referendum. Suſpicati quidem hoc ſunt multi, qui de Borace ſcripſerunt, Chymici, verum demonſtrationem eius exhibere adhuc potuit nullus.

HOMBERGII, GEOFFROI, LEMERY, POTTII, BARONIS & BOURDELINI labores circa Boracem eiusque producta ſuſcepti, ita huius ſalis naturam illuſtrarunt, ut nihil ſupereſſe videatur, quod ea de re dici amplius poſſit. Quum autem nemo adhuc præſentiam cupri, ſub principio arſenicali latitantis, in Borace demonſtraverit; non inutilem fore exiſtimavi operam meam, ſi Boracis analyſin denuo ſuſciperem, & experimenta illa publici iuris facerem, quibus hoc arſenicale & cupreum principium ipſis veluti oculis ſubiici poteſt.

Quum ſalium decompoſitio per aquam, ex mente KUNKELII, optima mihi viſa fuerit ad evolvenda principia Boracis, hanc viam ita ingreſſus ſum, ut inde terram obtinuerim, de cuius productis in hac Commentatione agendum nobis erit.

Statim

Statim autem monendum eſt, terram hanc, quæ peregrina Boraci videri poſſit, non accidentalem eſſe, ſed ad eſſentiam eius pertinere, quia cuiuscunque demum generis Boracem purificatum adhibuerim, eandem tamen ſemper terram eduxi.

Ad decomponendum Boracem per aquam, ſecundum KUNKELII methodum, eum Boracem adhibui, quem apud nos ſub nomine *Boracis purificati Chinenſis* vendere ſolent mercatores. Hunc magna quantitate aquæ ſolvo, calidam ſolutionem percolo, remanente in ipſo filtro materia pingui mucilaginoſa. Huic adfundo aquam fervidam, ſicque emundatam & lotam illam a filtro ſeparo & ſibi relinquo ad deſiccationem. Perdit ſic viſcoſam qualitatem ſuam, & mutatur in terram albam levem atque friabilem. Hæc terra inſipida eſſe videtur, linguæ inſtar cretæ adhæret, & maſticata per aliquod tempus nullum ſalinum characterem ſenſibilem offert. Hæc materia quam in initio meram terram eſſe exiſtimavi, omnibus tamen a me iam exponendis experimentis anſam præbuit.

Ex hac terra regulum cupreo-arſenicalem eduxi, quem die 6. Septemb. anni præteriti Academiæ regiæ Scientiarum Pariſienſi obtuli, cuius proceſſum alia Commentatione deſcribam. Ex eadem hac terra ſalinum præterea principium obtinui, quod ad eſſentiam Boracis pertinere mihi videtur, quum eius coniunctio cum baſi ſalis cuprei Boracem producat.

Ad obtinendam hancce materiam ſalinam, quatuor libras huius terræ ſumo, optime in pulverem redactas, quibus adfundo viginti menſuras aquæ ferventis. Oritur ſtatim terreus odor, qualis ſentitur ab argilla aut bolo in aqua ſolutis. Hocce mixtum per plures horas coquo, adfuſa nova aqua fervida, ad compenſandum id, quod evaporatione perditum fuit. Sub decoctione magnæ oriuntur bullulæ aëreæ, ſpumam agentes, ut, niſi ignis moderetur, hæc e vaſe erumpat. Mediocriter refrigera-

tum hunc liquorem per chartam emporeticam griſeam percolo, unde obtinetur limpidus liquor, coloris egregie flaveſcentis. Evaporationi expoſitus, eo fere gradu caloris, quo aqua coquitur, abſque tamen ebullitione, in ſuperficie pelliculam exhibet ſubtiliſſimam, iridis colores referentem. Hæc pellicula, cum cochleari ablata, maſſam exhibet albam levem, quæ ſiccata in lamellulas convertitur, ſalis ſedativi cryſtallos aliquo modo referentes. Sublimato liquore dum hæc pellicula oritur, ea ad fundum vaſis deſcendit, cuius ſi adſit ſufficiens quantitas, eam percolando ſeparo, alias enim ſub ulteriori evaporatione diſſolveretur.

Si ſub evaporatione nulli amplius oriuntur colores, tunc nova formatur pellicula, craſſior, abſque coloribus, ac poſtea, repoſito ad cryſtalliſationem liquore, obtinetur Borax.

Continuata liquoris evaporatione, colorem acquirit fuſcum, & per cryſtalliſationem, griſeum Boracem exhibet. Omni ſale tandem concreto, is dein in aquam quandam convertitur, de cuius qualitatibus alia Commentatione agam ſeorſim.

Hoc primo lixivio parato, plura adhuc alia parare ſoleo cum eo, quod reliquum eſt de quatuor libris terræ, uſque dum ad ſex uncias illa reducta fuerit, cuius ultimum lixivium eadem exhibet producta, quæ ex primo obtinui. Sed mittam iam hæcce lixivia, ut ad alium progredi queam laborem, quem ſuſcipere mihi propoſui.

In variis hiſce lixiviis, ex terra mea paratis, obſervavi, quod ultima maiorem præbuerint quantitatem pelliculæ coloratæ, minorem vero Boracis & prædictæ aquæ. In prioribus lixiviis huius terræ, impoſuit mihi colorata pellicula, ut crederem, liquorem cryſtalliſationi eſſe proximum. Verum diutius expectanti mihi, nullum apparuit ſignum ſalis cryſtalliſati, ſola pellicula præcipitabatur, emergente iterum ad ſuperficiem nova quadam

dam pellicula. Repetita evaporatio eandem exhibuit pelliculam, eandemque præcipitationem. Hoc labore iterato & liquore ad certum evaporationis gradum deducto, diſparuit maxima pars pelliculæ præcipitatæ, concreto in eius locum copioſo Borace. Intellexi inde, coloratam hancce pelliculam ad Boracis formationem eſſe neceſſariam. Ex hac terræ præcipitatæ decompoſitione, & phænomenis ſub eius diſſolutione apparentibus, concluſi, hanc terram ipſiſſimum eſſe Boracem, aquea parte, ad eius cryſtalliſationem neceſſaria, deſtitutum, cuius textura & cohæſio per varias inſtitutas ebullitiones erant mutatæ.

Non eſt quod miremur, hancce Boracis in terram inſipidam decompoſitionem, cum notum ſit, alcalia fixa mutari in aquam & terram, & ipſum ſal marinum ſola repetita ſolutione terram exhibere inſipidam. Immo, Kunkelio adſerente, fixiſſima etiam ſalia neutra idem exhibent.

Quum hæc pellicula ſalina colorata ſingulari examini digna mihi videretur, eius certam quantitatem ſumſi, & quidem potiſſimum eius, quæ ad fundum vaſis erat præcipitata, ad inſtituenda nova experimenta.

Primo, ardentibus carbonibus iniecta, ſingulari celeritate in auras ita diſſipabatur, ut nullum animadvertere potuerim odorem. Quum deinde examinarem, an inſignis hæc volatilitas deberetur immediato contactui phlogiſti, an vero per ſe eſſet volatilis? quatuor eius drachmas deſtillationi ſubieci, in retorta vitrea, adpoſito vaſe recipiente. Succeſive per gradus admoto igne, ſub initio deſtillationis inſignis elevabatur quantitas albicantium vaporum, in collo retortæ adſcendentium, eodemque tempore ſimul animadverti, tranſire aliquot guttulas limpidiſſimi liquoris, quæ, decidentes in vas recipiens, ſtatim deſiccabantur ſub forma pulveris albi.

Hoc phænomenon, quod calori vaſis recipientis tribuebam, impulit me, ut operationem denuo inchoarem. Retortam itaque

 ſumſi

ſumſi longioris colli, ut diſtantia inter fornacem & vas recipiens eſſet maior. Præterea aquæ deſtillatæ exiguam quantitatem vaſi recipienti infudi, ut guttas liquoris retinerem. Gradatim admoto igne, ut in antecedenti operatione, obſervavi ſub deſtillatione has guttas, remixtas aquæ in vaſe recipiente contentæ, leviter flaveſcentem colorem ei communicare. Ceſſante deſtillatione, aucto igne, ad excandeſcentiam uſque retortæ, per duas integras horas hoc ignis gradu continuato, in collo retortæ albiſſimum obtinui ſublimatum, quod refrigeratis vaſis ſeparavi.

Liquor in vaſe recipiente contentus, examini ſubiectus, nullam plane aciditatis exhibuit ſignum. Nullum alium ſaporem animadvertere mihi licuit, quam fatuum, illi ſimilem, quem ex variis combinationibus Arſenici obtinueram. Hic fatuus ſapor perſuaſit mihi, non modo huncce deſtillatum liquorem, ſed etiam ſublimatum, continere poſſe Arſenicum. Ad liberum itaque aërem evaporato liquore, relicta eſt alba materia, quam ſtudioſe collegi.

Ut certior fierem de arſenicalis principii præſentia, hancce materiam inter duas laminas cupreas poſui, colligatas filo orichalceo, margineſque illarum conglutinabam cum terra argillacea. Idem feci cum ſublimato, quod adhæſerat collo retortæ. Hæ laminæ cupreæ, igni per aliquod tempus expoſitæ, eodem modo albidum adeptæ ſunt colorem, ſicuti hoc fieri ſolet a vaporibus arſenicalibus.

Reſiduam in retorta materiam examinans, admodum ſpongioſam eam deprehendi. Fixitas, quam ſub ipſa operatione animadverteram, perſuaſit mihi, volatilitatem pelliculæ ſalinæ, ardentibus carbonibus iniectæ, unice adſcribendam eſſe principio arſenicali, quod ablatum erat per deſtillationem. Hæc remanentis terræ fixitas, eiuſque adhæſio ad latera retortæ, etiam ſuſpicionem mihi moverunt, eam eſſe naturæ vitreſcentis, unde factum eſt, ut eius vitrificationem tentarem.

Partem

Partem ergo quandam huius materiæ crucibulo terreo indidi, apto fornaci impoſito. Maximo igne adhibito & crucibulo ſumme candente, illud aperui, & fuſam animadverti materiam admodum claram. Refrigerato & fracto crucibulo, inveni egregium vitrum pellucidum, Topaſio leviter colorato ſimile. Aëri expoſitum hoc vitrum, pulchritudinem ſuam conſervat, humidum non attrahit, & plane non mutatur.

Hoc experimentum eo magis animadverſione dignum eſt, quum exinde terra illa vitreſcibilis, quam BECCHERUS & POTTIUS in Borace deliteſcere ſuſpicati ſunt, certiſſime demonſtrari poſſit. Hanc ergo & ego adſumo, eamque per hanc operationem ſatis ſuperque demonſtratam eſſe iudico. Aſt, non eadem mihi eſt ſententia cum celeberrimis hiſce Viris de natura acidi, quod huic terræ tribuunt, id quod fuſius deinde me demonſtraturum eſſe ſpero.

Quum certum me reddere vellem, per nova experimenta, de principio arſenicali, quod in pellicula ſalina animadverteram, eandem cum ſulphure tractare tentabam. Duas ergo huius pelliculæ ſalinæ drachmas, cum æquali pondere ſulphuris remixtas, immiſi minori retortæ albi vitri, luto munitæ, hancque in fornace nudo igni expoſui. Ab initio tranſiit liquor, acidi ſulphurei volatilis odorem ſpirans; ſublimatum deinde eſt ſulphur, cuius color non erat mutatus. Eodem ignis gradu continuato, griſei coloris ſulphur ſublimabatur, punctis rubicundis diſtinctum, ſub microſcopio viſibilibus. Metuens inde, ſulphur a me adhibitum non ſatis fuiſſe purum, illud denuo ſublimationi ſubieci, & puriſſimum deprehendi. Quum de hac operatione mecum meditarer, credebam nimium ſulphuris a me eſſe adhibitum, indeque partem aliquam conſtituentem huius pelliculæ a nimio ſulphure fuiſſe involutam. Varias itaque proportiones adhibui. Duas drachmas huius pelliculæ, cum duodecim granis ſulphuris remixtas & retortæ inditas, igni, ut antea, expoſui. Tranſiit aliqua

portio liquoris, qui odorem ſpirabat acido-ſulphureum, & aëri libero expoſitus, acrem adverſum odorem obtinuit, qui in alliaceum mutabatur. In collo retortæ poſtea ſublimando colligebantur duo pulveres, albus & griſeus, quorum uterque cuprum reddebat album. Tandem collum retortæ obducebatur ſulphure rubro. Diffracto dein collo retortæ, ab igne remotæ, fortiſſimum ex hac ultima ſublimatione animadverti odorem alliaceum. Examen cum hac ultima ſublimatione inſtitutum, certiſſimum me reddidit, ſublimatum album, a prima pellicula ſalina obtentum, verum eſſe Arſenicum, & odorem alliaceum principio deberi arſenicali, cum phlogiſto ſulphuris combinato. Rubicundum ſublimatum, quod ſub hac operatione prodiit, mihique Realgar eſſe videtur, ſuſpicari me iuſſit, quod color rubicundus a cupro dependeat, quoniam ad præparationes Realgaris, a variis Auctoribus deſcriptas, quidam, præter ſulphur & Arſenicum, pyrites cupreos, alii vero mineram Cobalti, cui cuprum admixtum eſt, alias ipſis, *minera arſenicalis coloris rubicundi cuprei*, dictam, adhibent.

Quum vero hic color rubicundus Realgaris, quem cupro tribuo, a nemine Chemicorum adhuc ſit demonſtratus; hinc non ſufficiet mihi unicum hoc experimentum, ad demonſtrandam præſentiam cupri in Borace, ſed, miſſa paullulum prædicta mea ſublimatione cum ſulphure, ſequentes iam dabo de cupri exiſtentia demonſtrationes. Laminas ferreas, bene politas, immerſi lixivio ultimo terræ Boracis, ad punctum cryſtalliſationis evaporato, in quo pelliculam coloratam per aliquod tempus conſervaveram. Animadverti eis adhærentes minores cryſtallos, obductas aliqua materia cuprea, adeo leviter iis adhærente, ut vel minima frictione inde potuerit ſeparari. Quum autem hoc cuprum fixius reddere conarer, nulla alia ratione id obtinere potui, quam candefaciendo eaſdem unacum adhærente cupro & cryſtallis, & poſtea repente aquæ frigidæ immergendo. Oritur ex hoc frigore con-

contractio ſubita pororum ferri, ab igne dilatatorum, per quam cuprum, ita loquendo, quaſi incruſtatur & adeo fixum in ferro retinetur, ut admodum difficulter inde ſeparari poſſit. Quum lixivia mea antea per alcali volatile probaſſem, & vaſa ferrea, fuſione parata, ad evaporationes adhibuiſſem, nullum mihi ſuperfuit dubium, incruſtationem hanc laminarum ferri verum fuiſſe cuprum, indeque certiſſime convictus fui, quod hoc metallum actu exiſtat in Borace.

Quum alcali volatile, quod alias ad detegendam præſentiam cupri adhibere ſolent, nullum ſignum dederit præſentiæ illius cupri, quod ex diſſolutione meæ terræ extraxi: cognovi exinde, quod cuprum cum certis materiis ſalinis ita arcte poſſit combinari, ut liberari & manifeſtari per alcali volatile nequeat. Varia idcirco inſtitui experimenta, ex quibus ea ſaltem, quæ ſucceſſum habuerunt felicem, hic referam.

Coniunxi cuprum cum ſale neutro arſenicali celeberr. Macquer, & cum variis aliis materiis ſalinis arſenicalibus. Omnes hæ combinationes detegi non potuerunt ab alcali volatili.

Diſſolvi viride æris in acido ſalis marini, & obtinui, mediante cryſtalliſatione, ſal metallicum, quod cum ſolutione cryſtallorum *Sodæ* coniunxi. Color viridis inde emergens, a cupreis particulis ortus, harum exiſtentiam & præſentiam ſatis ſuperque demonſtrat, cum e contrario alcali volatile nullam eius particulam eliceret. Varia hæc experimenta, quorum enarratio nimis longa foret, ſingulari Commentatione exhibebuntur.

Redeo ad examen materiæ reſtitantis ex ſublimatione cum ſulphure, quæ colore gaudebat leviter griſeo, margaritarum ad inſtar. Portionem quandam eius impoſui carboni ardenti, illaque omnem ſuam volatilitatem perdiderat. Aliam eius partem in acido vitriolico diſſolvi, quod remixtum cum ſpiritu vini flammam exhibuit coloris egregie virideſcentis. Cognovi ex hoc expe-

experimento, ſalinam meam pelliculam a ſulphure nondum omnibus illis particulis eſſe deſtitutam. Reſiduum, cum eadem proportione ſulphuris ſecunda vice ſublimatum, duplex exhibuit ſulphur, alterum nempe rubicundum, alterum vero coloris egregie flaveſcentis, quod ad naturam Auripigmenti accedere mihi viſum eſt. Sexies repetitæ hæ ſublimationes, ſub iisdem proportionibus, ſemper exhibuerunt rubicundum ſulphur. Reſiduum ſublimationum colorem monſtrabat griſeum, quam mutationem tribuo phlogiſto ſulphuris, a pellicula ſalina ſub variis his deſtillationibus retento. Certus de eo redditus ſum, quum hoc reſiduum, retortæ vitreæ loricatæ inditum, fortiſſimo igni exponerem, ita ut pars retortæ funderetur. Collum huius vaſis maculis nigris diſtinctum erat, materiam vero in fundo reſiduam, albiſſimam deprehendi.

Notandum eſt, in ſecunda hac ſublimatione & ſequentibus, nullos ortos eſſe vapores ſulphureos acidos volatiles, neque illum liquorem acidum, odoris alliacei, prodiiſſe, quem prima ſublimatio exhibuerat. Ut autem hunc liquorem curatius examinarem, certam eius collegi quantitatem, pro inſtituendis ſequentibus experimentis. Sumſi ſolutionem Mercurii cum acido nitri factam, & aqua calida dilutam; huic ſolutioni inſtillavi aliquot guttulas liquoris acidi odore alliaceo gaudentis, ortum inde eſt ſtatim *coagulum flaveſcens.* Verum hoc cum colore ſuo momentaneum ſaltem fuit, quum ſtatim converteretur in præcipitatum album. Metuens, hoc præcipitatum forſitan eſſe Turpetum minerale, propter flavum colorem antea acquiſitum, decantato liquore, affudi aquam calidam, aſt color eius albus inde non mutabatur.

Varia interim experimenta, a me inſtituta, certum me reddunt, album hoc præcipitatum non oriri ex acido vitriolico, ſed ex acido ſalis marini, id quod quam optime confirmat experimenta a BOURDELINO inſtituta, quibus mediantibus celeberrimus hic

Chy-

Chymicus acidum ſalis marini in ſale ſedativo latitans demonſtrare voluit; ſola autem eius modeſtia non permiſit, ut certum aliquid de præſentia huius acidi conſtitueret, id quod probat, quam accuratus ſit in indagationibus ſuis ingenioſus hic vir, dum nihil aſſerit, cui aliquo modo contradici, aut quod experimenta ſua dubia reddere poſſet.

Interim hi Bourdelini labores, & meum modo expoſitum experimentum, circa album illud præcipitatum, ex ſolutione Mercurii ortum, cogunt me, ut acidi ſalis marini in Borace præſentiam adſtruam. Baſis ergo alcalina, huic acido propria, quam omnes Chymici pro neceſſaria parte ad concretionem Boracis adſumunt, itemque cuprum, arſenicali principio nuptum, a me iam demonſtratum: hæc omnia mihi perſuadent, cuprum & ſal marinum neceſſario ad compoſitionem Boracis pertinere.

Hæc autem coniectura antea certa non reddetur, quam ſi verum Boracem ex compoſitione horum principiorum produxero. Tentabo hoc, ſi antea exhibuero ſeriem experimentorum, cum pellicula ſalina, aqua, & terra Boracis a me inſtitutorum, modumque illum, iuxta quem Regulum cupreo arſenicalem obtinui. Amplam mihi hæc omnia præbent materiam pro conſcribenda ſecunda & forte quoque tertia Commentatione.

## *OBSERVATIO XXVII.*

## Dn. LVDOVICI CLAVDII CADET.

### *Experimenta, quibus probabiliter evinci poteſt, in Borace revera adeſſe terram vitreſcibilem.*

Die XX. Decembris 1758. regiæ Academiæ Scientiarum Pariſienſi obtuli varia de Borace experimenta. Demonſtravi ex iisdem, talem in hoc ſale adeſſe terram vitreſcibilem, qualem

BECCHERUS & POTTIUS ſuſpicati ſunt. Quum vero illa ipſa experimenta ſufficientia non fuerint viſa, novum laborem ſuſcepi cum vitro e terra Boracis parato. Et nunc ſpero, poſthæc iam exhibenda experimenta, nullum de hoc vitro ſuperfuturum dubium. Quod e terra Boracis extrahitur vitrum, omnes externas qualitates vitri vulgaris poſſidet, pelluciditatem, duritiem, & fragilitatem. Ad lampadis flammam acuminatam tenerrime ductum, & aëri humido expoſitum, nullam patitur mutationem. Longe alia ratio eſt ſpurii vitri Boracis & ſalis ſedativi, quæ nihil aliud ſunt, quam ſalia fuſa.

Spurium ſal Boracis, e crucibulo effuſum, colore gaudet Succini, & quoad transparentiam ſimile eſt Topaſio crudo. Aëri expoſitum citiſſime concreſcit & opacum redditur; linguæ impoſitum ſenſim diffluit & Boracis ſaporem exhibet. In pulverem redactum in ipſa etiam frigida aqua ſolvitur, quæ ſolutio, poſt evaporationem aliqualem in loco frigido collocata, exiguo temporis intervallo cryſtallos exhibet Boracis. Hæc vitri ſpecies adeo facile funditur, ut difficulter admodum mediante lampadis flamma deſtrui poſſit.

Vitrum ſalis ſedativi, cryſtalli inſtar pellucidum e crucibulo effunditur, ita ut veram cryſtallum diceres; ſed hancce formam diu non retinet, dum ab aëris contactu ſtatim pelluciditatem ſuam perdit, & in ſuperficie eius alba oritur efflorescentia, tuncque pro aluminis fruſtulo aëri expoſito illud reputares. In pulverem redactum & linguæ impoſitum, cum vero ſapore ſalino diffluit; ſolutum in aqua vel frigida, vel calida, poſt evaporationem perpulchras exhibet cryſtallos ſalis ſedativi. Hæc omnia, & quod mediante lampadis flamma deſtrui non poſſit, impediunt, quominus pro vero vitro haberi queat.

Hæ igitur ſpecies vitrificationis nihil aliud ſunt, quam vera ſalia, quibus ignis abſtulit aqueam partem, ad cryſtalliſationem neceſ-

ſariam.

ſariam. Diſtinguuntur inde ſpuria hæc ſalia Boracis & ſalis ſedativi, a vero vitro terræ Boracis, id quod ſequentibus experimentis demonſtrabo.

Vitrum terræ Boracis, ut ſupra diximus, duritie, pelluciditate, ſplendore & fragilitate ordinarii vitri gaudet. Ab aqua tam frigida, quam fervida, non mutatur; in aqua quadam deſtillata per certum quoddam tempus coctum, nihil de pondere ſuo amittit, ſolusque tantum ſplendor pelluciditatis parum imminutus apparet. Hæ ſunt illæ differentiæ, quas obſervavi in fruſtis huius vitri. Iam exponenda ſunt ea, quæ a variis menſtruis patitur hoc ipſum vitrum in partes diviſum.

Quatuor drachmas huius vitri optime in pulverem redacti, cum notabili quantitate aquæ deſtillatæ coxi; poſt longam ebullitionem, tranquille poſitus liquor, & per chartam emporeticam griſeam percolatus, limpidus erat, abſque colore & ſapore manifeſto. Leni calore evaporatum, ut cryſtalli formari poſſent, in frigidum locum repoſui, & poſt 24. aut 30. horas accurate examinavi, atque ne minimum quidem deprehendi ſignum cryſtalliſationis. Poſt ſiccationem ad latera capſulæ alba apparuit materia plane inſipida, tam exiguæ quantitatis, ut ne colligi quidem a me potuerit. Ut autem huius terræ naturam curatius cognoſcerem, ferventem aquam affudi, a qua ſolvi non potuit. Remota aqua, ab acido Vitrioli affuſo tandem ſoluta eſt. Hæc ſolutio, mixta cum ſpiritu vini, flammæ admota, colorem exhibuit viridem, unde ſuſpicor, hanc materiam nihil aliud eſſe, quam ſubtiliſſimam partem vitri, ab aqua ſub fortiſſima ebullitione ſoluti.

Pulvis vitri, reſtitans in filtro, ſiccatus, parum de pondere ſuo amiſit. Microſcopio ſubiectus, ſplendentes exhibuit particulas, nudo oculo non obſervabiles.

Pulvis huius vitri cum variis aliis acidis mineralibus ſucceſſive tractatus, easdem ſubiit mutationes, hoc eſt, in ſpeciem ali-

 cuius

cuius materiæ gelatinoſæ converſus fuit. Neque hoc miratus ſum, quum nunquam hocce ſal pro compoſito habuerim ex arena & alcali. Hæc vero qualitas, mutatio nempe ab acidis mineralibus, nihil impedit, quominus pro vitro habeatur. Vitrum antimonii in ſubtiliſſimum pulverem redactum, in totum ab aqua regia ſolvitur. Omnia acida mineralia in illud agunt, immo ab acidis vegetabilibus manifeſte arroditur. Idem hoc vitrum cum aqua coctum, omnem ſuam perdit pelluciditatem. Ad lampadis flammam deſtrui nequit, funditur enim & inſtar ceræ diffluit, totumque volatile redditur. Hiſce autem non obſtantibus, ſatis notis imperfectionibus, pro vero tamen vitro habetur, & ab omnibus tribuitur Antimonio terra vitreſcibilis.

Anno 1724. defunctus Geoffroi regiæ Academiæ Scientiarum varia experimenta exhibuit, cum variis vitrorum generibus inſtituta. Illuſtriſſimus Comes *d'* Argenson ei commiſerat, ut varias lagenas novæ cuiuſdam fabricæ vitriariæ examinaret, in quibus vina corrumpebantur. Obſervavit tunc Geoffroi, haſce lagenas ab aqua & ſpiritu vini plane non mutari; longe alia autem fuit ratio vini, a cuius acido vitra ita mutabantur, ut latera lagenarum tegerentur minutis cryſtallis, viridibus, pellucidis, quæ ab acidis mineralibus mutabantur in maſſam gelatinoſam.

In alio loco ſuæ Commentationis idem Auctor adfirmat, ſe experimenta cœpiſſe cum omnibus vitris, in quæ acida mineralia agere non potuerunt. Sed abſque dubio hæc experimenta cum vitris in groſſiorem pulverem redactis fuere inſtituta; longe enim alia fuiſſet ratio, ſi ea redegiſſet in pulverem impalpabilem. Vidiſſet enim tunc, omnia vitra non ab acidis modo, ſed ab ipſa quoque aqua mutari, id quod per nonnulla tentamina a me inſtituta, & iam exponenda, demonſtrare poſſum.

Sumſi vaſa, ex factitia ſeu artificiali cryſtallo parata, in quorum pleriſque ſpiritus acidi aſſervati fuerant, abſque vitri alte-

 ratione.

ratione. Pellucida erant, immaculata & abſque colore. Sex libras huius cryſtalli, aqua calida ablutas & in pulverem redactas, aquæ remiſcui, & cum ea coxi, quæ poſt aliquod momentum quietis decantata & percolata fuit. Hoc aliquoties repetito, obtinui ſubtiliſſimum pulverem cryſtallinum. Huius pulveris ſiccati octo uncias decoxi per plures horas in eadem aqua, qua ad lavanda vaſa uſus fueram, affundendo ſemper aquam fervidam, ut id reſarciretur, quod per evaporationem deceſſerat. Poſt longam decoctionem percolatus liquor, colore gaudebat ſuccini, & ſapore ſubdulci. Poſt ſatis notabilem evaporationem, brunnum exhibuit colorem ad inſtar cereviſiæ, cum forti odore lixivioſo. Remixta cum acidis, fortiter efferbuit. Quædam guttulæ, inſtillatæ aquæ fontanæ, ex puteo regii Hoſpitii militum invalidorum hauſtæ, ſtatim Selenitem demonſtrabant. Evaporatus hic liquor, exhibuit quatuor drachmas ſalis alcalini fixi brunni. Materia reſtitans in filtro ponderabat ſeptem uncias & tres drachmas cum dimidia.

Manifeſte apparet exinde, aquam agere poſſe in vitrum. Obiicere equidem aliquis poſſet, vaſa iſta cryſtallina, ad hoc experimentum adhibita, minus recte fuiſſe comparata, & in illorum compoſitione nimiam alcali fixi quantitatem latitaſſe. Verum ſi hoc eſſet, tunc vaſa hæc non ſolum ab aëre mutari debuiſſent, ſed ab acidis quoque variis, in his lagenis contentis attenuata fuiſſent. Hoc vero cum non ſit factum, hinc patet, ſoli comminutioni in pulverem tenuiſſimum adſcribendum eſſe eventum huius operationis.

Sequens experimentum magis adhuc præſentiam ſalis alcalini fixi in pulveriſata cryſtallo demonſtrabit. Sumantur duæ unciæ cryſtalli, cum dimidia uncia ſalis ammoniaci depurati, humectetur hæc maſſa cum ſpiritu vini, dabitque illa per deſtillationem penetrantiſſimum ſpiritum volatilem, & alcali volatile concretum.

Poſt hancce cryſtalli cum aqua tractationem tentare volui, quid acida efficerent. Non inutile autem fore iudicavi, ut, quum comminutio in pulverem in mortario ferreo facta fuerit admixtæ forte particulæ ferreæ ope magnetis prius ſepararentur. Quo facto trituravi huncce pulverem cum aqua, ſuper porphyrite, donec neque inter digitos aſperitatem, neque inter dentes aliquem ſtridorem monſtraret, ſed inſtar argillæ compingi poſſet. Poſtquam ſic comminuta & ſiccata erat cryſtallus, eam ponderavi, ne forte a porphyrite ei aliquid acceſſerit, eiuſque pondus auxerit; ſed loco augmenti potius decrementum ponderis obſervavi. Huius pulveris ſumſi quatuor drachmas, quas retortæ vitreæ loricatæ indidi, illiſque unciam unam cum dimidia olei Vitrioli albiſſimi adfudi. Poſt deſtillationem ad ſiccitatem uſque continuatam, & vaſorum refrigerationem, retortæ infudi tres uncias aquæ deſtillatæ. Hæc cocta & percolata, liquorem exhibuit clarum, ſine colore, ſed admodum acidum. Super furno evaporata hæc aqua, reliquit minuta filamenta, inſtar filorum ſerici; pulvis in filtro reſtitans, elotus & ſiccatus, XXXVI. grana ponderis ſui perdidit. Aliam portionem huius pulveris cryſtalli ſumſi, ad inſtituenda experimenta cum aliis acidis mineralibus, & quum tantum attentus eſſem ad configurationem cryſtallorum, ex variis his mixtionibus oriundarum, omiſſa deſtillatione, decoctionem tantum per aliquod tempus inſtitui. Facta ſic extractione, poſt aliquam moram liquorem decantavi clarum & pellucidum, qui poſt evaporationem ſimiles, ut antea, præbuit cryſtallos acutas & fila ſerica referentes.

Eo magis autem miratus ſum hancce configurationem cryſtallorum, quo certior eram, puriſſima fuiſſe adhibita acida. Factum inde eſt, ut non repeterem hæc experimenta cum eodem vitro, ſed nova inſtitui cum vitro Gallico & variis ſpeciebus vitrorum pellucidorum non coloratorum. Hæc omnia eodem modo, uti de cryſtallo diximus, in pulverem redacta & cum aqua

cocta,

cocta, ſemper exhibuerunt alcali fixum, ſed minori quantitate quam cryſtallus. Mixta cum ſale ammoniaco, dederunt ſub deſtillatione alcali volatile. Cum acidis, uti antea, tractata, cryſtallos ſimiles acutas, ſerica fila referentes, exhibuerunt. Hæc ſalia non ſunt ſalia ſedativa, prout forſitan videri poſſet, neque diſſolvuntur in ſpiritu vini, licet cum eo coquantur, neque etiam verſus flammam ſpiritus vini accenſi moventur.

Hæc acidorum proprietas, quod cum vulgari vitro ſalia exhibeant eiuſdem configurationis, admodum eſt ſingularis. Si in Borace terram aſſumas vitreſcibilem, quæ negari utique nequit; mirum ſane non videbitur, quod ſub decompoſitione Boracis per varia acida, idem tamen ſemper oriatur ſal ſedativum.

Demonſtrata ſic mutatione & decompoſitione vitrorum per varia menſtrua, hoc coronidis loco addendum eſt, quod optimæ notæ vitra ab aëre mutari poſſint ſecundum locorum conditionem, in quibus eidem exponuntur. Exempla dabo cuivis nota. Feneſtræ ſtabulorum, typographeorum, noſocomiorum, & præcipue feneſtræ conclavium, ubi vulnerati & ſcorbutici in Hoſpitio regio militum invalidorum degunt, hoc ſatis ſuperque demonſtrant. Quod autem potiſſimum attentionem meretur, ſunt conclavia noſocomiorum, quorum feneſtræ copioſis obſitæ ſunt maculis albis, quæ non niſi veræ ſunt incruſtationes vitri, & eidem quaſi impreſſæ videntur. Hæc vitra mundari nequeunt, nec ulli amplius uſui inſerviunt, niſi ut denuo fundantur. Plurimi vitriarii, hac de cauſa a me interrogati, idem mihi adfirmarunt.

Ex omnibus hiſce experientiis ſequitur, vitrum, quod e Borace eduxi, quoad maximam partem gaudere qualitatibus vitri vulgaris, utpote cuius poſſidet pelluciditatem, ſplendorem, & fragilitatem, ab aëre non mutabilem, & ad lampadem pro picturis encauſticis uſitatum, ad modum vitri vulgaris tractari poteſt. Igitur concludo: Boraci re vera ineſſe terram vitreſcibilem.

(*Pariſiis Halam miſſæ d.* 22. *Ianuar.* 1763.)

**OBSER-**

## OBSERVATIO XXVIII.

## Dn. D. DIONYSII van de WYNPERSSE.

### *Obſervationes de Lapide mutabili, ſive Oculo Mundi.*

Inter lapides naturales rarus eſt, qui ſingulari hac dote diſtinguitur, ut ſiccus opacitatem, aqua humectatus plenam pelluciditatem, cum coloris etiam mutatione, ſpectatori offerat.

*Benedictus* CERUTUS, quo antiquiorem apud neminem aliquam illius mentionem inveni, *pag*. 227. *Muſei Calceolariani*, anno 1622. editi, ſumma cum admiratione talem narrat a ſe conſpectum apud *Chriſtoph. Fürlegerum*, Norimbergenſem, *Lapidis mutabilis* nomen ei tribuentem. Similem vidit apud gemmarium quendam *Ioannes de* LAET; cui alium quoque miſit *Olaus* WORMIUS, duos poſſidens, quorum unum ab *Ottone Sperlingio*, horti Hafnienſis Præſide, nomine *Oculi Mundi* acceperat *). Alium poſtea Regiæ Societati Londinenſi oſtendit *Robert.* BOYLEUS, ut legimus apud CHARLETONUM, pag. 41. *Appendicis de variis Foſſilium generibus*, adiectæ *Exercitationibus de differentiis & nominibus animalium*; tum apud ipſum BOYLEUM, Tract. *de Adamante in tenebris lucente*, Operum Tom. I. p. m. 162. & *de Corporum ſolidorum poroſitate*, *Cap.* 6. in quo poſteriore loco, poſt memoratam mirabilem gemmæ mutationem, *hic lapis*, ſubiicit Vir ſummus, *quem perpauci eorum, qui de gemmis ſcribunt, deſcribunt, rarus adeo ac comparatu difficilis eſt, ut omnia, quæ voluiſſem, circa eum experimenta faciendi opportunitas mihi defuerit.* Tandem etiam *Andr.* CNOEFFELIUS refert, in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obſerv.* 207. apud Gemmarium quen-

*) Vide *Epiſtolas inter* LAETIUM & WORMIUM anno 1642. reciprocatas & reliquis Wormii Epiſtolis inſertas, *Tom. II. p.* 815. 821. 823. Dein *Io. de* LAET *Lib. I. Cap.* 18. *Tract. de Gemmis & Lapidibus*, cognomini libro *A. B.* BOOTII anno 1647. adiecti; denique *Ol.* WORMII *Muſeum Wormianum*, anno 1655. editum, pag. 108.

quendam Polonum ſe tres eiuſmodi offendiſſe lapillos, quos *mirabiles*, vel *Chamæleontas*, vel *Polypos minerales* vocat, quorum unus adnexum adhuc ſiliceum habuerit, quod vulgo Quartz vocatur, ſinguli autem omnes notas verorum, & non factitiorum lapidum, manifeſto exhibuerunt.

Sicuti vero huius lapidis hiſtoria, dictumque duplex nomen, *Lapidis nempe mutabilis* & *Oculi Mundi*, præcedentis ſeculi vetuſtatem vix ſuperare videtur; ita recentioribus etiam plurimis ignotus vel indictus manſit. Clariſſ. *d'* ARGENVILLE, *Oryctologie* pag. 171. Edit. recent. ex aliis de eo locutus, mutationem de ſola coloris alteratione accipit; neque fidit relatis Doctiſſimus *Fr. Ern.* BRÜCKMANNUS, qui ante me inter lapilli mox deſcribendi poſſeſſores fuit, in *Epiſtolis itinerariis*, ubi inſtructiſſimi Muſei ſui conſpectum dedit, nuſpiam ſingularem eius mentionem fecit. In Catalogo autem iſtius Muſei, quem manu ſcriptum habeo, poſt eximii Viri obitum dicebatur *Lapis ignotus vel Onyx*, vilique XVI. groſſorum pretio venum proponebatur: quo nomine ad celebrem virum, inter cuius reliquam poſt fata ſuppellectilem foſſilem mihi ceſſit, quique nec ipſe lapidis indolem obſervaſſe videtur, tranſiit.

At reliquos Oryctophilos, quos conſulere mihi contigit, diligente commemoratione huius rei vicit *Ioannes* HILL, qui, in *Hiſtory of Foſſils*, pag. 468. novum genus lapidum conſtituens *hydrophanarum* nomine, huc *Oculum Mundi*, de quo agimus, tum & *Oculum Beli*, PLINIO iam dictum & quadantenus eadem virtute præditum, retulit: neque illius pelluciditatem tantum in aqua, ſed reliquam quoque conditionem, preſſius delineavit, duorum ſpeciminum conſpectu adiutus. Actum tamen mihi non videor acturus, ſi lapilli mei habitum, ab hactenus dictis differentem, & experimenta circa eum inſtituta, breviter exponam.

Figuram habet ſuperius planam, oblongam, octogonam; longitudine dimidio pollice paullo maiori, ſed latitudine per

unam fere lineam minori. Inferior ſuperficies multo minor eſt, lateribus nempe deorſum, (ut in gemmis elegantiæ cauſa fit,) oblique detritis, (*avec des facettes*) adeoque polyedra. Patet, figuram naturalem non amplius dignoſci: quam vero inconſtantem eſſe, ut laudati Auctores memoriæ produnt, ita complura indicant, tam parum fuiſſe diminutum lapidem figuramque mutatam, quam ad conciliandam utcunque regularem neceſſe eſſet. Neque magnitudine ulli alibi deſcriptorum cedit. Politura ſatis elegans eſt. Inſculptum quoque nomen, litteris minoris moduli, LAPIS MUTABILIS.

Colorem habet bene ſiccus vireſcentem, at immixto multo albo temperatum, neque ubivis perfecte ſimilem. Imo ab una parte, in latere oblique verſus inferiora detrito, macula occurrit unice alba, eburnei coloris, triquetra, & pluſquam linearis undique magnitudinis. Quæ colorum, præſertim albi, varietas, forte Onychis ſuſpicionem ante memoratam dedit; licet neque venis, neque ſtratis invicem diſtinctorum.

Durities eſt ſpatoſam inter & ſiliceam media, ac deradi ſe cultro, lima, coticula, ſed difficilius, patitur. Partium ſtructuram minime lamellarem vel teſſellatam eſſe, tum æquabilis lapidis facies oculo, etiam armato, oſtendit; tum maxime fiſſura quædam, (quando ſummopere pellucet, obſervanda,) ſeparationem partium talem, qualis in fractura lævi ſilicis aut vitri fit, præ ſe ferens.

Nulla efferveſcentiæ ſigna a variis ſalibus, ſive politæ ſuperficiei applicatis, ſive raſura aſperæ factæ. Electricitatis nihil apparuit per meram calefactionem, imo ne vel per frictionem. Pondus bilance innoteſcebat $11\frac{10}{16}$ granorum. At notanda præſertim gravitas ſpecifica, quam, adhibita omni accuratione hydroſtatica & repetitis vicibus, ſumtoque numero medio, reperi, eſſe ad aquam, ut 2048. ad 1000. Quæ gemmæ levitas maiorem

iam

iam poroſitatem innuit. Aequabiliter tamen maſſa compacta apparet: neque ex ea, aquæ impoſita, per antliam pnevmaticam ullæ bullæ aëreæ eliciuntur. Pori ergo, ſicuti plurimi, ita ſubtiliſſimi erunt. Minor ea denſitas opinioni favere videtur, qua CERUTUS, WORMIUS, & in *Epiſtola ad Wormium* LAETIUS, Opali ſpeciem illum eſſe, iudicarunt. Opalus certe, ut lucis & colorum luſu, ita ſpecifica etiam levitate a cæteris lapidibus notabiliter differt. Quippe talem ex Eybenſtock clariſſ. MUSCHENBROEKIUS, in *Tabula ponderum ſpecificorum, Inſtitutionibus Phyſicis,* nec non maiori *Introductioni in Philoſophiam naturalem* inſerta, vix aqua duplo denſiorem refert: id quod propria experientia firmare poſſum, qui tamen alios Opalos multo graviores obſervavi. Quantumcunque autem ad hæc velis attendere, omni reliquo habitu ab Opalo diverſus eſt, quem deſcribo, lapis; ſive opacus conſideretur, ſive etiam pellucens.

Nimirum opacus eſt, quamdiu ſiccus manet: gradu tamen per totam maſſam non prorſus æquali: Extremi enim & acutiores margines aliquid diaphani exhibent; & ſuperficies inferior ex parte, neque admodum profunde, ſemipellucida obſervatur. In hiſce autem locis color plane viridis datur: ſicut generatim, ubi & quo facies lapilli plus albet, ibi tanto minus lucem transmittit.

Aquæ quando immergitur, perfecte diaphanus fit. Neque opus eſt totum aqua mergere: ſufficit dimidiam craſſitiem, vel minorem, infra ſuperficiem liquoris demittere. Naſcente pelluciditate, omne album evaneſcit, & color acquiritur læte, ſaturate, & æqualiter viridis, ſmaragdinus: præterquam quod lucem inter & oculum detentus nonnihil ad flavum vergere videtur. Excipi etiam locus debet, quem in ſicco albo eburnei coloris eſſe, monui; quique, antea perfecte opacus, nunc flaveſcens & pellucidiſſimum Succinum refert: cuius etiam reſpectu lapis meus cum alibi deſcriptis proxime convenit, a quibus ceteroqui viriditate

ditate ſua impenſe diſcrepat. Idem præterea locus hicce, ut maxime, ita reliquis partibus prius celeriuſque mutatur.

Aqua extractus & deterſus lapis, ſponte ad priſtinam conditionem revertitur: ita quidem, ut prius in eodem illo ſenſiliore loco punctum albicans opacum oriatur, ſenſim creſcens; dein in aliis etiam tractibus, non ſemper iiſdem neque eodem modo, maculæ lacteſcentes naſcantur, totuſque intus nebuloſus fiat, quæ omnia paullatim augentur, & a partibus mediis ad limbum quaquaverſum extenduntur.

Non omnes lapides mutabiles æque cito pellucidos evadere, allegata Scriptorum loca indicant. Meus, quando diu ſiccus fuit, vel etiam calore exſiccatus eſt, viginti quatuor horis circiter indiget. Ubi vero paucis modo ante diebus experimentum fuit inſtitutum, promtius mutatur: cuius rei non obſcura ſequens eſt ratio.

Pellucidus fit eo, quod partes aquæ, poros ingreſſæ & replentes, radiis lucis ordinatum magis, quam in anfractuoſis alias cavitatibus fit, tranſitum præbent. Nec ſimilibus hodie in re phyſica caremus obſervationibus multis; etſi in lapide naturali hoc raro obvium ſit. Vt adeoque hic non habuerit C RUTUS, unde relationi ſuæ de Sapphiro, per geſtantis impudicitiam diſſiliente, vireſque medicatas & nitorem amittente, ex inſolentiore lapidis noſtri alteratione, licet tunc minus cognita, fidem bene præſtrueret. Intrare aquam in gemmæ corpus, pondus docuit, quod pellucidæ erat 12. granorum. Poſtquam vero, aëri ſicco reddita, maximam partem iam opacata erat, vixdum $\frac{1}{17}$ grani levior facta erat: indicio, lentius omnem reſorptæ aquæ quantitatem, etſi parvam, exire, quam pelluciditatem. Unde, ſi brevi poſt denuo aquæ immittitur, minori tempore requiſitam ad pelluciditatem copiam humoris adipiſcitur. Simile ponderis augmentum, lentius iterum amittendum, in BOYLEI gemma expertus

eſt

eſt *Ionathan* GODDARDUS: quæ ſicca pendebat $5\frac{209}{256}$ grana, poſt humectationem facta diaphana $6\frac{2}{256}$ grana *).

Reditus ad opacitatem longe citius incipit fieri, at lentius perficitur, quam tranſitus ad pelluciditatem. Intra horæ ſpatium, vel ocyus, aqua exemtus lapis puncta alba & opaca recuperare ſolet. Quo autem diutius in aqua hæſit, vel crebrius brevi intervallo experimentum repetitur; eo longiore tempore eget ad totam opacitatem ſuam recipiendam, & ſæpe aliquot dierum. Quando tamen humorem imbibendo pellucidus factus iam eſt, diuturnior in illo mora neque colorem viridem dilutiorem reddit, neque pondus augere pergit. Expoſitus aliquando, poſtquam diaphanus redditus, intenſo gelu, nihilo minus pedetentim, tardius licet, opacabatur. Notum ſcilicet, ne ipſum quidem gelu exhalationem vaporum & exſiccationem plane impedire.

Calida aqua quando adhibetur, citius pellucet: ſique refrigerata iam aqua demum eximitur, tarde opacus fit. At, ſi e fervida pellucens extrahitur, & protinus aëri frigido exponitur, vel aquæ potius frigidæ immittitur; illico non modo opacatur in dicta ſupra ſenſiliori parte, ſed per totam maſſam intus innumera mox puncta opaca generantur, ita ut turbida hinc appareat: calore ſcilicet admodum cito ſe cum exteriore fluido communicante, & partes humectantis aquæ potenter ſecum avehente. Quæ mutatio tunc adeo vehemens eſt, ut, ſi vel ſtatim aquæ fervidæ reddas, mora opus ſit ad turbidam illam obſcurationem diſſipandam.

Tentavi, fieretne mutatio citius, ſi ab aqua, cui ſiccum lapidem immittebam, preſſionem atmoſphæræ ope machinæ Boyleanæ auferrem, ac dein ſua vi iterum irruere paterer. Sed, ut

 ablato

*) Vide CHARLETONUM & BOYLEUM locis ſupra cit. collato maxime *Th.* SPRAT, *Hiſtory of the Royal Society of London*, p. 282. verſionis Gallicæ, quam ſolam inſpicere potui.

ablato aëre nullæ bullæ aëreæ ex gemmæ corpore proruperunt, ita per redditum prementis aëris impetum inſinuatio aquæ accelerata non fuit.

Humore imbutus atque inde pellucens lapis aliquanto mollior mihi apparuit, cultroque facilius radendus.

Quum hactenus mera aqua, ſive pluvia, ſive putealis, adhibita fuiſſet; hinc explorandum occepi, quomodo ſe haberet, applicatis aliis liquoribus, tum puris, tum alia re imprægnatis.

Aqua coccionella probe tincta non aliter lapidem affecit, quam pura; neque quidquam eius pigmenti poros ingreſſum.

Spiritus vini vulgaris pro aqua adhibitus, mox videbatur magis album reddere: dein ſenſim pellucidum fecit, cum colore ſmaragdino, omni albitudine expulſa. Exſiccatus priſtinam formam recepit. Utraque tamen hæc mutatio difficilius ſic, lentiuſque proceſſit, quam per blandam & inertem aquam. Triduo quidem opus erat ad dandam pelluciditatem, me curante interea, ne ſpiritus exhalatione aquoſior fieret. Neque tinctura coccionellæ, per vini ſpiritum parata, lapidem ullatenus tinxit.

Minimam aquæ fortis guttulam ſuperiori ſuperficiei impoſui, alioque tempore & alii loco guttulam olei Vitrioli. A neutro acido effervescentia vel eroſio facta. Utrumque poſt aliquam moram lapillo inſinuatum evaneſcebat; & oleum quidem Vitrioli cum macula pellucida flaveſcente, ſenſim iterum opacata. Ab utroque relictæ maculæ albicantes; at parum profundæ, & ignaro vix a reliqua lapidis facie diſtinguendæ, præſertim poſt repetitas dein per meram aquam mutationes, quæ in iis etiam locis æque bene, ac antea, ſuccedebant.

Plus valuit applicatum alcali fixum. Quando enim exiguam olei Tartari per deliquium guttulam impoſueram, poſtridie neque reſorptam eſſe, neque maculam pellucidam genuiſſe, deprehendebatur, ſed verſus unum latus parumper ſe diffuderat. Abſterſus tum

tum liquor, qui minime efficax videbatur, maculam itidem albicantem relinquebat. Lapillum tum denuo puræ aquæ commiſi, & iam pellucenti modo calidam, modo frigidam, alternis vicibus applicui: ut ita, plus aquæ imbibendo iterumque expellendo, elueretur quaſi, & liberaretur ab ingreſſa materia ſalina maculisque excitatis. At deinceps, ſolito more ſenſim opacitatem nactus, etiam in locis acido affectis, pellucere tamen ibi pergebat, ubi oleum Tartari impoſitum fuerat, ſeque proſerpendo extenderat. Quin neque mora, neque calore, neque creberrime repetitis per aquam humectationibus, pellucida ea particula (quæ tamen non tam profunda, ut tota lapidis craſſities in ea diaphana eſſet,) opacitati reſtitui poterat, ſervata etiam illic læta viriditate abſque albi mixtura. Ut nullus dubitem, ſi oleo Tartari gemmam merſiſſem, vel ſi forte impoſita eius portio ſine abſterſione per longiorem moram tota intraviſſet, pellucidam inde totam manſuram fuiſſe.

Cupidus vincendæ iſtius pertinaciæ, mediæ maculæ iſti pellucenti impoſui minimam guttulam aquæ fortis: ſperans fore, ut hæc cum alcali, quantulumcunque forte lapidi inſinuatum eſſet, congreſſa, reſiſtentiam dictam frangeret; vel avidus ſaltem obſervandi, quid conſecuturum. Aqua fortis neutiquam per maculam ab oleo Tartari pellucidam ſe diffudit: ubi tamen impoſita erat, duabus horis intro reſorpta fuit, & albicantem valde opacamque ſedem ſuam reddidit; ita ut macula ibi daretur alba, opaca, circulo viridi pellucido cincta. Deinceps aquæ immiſſus lapis iterum pellucebat totus, parſque ab oleo tartari pellucida ſervata vix a reliquo corpore diſtinguebatur: ſed ſiccatus iterum idem phænomenon maculæ albæ in circulo viridi exhibuit, abſque ulla alterutrius diffuſione, idque repetitis vicibus.

Poſtea, ad latus partis iſtius pellucentis applicui exiguam portionem ſolutionis argenti: non ſine quadam ſollicitudine, quum in aliis lapidibus mirificam in hoc liquore vim ſe penetrandi,

ultra-

ultraque ſpem diffundendi & colorandi, expertus eſſem. At neque ille per partem ab alcali affectam ſe expandit, ſed, in unum latus parumper proſerpens, intra horam ingreſſus eſt, maculam faciens ex albo leniter purpuream, cum ſordibus quibuſdam extra lapidem relictis & abſtergendis. Neque hæc macula mutationibus per aquam & ſuccedentem exſiccationem ullatenus renitebatur.

Dum itaque, non ſpiritibus quidem acidis, attamen ſale alcalino, (quod, aquæ ſitientiſſimum, etiam huius ope facile eluendum dixiſſes,) naturalis aptitudo lapidis ad enarratas mutationes perditur; neutiquam oleis proprie dictis, ad congreſſum cum aqua ineptis, gemmam humectare volui, ne, ſi forte per ea diaphanus fieret, reditu ad opacitatem careret. Neque etiam, plures in ſuperficie alterationes maculaſque generando, nativam faciem lapidis deturpare volui. Aliquid enim ſemper de materia ſalina hærere, dicta condocent: unde forſitan fit, ut nunc, probe & diu ſiccatus, pondus habeat $11\frac{11}{16}$ granorum.

Placuit tamen tentare adhuc alcohole concentratiore, neque operæ pretium defuit. Etſi enim antea, vulgarem vini ſpiritum minus efficacem eſſe, obſervaveram: nunc tamen alcoholi immerſus lapillus mox quidem intenſius albebat, præſertim in locis aqua forti antea tactis; ut brevi poſt, tum in hiſce, tum ubi olim Vitrioli acidum fuit applicatum, pelluciditas cœperit naſci, pedetentim latius progrediens, ſed omnium tardiſſime iſtam eburnei coloris partem mutans, quam alioqui ad mutationem per aquam ſenſiliorem eſſe, vidimus. Intra 24. horas totus lapis, cum ſolita viriditate intenſa, nullo ampliius albo ſuperſtite, diaphanus erat. Extractus vero & deterſus, intra horam, tum in ſenſiliori ea regione, tum in omnibus punctis, acido quodam olim exploratis, maculas albiſſimas & opaciſſimas produxit, quæ in reliquæ maſſæ viriditate, pellucentiſſima ſmaragdina, ſpectaculum gratiſſimum dabant. Et opacitas lapidi ita rediit, ut non totus evaderet intus

paul-

paullatim nebuloſus, ſicuti alias poſt humectationem in aqua contingit; ſed candidæ illæ maculæ per maſſam pellucidiſſimam omni directione maiores fierent, adeoque coirent, totamque pedetentim occuparent, id quod triduo demum plane peractum fuit. Pellucidi vel ſic manſere ductus, ab oleo tartari olim formati; non reducendi, ut videtur, ad opacitatem, niſi quatenus iis aqua fortis aliudve acidum obducitur.

Aquæ nunc iterum immiſſus lapis citius, quam alias ſolet, pelluciditatem recuperavit, & quidem promtiſſime in iiſdem locis, quibus antea adhibitum acidum, & in quæ validius egiſſe alcohol, modo notavimus. Aqua autem extractus conſueto more obſcuratus eſt.

Facile quempiam opinio inceſſet, Oculum Mundi minus raro inventum iri, ſi attentius plures lapides naturales adhibito liquore explorarentur. Quod dum haud præfracte negaverim, ego tamen in plurimis cuiuſvis generis fruſtra periculum feci. Freibergenſem habeo Iaſpidem, opacum, viridem; ſed mollem adeo, ut, marmor eſſe, prius ſuſpicarer. At, præter clariſſ. Brückmanni, e cuius Muſeo eſt, auctoritatem, alia indicia Iaſpidem potius immaturum, vel lapidem forte arenarium, ſed granulis minutiſſimis & firmiſſime compactis conſtantem, teſtantur. Hunc, duritie lapidi deſcripto ſimilem, & a reliquis lapidibus viteſcentibus differentem, liquoribus aquoſis, ſalinis, ſpirituoſis, aggreſſus ſum; at omnibus incaſſum. Aſſervo globum candidum, duritiei vere jaſpideæ, vel achatinæ, plane opacum; cui variæ olim maculæ per ſolutiones metallicas arte impreſſæ fuere, e quibus una limbum undique notabili profunditate diaphanum exhibet. Alias maculas ego per ſolutiones argenti æriſque, cum aliqua hic illic pelluciditate, in illo excitavi: puro etiam nitri ſpiritu, parvæ in ſuperficie fiſſuræ applicato, diaphanam feci exiguam portionem. At multum hæc abeunt ab eo,

 quod

quod mera aqua in Lapide mutabili efficitur; neque ſponte ad opacitatem redeunt.

(*Groninga Halam miſſa d.* 12. *Mart.* 1763.

## OBSERVATIO XXIX.

## Dn. OTTON. FRIDER. MŸLLERI.

### *Enumeratio ac Deſcriptio Libellularum agri Fridrichsdalenſis.* *)

Hiſtoriæ naturali horis ſubſecivis per duo luſtra intento, noviſſime in collectione & inveſtigatione Oeconomiæ Inſectorum præter alia nova, vel minus cognita, maior numerus *Libellularum* obtigit, quam qui huc uſque notus eſt, vel in Syſtemate Viri de re phyſica optime meriti reperitur. Alia vero Phyſices parte totum meum otium occupante, tantum temporis nondum his impendere licuit, quantum ad ſtabiliendum ſpecies notandaſque veras varietates mihi ſatis eſſet. Utriuſque ſexus in coitu deprehenſio, quæ ad evitandam ſpecierum augmentationem non parum confert, mihi quidem in pleriſque contigit: e qualibet ſpecie & varietate non modo individuum vidi, & examinavi, gregem vero offendi, earumque exemplaria ſervo; de natura tamen eiuſque varietatibus non eſt, quod audacter pronunciem. Quid, quod! e patria ad exteros peregre profecturus, mallem meam qualemcunque publici iuris facere, quam ulteriorem incertam exſpectare inquiſitionem. En! igitur animalium maxime voracium duodeviginti varietates, duodecimque novas ſpecies. Oeconomiam, metamorphoſin, qualitates harum qui deſiderat, celeberrimos Viros, ROESELIUM, REAUMUR &c., quorum experientias veras comperi, adeat.

LIBEL-

*) Eſt Prædium, vix duos lapides *Hafnia* diſtans, Excellentiſſimæ, & Illuſtriſſimæ Comitiſſæ a SCHULIN, natæ a MOESTING, hiſtoriæ naturalis cultricis, fautriciſque benigniſſimæ.

# LIBELLVLA

Inſectorum Methodi *Linæanæ* Ordinis quarti *Genus primum.*

*Charact. gen.* Os maxilloſum, antennæ thorace breviores, alæ extenſæ. Cauda particulis hamoſo-foliaceis.

1) Libellula *quadrimaculata* alis poſticis baſi, omnibus medio antico macula nigricante. *Faun. Svec.* 1459. *Edit.* 1761.

Rai. *Inſ.* 72. *n.* 3. Libella maxima abdomine longo tenui lævi viridi ſplendente, ad initium & finem intumeſcente.

*Deſcriptio* Linnaei *bene in noſtram quadrat; punctum vero marginale medium vix nota buic ſpeciei eſſentialis eſſe poteſt, niſi ſequentes meras eſſe varietates doceret experientia futura. Hæ omnes, quas varietates ſuppoſui, nobis valde frequentes, cum* Linnaei *in Faun. Svec. rarior dicatur.*

α Libellula macula alarum marginali media umbratica; oculis ſex punctatis.

*Oculi fuſci ſunt, & in quovis puncta tria flava.*

β Libellula macula alarum marginali media nebuloſa.

Descr. *Loco maculæ conſpicitur nubecula obſcura.*

*Oculi fuſco-virides. Abdomen pellucidum, flavum, ſubtus latius.*

γ Libellula macula alarum marginali media ocellata.

*Prope maculam baſeos inferiorum alarum nigram & videtur punctum ocellatum.*

ε Libellula macula alarum marginali media duplicata: abdomine æquali.

η Libellula macula alarum marginali media duplicata & punctata: abdomine attenuato.

*In E baſis & apex abdominis æquali latitudine; in ceteris abdomen attenuatum ex lato principio. In E cauda diphylla uti in* Linnaei, *in ceteris triphylla differentia ſexus ſecundum* Roeselium.

2) Libellula *flaveolata* alis albis baſi punctoque marginali luteis. Faun. Svec. 1460. Libellula alis albis baſi luteis.

*Thorax meæ vix niger, totus vero flavus curvatiunculis prope pedes nigris. Frons flava, non vireſcens: oculi ſemi-virides, ſemifuſci. Macula inferiorum lutea quadruplo major macula ſuperiorum alarum. Nulla macula alarum media.*

β) Libellula alis albis, baſi maculaque marginali media ſuperiorum alarum luteis.

γ) Libellula alis albis, baſi maculaque marginali media omnium luteis.

3) Libellula *vulgata* alis albis, corpore fuſco, cauda ſimplici. *Faun. Svec.* 1461.

Rai. *Inſect.* 49. *n.* 6. Libella maxima, abdomine flavo anguſtiore, nullis ad radicem alarum maculis fuſcis.

4) Libellula *rubicunda* alis tantum poſticis baſi nigricantibus: macula marginali ferruginea. *Faun. Svec.* 1462.

β Libellula alis tantum poſticis baſi nigricantibus: macula marginali atra.

*Huic in dorſo abdominis maculæ duæ rubræ, quatuor luteæ; harum tres obſoletæ, quarta ſplendida.*

*Hæc quoque mas fuit, & cum altera vulgaris.*

5) Libellula *depreſſa* alis baſi nigricantibus, abdomine depreſſo lanceolato, lateribus flaveſcente. *Faun. Svec.* 1463. Hofnag. *Archetyp. Part.* 3. *T.* 5.

Roesel *Inſ.* 2. *aqu. tab.* 6. *f.* 4. Rai. *Inſ.* 49. 4. Libella maxima, abdomine breviore latioreque flavo.

6) Libellula *vulgatiſſima* thorace ſtrigis octo flavicantibus. *Faun. Svec.* 1464. Swammerd. *Hiſt. Inſ. T.* 8. *f.* 6.

7) Libellula *cancellata* alis baſi immaculatis, abdomine dorſo lateribusſque interrupte luteis. *Faun. Svec.* 1465.

β Libellula alis hyalinis puncto marginali nigro.

Descr.

Descr. *Facies nigra, thorax niger, hirſutus, latere utrinque duæ lineæ quatuorque puncta ſulphureæ, ſubtus tria puncta triangularia. Frons & os nigrum, lineola lutea intermedia. Abdomen breve, nigrum baſi ſupra flavum.*

8) Libellula *ænea* viridi inaurata alis pallidis, pedibus nigris. *Faun. Svec.* 1466. Roesel. *Inſ.* 2. *aqu. T. V. f.* 2. Raj. *Inſ.* 49, 3. Libella maxima, abdomine longo, tenui, lævi, viridi-ſplendente, ad initium & finem intumeſcente.

9) Libellula *quadrifaſciata*, thoracis lateribus lineis quatuor luteis; abdomine longo cylindraceo.

Species, an varietates?

α Libellula *grandis* alis glauceſcentibus, thoracis lineis quatuor flavis. *Faun. Svec.* 1467.

β Libellula *Iſoceles* alis albentibus: abdomine rufo-fuſco, baſi dorſi triangulo flavo.

*Alæ in mare albidæ, inferiores quidem ad baſin incurvatam luteſcentes, in fœmina alæ omnes ſubflaveſcentes. Lineæ thoracis laterales obſoleto-flavæ.*

γ Libellula *rufa* alis albentibus: abdomine rufo-fuſco, baſi dorſi ſexlineata.

*Alæ totæ albidæ, minime ad baſin luteſcentes, punctum marginale fuſcum. Baſis dorſi abdominis loco trianguli ſex lineis nigris inæqualibus notata.*

ι Libellula *ocellata* alis albentibus: abdomine pulchre variegato.

Descript. *Facies fuſca, flavaque variegata. Alarum punctum marginale luteſcens. Oculi fuſci. Thorax ſubfuſcus, hirſutus, utrinque lineis duabus latis flavo-virentibus. Abdomen prope baſin rotundatum, craſſum, maculis lineiſque diverſicoloribus. In tribus prioribus articulis maculæ laterales ſulphureæ, ſecunda & tertia punctulo nigro notatis; in*

*reliquis maculæ latæ albeſcentes. Ligamenta articulorum nigra. Supra ligamentum quodcunque a tergo duæ maculæ flavæ, oculorum inſtar lineola nigra cinctæ; hæ ad caudam ſenſim dimminuuntur & albeſcunt, in medio cujuſvis articuli linea tranſverſalis nigra, cui adſunt ſtriæ duæ flavæ. Abdomen ſubtus fuſcum, linea intermedia nigricante.*

*η* Libellula *nobilis* alis fulveſcentibus: abdomine rufo-fuſco, prope baſin attenuato: maculis lateralibus albo-cœruleis.

Rai. *Inſ.* 49, 7. Libella maxima, abdomine longo tenuiori, alis fulveſcentibus.

Roesel. *Inſ.* 2. *aqu. T.* 4. *f.* 14.

*In vivis nulli pulchritudine ſecunda; morte vero maculæ albo-cœruleæ evaneſcunt.*

*δ* Libellula *plebeia* alis fulveſcentibus: abdomine rufo-fuſco baſi craſſo.

Descript. *Caput nigro-fuſcum; frons lutea. Thorax rufo-fuſcus lineis lateralibus 4 flavis; abdomen nigrius novem conſtans articulis a baſi ad apicem decreſcentibus. Latere cuiuſvis articuli facit lineola nigra cum baſi angulum, cui includitur macula cœruleſcens, poſt mortem lutea. Abdomen ſubtus, uti & ligamenta articulorum picea.*

*ε. η. δ.* facile crederem veras Libellularum ſpecies a præcedentibus diverſas.

10) Libellula *forcipata* thorace nigro: characteribus variis flaveſcentibus. *Faun. Svec.* 1469.

Roesel. *Inſ. aqu. T.* 5. *f.* 3, 4.

*Inter majores facies atra, lugubris. Thoraci antico M nigrum.*

*Deſcriptio celeberr.* Linnaei *quidem iuſta; obſervatiunculam tamen addere liceat. Proprium huic eſt abſentia membranæ alarum inferiorum acceſſoria, & in maris latere ſecundi articuli abdominis, prope maculam luteam, auricula lutea proſtans.*

*Primo Iunii in arvis frequens.*

11) Libel-

11) Libellula *Fridrichsdalenſis* alis baſi nigricantibus, abdomine depreſſo cœruleo.

Rai. *Inſ.* 140, 2. Libella maxima abdomine breviore & craſſiore latioreque cœruleo.

Roesel. *Inſ. aqu. T. 7. f.* 3.

*Menſe Iunio grex harum apparuit, poſt Solſtitium nulla. Maculæ nigræ baſeos alarum flavo permixtæ. Punctum marginale nigrum.* Roeselii *Libella differt a noſtra maculis lateralibus abdominis flavis, quæ mihi in nulla viſæ; harum loco vero maculæ depreſſæ pallidiores reliquo abdominis.*

12) Libellula *cyanea* alis hyalinis, puncto marginali nigro: lineis ſex thoracis luteo-virentibus.

Roesel. *Inſ. aquat. t.* 2. *f.* 2.

*Medio Septembris.*

Descript. *E maximis. Frons ſulphurea, linea tranſverſa nigra; prope baſin puncta duo excavata nigra. Oculi cyanei. Thorax fuſcus utrinque, & antice duabus lineis tranſverſalibus ſulphureis. Alis color Iridis, maculaque marginalis nigra. Pedes toti aterrimi. Abdomen cylindricum baſin verſus attenuatum; dorſum nigro, cyaneo, fuſco, luteoque variegatum. Articulus thoraci proximus fuſcus, utrinque maculis 4. ſulphureis; antice & poſtice linea lata cyanea, cuius in medio tres ſtriæ, ſitu triangulari interrupto luteſcunt. Sequentes 8. articuli nigri maculis lateralibus cœruleis, dorſalibus cyaneis, lineoliſque albidis. Subtus fuſcum.*

13) Libellula *Hafnienſis*, alarum linea marginali aurea: thoracis lateribus faſciis ſex: abdomine lineis punctiſque luteis.

Inter maiores.

Descript. *Os nigro luteoque lineatum. Oculi pallentes. Thorax antice tomentoſus, fuſcus, baſi duabus maculis luteis; utrinque tres faſciæ obliquæ luteæ, totidemque alternantes lineæ nigræ.*

*Alæ*

*Alæ baſi & ſuperiori margine aureæ. Pedes nigri. Abdomen nigrum. Dorſo cuiuſvis articuli antice 2. lineæ interruptæ, poſtice 2. puncta, lateribus faſcia longitudinalis interrupta lutea.*

14) LIBELLULA *pratenſis* alis hyalinis: thorace faſciis tribus fuſcis, octo virentibus.

Menſe Iunio.

DESCRIPT. *Frons flava. Oculi cyanei. Thorax hirſutus dorſo faſciis 2. flavo-virentibus, 3. caſtaneis, baſi lateralium lineola, inferius macula flava; lateri cuique thoracis 3. faſciæ flavo-virentes, lineis 2. nigris ſeparatæ. Pedes nigri. Alæ hyalinæ macula marginali ſubfuſca vix diſtinguenda. Abdomen nigrum, cuique articulo lineolæ tranſverſæ 2, ſub quibus 2, latereque 3. maculæ cœruleo-virentes.*

15) LIBELLULA *ſanguinea*, alis hyalinis, puncto marginali ferrugineo: abdomine ſanguineo.

ROESEL. *Inſ. aquat. T. 8. f. 4.*

DESCRIPT. *Facies ſanguinea, frons fuſca. Thorax hirſutus, ſuperne fuſcus, latere luteo-rubens. Dorſum abdominis totum ſanguineum, 2. ultimis articulis lineola nigra.*

16) LIBELLULA *variegata* alis hyalinis, puncto marginali ferrugineo: abdomine flavo rubeoque variegato.

ROESEL. *Inſ. aqu. T. 2. f. 2.*

DESCR. *Præcedenti ſimilis, ſed maior, differt puncto marginali flavo-rubente; pedibuſque ſuperne luteis. Nec varietas; facies enim diverſa, gregemque utriuſque ſpeciei diverſam ſæpe offendi, ac utriuſque ſexus individua poſſideo. Abdomen in fœmina craſſius flaviusque eſt.*

17) LIBELLULA *rubra* alis poſticis baſi lata macula flaveſcentibus: thorace abdomineque rubro.

DESCRIPT. *Thorax hirſutus obſolete rubet, lateribus lineæ 4. flavæ. Pedes nigri; ſuperiores alæ baſi vix flavæ, inferiores flaviſſimæ: punctum*

*punctum marginale ferrugineum. Abdomen rubrum, ſubtus nigrum.*

18) Libellula *frumenti* alis albis: thorace abdomineque luteo.

Roesel. *Inſ. aqu. T.* 8. *f.* 3.

Descr. *Alæ baſi vix luteæ; punctum marginale nigricans. Thorax abdomenque luteum, ſubtus nigrum, latere linea longitudinalis interrupta nigra.*

19 Libellula *triedra*, alis omnibus baſi flavis, puncto marginali nigro: abdomine triangulari.

β) Libellula alis poſticis baſi flavis, abdomine triangulari.

γ) Libellula alis nullis baſi flavis, abdomine triangulari.

Descr. *Amœna eſt, minor reliquis. Thorax viridi luteoque variegatus. Pedes nigri. Abdomen breve dorſo acutum nigrum, maculis flavis.*

20) Libellula *fulva* alis baſi fulveſcentibus: thorace abdomineque fulvo.

Descript. *Tota fulva. Frons ſcil. thorax, abdomen, femora priora. Oculi ex parte fuſci, virenteſque. Baſis alarum, cum nigredine quadam, & coſta marginalis fulva; punctum marginale nigrum. Pedes poſteriores & tibiæ anteriorum nigræ. In abdomine lineæ marginales & macula dorſalis, quæ apicem verſus augetur, nigræ. Fœmina differt nubecula nigricante in apice omnium alarum.*

21) Libellula *globulata* alis hyalinis: puncto marginali abdomineque luteo-fuſco.

Roesel. *Inſ. aqu. T.* 8. *f.* 5.

Descr. *Facies fuſca. Oculi virides. Thorax hirſutus, ſuperne* 2, *a latere* 3. *lineolis albidis. Cuivis articulo abdominis lineola nigra; ſubtus abdomen albo-cæruleſcens. Cauda diphylla, globulo aſſidente fuſco.*

22) Libellula *ſquamata* alis albidis, puncto marginali luteſcente: lineis thoracis quatuor cœruleis.

Medio Septembris.

Descr. *Facies fuſca, albo variegata. Oculi fuſci. Thorax fuſcus lineis utrinque 2. albo-cœruleis. Pedes nigro-fuſci, ſquamula ad baſin poſteriorum alba. Abdomen cylindricum, fuſco, albo, nigroque mire mixtum; ſubtus fuſcum.*

23) Libellula *virgo* alis erectis coloratis. *Faun. Svec.* 1470.

α) Rai *Inſ.* 50, 11. Libella media corpore e viridi cœruleſcente, alis fulveſcentibus abſque maculis.

Hofnag. *Archetyp. Part.* 2. *T.* 9.

γ) Libellula corpore viridi-cœruleo: alis ſubfuſcis: puncto marginali albo.

Roesel. *Inſ. aqu. T.* 9. *f.* 6. Hofnag. *Archetyp.* 11.

δ) Libellula corpore ſericeo nitido; alis inaurato-fuſcis: macula nigra.

Rai. *Inſ.* 50. 9. Libella media, corpore partim viridi, partim cœruleo, alis media parte maculis ampliſſimis e cœruleo nigricantibus.

Roesel. *Inſ. aquat. T.* 9. *f.* 7.

Hofnag. *Archetyp. Part.* 3. *T.* 6.

24) Libellula *puella*, alis erectis hyalinis. *Faun. Svec.* 1471.

Roesel. *Inſ. aquat. T.* 10. & *T.* 11.

α) Libellula corpore ſericeo: alis puncto marginali fuſco.

β) Libellula corpore incarnato: alis puncto marginali fuſco.

Rai. *Inſ.* 140, 2. Libella minor corpore purpureo-rubente.

γ) Libellula corpore ſericeo: alis puncto marginali nigro.

Rai. *Inſ.* 140, 1. Libella minor, corpore lucide cœruleo.

δ) Libel-

δ) Libellula corpore cœruleo cinereoque alterno: alis puncto marginali nigro.

ε) Libellula corpore fuſco nigroque alterno: alis puncto marginali albo.

DESCRIPT. *In E alæ hyalinæ nitidæ; punctum marginale album, lumini obverſum modo conſpicitur. Frons nigra. Caput & oculi fuſci; hi in extremitate thoraci proxima punctis ovalibus fuſcis notati. Thorax luteo-fuſcus, lineis longitudinalibus tribus nigris.*

(*Hafniæ Halam miſſa d.* 4. *Maii,* 1763.

## OBSERVATIO XXX.

## Dn. M. BALTHASAR. SPRENGERI.

### *Perdix a formicis excluſa.*

Ex quo Gallorum illuſtris Dn. *de* REAUMUR, cum inſigni Phyſices incremento, eo devenit, ut gallinæ vices gerat, & ova excludat arte ſua; non minor æmulatio Germaniam illuſtrat. Apud nos animalia, antiquitus ob ſagacitatem & induſtriam celebrata, formicæ, nuper idem experimentum feliciter in ſuis domiciliis repetierunt. Illuſtris Naturæ Curioſorum Academia ægre non feret, ſi hanc Obſervationem cum ſuis circumſtantiis deſcribam, eiuſque perſpicaciſſimo Domino Præſidi tradam. Menſe Iulio, & quidem eius die XX. anni præteriti Princeps Hohenzollerano-Hechingenſis iuſſit fœnum in ſuis pratis demeti. Cum parens meus, Inſpector rerum Cameralium, intereſſet, meque comitem eſſe vellet, accidit, ut prope pagum *Sickingam*, ruſticus, *Dacker* nominatus, falcato meſſorio inſtrumento, (*Senſe*) tumulum, quem formicæ ad domicilium ibi exſtruendum exaltaverant, divideret incautus. Acceſſi invitatus ruſtici exſecrationibus, & ad tempus fallendum penitius conſtitui perluſtrare ani-

malculorum domicilium; cum in medio tumuli invenirem ovum Perdicis, quod calebat, & obſcurius videbatur Solis obverſum radiis. Aperui, & mirabundus ibi intuitus ſum pullum vivum & bene formatum, qui ad ſummum intra biduum carcere liberandus naturaliter fuiſſet. Tentavi orphanum enutrire; ſed hunc terris oſtenderunt tantum fata, nec ultra eſſe ſiverunt; mortuus enim eſt pullus intra duas horas, cum dolore nutritii. Hæc eſt obſervatio; quo caſu autem ovum tumulo ſit ingeſtum, neſcio. In prato & adiacentibus non erant nidi alicuius veſtigia, quæ ſollicite quærebam; nec illo tempore, cum inciperent gramen demetere, vidimus in iſta regione perdicem. Deſino, ne nimis prolixo illud occinatur:

*Maxima de Nihilo naſcitur hiſtoria.*

(*Gottinga Halam miſſa d.* 5. *Maii* 1763.

## *OBSERVATIO XXXI.*

## Dn. D. JOHANN GOTTLIEB SCHAEFFER:

### *Singularia quædam circa Variolas naturales & inſitivas notata.*

In Variolis ab anno 1762. menſe Maio ad menſem Februarium uſque 1763. epidemice partim malignioris, partim benignioris indolis Ratisbonæ graſſatis, obſervavi:

1.) nec aërem temperatum, vel calidum, vel frigidum, nec ſiccum vel humidum, hunc morbum auxiſſe, aut imminuiſſe, neque in peiorem aut meliorem ſtatum conieciſſe variolis laborantes, qui curæ meæ fuerunt traditi, quorumque numerus ad 130. excrevit. Ex his 15. e vita diſceſſerunt, & ſine diſcrimine tempeſtatis, potius iuxta qualitatem corporis, temperamentum & regimen, mox variolas diſcretas vel benignas, mox confluentes & malignas experti fuerunt.

2.) De-

2.) Deprehendi, miaſma ſeu virus varioloſum, ſyrupo Violarum curatius examinatum, nec alcalicæ, nec acidæ naturæ, ita ut, mea quidem ſententia, peculiarem & vix cognitam morbi huius indolem ſupponere cogar.

3.) Expertus ſum in 4. infantibus, diverſæ ætatis & ſexus, Generoſiſſimæ prolis L. B. de Schwartzenau, Legati Comitialis, quam egregie variolarum inoculatio, præ curatione ſpontanearum, ſe commendaverit, & nullus dubito, quin curatio variolarum per inſitionem tamquam optima & ſatis certa tutaque ſit habenda.

(*Ratisbona Halam miſſa d.* 7. *Maii* 1763.)

## *OBSERVATIO XXXII.*

## Dn. D. JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

### *Ganglii curatio, adfrictu oſſis animalis demortui obtinenda.*

Mutationes & effectus ſæpius in humano contingere corpore, quorum rationem modumque fiendi nec medentium perſpicaciſſimus, nec philoſophantium princeps, exacte cognoſcere, multo minus diſtincte explicare poteſt, attenta ſatis ſuperque docere videtur experientia. Scio equidem, recentiorum perplures occultas Veterum qualitates riſui habere, eorumque inſcitiam ſatis gravem exinde deducere; ſed probe etiam ſcio, plures neotericorum demonſtrationes cum occultis Veterum qualitatibus pari ambulare paſſu, eademque fere illos oberrare chorda. Nolo iam de mirificis, quos quædam intus adſumta remedia producunt, differere effectibus; ad eas tantum reſpicere placet mutationes ſatis miras, quas corpora quædam aliena per externum ſolummodo attactum in noſtro corpore efficere poſſunt. Inter alia referri huc meretur Gangliorum curatio, attactu corporis

 pere-

peregrini obtinenda. Celeberrimus Dn. D. *Rüdiger Bridericus* Ovelgün, *novor. Actor. Nat. Curioſ. Tom.* II. *Obſervat.* XLIII. pag. 162. de experimento, dum Ganglion tactu manus mortuæ curatum allegat, dubius hæret, illudque ulteriori committit experientiæ; hanc ob cauſſam ea, quæ experientia de ſucceſſu curationis Ganglii, tactu oſſis animalis demortui obtinendæ, me docuit, publici iuris facere operæ pretium duxi.

Virgo nobilis, ætatis X. annorum, ex improviſo in medio oſſis humeri dextri Ganglion accepit, quod, in dies augmenta capiens, intra dimidii anni ſpatium magnitudinem ovi columbini acquiſivit, magnamque deformitatem, oculis externe conſpiciendam, virgini intulit alias formoſiſſimæ. Mater huius virginis de filia admodum ſollicita, poſtquam multa ſine ſucceſſu tentaſſet, tandem conſilium a quodam accepit ſequens, nimirum ut filiam per IV. hebdomades ante ortum & poſt ſolis occaſum ad locum ſeparatum, ubi animalibus demortuis pelles detrahuntur, deportandam, ibique fruſtulo oſſis Ganglium cruciatim tangendum leniterque fricandum curaret, hac obſervata regula, ut os in eundem, quo iacuiſſet, locum, ſine ulla ſitus deprehenſi mutatione, reponeretur, & eodem, nec alio oſſe, tactus Ganglii poſtmodum eadem ratione continuaretur, cavendo, ne filia, peracta curatione, per longum temporis ſpatium ad eundem accederet locum. Mater, obſequium dato præſtans conſilio, filiam per IV. hebdomades ad locum brevi ante deſcriptum deportandam & Ganglium humeri oſſe tali tangendum curavit, quibus peractis Ganglium in dies decrevit, & intra anni quadrantem penitus, ſine ullo reſtitante eius veſtigio, evanuit.

Miratus ſum egregium hunc effectum, & ſciendi cupidus, an in aliis idem eveniret ſucceſſus, occaſionem mihi ſuppeditavit virgo, illuſtri ſtemmate prognata, experimentum hoc reiterandi. Dreſda huc acceſſit virgo nobilis, ætatis XVI. annorum, cuius dextram manum Ganglium, magnitudine ovi columbini,

medio

medio in carpo exiſtens, maxime deformem reddebat, quam ea propter chirotheca tectam ſervare cogebatur. Interrogatus, an remedia Gangliis abigendis idonea mihi nota eſſent, conſueta expoſui præſidia, præcipue frictiones fortes reiteratas, & impoſitionem lamellæ plumbeæ; ea omnia vero fruſtra hic in uſum vocata eſſe mox expertus ſum. Menſæ aſſidens mater illius virginis, Ganglio liberatæ, curationem huius adeo deformis tumoris illico in ſe ſuſcepit, dando idem huic virgini, quod propriæ profuerat filiæ, conſilium. Tædio deformitatis & conſilii novitate permota virgo nobilis, deſiderio flagrabat inſigni, experimentum hoc inſtituendi, quod etiam brevi poſt ſuſcepit, admirando ſane cum effectu, ſiquidem Ganglium hoc deforme ſenſim ſenſimque decrevit, &, nullo alio adhibito remedio, intra ſpatium quadrantis anni in totum evanuit. Anno elapſo virgo illa huc rediens, ſummiſque datum conſilium extollens laudibus, manum mihi oſtendit, in cuius carpo ne minimum Ganglii deformis, quod adeo moleſtum & magnum fuerat, veſtigium invenire, multo minus conſpicere potui.

## *OBSERVATIO XXXIII.*

## Dn. D. JOANN. CHRISTIAN. HILDEBRAND.

### *Syncope aut ſopor Cricetorum per plures continuans menſes, ſine putredinis labe & vitae diſpendio.*

Ad animalia, ſapientiæ divinæ veſtigiorum pleniſſima, & exinde notatu admodum digna, *Cricetos*, qui germanico idiomate *Hamſter* vocantur, referendos eſſe, attenta eorum conſideratio evincit. Animalcula hæc, apum & formicarum æmula, dum æſtate non ſolum victum colligunt, ſed etiam magnam eiuſdem quantitatem ad uſus reponunt futuros, ſpeciem Glirium maiorum agreſtium conſtituunt, & ruri ſub terra degunt. Colore gaudent in ſuperficie corporis ex brunno rufeſcente, circa caput, & præcipue

cipue circa maxillas albeſcente, atque circa abdominis regionem nigerrimo. Binos hæc animalia in utraque maxilla fovent dentes inciſorios acutiſſimos, longe prominentes, eamque ob cauſam aſpectu horridos. Bina ad latus utriuſque maxillæ reperiuntur receptacula inſtar burſæ, in quibus tot frumentorum grana, quot maior viri manus capit, contineri poſſunt. Parant ſibi hæc animalcula domicilium profunde ſub terra, admodum ſpatioſum, binis pluribuſque inſtructum foraminibus, partim pro obtinendo liberiore aëris tranſitu, partim ad propriam ſecuritatem, ut, uno obſtructo, vel cooperto, e reliquis aufugere valeant.

Domicilium illorum quinque & pluribus inſtructum cernitur concamerationibus, quarum unam frumento depurato, alteram ariſtis, ſiliquis & gramini, tertiam areæ ad depuranda & a ſordibus paleaque purganda frumenta, quartam depoſitioni alvinæ excretionis, & quintam proprio deſtinant habitaculo. Eligunt hanc ob cauſſam ſolum limoſum, ſiccum & firmum, ad foveas rite conſtruendas, & hinc ratio patet, cur in Marchia nulli reperiuntur Criceti, quia ſolum undiquaque arenoſum illos impedit, quominus firmum ſibi parare poſſint domicilium. Tempore hyemali animalia hæc, ne eſurie pereant, ſeorſim in foveis degunt, ſiquidem mas, facta ſufficiente frumentorum collectione, femellam fovea ſua vi expellit, quæ idcirco, neceſſitate coacta, propriam ſibi parat foveam, & victum neceſſarium indefeſſo labore ſibi comparat, unde ſæpius evenire ſolet, ſi divortium hoc meſſe ad finem properante contingit, ut femella rapas, braſſicam & gramen tantum ſibi colligere poſſit. Vere redeunte Cricetus mas, curſitando per agros, obvias quaſvis viſitat foveas, ut femella potiatur, unde ſæpius, ſi femellam invenit maritatam, ſubterraneum oboritur certamen, tamdiu durans, uſque dum fortior debiliorem expulit marem.

Fœcunda hæc animalcula decem, duodecim, & plures edunt proles, quas, ſi ad ætatem pervenerunt congruam, iterum

magno

magno cum furore foveis expellunt, ut ſibimet ipſis foveas parare & victum colligere cogantur. Timorem, qui aliis multo maioribus proprius eſt animalibus, parciſſimum produnt Criceti; ſimulac enim quis baculo illos proſequitur, illico reſiſtunt, frumentum, ſi id receptaculis ſuis reconditum tenent, evomunt, magnis ſaltibus, ſonoro cum fremitu dentiumque ſtridore in hoſtem inſiliunt, & ſæpiſſime puſillum hoc animalculum hominem quadratum in fugam cogit eumque proſequitur. Ruſtici, pellium, quibus gaudent, cupidi, & frumentorum conſervationi proſpicientes, ſiquidem Criceti magnam frugibus noxam inferunt, quod exinde ſponte eluceſcit, dum in unica fovea dimidius frumentorum modius, & quod excurrit, ſæpius invenitur, haud raro aqua illos foveis expellere ſtudent, fine autem ſuo non potiuntur, niſi celerrime & continuo flumine aquam foramini infundant, alias illico foramina interius terra firmiter obſtruunt, ita ut nulla intrare poſſit aqua.

Communis de his animalibus fert ſententia, ea hyemali tempore ſine aqua vivere, & vitam ſine potulentis ſuſtentare. Ipſe ego in hoc verſatus ſum errore & in Procœmio Diſſertationis, ante plures annos elaboratæ, *de congruo Potulentorum in morbis ſelectu,* dubius hæſi, quid de ſuſtentatione vitæ Cricetorum ſine potulentis ſtatuere liceat. Sciendi cupidus, an hæc animalcula ſine aqua per plures menſes vivere poſſint, circa initium præſentis hyemis omnem adhibui operam, ut de huius aſſerti veritate certiorem me redderem. Conduxi hunc in finem virum quendam, neceſſariis ad effoſſionem Cricetorum inſtrumentis inſtructum, ut per rura incedens, Cricetum, inventa quadam fovea, effoderet, probe ſimul attendendo ad eiuſdem habitum viriumque rationem, de quibus ut mihi referret, præcepi. Conſpexit hic vir intra breve temporis ſpatium foveam quandam, in qua, multo labore effoſſa atque remota firmiter admodum congelata terra, Cricetum invenit, humi proſtratum, rigidum & omnibus

vitæ motuſque indiciis deſtitutum, unde hic vir ad credendum inductus eſt, Cricetum frigore periiſſe. Frumento adhuc reſiduo in ſaccum delato, Cricetum eidem impoſuit, & in hypocauſtum alefactum ſe contulit, fumi tabacini ſugendi gratia. Vicino in hypocauſtum hoc accedenti & ſciſcitanti, ubi fuiſſet, monſtravit hic vir Cricetum effoſſum & mortuum, maxima cum admiratione, quod frigus ſub terra animalia hæc vita privare poſſet. Vicinus, aliter edoctus, Cricetum nec mortuum, nec gelu necatum pronunciando, mox illum vita potiturum eſſe affirmavit, eumque hunc in finem aſſeri prope fornacem impoſuit, quo facto Cricetus intra horam dimidiam motum & vitam recuperavit, &, mirum dictu! per hypocauſtum currendo omnes adſtantes in ſummum coniecit terrorem. Certior igitur hac obſervatione factus ſum, Cricetos hyeme vita quaſi carere, &, ob inauditam hanc Syncopen vel ſoporem, potulentis haud indigere. Ne autem unicæ fiderem obſervationi alios interrogavi Cricetorum foſſores, qui mihi pariter affirmarunt, Cricetos, uti muſcas & hirundines, hyeme ſopitos iacere, ſeu Syncope diuturna corripi, & calore veris redeunte ad vitam denuo redire.

## SCHOLIUM.

Experientia hæc de diuturno & per plures menſes continuante Cricetorum ſopore, vel animi deliquio, ſine putredinis labe & vitæ diſpendio, notatu mihi videtur digniſſima. Conſtat inter omnes, ſanguinem animalium extra motum conſtitutum, in putredinem ruere, intra breve tempus corrumpi & ita mutari, ut ad circulum per vaſa ordinaria ſubeundum ineptus exiſtat. Quæ igitur ratio ſubeſt, quod Cricetorum ſanguis hanc mutationem & corruptionem non experiatur? Is, qui rationem in ſanguine viſcido, ſpiſſo, multiſque partibus terreſtribus referto quærit, longiſſime a veritatis tramite aberrare mihi videtur, ſi agilitatem magnam & ferociam horum animalium inſignem con-

ſiderat, quum, teſte experientia, illa animalia, quæ cruorem ſpiſſum & viſcidum in vaſis ſuis alunt, ignava, torpida, ad iram haud proclivia, & ad motuum celeritatem inepta, ad ſummum vero durante calore ſolis & aëris fervore ad motum auctiorem apta exiſtunt. Teſtantur potius, tam ſingularis illa Cricetorum ferocia, quam motuum vehementia, ſanguinem reſolutum bilioſum, celeriorem eiuſdem circuitum, & copioſiorem bilioſi humoris ſecretionem, cumque ſanguis ita comparatus putredini, ob bilis largius ſecretæ, ceu fluidi ad putredinem concipiendam proniſſimi, præſentiam, magis velificatur, quam contrariatur, nemo certe in ſanguine horum animalium rationem defectus putredinis inveniet.

Quod porro aëris, præcipue calido-humidi, actio fluidorum putredinem inchoet atque promoveat, neminem fugit. Abſentia igitur putredinis, & conſervatio Cricetorum, maiori iure adſcribenda videtur prohibito liberioris aëris diverſimode alterati acceſſui, ſiquidem animalia hæc ſub terra aëre ſicco, frigidulo & æqualiter temperato circumdata ſunt, unde nec frigoris ſævitia, nec caloris, præſertim humidi, actio præternaturalem humoribus inferre poſſunt mutationem. Qui autem fieri poſſit, ut, accedente veris calore, nulla oriatur putredo, huius ratio a ſucceſſiva & per gradus leniſſime procedente caloris communicatione petenda venit. Hoc enim modo cruor, uti in membris frigore tactis & aquæ gelidæ immiſſis, ſucceſſive a leviore acceſſu partium inflammabilium, ſolvitur, in motum cietur, & nimia aëris occluſi expanſio, debilitatem vel rupturam vaſorum certo certius calore nimio efficiens, & ſtagnationem humorum, putredinis matrem, poſt ſe trahens, præcavetur. Cur autem cadavera humana, loculis incluſa, licet aëris liberioris acceſſus ſic ab iiſdem arceatur, tam cito putredini obnoxia fiant, id ſine dubio morbo prægreſſo, humorum putredinem inchoanti, & ſanguinis mixtionem ſubvertenti attribuendum videtur.

Hinc etiam illi homines, qui, citra prævium aliquem morbum, ſubito ſuffocati, aut a frigore, ſubmerſione in aqua, graviori quadam Syncope, vehementiori terrore aut nimio gaudio exanimes facti videntur, ſæpius poſt ſatis notabile temporis intervallum excitari & ad vitam revocari poſſunt, ſi convenienti ipſis ſuccurritur ratione; unde manifeſto patet, poſſe, ſicuti in talibus hominibus, ita & in certis quibuſdam animalibus, ſub caloris nativi remiſſione, ſuperſtitem in humoribus progreſſivum motum effici ſegniſſimum, manente ſic debiliſſima vita, & corporea putrefactione immuni perſeverante, prout hoc egregie demonſtravit illuſtr. b. m. *de* BERGEN, in Diſſertat. *de Animalibus hieme ſopitis*, Francof. ad Viadr. 1752. ventilata, in qua ſimul §. XIII. de Cricetis probabile eſſe iudicat, quod, dum cryptas non intrant, niſi frumenti granis repletas, perpetuo minime veterno opprimantur, ſed iteratis vicibus prorepant & cibum capiant; aſt, tunc etiam potulenta aſſumere deberent, quibus tamen hiberno tempore deſtituuntur; unde magis probabile mihi videtur, quod animalia hæc eum in finem apparatum illum frumentorum colligant, ut appropinquante vernali tempore, quando ex ſyncoptico ſuo ſopore denuo excitantur, & extra cryptas ſuas alimenta nulla obtinere poſſunt, victum interim neceſſarium inde ſumere queant.

(*Islebio Halam miſſæ d.* 20. *Maii.* 1763.)

OBSER-

# OBSERVATIO XXXIV.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

## *Spina bifida.* (*)

Reſtionis Geislingenſis uxor, 40. circiter annorum, aliquot liberorum mater, durante graviditate febre bilioſa adfecta, & ab ea iterum liberata, iuſto partu & tempore infantem enixa fuit ſequioris ſexus, vivum, ex cuius lumborum vertebris, ſingulis bifariam fiſſis, tumor adparuit, magnitudine dimidii floreni, colore carneus, obſcure rubens, tactu mollis digitoque cedens, eiulatu vel inſpiratione inflatus, integumentis communibus deſtitutus, & propria tunica incluſus. In eius capite inſuper conſpectui ſe obtulit hydrocephalus, cum ſuturis etiam in oſſe frontis multum hiantibus. Inſtar ſani de reliquo & pulmenta, & quum a matre haud lactaretur, potulenta alia, adſumſit, digeſſit quoque, & non niſi torminibus adfectus fuit: Perpetuo autem ſopore oppreſſus, omnium ſenſuum externorum hebetudinem monſtravit. Artus inferiores plane non, nec ab irritatione plantarum pedis movit, ſed femora & pedes reſoluti & introrſum reflexi, inſimulque tumidi & inflati fuerunt. Tumori in lumbis, ubi ſpina dorſi fiſſa erat, imponere curavi Emplaſtrum molle, ex illo de Minio & albo cocto, interne vero dedi infanti aliquoties lene laxans ex Syrupo de Cichor. cum Rhabarb. itemque quotidie de Tinct. Tartari guttulas XV. atque per vices pulviſculum ex aliquot granis Millepedum & Lapid. Cancrorum ppt. cum pauxillo Sacchari; ſed omnia incaſſum: ſenſim enim & magnitudo hydrocephali, & tumoris in ſpina bifida, atque una ſopor increvit, atque hic infans, poſtquam



(*) Conferri poſſunt, quæ horum Actorum Tom. II. Obſ. C. pag. 394. annotata leguntur. TREW.

quam XII. ſeptimanas ſupervixiſſet, tandem leviter convulſus obiit. Sectionem cadaveris eius, quam valde optaſſem, parentes non permiſerunt.

## *Scholion.*

Hoc ægritudinis genus, olim nævis maternis adnumeratum, a prægnantis imaginatione oriri, plurimis perſuaſum fuit. Sic SCHENCKIVS *Obſ. med. rarior. pag.* 662. ex lapſu matris gravidæ de ſcalis, puellam natam fuiſſe, narrat, luxata dorſi ſpina & enata in lumbis ovi magnitudine excreſcentia, qua impoſitis emollientibus rupta, puella convulſa interiit, idque terrori matris adſcribit; pag. 664. autem aliam obſervationem exhibet de puello, qui in dorſo, ſupra podicem, tumorem inſtar farciminis adnatum habuit, quo Chirurgi manu aperto, infans obiit. Aliquot quoque eiusmodi caſus TULPIUS *in Obſ. med. Lib. III. Cap.* 29. & 30. prægnantium imaginationi tribuit, atque ſpinam eiusmodi bifidam cultro anatomico examinatam & elegante icone *Tab. XI.* delineatam, lectoribus ſiſtit, ac proinde tunica peritonæo contigua tectum eſſe talem tumorem docet, inſimulque probe monet, haud eſſe aperiendum, ſed potius fomentis tantum & emplaſtris diſcutientibus tegendum. Huc pertinet quoque *Stalpartii van der* WIEL hiſtoria fœtus, diffractis in utero materno lumbis editi, in *Obſ. rarior. Centur. II. Obſ.* 34.

Tantum autem in univerſum abeſt, ut nævorum a prægnantium imaginatione geneſis ſatis evicta ſit, ut potius ſat gravibus argumentis reiiciatur non ſolum a BLONDELLO, verum etiam ab Auctore elegantis libelli, *Venus Phyſique* inſcripti *Part. I. Cap.* 15. *pag.* 113. atque ab Ill. *de* HALLER in *Not. ad* BOERHAAVII *Prælect. ad Inſtitut. med. Vol. V. Part. II.* §. 694. *pag.* 523. *ſqq.* & in *Opuſcul. anatom. p.* 162. nec opus eſt ad obſcuras & incomprehenſibiles cauſſas confugere, ubi evidentes & quæ absque difficultate ex ipſarum partium læſarum fabrica cognoſci poſſunt, habentur: Excell. enim PLATNERUS tam in *Opuſc. Tom.*

*II.*

*II. pag.* 45. quam in *Inſtitut. Chirurg.* §. 747. ſolide demonſtravit, infantes cum his tumoribus natos, laborare hydrocephalo interno, & humorem in capite contractum, ſi in anterioribus cerebri ventriculis increſcit, ferri per aquæductum Sylvii in tertium ventriculum, & ex hoc, ſi ei nullus exitus per infundibulum datur, in quartum; tandem ex hoc ſibi viam facere in eam vertebrarum fiſtulam, per quam medulla, cerebro commiſſa, deſcendit, usque ad lumbos: quo increſcente cartilagines, quibus infantum ſpondyli, ex tribus oſſiculis conflati, inter ſe committuntur, premuntur, emolliuntur, & ita teneriora oſſicula inter ſe diducuntur, atque humor, qui ſubeſt, in tumorem attollitur, qui vero dum vel inciditur, vel a humore ſtagnante, mora corrupto, mutato tunicæ exterioris colore, rumpitur, tenelli convelluntur & plerumque repente iugulantur. Vtrum porro etiam ſpina findi poſſit, ſi infans in arctiori utero ita compoſitus eſt, ut gravius, tum eius coxæ, tum artus inferiores comprimantur, vel an idem ſub ipſo laborioſiori partu, ob incongruum fœtus ſitum, contingere queat, dubium eſſe videtur.

Pedes vero infantibus, qui cum his tumoribus nati ſunt, reſolutos eſſe, incurvos & in interiora obtortos, ideo accidere poteſt, quia ſpinæ medulla, ubi ex ea nervi educuntur, qui ad artus inferiores progrediuntur, ab humore preſſa reſolvitur, atque membris reſolutis, quia non æqualiter increſcunt, figura manet, quam forte a ſitu, qui eis in utero fuit, traxerunt. Quod ad curationem talis infortunii ſpectat, quamvis artem hic nihil proficere poſſe, pergat laudatus Platnerus, non tamen penitus deſerere poterit Medicus miſellum talem ægrum, ſed iuxta præcepta celeberr. *Io. de* Gorter, in *Syſt. Prax. med. Tom. II.* §. 348. tentandum, an modica ſuſtentatione ſenſim validiore, cum adplicatis roborantibus, abigi queat tumor; interne vero dari poſſunt, quæ alias in rhachitide conveniunt,

& ad

& ad hydrocephalum externum Platnerus *in Inſtit. Chirurg.* §. 750. *ſeq.* commendat.

## *OBSERVATIO XXXV.*

# Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

## De

## *Ruptura Ilei lethali, ex equi calcitratione.*

Molitoris ſervum, 30. annorum, ſanum & robuſtum, meridie antea bene paſtum, equus poſterioribus pedibus ita recalcitravit, ut hypogaſtrica abdominis regio vehementer contuſa fuerit. Succeſſerunt ſtatim atroces abdominis dolores, quos balneator, adplicatis externe parti adfectæ ſacculis diſcutientibus in vino coctis, & iniectis ſucceſſive quatuor clyſteribus demulcentibus, lenire tentavit, ſed fruſtra. Vocatus altero die, deprehendi ægrum omnia, tam potulenta, quam eſculenta, vomitu reieciſſe, atque præter duritiem & inflammationem in hypogaſtrica abdominis regione, adeſſe ardorem ſub actu mingendi, pulſus celeritatem, ſitim, calorem febrilem, anxiam reſpirationem, inquietudinem, cum ſudore inæquali, in fronte maxime conſpicuo, eoque frigido. Omnibus penſitatis, ſanguinem in pede mittere, & quum quatuor Clyſteres, a balneatore iniecti, retenti fuerint, ſtimulantem, cui fol. Senn. uncia dimid. incocta fuit, ano iniicere iuſſi & quæ vomitum compeſcere, febrimque vulnerariam moderare alias valent, ſubiunxi, qualia fuerunt infuſum Theeforme, ex arnica, meliſſa, chamomilla & anis. ſtellato, & mixtura ex aquæ menth. chamomill. millefol. Cort. aurant. ana ℥iß. Cinnam. ſine vin. ℥ß. Pulv. antispasmod. Halenſ. ʒiß. Pulv. ad caſ. Auguſtan. ℈iv. antimon. diaphor. ʒß. Lap. cancr. ppt. ana ℈ij. Salis Sedlicenſ. ʒij. Mixt. ſimpl. ʒß. Liqu. mineral. anodyn. Hoffm. ʒj. Syr. papav. rh. ʒvj. Quievit ſic quidem vomitus, & clyſmata ano iniecta reddita fuerunt;

runt; ſed tertio morbi die mane denuo vehementioribus abdominis doloribus excruciatus fuit: iniecti duo clyſteres cum aliquali levamine reiecti iterum fuerunt; æger autem nihilominus, prægreſſa ſpontanea alvi evacuatione, ſenſim debilior factus, eadem meridie exſpiravit.

Inſtituta veſperi eiusdem diei cadaveris ſectione, nullum externum læſionis violentæ ſignum comparuit, niſi durities in hypogaſtrica abdominis regione: ſeparatis vero integumentis communibus, & aperto abdomine, vaſa ſanguifera per muſculos abdominis, peritoneum, omentum, inteſtina tenuia & meſenterium decurrentia, ſanguine atro congrumato ubivis turgida, viſui ſe obtulerunt. Abdominis & pelvis cavum liquamine albido ſpumeſcente, pingui, atque acidum putre ſpirante, quod ad libr. VI. medicas menſuravi, repletum fuit. Examinatum adcuratius totum canalis inteſtinalis volumen, flatibus quidem ubivis extenſum, à minimo contactu collapſum fuit, atque verſus regionem iliacam dextram in inteſtino ileo, prope inſertionem muſculi pſoas maioris & haud procul ab inteſtino cœco, eo loco, ubi meſenterio connectitur, hiatus adfuit, cuius diameter latitudinem pollicis haud ſuperavit, cum labiis inæqualibus & laceris, atque macula in circumferentia ſphacelata. Ex hoc hiatu, preſſo ſuperius canali inteſtinali, liquamen effluxit illi ſimile, quod in cavo abdominis fluctuavit. Reliqua viſcera bene ſe habuerunt, ſi dextrum pulmonem exceperis, qui ſanguine atro & congrumato infarctus fuit.

## *Scholia.*

I.) Liquamen illud, in cavo abdominis & pelvis repertum, pro maſſa chyloſa, muco inteſtinali remixta, æſtimavi, quæ tam meridie ante contuſionem ab equo calcitrante, quam tridui abhinc ſpatio ab adſumtis eſculentis & potulentis collecta, in itinere ſuo verſus valvulam coli per hiatum in inteſtino ileo exſtil-

exſtillavit, & ſic in cavo abdominis ſtagnavit: habita enim ratione vulneris, clysmatibus iniectis huius liquaminis proventum non deberi, exinde iudicavi, quia nec ſaporem, nec odorem ſpecierum, ex quibus Clysmata decocta fuerunt, redoleverit, nec Clysmatibus per coli valvulam detur tranſitus. Vid. Cel. *de* HAEN *Ratio medendi in Noſocomio practico Vindobonenſi, Part. II. Cap.* 5. *pag.* 82. *ſq.*

II.) Siſtit hic caſus novum lethalis ilei rupturæ exemplum, quale celeberr. Dn. D. ALBRECHT *in Act. Natur. Curioſor. Vol. IX. Obſ.* 2. & Dn. *Remon de* VERMALE *in iisdem Actis novis Tom. I. Obſ.* 81. exhibent.

## OBSERVATIO XXXVI.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

### De

### *Egregio effectu Clyſteris ex fumo Nicotianæ, in Colica ſpasmodica cum Enterocele incarcerata.*

Molitor, annorum aliquot ſupra 40. ſanus alias, ſed hernia ſcrotali dudum iam adfectus, ab eius induratione diverſis temporibus atrocia abdominis tormina, cum vomitu & alvi ſuppreſſione expertus fuit: adminiſtrata tamen Venæſectione, & hernia, adplicatis prius fomentis & inunctionibus emollientibus, repoſita, brevi iterum reſtitutus, per longum temporis ſpatium nullas amplius ſenſit moleſtias; ſibi tamen nimis confidens, depoſito, quod antea geſtavit, bracherio, & admiſſo intenſiori corporis refrigerio, herniæ in ſcrotum delapſæ indurationem cum rubore denuo paſſus fuit, ſubſequuti acuti abdominis dolores, periodice recurrentes, vomitus, alvique & flatuum ſuppreſſio. Dedi interne antispasmodica & temperantia, rhabarbaro remixta, infuſum Theiforme ex herb. menth, arnic. cum flor.

mille-

milleſol. chamomill. cort. aurant. & ſemin. aniſi; iniecti crebrius clyſteres, ex chamomilla cum iuſculo carnis decocta, ſapone Veneto, ol. olivarum & melle; externe hernia unguent. dialth. popul. ol. chamomill. & bezoard. Wedel. inuncta fuit, ſuperimpoſito cataplaſmate ex mica panis cum lacte & oleo, vel eius in locum ſubſtituta pelle leporina in lacte decocta. Venæſectio in brachio primum, poſt in pede adhibita fuit, ſed ad tertium usque diem omnia incaſſum; hernia enim Chirurgi, repoſitionem molientis, manum pertinaciter eluſit. Hinc tandem Nicotianæ fumum, per infundibulum tale, cuius iconem Exc. HEISTERUS *in Inſtitut. Chirurg. mai. Tab. XXXIV. fig.* 13. *exhibet*, *& Part. II. Sect. V. cap.* 161. *pag.* 1037. accurate deſcribit, per anum inſufflare iuſſi, a quo ſtatim ſtimulum ad alvum deponendam ſenſit, & hernia facili negotio repoſita fuit. Adplicato ergo iterum bracherio, ad præſervandam alvi ſiccitatem, huic Viro in ſtatu ſano quoque conſuetam, ob quam ſæpius, ſub niſu alvum deponendi, inteſtinorum tenuium portio in Scrotum protruſa fuit, uſum electuarii, crebriore experientia mihi comprobati, ei commendavi: Rec. Pulp. Tamarindor. Paſſul. minor. recent. ana ℥ß. Pulv. fol. Senn. ſin. ſtipit. rad. Ialapp. ana ʒij. Rhabarb. Orient. Tart. vitriolat. ana ʒj. flor. chamomill. vulg. ℈ij. flaved. cort. aurant. ʒß. Eſſent. milleſol. ʒj. Mell. deſpumat. q. ſ. M. doſ. ʒj. ad ʒij. alternis diebus.

## *OBSERVATIO XXXVII.*

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

### De

### *Paſſione iliaca, uſu Mercurii vivi ſanata.*

Idem vir, elapſo biennio, neſcio qua ex cauſa, paſſione iliaca corripiebatur, cum alvo clauſa, atrocibus ſuper dextro in-

guine torminibus, æſtu, ſiti, vomitu omnium adſumtorum, tandem ſtercoreo, & quod notatu dignum mihi videtur, hernia non fuit incarcerata, ſed potius ſaccus eius vacuus, nec ulla inteſtini ilei portio ad annulum usque peritonæi tactu ſentienda, id quod mihi ſuſpicionem movit, portionem huius inteſtini in itinere ſuo e ſacco hernioſo per annulum peritonæi invaginatam fuiſſe, atque hac ratione generatum volvulum. Quum itaque recenſita in antecedente Obſervatione methodo nihil profeciſſem, periculoſum morbi ſtatum ægro denunciavi, uſuque mercurii vivi ultima experiri propoſui. Annuit etiam, atque tertio morbi die mane, præmiſſo hauſtu ℥vj. Ol. amygdal. dulc. recentis, mercurii vivi rite depurati ℥iv. una doſi adſumſit. Quievit tunc vomitus, & brevi poſt mercurium usque ad regionem ſupra inguen dextrum, maxime dolentem, pertigiſſe, ſed iam ibi moram inveniſſe, mihi adfirmavit. Meridie iterum clysma injicere curavi ex fol. Senn. & Sapone paratum, quod brevi iterum reddidit, non tamen ſine omni levamine; nocte vero ſequente ſucceſſit ſpontanea & copioſa alvi evacuatio, cum qua ſimul mercurius vivus adſumtus reiectus fuit: quo facto omnia ſymptomata ſimul & ſemel evanuerunt, atque hic vir, denuo perfecte reſtitutus, ſanus adhuc & vegetus vivit.

## *Scholia.*

I.) Alia exempla perſanatæ paſſionis iliacæ per mercurium vivum exhibuerunt *Illuſtr. & Magnif. noſter* PRAESES, & Celeberr. D. *van* WOENSEL *in Act. Natur. Curioſor. Vol. V. Obſ.* 46. *Schol. & Obſ.* 105.

II.) Introſuſceptionem inteſtinorum accurate deſcribit *Illuſtr. de* HALLER, *in Diſſ. ſur les parties irritables & ſenſibles des animaux*, ubi p. m. 66. inquit: *J'ai vu l'introſuſception dans un petit chien, qui avoit pris du poiſon; une portion de l'inteſtin retreci & reſerré, s'introduit dans la partie voiſine, qui ſe trouve plus grande, & en reſſort enſuite*

*enſuite avec facilité; pendant ce tems là elle charie egalement les viandes de haut en bas & de bas en haut.,,*

## OBSERVATIO XXXVIII.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

## *Adfectu rariori ſpaſtico-convulſivo, a contuſione dextri hypochondrii.*

Si qui unquam morbi monſtroſi quid alunt, id certe fit in iis, quibus nervoſum genus adficitur, ubi dira & horrenda ſæpe ſcenam ludunt ſymptomata, quæ olim pro effectibus incantationum & obſeſſionum diabolicarum falſo habita fuerunt; hodie vero, pro ſeculi noſtri felicitate, detracta ſuperſtitioni larva, & exploſis cœcorum præiudiciorum & corruptæ imaginationis ludibriis, iuxta ſanioris Pathologiæ præcepta, clarius cognoſcuntur. Confirmabit id ſequens caſus.

Iuvenis, ruſtici ſervus, 20. annorum, ſanus & robuſtus, ſtupidioris autem ingenii, morbis ſpasmodicis in pueritia obnoxius, in agro aratrum ducens, inter iocos cum alio ſervo mixtos, ab eodem gleba duriori & maiori ita iactus fuit, ut contuſio ad dextrum hypochondrium graviter pertigerit, ex quo ſtatim quidem dolorem in regione læſa, cum aliquali refrigerio, ſenſit, nihilominus tamen conſuetos ſuos labores ad tertium usque ab hoc infelici iactu diem, peregit. Tunc autem acceſſit gravior horror, cum ſubſequente calore & tuſſicula ſicca, atque iuncta fuit vehemens, ſonora, anxia, eaque ſimul brevis & celerior reſpiratio, cum reciproca abdominis inflatione & retractione, murmuribus in eo, ſtertore in bronchiis; poſtea intercepta plenarie reſpiratione, æger omni ſenſuum uſu priva-

tus, rigidus decubuit, actorum tamen in paroxyſmo memor, & eundem, quod incertis periodis ſæpius factum, reverſurum eſſe præſcius. Vocatus, in ipſo paroxyſmo, ſanguinem e brachii vena detrahere iuſſi, quo facto ſtatim ad ſe rediit æger: ratus vero, ob ſanguinem congrumatum, in regione dolente collectum, & factam diaphragmatis in illo eius margine, ubi coſtis ſpuriis dextri lateris committitur, ſuggillationem, per conſenſum nervorum phrenicorum cum iis, qui ad muſculos reſpirationi inſervientes decurrunt, adeo horrendum ſpaſtico-convulſivum motum fuiſſe excitatum, ſubiunxi crebriorem uſum infuſi Theeformis, ex Arnic. cum flor. Veronic. cort. Citr. & ſem. aniſi, & mixturæ, ex aqu. flor. acac. ceraſor. nigr. ana ℥iij. Pulv. bezoard. ad modum Rollvvagiani compoſiti, Pulv. ad caſ. Auguſt. ana ʒiiß. Nitr. purif. ℈ij. Liqu. miner. anod. Hoffm. ʒiß. Mixt. ſimpl. ʒj. Syr. capillor. Veneris, ol. amygd. dulc. recent. ana ʒvj. quovis bihorio ad cochlearia duo adſumendæ, atque pro potu ad aquæ ſimplicis Menſ. dimidiam 3. cochlearia Iulapii ex Syr. rubi idæi ℥ij. Ceraſ. acidor. berber. ribium ana ℥j. aceti vini ſimpl. Succ. Citri recent. & Tinct. papav. rh. ac ſpir. nitr. dulc. ana ʒvj. compoſiti, addere, regioni inſuper dolenti Spir. vini camphor. crocatum adplicare, & poſtea ſacculos diſcutientes in vino coctos imponere curavi. His adhibitis per triduum, quavis poſt meridiem hora circiter ſecunda, paroxyſmus bis vel ter recruduit, atque per horæ dimidium plerumque tragœdiam luſit, nec tamen ullus ſenſibilis calor febrilis acceſſit, ſed tantum pulſus inæqualitas & poſt paroxyſmum debilitas ſeſe adſociavit, ſomnusque nocturnus multis vanis terriculamentis turbatus fuit.

Reiterata intra hoc tempus Venæſectione in pede, clyſteribus binis lenitivis iniectis, atque præter mixturam ex aqu. flor. Sambuc. Acac. Lil. convall. ana ℥ij. Cinnam. ſ. v. ℥ß. Pulv. bezoard. & ad caſ. Auguſtan. ana ʒiiß. Nitr. purif. ʒj. & Syr. pa-

pav.

pav. alb. ℥vj paratam, adhibito quoque Liqu. miner. anod. Hoffm. Liqu. Cornu cerv. ſuccinat. cum Mixt. ſimplici, quinto ex quo vocatus fui die, æger, ab omni paroxysmo immunis, ſatis quidem bene ſe habuit, redeunte quoque adpetitu, & ſomno quietiori facto, ſecutus quoque lenis cutis mador, ſed frigidiuſculus, hincque ſuſpectus. Nec longæ omnino fuerunt induciæ: ſexto enim die iterum circa veſperam paroxyſmus bis rediit, non quidem cum reſpiratione convulſiva, ſed cum intercepta, iuncta ſimul ventriculi prægravatione, anxietate, ſpaſtica oris ad riſum commotione, colli tumida inflatione, & abolito ſenſuum & loquelæ uſu. Poſtea ſomnus nocturnus vanis anxietatibus, cordis palpitationibus & terroribus transactus fuit: dolor vero in dextro hypochondrio tactu hactenus exacerbatus, ſedem mutavit verſus epigaſtrii regionem; loco itaque Mixturæ, ultima vice præſcriptæ, ſequentem ordinavi: Rec. Aqu. lil. convall. pœon. papav. rh. ana ℥ij. Cinnam. ſ. v. ℥ß. pulv. antiſpaſmod. Halenſ. epilept. de Guttet. River. ana ℈iv. Lumbric. terreſtr. ppt. Succin. ppt. ana ℈ij. Mixt. ſimpl ℈iv. Syr. papav. rh. ʒvj. M. doſ. 2. cochlearia ſingulis binis horis, & Rec. Liqu. min. anod. Hoffm. ʒij. Liqu. Cornu cerv. ſuccinat. Tinct. Tartari ana ʒj. M. doſ. LX. gutt. mane hora ſeptima & decima; continuatum quoque fuit infuſum theeforme. Horum uſu ſeptimo die a paroxysmo immunis fuit, octavo vero & nono die eadem, uti ſub primo morbi inſultu, vehementia tragœdiam luſit: æger tamen eodem ſuperato, non niſi de laſſitudine conqueſtus fuit, adpetitu integro, alvoque libera manente, nec pulſus, præter inæqualitatem, aliquid ominoſi indicavit. Nihil itaque in medicamentis mutavi, ſed tantum Mixturæ præſcriptæ Caſtoreum addidi, atque alvum potione ex fol. Senn. ſ. ſtip. paſſul. min. ana ℥ß. Crem. tartari ʒß. cort. Cinnam. Sem. aniſ. coriandr. ana ℈j. in aqua ſimpl. q. ſ. ad remanent. ℥iij. decoctis, addita poſt percolationem Mann. elect. ℥j. & ſal. Epſom. ʒij. tridui ſpatio bis ſubduxi.

Quam-

Quamvis autem nullum unquam ſanguinis congrumati indicium in excrementis alvinis conſpectui ſeſe dederit, nec tale quid vel tuſſi, vel vomitu reiectum, vel per urinam redditum fuerit, ita tamen remiſit paroxysmi ſpaſtico-convulſivi ferocia, ut decimo & undecimo die absque illa horrenda reſpiratione, ſed tantum cum anguſtiore, atque moleſta circa præcordia compreſſione acceſſerit, ſubſequuta duodecimo die plenaria euphoria atque ſublato quoque dolore in epigaſtrii regione. Nova autem ludebatur ſcena die ſequenti: Sub reſpiratione enim perfecte libera, acceſſit dolor acutus, ſcindens & lancinans, tam in dorſo, quam in partibus muſculoſis faciei, tantus quidem, ut nec in lecto decumbere, nec ſedere potuerit, coactus potius, celeri gradu obambulare. His ſymptomatibus ſeſe ſociavit ventriculi prægravatio, collique inflatio atque faciei rubor, purpuræ urticatæ haud abſimilis, mox tamen iterum disparens. Mutata ſic morbi ſede, atque motibus ſpaſtico-convulſivis a nervis reſpirationi dicatis, aliunde converſis, ex hac cataſtrophe bene ſperavi; nec fefellit me prognoſis; reiterata enim potione laxativa, & Venæſectione in pede tertia vice adminiſtrata, ſub frequenti uſu Liqu. miner. anod. Hoffm. Corn. Cerv. ſuccinat. Mixt. ſimpl. Eſſent. caſtor. & Tinct. tartari, pulveris ex antispasmod. ℈iv. epilept. de Guttet. River. ℈ij. Viſc. quern. corylin. Lumbric. terreſtr. ppt. ana ʒß. quavis tertia hora ad 2. cultelli cuſpides adſumti, atque Balſ. nervini, ex ol. nuciſt. expr. ℥ß. deſtill. Succin. ℈j. lavendul. maioran. cumin. carv. aniſ. ana ℈ß. axung. Caſtor. ʒj Camphor. gr. vj. ſpinæ dorſi bis vel ter de die inuncti, ſpatio duarum ſeptimanarum omnia ſpaſtica molimina penitus ſublata fuerunt, & æger plenarie ſanitati reſtitutus, ab omni recidiva immunis hactenus vixit.

## *Scholium.*

Ignarum vulgus hunc morbum polymorphum incantationi adſcripſit, is vero, qui glebam iaculavit, illum contuſioni dextri hypo-

hypochondrii in acceptis haud ferendum eſſe prætexit; ſed utrumque haud attendens, ego circa ætiologiam huius adfectus, eum ex vehementi concuſſione & ſuggillatione diaphragmatis & forte etiam hepatis, deduxi, qua nervi phrenici & hepatici, ſpaſtice adfecti, intercoſtalem & paris vagi una in conſenſum traxerunt, atque omnia recenſita Symptomata excitarunt: eo lubentius autem hunc caſum communico, quum ex eo, quam graviter viſcera interiora ab externis contuſionibus adficiantur, colligi poſſit, uti id in *Actis Academiæ noſtræ Vol. IX. Obſ. I.* alio exemplo a celeberr. Dn. D. ALBRECHT confirmatur.

## OBSERVATIO XXXIX.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

## *Horrenda dilaceratione Femoris.*

Chartarii ancilla, 24. annorum, ſana & vegeta, menſtruo fluxu vix finito, a rota moletrinæ chartariæ, cui incautius ſeſe adpropinquavit, ita contuſa fuit, ut femur cum cute & ſubiecta pinguedine a regione trochanteris maioris, primo transverſo itinere infra muſculum obturatorem externum, poſtea obliquo curſu usque ad illam regionem, ubi muſculi extenſores ſupra genu in unum tendinem coëunt, lata haud minus quam longa apertura dilaceratum, osque femoris fere in medio in plura fragmenta & feſtucas fractum fuerit, muſculis anterioribus femoris, ut recto anteriori, vaſto externo, crurali & ſartorio, quoad maximam ſui partem nudis adparentibus, earumque fibris hinc inde, levius tamen, ſi cruralem exceperis, ſauciatis. Succeſſit hæmorrhagia magnitudini tam horrendi vulneris proportionata, non tamen tanta, ut arteriæ vel venæ cruralis læſionem ex ea colligere potuerim. Dato prognoſtico lethali, & fa-

cta, quum repoſitioni oſſis femoris fracti nullus daretur locus, in quantum id poſſibile fuit, decenti a Chirurgo, mediantibus plumaceolis, ſpleniis, faſcia aſciali, & arcula ſtraminea, deligatione, atque toto adparatu epithemate calido ex herb. ſcord. rut. ſalv. marrub. alb. tanacet. abſynth. ana Mß. in oxycrat. Menſ. 11. decoctis, addendo poſtea colat. Salis gemmæ & armoniac. ana ℥ij. irrorato, ſanguinem e brachio detrahere iuſſi, qui ſpiſſior & ater ad ℥vj. eductus fuit. Ad refectionem inſuper potionem analepticam ex aqu. Cinnam. ſ. v. & perlar. ana ℥j Confect. Alkerm. incompl. ʒij. Ol. de Cedr. Ital. gutt. ij. & ob pulſum inæqualem & celerem mixturam ex aqu. rubi id. ex ſucc. Ceraſ. nigr. flor. Sambuc. ana ℥ij. pulv. cort. Peruv. elect. ʒij. Nitr. purif. ʒiß. Lap. Cancr. ppt. ʒj. Antimon. diaphor. ʒß. Liqu. miner. anod. Hofm. ʒj. & Syr. de Cinnam. ʒvj. præſcripſi, neque minus ad gangrænam & ſphacelum præcavendum, cort. Peruvianum largiori manu hunc in modum ægræ exhibui: Rec. Pulv. cort. Peruv. elect. ℥ß. Nitr. purif. ℈iv. Confect. Alkerm. incompl. ℥j. M. F. maſſa div. in viij. bolos æquales, adſumatur unus quavis quarta hora; ſed omnia incaſſum: veſperi enim acceſſit horror & calor febrilis cum pulſu celeriori & debili, die ſequenti acceſſit aliquoties vomitus cruentus, cum menſtrui quoque fluxus indicio, abdominis duritie & anxia reſpiratione, & facti nova deligatione pars adfecta fœtorem ſumme cadaveroſum ſparſit, adparentibus muſculis femoris rigidis, atris, ſiccis, inſtar lardi vel carnis fumigatæ, cum pinguedine & cute livida. Tandem tertio die, præcedente mentis abalienatione, tendinumque ſubſultibus, & facie prius florida in Hippocraticam mutata, miſera obiit.

## *Corollarium.*

Circa tragicum hunc caſum animadverſione dignum cenſeo, actionem muſculorum femoris denudatorum, tam extenſorum, quam ſartorii, priusquam eorum necroſis obtigit, ſub

prima

prima & ſecunda deligatione, ubi pedem quodammodo movere neceſſarium fuit, conſpectui pulchre ſeſe obtuliſſe, ita quidem, ut motu quodam vermiformi vel undulatorio, (uti eum deſcribit ill. *de* HALLER, *Diſſ. ſur les parties irritables & ſenſibles des animaux*, *p. m.* 58.) a puncto eorum fixo, verſus punctum mobile directo, eorum venter contractus fuerit, ſine tamen fibrarum muſcularium corrugatione, ſed cum earum, circa ventrem inprimis, inflatione & induratione, digito admoto ſenſibili; pede vero in quietem repoſito, eodem vermiculari motu, inverſa ratione a puncto mobili ad punctum fixum directo, muſculorum relaxatio & ad priorem mollitiem reductio contigit. Peracta autem fuit & conſtrictio, & relaxatio æquali temporis ſpatio, utroque tamen vix longiori, quam ad unam arteriæ vibrationem requiritur; id quod etiam in his muſculis, quorum longitudo inter omnes corporis humani fere maxima eſt, nemo mirabitur, qui animum advertit ad velocitatem omni pene imaginatione maiorem, qua muſculi agunt, qui ad cantum & loquelam requiruntur, uti id pulchre expoſuit, laudatus Illuſtr. *de* HALLER *in Not. ad Boerhaavii Prælect. ad Inſtitut. med.* §. 187. g. Confirmatur hac adparitione muſculorum ſub actione ſua inflatio & intumeſcentia, quam inter Phyſiologiæ & Anatomiæ ſcriptores plurimi aſſeruerunt, uti BOHNIUS *Circul. anatom. phyſiol. Progymn.* 29. *pag.* 396. VERHEYEN *Anat. Lib. II. Tr. II. Cap.* 4. TEICHMEIERUS *Element. Anthropol. Cap.* 34. *Io. Maur.* HOFMANNUS *Ideæ Machin. human. Sect. XXX.* §. 2. 3. HEISTER *Comp. anat.* §. 306. BOERHAAVE *Inſtit. med.* §. 401. *n.* 7. 12. WINSLOW *Expoſ. anat. corp. human. Edit. lat. T. II.* §. 46. *pag.* 16. negarunt vero LOWERUS *de Corde cap.* 2. BERGERUS *in Phyſiol. cap.* 22. *p. m.* 297. BAGLIVIUS *in Oper. p. m.* 4. STUARTUS *in Tentam. & Obſ. med. Edinburgenſ. Edit. germ. Tom. V. Part. II. artic.* 78. *p.* 1232. ubi pro ſtabilienda contraria ſententia experimentum GLISSONII adductum fuit, quo, brachii muſculis in vaſe aqua pleno motis, aquam non aſcendere, ſed potius deſcendere perhibetur. Præter autem

U 2 ea,

ea, quæ huic experimento regeſſit magnus BOERHAAVE *in Prælect. ad Inſtit. med. Vol. III.* §. 401. *pag.* 411. ipſo hoc motu aqua in vaſe quieſcens una cum brachio movetur, quod facile deceptionem, ac ſi deſcenderet, creare poteſt; cumque imitarer experimentum, haud adeo conſpicua mihi fuit mutatio altitudinis aquæ, ſed fere nulla. Nec repugnat inflationi muſculorum totum experimentum: utut enim molem ſeu volumen totius muſculi ſub actione non augeri, hoc experimento evictum eſſe largiar, inde tamen non ſequitur, ventrem eius non intumeſcere; quod enim ei craſſitie accedit, extremitatibus muſculi, dum in ſe coëunt & abbreviantur, decedit, ſive, quod idem eſt, iactura longitudinis in utraque extremitate, compenſatur in latitudine ventris, cuius diameter maior eſt in muſculi actione, quam in quiete; vid. BOERHAAVE *l. c. pag.* 405. Columnæ itaque aquæ, in qua muſculi brachii moventur, non plus a latere urgentur in muſculi actione, quam in quiete, hincque nec ſurſum, nec deorſum premi, atque aquæ altitudo nec minui, nec augeri potuit. Contrariatur etiam GLISSONII experimento aliud BOERHAAVII *l. c. pag.* 410. & HEISTERI *l. c. p.* 306. quo inflatio & durities muſculorum pollicis, maſſeteris, & temporalis, ſub eorum actione explorari poteſt. Pallor quoque muſculi, quem ſub actione obſervarunt plures, uti *Illuſtr. de* HALLER *in Not. ad* BOERHAAVII *Præl. ad Inſtit. med. Vol. III.* §. 401. *p.* 398. & ego in hac femina vidi, eius inflationi & intumeſcentiæ ſub actione, nihil detrahit; durante enim ea, venæ evacuantur quidem, & arteriis compreſſis craſſior & rubra ſanguinis pars expellitur, earum vero ſubtiliſſimo liquido nervorumque copioſo fluido, largius in muſculum agentem impulſo, compenſatur iactura craſſioris ſanguinis excluſi, atque ſic idem muſculus, quamvis pallens, non induratur ſolum, ſed inflatur & turget, uti id pluribus demonſtravit BOERHAAVE *in Prælect. ad Inſtit. med.* §. 406. Conf. de muſculis in cadavere extra modum pallentibus Obſervatio celeberr. DELII *in Act. Natur. Curioſ. Vol. IX. Obſ.* 103.

(*Geislinga Halam miſſæ d.* 29 *Maii.* 1763.)

*OBSER-*

# OBSERVATIO XL.

## Dn. D. JOANN. CASPAR. SULZER.

### *Cicutæ, eiusque Extracti, vires egregiæ & innocuae, per experientiam vindicatae & confirmatae.*

Recenſet celeberr. Dn. Prof. VOGEL in *nova Bibliotheca medica p. 130. ſeq.* librum, a Medico Anglo, Dn. ANDREE, evulgatum, qui non ſolum dubitat de viribus Cicutæ, quas celeberr. Archiater STOERCK huic plantæ tribuit, ſed obſervationes quoque habet, quæ Stœrckianis contrariantur, & ſuſpectam hanc plantam reddunt. Dicam quæ ego obſervavi, quæ obſervavit mecum ſolertiſſimus & doctiſſimus Collega & amicus Dn. BUCHNER, Medicus aulicus Saxo-Gothanus integerrimus. Plures conſumſimus libras Extracti Cicutæ; dedimus hoc remedium infantibus, fœminis delicatioribus, aliisque ſenſibilibus; nunquam obſervavimus effectum contrarium; illi, qui hinc non curati ſunt, nullum incommodum, nullum damnum habent. Curavimus glandulas induratas, ſcrophuloſas (quam difficulter hæ aliis cedunt remediis!) aliæ benigna reſolutione diſparuere, aliæ abſcedebant, & formabant ulcera ſinuoſa, ſolo uſu in- & externo Cicutæ curata.

Vidi phimoſin ſcirrheſcentem, una nocte ſolo fotu Cicutæ curatam; ſecuta erat inflammationem, manebat rebellis ad alia remedia emolliendo reſolventia.

Diſparuere glandulæ mammarum per plures annos induratæ, in virgine, poſt uſum Extracti Cicutæ, per plures menſes dati.

Nuperrime me accedit fœmina annorum aliquot ſupra quadraginta, facie cachectica, conquerens de agrypnia, appetitu proſtrato, flatulentia, laſſitudine & dolore membrorum;

amiſerat præterito autumno duos infantes, variolis occumbentes, quorum ultimo mammam adhuc præbuit; hæc monſtrabat hac occaſione mihi mammam dextram, in qua deprehendi tumorem indolentem, ad inſtar ligni durum, papillam invertentem, ſub qua incipiebat & usque ſub axillam ſe extendebat; dedi eidem laxans & Pilulas de Cicuta, tumori autem imponere curavi emplaſtrum noſtrum de Cicuta, quod ex partibus duabus Extracti Cicutæ, & Gummi ammoniaci & Saponis Veneti ana parte una paratur. Poſt 14. dies rediit hæc fœmina hilari vultu, ſupra recenſitis ſymptomatibus libera, tumoreque modo deſcripto ad medietatem voluminis diminuto, & qui erat unus totus, in plurimos multo minores diviſus, tangendoque glandularum tumentium & non ligni duritiem habens; poſt alios 14 dies nihil ulterius duri nihil tumentis apparuit.

Dum hæc ſcribo, litteras accipio a Doctiſſimo Proto-Medico, Dn. HEISIUS, amico & fautore æſtumatiſſimo, qui mentionem facit de teſticulo ſcirrhoſo horrendæ magnitudinis, funiculo duriſſimo ad abdomen usque, ultra duos annos, civem ſpectatum Arnſtadienſem vexante, in totum vero curato, uſu Extracti Cicutæ, ſpatio duorum menſium. Defuit quidem nobis occaſio, experimenta in Cancro faciendi; ſed allata probant, Cicutam eſſe maximum reſolvens, & tamen revera benignum etiam remedium, ſequiturque exinde, haud eſſe ab uſu eiusdem abſtinendum, ſed potius illam huius plantæ ſpeciem, quam commendat Celeberr. STOERCK, ſollicite & unice eſſe ſeligendam; experimenta enim Dn. ANDREE me movent, ut cum Celeberr. VOGELIO credam, in ipſius plantæ ſelectione commiſſum fuiſſe errorem.

OBSER-

# OBSERVATIO XLI.

## Dn. D. JOANN. CASPAR. SULZER.

### De

### *Egregio & vere mirando Theriacæ Andromachi effectu in Hydrope aſcite.*

Haud me latet, Opium, Opioque divitem Theriacam contrariari indicationibus, in curatione Hydropis obſervandis, & præcipue illius ſpeciei, quæ aſcites dicitur. Quod hoc pharmacum Hydropi non quadret, probavit Celeberrimus & amiciſſimus TRALLES, in Tractatu ſuo aureo *de Opio*, (dignus liber Viro, amore veritatis, amore proximi, eruditione, experientia & ſtudio adeo commendabili) & quæ ſpeciatim de Opii uſu in Hydrope ſcripſit *Libr. IV. Cap. I. pag.* 39. *ſeq.* hic legi vellem. Nullus tamen dubitavi, curationem fortuitam, ſed plenariam Aſcitis, per Theriacam factam, hic exponere. Quousque autem illa probet hiſtorias hydropicorum, remediis Opiatis curatorum, & quæ loco ſupra allegato citantur, ut & commendata a celeberr. MONROO, in *Tractatu* de Hydrope, verſionis germanicæ, p. m. 302. his verbis: *Wenn ſich dieſe Zufälle (Aufblähungen, Aengſtlichkeit, Bauchkrimmen und Krampf, entweder nach der Abzapfung, oder geendigter Wirkung der Brech- und Purgier-Mittel,) einſtellen, ſo iſt eine ſchmertzſtillende Artzeney das beſte Mittel darwieder, und ſie wird unter dieſen Umſtänden ein mächtig Harntreibendes Mittel;* id attentis & eruditis Practicis diiudicandum relinquo. En hiſtoriam, quæ, præter curationem, adhuc ſingularem attentionem mereri mihi videtur!

*Andreas Seyffert*, miles emeritus, qui per ſedecim annos & usque in India occidentali caſtra ſecutus eſt, parvæ ſtaturæ, non adeo robuſtus, ſemper tamen ſecunda valetudine gaviſus, annorum 46, quatuor iuvenculorum pater, autumno anni 1761. corri-

corripitur Dyſenteria tunc epidemica. Neſcio quibus uſus fuerit remediis; ſed per quinque hebdomades hoc morbo vexabatur, qui tandem terminabatur in Hydropem aſcitem. Emarceſcebant ſuperiora, torquebatur ſiti, tuſſi, agrypnia, dyspnœa, quæ ad metum ſuffocationis augebatur poſt levem paſtum, urina pauciſſima, alvi ſiccitate, ſub quibus omnibus abdomen in ſtupendam molem augebatur. Pauper erat miles, familiam, ſolo ſuo labore manuali nutriendam, habebat, eo magis hinc commiſeratione dignus. Incaſſum tentatis remediis domeſticis, meum petebat auxilium. Nulla intentata reliqui, absque ullo tamen levamine; mitiora laxantia nihil præſtabant, fortiora hydragoga parum laticis aquoſi educebant, & ægrotum mirum quantum debilitabant; omnia diuretica incaſſum fuere data; Scillam, lixivia, ſalia, diverſaque alia tentavi; ſpecifica ſic dicta absque effectu adhibui, frictiones, inunctiones abdominis cum oleo olivarum, amara, ſaponacea, nihil efficiebant; hinc ad paracenteſin erat confugiendum. Educebantur ope puncturæ a 25. ad 30. libræ medicæ aquarum pellucidarum, ægerque levabatur; nihil omiſi ad novam aquæ collectionem præveniendam; fiebant fomentationes roborantes, compreſſiones ope ligaturæ, præter aperientia, laxantia, diuretica, amara, inſiſtebatur cardiacis leniter irritantibus, tonicis, ſed omnia incaſſum adhibebantur; nova colluvies aquarum brevi ventrem & extremitates inferiores tumere faciebat; nova tragœdia ſymptomatum & metus ſuffocationis ad alteram punctionem cogebat, eodem, ac prima, cum effectu.

Aeger amore vitæ remedia cuncta aſſumebat, regimen ſiccum & abſtinentiam liquidorum obſervabat, aſt pariter incaſſum, dum per viginti & octo iteratas vices ad paracenteſin recurrendum erat. Quarto die ab ultima punctione immani corripiebatur ventris dolore, ſeceſſibusque frequentiſſimis ſumme debilitantibus. Dolores hi intolerabiles erant ſedandi, & evacuatio-

nes

nes debilitantes moderandæ. Dedi ergo, hoc ſcopo, Theriacam Andromachi, magnitudine Nucis moſchatæ bis de die ſumendam; vix prima doſi per ſemihoram aſſumta, læte exclamabat æger: Sentio me ab hoc remedio ſanitatem recuperaturum! ſopiebantur dolores & deiectiones, ſequebatur, nullo alio remedio unquam impetranda & tam deſiderata larga diureſis, qua omnes aquæ reſtitantes evacuabantur; omnia ceſſabant ſymptomata, redibat appetitus, ſomnus reficiens, vires, verbo ſanabatur morbo pro incurabili habito. Lucratur hodiedum ſuſtentationem lignum findendo ſine incommodo, absque recidiva, non obſtante ſummo præcedentis hiemis frigore, regimineque non ſelecto, ob annonæ caritatem. Nullo poſtea uſus eſt alio remedio, quam Theriaca, de qua per ſat longum tempus ſemel vel bis de die priſtinam doſin ſumſit.

(*Gotha Halam miſſæ d.* 12. *Jul.* 1763.)

## *OBSERVATIO XLII.*

## Dn. D. ZACHARIÆ VOGEL.

De

## *Singulari leporino Labio.*

Anno 1760. menſe Maio puellus ex gente nobili, octo & viginti hebdomadum ætate, cuius labrum ſuperius ſingulari ratione fiſſum erat, a parentibus curationi meæ committebatur. Ante omnia autem infantis malum diligenter conſiderabam, & videbam, maxillam ſuperiorem dextri lateris in regione dentis ocularis ita diffiſſam eſſe, ut in hac fiſſura digitus annularis poni poſſit. Atque hæc fiſſura dividebat totum palatum in duas partes, ut ſpongioſa naſi oſſa inferiora ſatis luculenter animadverti potuerint. Velum autem palatinum erat naturale, eiusque in margine uvula. Dein obſervabam, quod, ſi infans in natu-

rali tranquillitate erat, neque ridebat, neque plorabat, duo iuncti digiti inter prædictæ fiſſuræ ſpatium poni poſſent. Contra vero, ſi infans aut ridebat, aut lacrimabat, extendebatur hæc fiſſura, ut tres digiti in eadem commode collocari poſſent. Præterea autem hoc labrum ſuperius, cum ordinario amplexu rubro circumſeptum, narium alis adnatum erat ita, ut, ſi puer ridebat, aut flebat, naſus traheretur planus & transverſus. Septum narium erat admodum tenue & perlucidum. Columna narium in forma corniculæ gingivæ maxillæ ſuperioris adhærebat fixa, quapropter naſus naturaliter erigi non poterat. Hæc mala partium conformatio *) efficiebat, ut infans nullum aliud nutrimentum capere poſſet, quam lac vaccinum, cui farina triticea immiſcebatur, quodque veluti ius avenaceum concoquebatur.

His omnibus bene cognitis & perſpectis, quæſtio formabatur: an hoc leporinum Labium curari poſſit? Varias quidem difficultates mihi ſubortas eſſe, non inficior; tamen poſt probe inſtitutam meditationem curationem ſuſcipere animo mecum conſtitui, eamque ad exoptatum finem perduxi. Fabricari autem feci ad hanc operationem bracteolam auream, cuius magnitudinem, latitudinem, curvationem ſiſtit Fig. 2. Tab. IV. nec minus duas bene auratas aciculas cuspide planas, & capitulo inſtructas, quæ Fig. 3. & 4. depictæ ſunt. Die ante operationem proximo leni purgante infantem præparavi, atque ſubſequenti die operationem ipſam ſuſcepi ea ratione, ut ſequitur.

Infans enim ordinariis veſtimentis induebatur, & veſtimenti manicæ fibulatorio adfigebantur. Hoc facto depoſui illum in gremio nutriculæ, quæ ſiniſtra manu pectus & manus infantis,

*) Quam Tab. IV. Fig. 1. delineatam adpoſui, ut evidenter adpareat extraordinarium labium leporinum. Optarem autem, ut labrum fiſſum paulo craſſius eſſet depictum.

tis, dextra pedes firmiter comprehendebat. A tergo autem miniſter meus ſtabat, cui committebatur, ut caput infantis ad pectus ſuum contineret gnaviter, & manibus ſuis genas produceret. Poſtquam autem puellus clamores & lacrymas effundere deſinebat, ad operationem ipſam accedebam, & in ſella adverſus ægrotum me collocabam; tum adprehenſo ſcalpello dividebam partem cartilaginoſam à gingiva, & forfice amputabam id, quod erat ſuperfluum, ut tantum remaneret, quantum requirebatur, ad narium columnam, ut ſeptum naſi ad incrementum ſeu adcretionem naſi ſervire poſſet. Tum vero diſſolvebam dextro latere labrum à gingiva, cui adnatum erat, ita ut hæc pars labri & narium alæ à gingiva plane ſolutæ eſſent, & ego per adtractionem buccæ hanc labri partem commode producere poſſem. Eodem modo agebam in ſiniſtro latere, eodemque felici cum ſucceſſu. Nunc autem vulnus ſpongia mundabam, & adprehendebam curvam quandam aciculam, Chirurgis non ignotam, in quam funiculum ſericeum ceratum, ex filis ſex conſtantem, immiſeram, eumque per ſpongiæ & lintei particulam duxeram usque ad dimidiam funiculi longitudinem. His præparatis, à miniſtro mala dextra gnaviter producebatur, & ego pollice & indice digito partem labii dextri lateris adprehendebam, eamque paululum producebam, & acum in plicam, (quæ labrum & buccam quaſi dividit) loco unam lineam diſtante ab ala narium, infigebam. Poſtquam aciculam cum funiculo ſupra dimidium eduxeram, adprehendebam auream bracteolam Fig. 2. & mittebam acum per foramen notatum *a*, tum adplicabam bracteolam gingivæ maxillæ ſuperioris, ita ut fiſſura maxillæ eſſet obtecta, & traiiciebam acum per foramen *b*, dein ad me recipiebam labrum & ducebam acum ab interna regione ad externam labii, ut acus è regione plicæ iam dictæ exiret, prouti in Fig. 1. duobus punctis notatum eſt. Iam vero hæc duo fila bene conſtringebantur, ut bracteola aurea interiori labii lateri cohæreret; acus autem denuo per ſpongiæ & lintei quan-

dam particulam ducebatur, ita ut hæc particula cuti firmiter adiaceret. Tum diſſolvebatur acus à funiculo, & fila nectebantur in nodo chirurgico ſic dicto. Eadem ratione in ſiniſtro latere agebatur acu, quam in locis *c* & *d*, Fig. 2. infigebam, nec minus feliciter. Hoc ita peracto, maxima cum lætitia videbam ſufficientem partem carnis labii bracteolæ adhærere; quapropter felicem curationem non ſine cauſſa ſperabam.

Poſtea ſcalpellum iterum adprehendebam, & amputabam labii partes inæqualiter curvatas triangulariter. Manabat quidem multum ſanguinis, tamen partes vulneratas, & primum quidem inferiorem labii partem, bene coniungebam; ſcilicet acum Fig. 3. figebam in loco, duarum linearum ſupra labri marginem intervallo, & duarum linearum a vulneris margine diſtante, eamque usque ad dodrantem craſſitudinis labii deprimebam; tum flexione manus facta traiiciebam acum ad alteram labii vulnerati partem æqualiter & in profunditatem trium linearum, dein producebam acum flexione æquali ad externam labii partem. Poſtquam hæc acus bene complectebatur partes, ei filum ſericum circumiiciebam, qua coniunctione labrum æquale formatum erat. Hoc facto adprehendebam acum Fig. 4. eamque figebam in regione ſuperioris labii partis, duarum linearum ſpatio à naſo diſtante, & traiiciebam eam prædicta ratione. Quoniam vero labrum in regione ſuperiori admodum tenue erat, & fibris muſcularibus multis carebat, reſtantem partem cartilaginoſam in uſum operationis convertebam ita, ut eam ope acus tanquam triangulum in ſuperiori parte labii ad emolumentum naſi, qui hoc augmento quaſi extollebatur, collocarem. Denique huic acui filum quoque circumiiciebam, & verſus ac infra apices acuum & capitula ſpongiolæ portiuncula ſubmittebatur. His omnibus diligenter iam confectis, vulnus externum, ſplenio, balſamo vulnerario imbuto, contegebatur & faſcia comprehendebatur, ita ut media pars faſciæ occipiti alligaretur, & extrema faſciæ circa

genas,

genas, quibus lintea compreſſa adiecta erant, ducerentur. Denique omnium vulnerario balſamo perlinebam labrum & gingivam maxillæ ſuperioris; quod ultimum operationis erat.

Licet autem infans durante operatione nulla expertus fuerit ſymptomata extraordinaria, tamen interna medicamenta neceſſaria præſcribebam; quorum unum erat infuſum laxativum, quod alvum blande ſubducebat; ſiquidem etiam puellus ſubſequentibus 48. horis plus dormiebat, quam vigilabat, tamen prædicta deligatio quotidie innovabatur. Quarta vero poſt operationem die extrahebam acum ſupremam, quinta infimam, & cum voluptate iam videbam, quam bene coiret cicatricula, quæ impoſitione medicamentorum balſamicorum conſervabatur, & ligatura adhuc comprehendebatur. Sexta die diſſolvebantur fila, quæ bracteolam continebant, & felicem operationis ſucceſſum videbam, ſcilicet bene formatum labium, quod adhuc tenue erat, & extenſum, gingiva etiam infra bracteolam erat bene curata. Deinceps autem quotidie interiorem labii partem conſervabam, illinendo eandem & vulneratas partes deligando. Quoniam igitur ſublata hac bracteola lacrimas effundendi libertas maior reddebatur puello, hinc frequentius clamabat & lacrimabatur, quam antea; ideoque non iniuria verebar, ne ſubtenuis cicatricula disrumperetur; ſed omnia proſpere eveniebant, nec quidquam adverſi accidebat.

Puellus etiam nunc bene valet & gaudet omni proſperitate animi & corporis. Donatus iam eſt à natura quatuor dentibus, inciſores dictis, in maxilla tam ſuperiori, quam inferiori, itidemque quatuor molaribus. Loquitur etiam clare & diſtincte. Fig. 5. exhibet ægroti ſanati faciem. Id unicum adhuc addam, fiſſuram quidem maxillæ ſuperioris bene coniunctam eſſe & ſanatam, ſed in oſſis palati dextri regione foramen quoddam ovale eſſe; ex quo mihi videtur oſſiculum ibi deficere.

(*Lubeca Halam miſſa d.* 20. *Septembr.* 1763.)

# OBSERVATIO XLIII.

## Dn. TORBERNI BERGMANN.

### *Supplementum Hiſtoriæ Reaumurianæ Tenthredinum.*

Entomologia non poteſt non ſemper lugere, illuſtrem Reaumurium, qui Inſectorum naturam, mores, metamorphoſin & ſtructuram omnium feliciſſime rimatus eſt, non niſi ſex primos egregii ſui Operis edidiſſe Tomos. Omni ſane digni ſunt attentione hi globi noſtri incolæ; nam licet minimi, numeroſiſſimi tamen, reſpectuque ſuæ molis longe voraciſſimi, mirandis gaudent proprietatibus, unde in Politia Naturæ maximi momenti officia peragunt. Præterea œconomiæ privatæ mirum quantum quotidie officiunt *a*). Otia horasque ſubſecivas hiſce contemplandis per plures annos dicavi, vidique varia notatu digna, quorum iam ea adferenda, quæ ad *Tenthredines* attinent, Supplementi inſtar elegantiſſimæ earum a ſummo Reaumurio deſcriptæ hiſtoriæ *b*).

### *Character Bractorum c*).

*Bractos*, Campis ſimillimos, ab hiſce diſtinguit Reaumurius numero pedum & oculorum, figura ſtructuraque calvariæ. Quod ad pedes attinet, inferius pedibus deſtitutum deſcri-

*a*) In reſponſione *de Larvis Pomonæ noxiis*, pro anno 1762. ab Academia Reg. Scient. Stockholmenſi præmio decorata, Entomologiæ in Oeconomia uſum fuſius monſtravi.

*b*) *Mem. pour ſervir à l'hiſt. des Inſectes Tom. V. Mem. III.*

*c*) Larvas ſyſtematice diſtribuere tentavi, claſſesque proximo Actorum Vpſalienſium Tomo inſerentur. In hoc Syſtemate Tenthredinum larvæ *Bracti*, Lepidopterorum vero *Campæ* vocantur, quæ nomina ideo idem ſignificant ac *fauſſes Chenilles* & *Chenilles* apud Reaumurium.

ſcribam, unde hæc nota fallit. Calvaria quoque ſuturam habet ei ſimilem, quæ in capitibus Camparum conſpicitur, quamvis ſæpiſſime magis obſoletam, interim tamen non tantum oculis armatis, ſed plerumque nudis diſtincte videri poteſt, præcipue dum exuvias deponunt, tunc enim primo ſecundum ſuturam dehiſcit cranium. Hinc difficillime eruitur differentia. Domini Godeheu *de* Riville *d*) & *de* Geer *e*), Camparum notas, ab Entomologis hucusque datas, inſufficientes deprehenderunt. Natura noſtris characteribus quaſi ludit. Omnia naturalia unam quaſi catenam conſtituunt, cuius articuli diſtantes facile diſtinguuntur; ſed quo propriores, eo ſimiliores, eoque difficilius diſcernuntur, adeo ut certo reſpectu dici queat, ſyſtematicam eorum diſtributionem fieri difficiliorem, quo plura detegantur, immo certus credo, limitum determinationem humano captui fore impoſſibilem, ſi unquam omnis naturæ proles nobis innoteſceret.

Structura capitis Bracti e figuris adparet. Prima naturalem magnitudinem decies, ſecunda vero plus quam vicies ſuperat. Larva, cuius caput huc depictum, inter maximas ſuæ claſſis eſt. Partes paullum e ſitu naturali dimotæ ſunt, ut eo melius videantur.

Fig. 6. Tab. IV. anticam partem monſtrat. *a. b* eſt ſutura; *c. b. c* frons; *e. f. e* labium ſuperius, in cuius excavatione *f* margo folii inter edendum progreditur; *g. g* oculi; *h. h* palpi ſeu antennulæ.

Fig. 7. pars trunco adnexa; *a. b* ſutura; *k. l. m* labium inferius; *k. k* partes articulatæ trifidæ, quibus fila net larva; *l. l* proprie labium inferius conſtituere videntur, & *m* quodammodo linguæ analogon.

Pedes,

*d*) *Mem. de Mathem. & Phyſ. preſentés à l'Acad. Roy. des Sçienc. par divers Sçavans. Tom. I. p.* 177.

*e*) *Mem. ſur les Inſ. Tom. I. Tab. XXXI. fig.* 17.

Pedes, ſub tribus primis trunci articulis, *pectorales* voco; ſub ultimo, *caudales*, ſub reliquis vero, *abdominales.*

Bractorum pedes pectorales a Camparum differunt flexura & numero articulorum (Fig. 8.). Vidi in quibusdam tuberculum membranaceum iuxta unguem.

Trunci ultimi articuli plerumque inflexi, unde in ramo ambulantes eundem lateraliter hiſce amplectuntur.

## *Genera.*

Species iam notæ commodiſſime ſecundum numerum & ſitum pedum in Genera diſtribuuntur. Truncus duodecim conſtat articulis, adeoque non ultra 24. pedes poſſibiles videntur; nam ultra 2. ſub aliquo illorum nemo adhuc vidit. Reaumurius an 12. paribus inſtructum viderit, ipſe dubitat, & a nullo alio, quantum ſcio, talis obſervatus eſt. Interea conſtituimus ex eis.

I*mum* genus, qui XXII. pedibus gaudent, nimirum *III. paribus pectoralium, VII. abdominalium, & I. caudalium.*

II*dum* habet XX. pedes, *III. paria pectoralium, VII. abdominalium, & nullos caudales.*

III*tium* habet XX. pedes, *III. paria pectoral. VI. abdominal. I. caudalium.*

IV*tum* habet XVIII. pedes, *III. paria pectoral. V. abdominal. I. caudalium.*

V*tum* nullos habet pedes antecedentium ſimiles, ſed *mucronum articulatorum III. paria pectoral. abdominal. nulla, & I. caudalium.*

Ratione figuræ corporis in tres familias ſeu ordines naturales diſpeſco.

I*ma* eos continet, qui folii margini ſemper adfixi ſedent, idque ita,

ita, ut planum folii protractum truncum per axem ſecet. Non niſi pectoralibus ſeſe figunt, reliquo corpore libero varieque flexo. Hi plerumque numeroſas conſtituunt ſocietates.

II*da* eos comprehendit, qui non edentes, *ſpirales quieſcunt.* Inter hos maximi.

III*tia* denique eos complectitur, qui non edentes, nec margini aſſident, nec in ſpira iacent, ſed vel *recti*, vel *paullum curvati quieſcunt.* Inter hos alii ſolam pulpam edunt, alii folia cribrant.

## *Species notabiles.*

Omnes mihi notæ ſpecies in Actis Reg. Soc. Scient. Vpſalienſis cum ſuis differentiis deſcribuntur. Heic vero naturam moresque præcipue commemorabo.

In Betula et Alno Bractum quinti generis inveni, qui initio Auguſti iuſtam obtinet magnitudinem. Caput iam rotundatum, virescens, oculo nigro utrinque. Iuxta quemlibet oculum eſt mucro, longitudine dimidiæ fere diametri corporis, 5. vel 6. articulis conſtans. Truncus ex flaveſcente viridis, ſubtus planus, lateribus quaſi ſerratis. Mucronum (ocularíis ſimilium) par ſub quovis e tribus anticis articulis. Latus utrumque ultimi articuli mucrone quoque inſtructum eſt. Intra folii marginem filis ſericeis cylindri inſtar convolutum habitat, eiusque parietes ſenſim comedit. Si folium duplici huic fini ulterius ſufficere nequit, in aliud migrandum, ſed quomodo pedibus privatus progredietur? Mirum dictu! dorſo ambulat. Scilicet, ut reliqui Bracti, ſub ore inſtrumentum habet, quo fila net. Supponatur, plano cuidam dorſo incumbens fila ſupra abdomen ducere, et utrinque iuxta latera plano adfigere, hinc orietur pons ſericeus, ſuper quo mediantibus mucronibus, capite, articuliſque corporis, tuto ex uno in alium ramum ambulat. Nomine triviali vocetur *Apus.* Aliam ſpeciem, colore tantum

diverſam, in Pado vidi. Frischius *f*) duos habet, qui huc pertinere videntur, veroque eſt ſimillimum, ſocietates, quas commemorat Reaumurius ſub ſeptima larvarum claſſe *g*), fieri Tenthredines.

Aphides, et præcipue larvæ nonnullæ Chermidum Coccinellarumque, ſæpe materia alba fugacique, goſſipio ſimili, teguntur. Inter Bractos tres ſpecies inveni, quarum exhalationes eodem modo naturalem vegetationem præſtant. Sunt primi generis, ſed duæ tantum, familiæ tertiæ. Hæ folia Alni edunt: altera *Ovis* metaphorice adpellatur, eſt enim quaſi lanata, lamellis albis, altitudine corporis, e rugis (in quibus ſine dubio vaſa excretoria copioſiſſima) ſurgentibus: altera vero, ſeu *Molitor*, pulvere albo tecta. Tertia, *Farinarium* nominanda, eſt ſecundæ familiæ & in Betula alba Linn. habitat.

Inter media, aliorum conſpectus evitandi, peculiaremadhibet modum larva vireſcens ordinis I. & generis II. Diſcum folii (Betulæ Alni Linn.) perforat, variasque flexuoſas aperturas exedit, in quibus ſemper ſedet, moxque per illas in latus oppoſitum traiicit, ut primum quisquam adpropinquat (Vid. c c Fig. 4.) Diu auctorem harum aperturarum irrito quæſivi, usque dum tandem artem eius comperi. Adpellatur *Perfoſſor.*

In Populo tremula autumno obviæ ſunt ſocietates Bractorum, quorum corpus hirſutum eſt viridi-cœruleſcens, ordinibus 4. macularum nigrarum. Articuli antici & poſtici fulvi. Capitis nigri, antica pars fere horizontalis, quod ſingulare. Eſt generis ordinisque tertii. Sputo fuſco hoſtes & inſpicientes minatur. Sit *Sputator* eius nomen. Eodem modo duæ ſpecies generis I. & ordinis III, in Pinu ſilveſtri habitantes, defenſionem tentant, & præterea anticis poſticisve articulis vehementer percutiunt. Ambæ non modo folia, ſed etiam corticem,

*f*) Inſect. Tom. VIII.

*g*) l. c. Tom. IV. Mem. IV.

ticem, reſinam exſudantem, comedunt, ambæ capite nigro corporeque cineraſcente gaudent, ſed altera, ſeu *vomitor*, non niſi 4. ordines macularum fuſcarum ſecundum longitudinem habet, *ſpumiger* autem octo.

Domini Bonnet *h*) & Schaeffer *i*) in variis Campis ſub ore rimas invenerunt, per quas tactæ tubercula emittunt. Similes vidi in larvis Tenthredinis *Salicis* Faun. Suec. 1548; ſed in abdomine, inter pedes abdominales, macula fulva detegenda. Hoſti cuidam forte hisce obviam eunt, ſed cui & quomodo, vix niſi caſu detegitur.

In Alno ſocietates inveniuntur a Reaumurii diverſæ *k*), quamvis ſimiles; nam faſcia ventralis in noſtris deeſt. Ab ovo nutrivi. Sunt generis III & ordinis I, initio fuſco-vireſcentes. Intra 3. ſeptimanas plenam magnitudinem obtinent, trunco tum flaveſcente, capite faſciisque 6. longitudinalibus nigris. Capita proximorum ore purgant. Ex uno in alium migrantes ramum, poſticis folia ramosve ter citoque fricant. Num ceteris adhuc vagantibus ſignum? Societas quævis 30. circiter continet. Sit nomen *Scabrans*.

Elegans eiusdem generis & ordinis ſpecies, numeroſas in Betula habet colonias. Caput nigrum, truncus cœruleo-vireſcens, punctis nigris maculisque undecim flavis in utroque latere. Vocetur *Verſicolor*.

Multæ ſpecies valde ſunt pellucidæ, præcipue nuper poſitis exuviis. Sæpius nudo oculo totus translucet canalis trachealis, & ad minimum 2 rami e quovis ſtigmate. Cor ſecundum longitudinem antrorſum pulſans diſtincte conſpicitur. Eſca non raro translucet. Viridis generis ordinisque III ſolam pul-

 pam

*h*) Mem. de Math. & Phyſ. preſentés à l'Ac. Roy. des Scienc.

*i*) *Neuentdekte Theile an Raupen und Zweifaltern.*

*k*) l. c. Tom. V. pag. 166. Tab. XI. fig. 1. 2.

pam foliorum Betulæ edens, dorſum ſatura eleganter viridem habet. Hinc *Cibicolorem* voco.

Reaumurius non niſi parvas memorat. In Suecia nonnullas 2. pollices longas habemus.

Pleræque innocuæ, Groſſulariæ tamen folia una ſpecies comedit. Alia parva, nigra groſſos pomorum pyrorumque inhabitans, eorum vere cauſſatur lapſum.

## *Excoriationes.*

Tam Campas, quam Bractos, quater vel pluries ſub ſtatu larvæ corium exuere notum eſt, differunt tamen in hoc puncto vario modo, quod a nemine, quantum ſcio, obſervatum.

I.) Bractorum multi uno alterove die ante, quam anguſtias pro metamorphoſi quærunt, cutem detrahunt, fiunt ſibi difficillimi, cibum reſpuunt, & poſt quietem 24. circiter horarum, locum metamorphoſi idoneum perquirentes, circumambulant. *Ovis* & *Molitor* in hoc ſtadio ſunt virides, oculis oreque nigris, ne minimo quidem ſigno lanuginis remanente. *Farinarii* caput, antea nigrum, iam fit vireſcens, cuneo nigro ſecundum ſuturam, nec in trunco fuſco-vireſcente ulla farinæ veſtigia. Albo-vireſcens in Rubo-Idæo generis I, ordinis II, *Lunulata* dicta, habet lunulam fuſcam ſupra utrumque oculum, quæ omnino evaneſcunt. *Hiſtrio* vireſcens, faſciis longitudinalibus albis & capite nigro varie ſignato, in ultimo ſtadio totus fit viridis, exceptis oculis oreque nigris. *Vomitoris* caput fit albidum. *Inflatus* generis II. *l*) nigricans, glutinoſa fit, tota lutea, oculis ſolis nigris. Non tamen omnes Bracti huius ſunt naturæ.

II.) Multi non modo externa, ſed etiam interna excoriant. *Ovis*, *Molitor*, *Farinarium*, *Oniſcus*, *m*) *Lunulata*, *Scabrans*, aliique

*l*) Reaumur l. c. p. 122. Tab. 12. fig. 1. — 3. Tetard.

*m*) Reaumur l. c. Tab. 12. fig. 17. 18. pag. 122.

aliique ſeſe excoriantes, ex ore longum filum extrahunt, quod ori exuviarum altero extremo adhæret. Hoc ſine dubio membrana eſt œſophagi ſtomachique. *Spumiger* & *Vomitor* nullum ex ore tendinem trahunt, ſed in exuviarum ultimo articulo maſſa remanet, quæ ex filis abruptis conſtare videtur; num igitur hi per poſteriora tegumenta eiiciant?

III.) Bracti multo facilius & externa & interna excoriant, quam Campæ, quæ unius duorumve dierum quiete & fame ſeſe præparant. Mox ante & poſt edunt.

IV.) Qua modum differunt; nam Camparum exuviæ adfixæ remanent, ubi antea quieverunt, ſed Bracti ultimos tantum articulos figunt, idque non prius, quam momentum excoriationis adpropinquat. Reliquum corpus liberum in aëre pendet. Dorſum articulorum anticorum in medio primum, artificiis a Reaumurio deſcriptis, rumpitur, dein ſutura cranii dehiſcit. Capite a cranio ſeparato, filum ex ore, auxilio pedum pectoralium, extrahunt multi. Poſtea truncus ſenſim magis magisque prominet, tandemque paucis remanentibus articulis anticis ſeſe figit, poſterioraque liberat. Tota operatio interdum intra horæ quadrantem peragitur.

## *Metamorphoſis.*

Tenthredines excludere ſumma eſt difficultas; plerique enim Bracti in terra ſuos folliculos formant, hæc vero in vaſis cito privatur humido, unde interdum exſiccantur larvæ; ſi autem paullo copioſius aqua irrigatur, acidum & mucor generatur. Generationes ideo vernales quærendæ, nam hæ plerumque eodem anno alatæ prodeunt. Præterea, quantum poſſibile, in iisdem collocentur circumſtantiis, quibus in ſua libertate gaudent.

Nonnulli Bracti absque omni induſio in anguſtiis mutantur, uti *Molitor*, aliique, quod admodum eſt peculiare.

Variæ apud me excluſæ ſunt Tenthredines, quarum nonnullas, in recentiſſima Faunæ Suecicæ Editione non obvias, breviter deſcribam, alias vero adferam tantum ob ullam circumſtantiam in earum hiſtoria notandam.

## *Antennis ſeptemnodiis.*

1. T. Tenthredo atra, thorace ſanguineo.
   Huius Bractus eſt *Ovis*. Folliculus in terra.
2. T. nigra, thorace, capite pedibusque rubris.
   *Perfoſſor* eſt huius larva. Folliculus in terra.
3. T. nigra, abdomine ſubtus pedibusque totis luteis.
   *Verſicolor* eſt larva. Folliculus laxus in terra.
4. T. fulva nigro-variegata, abdomine ſupra nigro.
   *Cibicolor* larva. Folliculus in terra.
5. T. nigricans, abdomine pedibusque luteis.
   Larva eſt generis III, & ordinis I, tota nigra. Folliculus in terra. Habitat in Betulæ foliis.
6. T. nigra, pedibus palpisque albidis.
   *Oniſcus* larva. Folia Alni cribrat. Folliculus in terra.
7. T. vireſcens thorace ſubvariegato, abdomine ſupra nigro.
   Mas fere fuſco-fulvus, puncto marginali alarum fuſco. Femina vireſcens, puncto marginali viridi. Antennæ longitudine corporis. Differt a T. *viridi* in Fauna, 1.) quod multo minor, 2.) quod lineæ nigræ in tibiis deſiderentur.
   Larva habitat in Salice viminali. Vireſcens, faſcia purpurea dorſali ventralique. Eſt generis III, ordinisque I. Folliculus flavus extra terram.
8. T. nigra, ore, pedibus abdomineque luteis, abdomine ſupra nigro maculato.

Octo

Octo maculæ acutæ, transverſæ, nigræ in abdomine. Nonnullæ lituræ fulvæ pectoris.

Larva edit folia Populi tremulæ, generis III, ordinisque I. Cœruleo-vireſcens, primis ultimisque articulis fulvis. Nigro-punctata, ſed nulli punctorum ordines in dorſo articulorum intermediorum, quo ipſo a duobus ſequentibus differt.

9. T. thorace abdomineque ſupra nigris.

*T. viridi* minor, a qua præterea pedibus totis viridibus differt. Eſt quoque diverſa a *T. Salicis* in Fauna, 1.) abdomine toto ſupra nigro; 2.) in pectore nullæ maculæ nigræ, ſed lituræ umbroſæ tantum; 3.) huius larva ordinem punctorum nigrorum habet, quæ in larva Salicis deeſt. Noſtra Salice fragili vivit, altera vero Salice cinerea. Sunt ambæ generis III, ordinisque I, alias ſimillimæ. Folliculi in terra. Noſtra depicta eſt apud REAUMURIUM *Tom. V. Tab. XI. fig.* 3 - 9.

## *Antennis ſetaceis.*

10. T. nigra capite variegato, abdominis dorſo macula dentata lunulisque luteis. Pedes lutei, item abdomen ſubtus quatuor ordinibus lineolarum nigrarum. Larva *Apus*. Folliculus in terra.

11. T. gryſeo-ruſeſcens, oculis omnibus nigris.

Antennæ thorace vix longiores, compreſſæ, ſetaceæ, multis articulis, ſubtus ſimpliciter pectinatæ. Marem nondum vidi, nam ultra ſexaginta apud me excluſæ omnes fuerunt feminæ. *Spumiger* larva. Folliculus extra terram.

* * *

T. vitellina. *Faun. Suec.* 1535.

Larva

Larva eſt generis I & ordinis II, vireſcens, punctis albis, victitans Salice viminali magna. Folliculus flaveſcens extra terram.

**T.** uſtulata. *Faun. Suec.* 1542.

Larva eſt generis III, ordinisque I, vireſcens, duabus lineis dorſalibus, flaveſcentibus. Sutura calvariæ nigricans. Pedes abdominales minimi. Latera quaſi plicato-ſerrata. Setæ minimæ in toto trunco e punctis parvis nigris. Habitat in Salice & Betula. Folliculus albus, rigidus, extra terram.

**T.** Septentrionalis. *Faun. Suec.* 1558.

Larva generis III, & ordinis I, vireſcens, lateribus nigro-maculatis. Caput ſordide luteſcens, oculis nigris lineolaque transverſa in medio. Habitat in Alno, Folliculus in terra, niger, rigidus, figura pupæ exſiccatæ Phalænæ.

## *Partus ovorum.*

Difficulter in partu obſervantur Tenthredines. Si enim quædam in arbore vel frutice ova gignens inveniretur, diſtantia tamen aliaque impediunt, quominus totus mechaniſmus rite contemplari poſſit. At modo ſequenti commode totam operationem pluries videre mihi licuit. Excludantur Tenthredines magno numero, quæ ſolitarie vaſis vitreis immittantur, in quibus ramuli recentes cum foliis conſervantur mediante aqua frigida parvarum lagenarum, fundis inſiſtentium, quibusque extrema ramulorum ſunt immiſſa. In hisce ſæpe mox ova gignere incipiunt, ſaltem plerumque intra quasdam dies fit, dum ſimul modum, artificiaque mechanica, quæ circa uſum perfectiſſimæ ſerræ adhibentur, ſæpius examinare licet.

De

De Tenthredine ſub n. 9. ſuperius deſcripta ſequentia dicit Reaumurius: *Elles ont une Sçie, ſur l'uſage de laquelle je ſuis encore plus embaraſſé, que ſur celui de la Sçie des mouches du Groſelier. Elles ne choſiſſent pas les cotes des feuilles pour y laiſſer leurs oeufs, elles les appliquent ſur la feuille meme, ou elles les arrangent les une aupres des autres, elles les y arrangent meme en recouvremens. Les oeufs forment enſemble une plaque. J'ai eu beau decouvrir les endroits cachés par des plaques d'oeufs, et y chercher des inciſions; la loupe n'a pu m'y en faire appercevoir. La matiere gluente, qui enduit les oeufs, ſuffiroit elle pour boucher ces inciſions, et les empecher d'etre viſibles? Pour cela, il faut qu'elles ſoient bien petites; d'ailleurs, l'endroit ou elles ſont, s'il y en a, n'en paroit pas ſoufrir, ſa couleur n'eſt pas plus alterée, que celle du reſte.*

Tenthredo hæc, quæ ſæpius in meo conſpectu ova poſuit, quomodo hic gordius ſolvatur nodus memet didicit. Scilicet, cum ova gignenda ſunt (quod apud me ſemper in folii latere inferiori factum eſt), membrana primum aperitur ſerraque oblique intruditur, ut a pulpa ſeparetur membranæ tegentis portiuncula. Hoc facto ſerra extrahitur ovumque primæ aperturæ imponitur. Si iam mox ovum poſitum a folio ſeparetur, cum eo membranæ lacinia ſimul elevatur eidem adhærens; ſi vero differatur dicta operatio, absque ruptura ſeiungi nequit, nulla elevatur lacinia, & ne quidem apertura conſpici poteſt. Plura dein ova hoc modo iuxta ſe invicem collocantur, quodvis ſuæ aperturæ impoſitum. Raro numerus in quavis placenta 50. ſuperat. Eodem modo in foliis Salicis cinereæ ova ponit *Tenthredo Salicis.*

Tenthredo *ſcabrans* ſua petiolo, vel nervis folii craſſioribus concredit, idque ita, ut ovi maior diameter ſecundum directionem nervi diſponatur, & diameter minor ultra dimidiam partem in rima, ſerra facta, includatur. Ova ſeriem conſtituunt, ſeu unum alteri extremitate eſt contiguum. Eodem

 modo

modo in nervis inferioris foliorum Alni lateris diſponit T. *Septentrionalis*. In nervis foliorum Betulæ ſua defodit *Tenthredo n.* 5, ſparſa tamen adeo, ut vix duo contigua. Tandem hiſtoriæ *Ovis* perficiendæ modum, quo ova foliis Alni inſigit, deſcribam. Apice ſerræ membrana lateris plerumque inferioris iuxta nervum quendam lateralem maiorem aperitur. Fiat e. g. apertura ad *a* I. (Fig. 4. Tab. IV.), per quam ſerra intra membranas protruditur usque ad reſpondens *b*, quo facto circa *b* ovum ponitur ſerraque per aperturam *a* I. retrahitur. Mox alia fit apertura circa *a* 2. ovumque eodem modo collocatur ad *b* oppoſitum, & ſic porro.

Varias ſerrarum formas deſcribit REAUMURIUS, quibus nonnullas ab illo non delineatas addam. Tenthredo *Ovis* habet ſerram ſtructuræ peculiaris. Inſtrumentum hocce corneum qua maiorem longitudinis partem eſt concavum, ſed apicem verſus punctum flexus contrarii, uti Geometræ vocant, nanciſcitur. Hoc in multis obtinet, ſed quod notandum, dorſum utriusque ſerræ in proprio canali dirigitur, canales vero non, uti in aliis, membrana connexi ſunt, ſed usque ad baſin ſeiuncti. Idem obtinet, ſi probe meminerim, in ſerra Tenthredinis *luteæ*, *Faun. Suec.* 1534, hæc præterea in apicem non deſinit, ſed valde eſt obtuſa, eodem modo ac ſerra apud ROESEL von ROSENHOF depicta in *Tomo ſecundo*, *Tab. XI. fig.* 2. *de Fucis & Crabronibus.*

* * *

Tenthredines validiſſimis inſtructæ ſunt dentibus, quibus folliculos aperiunt, ſed cui præterea bono, miratus ſum diu; nam non alium eis novi cibum, quam quem, folia palpis lingendo, colligunt. Aphides aliaque Hemiptera folia pungunt & ex vulneribus guttulæ minimæ exſudant: præterea aphides per binos abdominis tubos, roris inſtar, liquorem dulcem

eiectant

eiectant, qui, in folia delapſus, ibidem exſiccatur. Hæc materia a pluribus inſectis, & inter hæc a Tenthredinibus, avide quæritur. Aeſtate vero proxime præterita caſu vidi Tenthredinem *atram* Faun. Suec. 1552. muſcam mortuam comedentem, & hinc ſuſpicor, inſectorum cadavera a reliquis huius generis devorari.

( *Vpſalia Halam miſſa d.* 28. *Octobr.* 1763.)

## *OBSERVATIO XLIV.*

## Dn. D. WILHELMI LVDOVICI WILLII.

### De

### *Singulari & admirando Tumore in Occipite, Filiolae recens natae.*

Numeroſæ illæ, a vero, ad conſervandam vitam humanam præfixo limite, non raro ſe exſerentes aberrationes, & perplurimi illi, tam in fluidis, quam ſolidis corporis humani partibus, erronei ſæpius evenientes motus, non ſolum natis & adultis iam hominibus, & ſpeciatim iis, qui variis corripiuntur morbis, tot perturbationes & confuſiones efficiunt, ut ſæpius unus idemque morbus erga hunc pertinaciter, periculoſe atque lethaliter ſe gerat, quem alter citiſſime & facillime ſuperat; verum etiam a formationis & conſervationis ordine deflectens hæc aberratio in fœtus, utero materno adhucdum incluſos, pluries ſe extendit. Notiſſima enim eſt res, per varias imaginationes, & repræſentationes gravidæ matris, perplures erroneos motus non ſolum in embryonibus ſucceſſive formandis, ſed & in fœtubus maiorem iam nactis maturitatem, oriri, quibus tunc & fluidæ & ſolidæ partes ita immutantur, ut in quibusdam hae, vel illæ corporis partes vitioſæ, in aliis vel plane deficientia, vel numerum excedentia membra; in quibusdam

dam iterum, vel ex toto, vel ex parte tantum mutilata corpora; in aliis porro præternaturales inciſuræ, & extraordinariæ fiſſuræ oſſearum, membranacearum, carnoſarumque partium; & in aliis tandem ſingulares plane tumores, & excreſcentiæ formentur atque producantur; de quibus ſingulis in Phyſicorum & Medicorum ſcriptis multas eximias egregiasque commentationes ac obſervationes annotatas reperimus. In ſequenti etiam hoc caſu novum exemplum ultimi generis ſiſtam, quod ſic ſe habet.

Lintearii cuiusdam textoris robuſta & bene fabricata, trigeſimumque circiter annum agens uxor, die IV. mens. Aprilis anno MDCCLIX. tertia vice, poſt longum ſatis atque difficilem partus laborem, iuſto tempore a puella, cuius facies antrorſum, vel os pubis verſus, erat converſa, liberabatur, quem tolerabile & ſalutare ſequebatur puerperium. Puella hæc neonata, in toto ſuo corpore perfecte quidem erat formata, atque ſingula eius membra convenienti naturalique magnitudine & ſymetria erant ornata. Plorantem vero vocem, puſillis alias uſitatiſſimam, perparum, & languide tantum, neque emittebat recens hæc nata, neque mammillas matris capere, neque lac maternum exſugere valebat; parvam autem in os inſertam quantitatem butyri, ſaccharo commixti, & tantillum lactis emulſi, orique infuſi, ſucceſſive deglutiebat. Maxilla inferior ſuperiori ita erat affixa ſpasmo, ut os non niſi vi aliqua aperiri poſſet. Meconium tandem & urinam in ſufficiente quantitate, naturalique modo emittebat. Erronea illa a formationis ordine diverſio, ubi huius puellæ natura formatrix, ſi ita loqui licet, magis in exceſſu, quam defectu peccaverat, in occipite deprehendebatur; ibi enim ſatis magnus, integumentis communibus circumdatus, prope a capite capillatus, & in maxima ſua circumferentia novem, in baſi vero tres tantum cum dimidio, atque in diametro maximo tres circiter digitos, menſuræ rhenanæ habens, atque globum repræſentans, tumor, prout delineatio

lineatio ſubiuncta Tab. IV. Fig. 10. docet, inveniebatur. Os occipitis verſus tumor hic durior paululùm reliqua ſui parte adparebat, & cartilaginis inſtar erat tangendus. In peripheria huius tumoris ſparſim ulcuſcula, in figura aſteriscis notata, obſervabantur, per tactum autem fluidi, vel molliusculi aliquid, in eo ſentiebatur.

Mox poſt partum, pater recens huius natæ puellæ me adibat, atque meum conſilium cupiebat: nihil aliud autem, niſi fœtum huncce, ob longam ſub partu commorationem, tumorem, vel tuber, *eine Baeule*, in occipite contraxiſſe, referre poterat. Ratus ergo vel hydrocephalum, vel ſanguinem congeſtum & extravaſatum, uti ſæpius per partum difficilem enixis contingit, ſubeſſe, aut *Spiritum vini calefactum*, & linteis quadruplicatis exceptum, aut *vinum*, *cum herbis* ſic dictis *coronariis decoctum*, calide ſæpius adplicare, curavi ac ordinavi. Altero mane Chirurgus iuratus huius loci accerſebatur, qui, facta inſpectione, mihi referebat, puſiolam hanc longe alio, quam ex humoribus ſtagnantibus ſuborto, ſibique prorſus incognito, laborare tumore. Cunctabar igitur minime, caſum hunc inveſtigare atque explorare, eumque in finem poſt meridiem eiusdem diei, dicto Chirurgo comite, in locum dimidiam circiter horam a meo domicilio diſtantem, me ipſum conferebam, tumoremque in parvula hac præternaturalem tali modo comparatum deprehendebam, ſicuti illum perſpicue iam deſcripſi. Et cum ſingula ſigna diagnoſtica docerent, tumorem hunc haud exiguam quantitatem humorum collectorum continere, ſine mora in infima eius parte lanceolæ ope ſufficiens, ea vero circumſpectione, ut integumenta tantum communia diſcinderentur, inſtituebatur inciſio, e qua mox libra una circiter medica cruoris coagulati, cum larga portione ichoroſæ materiæ mixti, profluebat. Vulnuſculum deinde linteo carpto & ſpleniis, ſpiritu vini calefacto madefactis, convenientique faſcia, deligabatur. Miſella autem hæc, & ſub inciſionis, & deligationis actu,

 per-

perpaucam oſtendebat ſenſibilitatem, ſed perpetua laborabat anæſteſia. Sequenti die, qui ſextus Aprilis erat, deligationis adparatus, inter quem durante nocte notabilis porro quantitas ſeri ſanguinolenti profluxerat, removebatur, atque nova curabatur deligatio, quæ etiam ſeptimo Aprilis denuo, ultimoque repetebatur.

Per quatuor hoſce dies puella hæc, uti iam monui, continuo fere ſenſuum expers, & in quodam anæſteſiæ gradu reperiebatur. Et quamvis tam mox poſt factam inciſionem, quam infra deligationis adparatum, notabilis ſemper e tumore profluеret humorum portio, perparum tamen extraordinarius hic tumor minuebatur. Impotentia alimenta congrua adſumendi continuabat, ſpaſmus maxillæ perdurabat. Declinante eodem ſeptimo Aprilis in veſperum die, levibus corripiebatur miſella convulſionibus, ac tandem circa mediam noctem exſpirabat.

Quo maiori autem omnes ſingulique, quibus extraordinarium hunc tumorem videndi occaſio fuit, adficiebantur admiratione, eo magis etiam eiusdem tumoris internam qualitatem & naturam connexionemque explorare ac perſcrutari, vehementiſſimum me capiebat deſiderium. Omnem itaque adhibebam curam & diligentiam ut a parentibus ultroneam, ad diſſectionem inſtituendam, impetrarem veniam. Extorta hac, anatomica inveſtigatio die VIII. Aprilis poſt meridiem, a me & Chirurgo iam dicto, ac in huiusmodi operationibus haud inhabili, inſtituebatur, ſequentemque in modum expediebatur.

Integumenta communia, quæ non ſolum valde craſſa, ſed & interna ſua parte multis duris pellucidisque veſiculis exſtructa erant, tumorem hunc cingentia, cruciatim incidebantur, & ab ipſo tumore ſeparabantur, tuncque tumor hic, livida & multis ſanguiferis vaſculis pertexta membrana incluſus, conſpiciebatur: hac quoque diſciſſa, copia nigricantis fluidique ſan-

ſanguinis, unacum multis ſubtilibus fibris intertextis, parvis glandulofis corporibus inter ſe cohærentibus, & peculiari quodam ſacculo membranaceo, magnitudine calami ſcriptorii, ſanguine coagulato repleto, apparebat. Evacuato ſic tumore, origo & connexio membranæ, qua extraordinarius hic tumor circumcinctus erat, explorabatur, atque inveſtigando deprehendebamus, dictam hanc membranam per foramen præternaturale oſſis occipitis penetrare, & meningum forſitan proceſſum eſſe. Foramen hoc præternaturale digito auriculari viri tranſitum concedebat, & circumcirca latitudine unius digiti cartilagine, ſiniſtrum ſyncipitis os verſus editiore paululum & firmiore, circumſeptum erat.

Integumenta deinde in capitis parte ſuperiore communia cruciatim etiam incidebantur, & a cranio ſeparabantur, quorum in ſuperficie interna ubique ecchymomata, & plures veſiculæ quaſi ſebaceæ in conſpectu erant. Pericranium inter & ſiniſtrum ſyncipitis os, fruſtulum ſanguinis extravaſati & coagulati, dimidiæ iuglandis magnitudine, reperiebatur. Remotis cranii oſſibus, & meningum & cerebri vaſa ſanguine coagulato referta; cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, atque reliquæ capitis internæ partes in naturali figura, ſtatu ſituque, & ſinguli cerebri ventriculi omni humore vacui inveniebantur.

Omnibus ſic internis capitis partibus exquiſitiſſime perluſtratis, ſingulisque in naturali ſtatu deprehenſis, ad exactiorem oſſis occipitis inveſtigationem progrediebamur, cautiſſimeque illo a vicinis partibus ſeparato, foramen eius ſic dictum magnum, ad pollicarem magnitudinem ſe extendiſſe, atque proceſſui illi præternaturali, vel membranæ, quæ tumorem hunc extraordinarium in occipite cingebat, tranſitum conceſſiſſe, obſervabamus. Reliquas corporis partes anatomice perſcrutari, partim adparens earum integritas, partim temporis exiguitas, neque poſtulavit, neque permiſit. Sufficienter etiam contentus

tus eram, in præternaturale & ſuperfluum illud, ubi natura formatrix hoc in caſu ab univerſali ordine aberraverat, occaſionem inquirendi me obtinuiſſe. Unicum hoc adhuc monendum & addendum eſſe iudico: Fœminam hanc tunc, cum gravida eſſet, in ædibus vicini cuiusdam præparationem botulorum, qui cruore ſuillo diſtenduntur, adſpexiſſe, cumque fruſtulum illorum, quod appetebat, ipſi non offerretur, conturbatam domum rediiſſe, atque caput ſiniſtra manu fricaſſe, & hac ex cauſa, ſecundum ſuam ſententiam, fœtum, utero adhuc incluſum, tumorem nunc deſcriptum reportaſſe.

## Scholium

Anno MDCCXLI. die XXIX. Julii, Argentorati filiolus ſimili, quod externam attinet conditionem, tumore in lucem edebatur, quem Dn. D. *Job. Frid. Chriſt.* CORVINUS, Weſterburgenſis, in Specimine ſuo inaugurali, die XXIII. Septembr. 1749. ventilato, exacte deſcriptum exhibuit, eique *Herniae cerebri* nomen impoſuit. Qualis autem inter illum, & hunc a me communicatum caſum, ratione internæ conſtitutionis, intercedat differentia, utrorumque comparatio demonſtrabit.

# OBSERVATIO XLV.

## Dn. D. WILHELMI LUDOVICI WILLII.

De

## *Vulnere ſclopetario per grandines plumbeas urethrae circa bulbum eius inflicto, et feliciter curato.*

Quamvis & vulnera ſclopetaria maiora in genere, & læſiones ſclopetorum exploſione partibus præcipue membranaceis, & ſpeciatim viis canalibusque, quotidianis excretionibus ſumme neceſſariis deſtinatis, inflictæ, tam ab antiquioribus, quam recentioribus ac hodiernis Practicis, vel inter ma-

xime

xime periculoſas, vel ſaltem inter admodum dubias ponantur ſauciationes: nonnunquam tamen unus alterve occurrit caſus, qui utriusque læſionis, debita atque ſedula adhibita circumſpe-ctione & diligentia, felicem, tutam, iucundamque admittit curationem ac conſolidationem. Præſens hic caſus huius rei veritatem perſpicue demonſtrabit; non ſolum enim partes carnoſæ, membranaceæ, verum etiam canalis illa, excretioni urinæ ac ſeminis emiſſioni deſtinata, miſere erant contuſæ, vulneratæ & dilaceratæ, attamen perfecte iterum conſolidatæ. Varias autem ob cauſas inter rariores eum eſſe collocandum, omnino credo, haud etiam recordor, ſimilem in tot obſervationibus perluſtratis, mihi occurriſſe. SCULTETUS quidem in *Armamentar. chirurgico*, a D. *de* SPROEGEL, Amſtelodami anno MDCCXLI. edito, *Obſervation. LIII. pag.* 277. *ſeq.* parem refert; ea vero inter utrosque intercedit differentia, quod in illo urethra unico tantum globulo, in hoc vero pluribus, & quidem paulo maioribus grandinibus, fuerit læſa, ſingulæque partes enormius dilaceratæ. Aggredior autem caſum nunc ipſum, ac pro viribus, & læſionem, & curationem, ſecundum hebdomadum decurſum referam; ſingulares enim circumſtantiæ omnes mutationes, de die in diem factas, adnotare haud permiſerunt.

Iuvenis vir, ab Academiis initio menſis Maii anni MDCCXLVIII. redux, viginti trium annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus ſucculenti, vitæ genus ſatis mobile agens, atque integra gaudens ſanitate, die IV. Novembris anni iam dicti, per ſylvas ac montes venaturam cum plurimis aliis faciebat, & cum hora veſpertina circiter quinta pandochium quoddam, vix milliaris ſpatio a domicilio paterno diſſitum, intrabat, atque manuariam bombardam propriam in menſam abiiciebat, ex improviſo, & prorſus ignoto modo, ignem capiebat perniciosum hoc inſtrumentum, atque ſequenti modo grandines infarcitas explodebat. Exploſæ hæ grandines nempe, *primo* ſubuculam panneam iuvenis prope orificium bombardæ ſtantis,

*ſecundo* femoralia coriacea, *tertio* duas thecas horologii viatorii argenteas, *quarto* duo induſia penetrabant, atque nunc in ipſum corpus ſæviebant, & mox ſub regione inguinali dextra in femore, non procul a ſcroto, cutem, vel integumenta communia, ita dilacerabant, ut tendo muſculi ſartorii nudus adpareret, ibique vulnus latitudine unius digiti cum dimidio, & longitudine duorum digitorum cum dimidio, efficiebant, oblique tunc urethram, circa bulbum eius, integris tamen integumentis communibus, & partes muſculoſas ſiniſtri femoris perforabant, ac tandem circa muſculos glutæos modo dicti femoris quædam tantum grandines iterum egreſſæ erant, reliquæ vero partim ſub cute, partim in carnoſis partibus remanebant; atque tali modo vulnerationem finiebant.

Hæmorrhagia in enormi hac læſione, vulnerum ſclopetariorum more, ſatis erat moderata, attamen ipſe vulneratus ab omni conſilio & auxilio alicuius Chirurgi remotus, uncias aliquot ſpiritus vini vulneri infundebat. Hora vero una vel altera elapſa, lenibus horripilationibus, crebrioribus vomitibus, qui ad ſextum vel octavum diem, bis vel ter quotidie continuabant, inſigni laſſitudine, æſtu, atque ſiti febrili, quæ ſingulis horis veſpertinis accreſcebant, ante meridiem vero paululum remittebant, nec non faſtidio quorumcunque ciborum, carnium præcipue, aſt, ne unica quidem Lipothymia, etiam inter atrociſſimos dolores, per priores curationis hebdomades ſæpius obvenientes, corripiebatur. Hora circiter nona vel decima veſpertina modo dicti diei, adveniebat Chirurgus accerſitus, qui fomentationes e ſaturninis cum vino paratas adplicare volebat; faſtidiebat autem læſus iuvenis hoc conſilium, & imperabat Chirurgo, ut ſine mora circa muſculos glutæos ſiniſtri femoris, ubi non parva quantitas grandinum, e ſclopeto proiectarum, ſacculi piſis repleti inſtar, præſens erat, ſatis profundam faceret inciſionem cruciatam, eaque peracta, vulneribus turundas molles, in defectu aliorum remediorum, ſpiritu

vini tepefacto impraegnatas, adplicare, atque ſingulas læſiones, tam ad aëris acceſſum avertendum, quam ulteriorem humorum ſtagnationem præcavendam, ſpleniis linteis, vino calido imbutis, ſæpiusque reiteratis, defendere ſtuderet. Poſt intervallum unius horæ alvum depoſuit, atque urinam emiſit vulneratus, haud levi autem perculſus fuit terrore, quum pauca tantum quantitas lotii, cum ſanguine mixti, per viam ordinariam & naturalem, maxima vero eius pars per vulnera, ingenti cum ardore, erumperet; interim tamen ſemper penes ægrum poteſtas erat, urinam per tempus circiter viginti quatuor horarum retinendi. Prima hac nocte, ut & in plurimis ſequentibus, per aliquot horas vulneratus hic placide ſemper ac tranquille dormiebat. Altero mane pater eiusdem, qui eſt huius municipii Pharmacopœus, adveniebat, & remedia deſiderata adportabat, quibus impetratis nova inſtituebatur deligatio, & nunc, remotis turundis & ſpleniis, ſpiritu vini & vino calefacto imbutis, vulneribus a ſanguine extravaſato atque coagulato, aliisque heterogeneis, repurgatis, unguentum digeſtivum, e Terebinth. clar. Vitell. ovor. Melle roſar. & pulv. Oliban. concinnatum, bis de die adplicabatur, iisdemque Emplaſtr. Sapon. Barb. ſuperimponebatur: ad diſcuſſionem autem atque reſolutionem humorum ſtagnantium, & partium læſarum roborationem promovendam, ſacculi, ex herbis ſic dictis coronariis & balſamicis parati, & in vino calefacti, ſæpius tam vulnerum peripheriæ, quam ipſi membro genitali, adplicabantur. Interne ter, vel quater de die doſis pulveris febrilis, e nitro, ſale medio, abſorbente & antimon. diaphor. compoſiti, interpoſitis nonnunquam XL. guttis Eſſent. alexiph. Stahl. exhibebatur. Ciborum loco, iuſcula tantum vel e bovina, vel vitulina, vel etiam e gallinarum carne parata & diluta, nec non cremor hordei, interdum etiam quædam fruſtula pomi, aut pyri recentis, vel parva quantitas uvarum recentium concedebantur; ſitis vero mox iulapiis e ſyrupo Rubi idæi & acetoſitat. Citri, mox

 emul-

emulſionibus amygdalinis, mox etiam aqua pura, ſucco Citri acidulata, extinguebatur. Hisque tam pharmaceuticis, quam diæteticis remediis tantum efficiebatur, ut graviter hic vulneratus tertio poſt vulnerationem die, qui ſeptimus Novembris erat, nonſolum mediante lectica, quæ a duobus equis geſtabatur, in domicilium paternum transferri, ſed & usque ad initium tertiæ hebdomadis ab omnibus urgentibus ſymptomatibus, atque ſingularibus mutationibus vacare potuerit. Cum vero ſanguis, undiquaque, & præcipue in Scroto extravaſatus, hucusque nullo modo reſolvi atque diſcuti poſſet, ad maturationem vel ſuppurationem promovendam cataplasmata, e Speciebus emollientibus officinalibus, in lacte coctis, per aliquot dies ſedulo adplicabantur, quæ non ſolum Scroti, pure repleti, rupturam, ſed & profluvium materiæ boni quidem coloris, fœtidi tamen odoris, unciarum circiter octo, produxerunt. Tertia etiam hac hebdomade ad æqualem mundificationem vulnerum procurandam, bis ſemper de die, decoctum herbæ Veronicæ aquoſum, cum melle roſarum mixtum, iniiciebatur, & loco Unguenti digeſtivi, adhibebatur nunc mixtura, ex Mell. roſar. ℥iv. balſam. Peruvian. ʒß. & Spirit. vin ʒij. compoſita. Vulnera ſatis largam quantitatem puris laudabilis, multis grandinibus mixti, quotidie emittebant quidem, nihilo tamen minus mox ante, mox poſt meridiem fortiores adparebant motus febriles, quibus vero tantum ſupra recenſitis occurrebatur remediis. Hac etiam in hebdomade, ne quid intermitteretur, alius adhuc artis peritus, Chirurgus nempe tunc temporis huius Marchionatus provincialis, magnæ famæ vir, accerſebatur.

Circa initium *quartae hebdomadis* optima quidem de felici eventu affulgebat ſpes; ſitis enim, hucusque admodum urgens, remittebat paululum, atque adpetitus & ſomnus gratum capiebant incrementum; triduo autem primo elapſo, novus atque durus in femore ſiniſtro, a muſculis glutæis ad anum usque ſe extendens, adparebat tumor; emollitio quidem & ſuppuratio

eius

eius quovis modo, ſed incaſſum, tentabatur, ſicque quarta hæc hebdomas immanibus doloribus & cruciatibus, ſub ſingulis præcipue urinæ emiſſionibus, finiebatur.

*Quinta* nunc *hebdomas*, quæ ſummo iure hebdomas maximorum cruciatuum huius vulnerati vocari poterat, adparebat; dolores enim circa Scrotum adeo erant vehementes, ut ipſe vulneratus, ex ſuperveniente forſitan gangræna, vel ſphacelo, ſubſecuturam mortem metueret. Ne vero etiam hic quid prætermitteretur, ſufficiens in ſiniſtro femore, prope Scrotum & perinæum, inſtituebatur inciſio, per quam larga quantitas bene coѐti, admodum tamen fœtidi odoris, ſanguine grandinibusque quibusdam mixti puris, mox profluebat, & effluvium eiusdem per plures adhuc dies continuabat, unde ſimul durus in ſiniſtro femore tumor non ſolum magis magisque imminuebatur, verum etiam acerbiſſimi dolores per ſingulas fere horas leniebantur. Id unicum nunc moleſtum erat, quod urina ſub quavis eius miſſione etiam per hanc inciſionem, ſicque per quatuor vias effluеret. Verum tamen gratum hoc erat, quod hac in hebdomade, tam vulnera & dextri & ſiniſtri femoris coaleſcere inchoarent, quam lotium in maiori quotidie quantitate, per ductum ordinarium, urethram nempe, cui ſemel quovis die catheter plumbeus immittebatur, profluere inciperet. Eadem hac hebdomade, iniectio & mixtura balſamico-vulneraria, e melle roſarum & balſamo Peruviano compoſita, ſeponebantur, eorumque loco balſamum tantum Arcæi adplicabatur.

Tempus plurimorum dolorum cruciatuumque per Dei benigniſſimam gratiam ſuperaverat nunc vulneratus, eiusque loco dies moleſtiæ tantum adpropinquabant. *Hebdomade* enim *ſexta* motus febriles ceſſabant plane; adpetitus & ſomnus optime redibant, atque vulneratus ita reficiebatur, ut nunc ſine aliorum auxilio e lecto ſurgere, veſtimenta ſibi induere, in con-

 clavi-

clavibus obambulare, perque ſcalas deſcendere & adſcendere queat. Notandum enim adhuc eſt, a primo vulnerationis die, ad dictam hanc ſextam hebdomadem, illum non niſi aliorum auxilio in lecto ſe vertere, exindeque ſurgere, & non aliter ac incurvum, atque ab aliis ſuffultum, incedere potuiſſe. Singula vero vulnera adhucdum erant aperta, & urina per ea in aparva tantum quantitate profluebat.

*Hebdomas ſeptima* ſine omni mutatione præteribat; urinæ effluvium autem hoc in tempore per vulnus dextri femoris plenarie non ſolum ceſſabat, ſed & per inciſionem prope Scrotum, quinta hebdomade factam, de die in diem in minore ſemper quantitate illa effluere incipiebat. Singulæ hæ circumſtantiæ *octava* in *hebdomade* pari modo, ut in antecedente, ſemper in melius vergere continuabant; vulnus enim dextri femoris in totum conſolidabatur, & urina pauca tantum in quantitate e vulnuſculo infra Scrotum prodibat.

*Hebdomas nona* ſimiles ſiſtebat ſalutares effectus, ut in fine eiusdem etiam vulnus circa muſculos glutæos ſiniſtri femoris ſolidam duceret cicatricem, atque urina pauca tantum in quantitate per vulnusculum circa perinæum efflueret.

Adparebat tandem *hebdomas decima*, cuius in initio vulneratus hic, de cuius morte rumor in tota hac regione ſpargebatur, ſæpius, prima iterum vice, pedem efferebat domo. Hac etiam hebdomade vulnuſculum prope Scrotum inflictum non ſolum firmiter coaleſcebat, verum etiam urina unice nunc per viam naturalem ad votum profluebat. Hoc autem adhucdum notandum eſſe iudico, grandines e ſclopeto proiectas, octoginta circiter numero, in decem hiſce hebdomadibus ſuppurationis ope unice fere per vulnus ſiniſtri femoris excluſas fuiſſe. In tantum ergo nunc, ſed nondum in totum vir hic iuvenis erat reſtitutus; in femore enim ſiniſtro oblongus remanebat tumor,

mor, qui in prioribus menſibus anni MDCCXLIX. varias, & ſedendo maximas creabat moleſtias. Menſe autem Maio eiusdem anni tumor hic ſponte perveniebat ad ſuppurationem, &, qum lanceola prope perinæum pertunderetur, duodecim circiter grandines, cum parva quantitate materiæ purulentæ, educebantur. Tranquille nunc per totam æſtatem res ſeſe habebat, Septembre vero dicti modo anni, modo deſcriptus locus in ſiniſtro femore denuo tumebat, prægreſſa inflammatione ſuppurabat, ſponte rumpebat, & magnam portionem fœtidi puris, duodecim grandinibus mixti, iterum fundebat. Quamvis autem durus & oblongus hic tumor tam ſuppurationis, quam grandinum ac puris excretionis beneficio, multum minueretur, plenarie tamen hucusque nondum evanuerat. Menſe enim Novembre dicti iam anni, reſtitans eius portio ſponte perveniebat ad ſuppurationem, tuncque ſufficiens iterum fiebat inciſio, ex qua dein non ſolum ſatis larga quantitas puris, cum viginti circiter quatuor grandinibus prodibat, verum etiam ab omnibus tandem moleſtiis, per totum annum perpeſſis, ita perfecte reſtituebatur vulneratus hic, ut ab eo tempore, ad hodiernum usque diem, largiſſima Dei gratia, quæcunque officia, ſedendo, ambulando, currendo, equitando, ad votum perficere valeat. Præter ea non ſolum urinam pro lubitu & retinere & excernere poteſt, ſed & organa eius generationi dicata, ne minimo quidem damno adfecta fuiſſe, vel ex eo liquet, cum nunc uxor eius in octavo menſe graviditatis conſtituta eſt.

Ceterum hoc unicum flagrantiſſime, *Illuſtris Academiae Domine Praeſes*, *Excellentiſſimi eiusdem Domini Collegae*, & *omnium ordinum Lectores honoratiſſimi*, adhuc peto, ut, ſi in deſcriptione & enarratione huius obſervationis vel non omnes ſingulasque circumſtantias dilucide ſatis explicaverim, vel debita ſtyli concinnitate propoſuerim, id mihi neutiquam vitio vertatis. Horror enim toties membra mea etiamnum quam vehementiſſime per-

percutit, quoties vulnerationis huius recordor. Et quid mirum! *graviter enim hic vulneratus, ipſe ego fui.*

## OBSERVATIO XLVI.

## Dn. D. WILHELMI LVDOVICI WILLII.

De

### *Singulari delirio maniaco, in Puero XIII. annorum, perpaucis remediis curato.*

Vitæ genus ſubito immutatum generatim, ſpeciatim vero inſuetas ignominias, inaſſuetorum laborum impoſitiones, continuas altercationes, viliorem victum, &c. talem præcipue hominem, qui ex hæreditaria quadam diſpoſitione ad vehementes motuum exacerbationes admodum pronus eſt, per ſe, abſentibus etiam aliis cauſis materialibus, in vehementiſſimos corporis motus, & in plenariam fere inſaniam concitare poſſe, ſequens perſpicue docebit hiſtoria.

Formoſus atque lepidus puer, a patre, in ſingulis ſuis actionibus valde impetuoſo, & generoſa matre natus, cuiusque avia paterna ſæpius haud levibus inſultibus maniacis afflicta eſt, anno circiter undecimo vel duodecimo ætatis ſuæ, acerbo hoc concutiebatur caſu, ut dilectiſſima mater morte ei auferretur, atque non ita multo poſt, cum pater alterum iniret connubium, noverca, & quidem minus iucunda, donaretur. A prima partus hora, usque ad patris ſecundum connubiale fœdus, puer hic laute, molliterque educabatur, poſthac autem continuo non ſolum ad varios inſuetos labores ac actiones impellebatur, victusque antea laudabilis atque ſuperfluus cum viliore & parciore commutabatur, ſed & eidem conſuetæ recreationes prohibebantur, ac, ſi forſitan e puerili quadam levitate vitium

vitium committeret, partim incarcerabatur & verberabatur, partim etiam variis ignominiis adficiebatur.

Singulis hiſce iuvenculus hic, decimum tertium tunc annum cum dimidio vix agens, adeo commovebatur, ut in delirium incideret maniacum. Sub quibus autem circumſtantiis adfectus hic ſenſim ſenſimque evenerit, omni adhibita ſedula indagatione experiri non potui. Die tandem decimo Julii anni MDCCLXI. per litteras mihi referebat pater, filium ſuum natu maximum valde delirare, magnoque laborare æſtu, & idcirco meum deſiderari conſilium. Quia vero mihi conſtabat, puerum hunc non ſolum achoribus laborare, verum etiam in profligando & tollendo hoc morbo omnem figi operam; deficiente ſolidiore informatione, in ſuſpicionem mihi veniebat, hancce exulcerationem retropulſam forſitan, atque inflammationem meningum, vel phrenitidem inde concitatam eſſe. Ad materiam igitur retroactam iterum eliciendam, & ad orgaſticas ſanguinis commotiones moderandas, veſicatoria ſuris adplicari, interne vero potionem præſcriptam diaphoretico - temperantem exhiberi, debitumque regimen, ac convenientem diætam ſervari, iubebam. Altero die per litteras porro mihi ſignificabatur, ægrum in iisdem adhuc verſari circumſtantiis, absque ulla mutatione; ceterum vero emplaſtrum ſuris impoſitum ſat magnas excitaſſe veſicas, potionemque transmiſſam præſcripto modo adhibitam eſſe. Nihilo tamen minus ulteriorem eius uſum, additis ſaltem quinque Camphoræ granis, commendabam. Cum vero, elapſis aliquot diebus, nulla delirii iſtius remiſſio exinde obtineretur, a patre, cuius domicilium dimidium milliare abhinc diſtat, rogabar, ut ipſe filium ſuum inviſerem. Haud levis autem animum meum ſubiit ſtupor, cum ægrotum manibus, pedibusque funibus conſtrictum, nec non adſpectu meticuloſo cum audaci mixto, & profundo ac tardo, pleno tamen & duro pulſu præditum, invenirem. Singulis his obſervatis & ponderatis, convincebam patrem, adfectum filii ſui minime ſym-

ſymptoma quoddam febrile, ſed verum eſſe delirium maniacum ſine febre. Reſpondebat illico mihi verſutus hic pater, filium ſuum forſitan malum hoc ex Ribeſiæ nigræ, vel Groſſulariæ non ſpinoſæ fructibus, in horto vicinæ cuiusdam comeſtis, contraxiſſe. Facta hac narratione, ſuſpicio mihi oriebatur, puerum hunc forte Solani vulgaris baccas decerpſiſſe, & devoraſſe. Ad veritatem itaque huius rei eruendam, ipſe nominatum hortum perſcrutabar, ſed ne veſtigium quidem, quod maximam mihi iniecit admirationem, neque Groſſulariæ, neque Solani reperire poteram. Porro tunc referebatur mihi, illum feneſtras ictibus percuſſiſſe, optimos dilaceraſſe libros, diverſas iam lodices diſcerpſiſſe, variasque commiſiſſe petulantias, & idcirco illum non ſolum funibus conſtrictum, ſed & verberibus caſtigatum eſſe. Ceterum miſer hic cibum atque potum convenienti capiebat modo; ſingulis noctibus per plures horas tranquille dormiebat; alvum naturaliter deponebat, urinamque decenter mittebat; ad quæſtiones, iucunda quadam gravitate ipſi propoſitas, modeſte reſpondebat atque facultatem poſſidebat, & latina & germanica legendi ſcripta, conſuetas ſuas recitandi preces, ut & diverſas occupationes, ſibi demandatas, expediendi. Præterea neque ſibi, neque aliis læſionem quamdam inferre cupiebat, inquietiorem vero ſe oſtendebat, ſi quis novercæ ſuæ mentionem faceret, maiore etiam incendebatur furore, ſi ſoror eius ad ipſum accederet. Conſilium itaque ſuppeditabam, ut puer hic a vinculis prorſus liberetur, verberaque omitterentur. Monebam porro, uſum medicamentorum ſupervacaneum fore, eumque ſola convenienti inſpectione, & humana adhortatione, facile iterum ad ſe rediturum eſſe.

Flocci autem habebatur hoc conſilium, eiusque loco ad vehementiſſima, tam emetica, quam purgantia remedia, ut & reiteratas Venæſectiones, iuxta commendationem a variis aliis, tam Medicis, quam Medicaſtris, factam, confugiebatur. Præterea funibus illum ligare, vehementibus verbis proſequi,

& flagris obiurgare, indefeſſe continuabat. Elapſis aliquot hebdomadibus caſu locum illum prætervehebam, ſicque data occaſione ægrum hunc iterum viſitabam, illumque in eodem adhuc triſti inveniebam ſtatu. Perpendens igitur, neutiquam in patris poteſtate eſſe, ut mitius tractaret filium ſuum, pueroque obiecta adeo ſibi odioſa perpetuo ante oculos obverſari, animumque eius magis magisque in paterno domicilio conturbari; ſuaſor eram, ut iuvenculum hunc ad tempus a ſe removeret, atque in curationem æque ac inſpectionem alius viri, cum prædicta inſtructione, traderet. In plures iterum dies huius conſilii exſecutionem procraſtinabat pater, & tandem deſiderabat, ut ipſe ego filium ſuum in domum meam reciperem, cumque etiam votis his me reſpondere velle promitterem, die XVII. Auguſti is ſuaviſſimis hisce verbis: *Tibi nunc ſtultum meum curandum trado*, in domicilium meum filium ſuum deferebat.

Primis diebus, cum miſer hic apud me commoraretur, ne minimum quidem cum eo ſuſcipiebam, ſed unice tantum conatus & motus eius, quantum potui, obſervabam. Quodſi tamen perverſi aliquid ſuscipere velle videbatur, ſeveris tantum, comitate tamen conditis verbis & adhortationibus eum inde avertere adlaborabam, hisque etiam tantum efficiebam, amoremque eius adeo mihi comparabam, ut me ſuis veſtigiis, intra parietes meos privatos ubique ſequeretur, &, ſi in publicum prodirem, vel uxorem meam, vel ancillam de mea abſentia ſemper percontaretur. Delirium ſuum maniacum ex iis ſemper intelligi poterat, quod varia ſecum, admodum perplexe tamen, murmuraret; perſonis præſentibus ſæpius pugnis minitaretur; ſuas exueret veſtes; ac pluries, deficiente omni occaſione, concuteretur cachinno. In paroxysmorum, pomeridiano plerumque tempore recurrentium, exacerbationibus, impreſſis manuum pollicibus, oreque ſpumante per domum circumerrabat; proletarios componebat verſus germanicos, quosque etiam clamitante recitabat voce; aliquoties vel in ſcalam, vel in la-

tebram quandam conſidebat, atque acerbe flebat; aliquoties etiam ad culinam contendebat, ibique apprehendebat torrem, dicens, ſe nunc domum incenſurum eſſe. Ceterum cibos, aliqua tamen cum vehementia, optime ingerebat; veſtimenta mane debito induebat ordine, veſperique iterum ita exuebat; manus faciemque quotidie lavabat, crinesque pectinabat. Per totam noctem profunde ac tranquille dormiebat, eoque in tempore cum in meis degeret ædibus, ſemel tantum ipſi eveniebat, ut per cubiculum vehementer curſitans, e feneſtris vociferaret. Impuritates corporis optime, convenientibusque in locis egerebat, & aliquoties tantum accidebat, ut craſſioribus ſuis excrementis lectum cubiculumque conſpurcaret. Inſuper claves e ianuis eximere atque recondere valde ſtudebat, poſtulatis vero ab eo illis, deſiderantibus verecunde iterum eas exhibebat.

Die tandem XIX. Auguſti ſuperius indicati anni conceptam aggrediebar curationem. Cumque iamiam obſervaſſem, puerum hunc obedientem ſe geſturum eſſe, & neque vinculis, neque cuſtodibus indigere, libertatem iam conceſſam ulterius illi permittebam, eo maxime intentus, ut ſanguis iuſto forſitan craſſior reſolvatur; mucoſæ aliæque impuritates collectæ incidantur; excretio alvina paululum ſtimuletur, atque orgaſtica ſanguinis commotio temperetur. Ad hos obtinendos ſcopos ordinabam ſequentem potionem: Rec. Aqu. ceras. nigr. flor. Til. ana ℥vj. Nitr. puriſſ. Tart. tartariſat. ana ʒß. Mell. puriſſ. ℥j. M. D. ad Vitr. de qua bis, vel ter de die uncias duas cum dimidia ei porrigebam, atque hoc remedium usque ad XVIII. diem Septembris continuabam, quo in tempore unciæ tres & dimidia Tartari tartariſati, totidemque Nitri conſumebantur. Meis etiam conamen hoc reſpondebat votis; pulſus enim de die in diem vividius atque mollius micabat, alvus quotidie bis vel ter optime ſuccedebat, & urina in larga ſatis copia fluebat. In delectu ciborum minus eram ſcrupuloſus, ſed potius qui-

buslibet eduliis, mihi & uxori meæ paratis, noſtroque in ſodalitio, ut veſceretur, iubebam. Cum vero hac in regione potus ordinarius ſit vinum, hinc per aliquot hebdomades aquam tantum puram, & in larga quidem quantitate, ut biberet, ſuadebam: rebus vero ſuis in melius iterum verſis, quotidie ei moderatam quantitatem vini generoſi porrigebam. Et ſimplici hac methodo, per Dei, ſummi Archiatri, largiſſimam benedictionem, omni commiſeratione digniſſimus hic puer, ſex ſeptimanarum ſpatio ita reſtituebatur, ut die 1. Octobris & corpore, & mente ſanus, in domicilium paternum revertere potuerit.

Quam abominandum autem ſit vitium ingratitudo, apertiſſime hic compertus ſum. Soſtrum enim meum, admodum levidenſe, vi extorquere ſum coactus, & ſperati ac promiſſi ulterioris honorarii loco, calumnias atque inimicitias in me adhucdum exercet ingratus hic pater; & hæ ſunt remunerationes beneficiorum, filio ſuo in meis ædibus exhibitorum.

(*Emmendinga Halam miſſae d.* 12. *Decembr.* 1763.)

## *OBSERVATIO XLVII.*

## Dn. D. PETRI a WESTEN.

### *Adnotata quaedam de Lue bovina 1762. in Dania graſſata.*

De Lue bovina, patrios nunc iterum depopulante vicos, pauca quædam commentaturus, ſtatim in limine ſermonis præmonendum duco, me iam id non agere, ut aliorum Autorum, copioſiſſimis Tractatibus, ſua de hac re cum orbe literato placida communicantium, referam cogitata, ſed ea potius narrem, quæ propria me docuit experientia, num forte meis etiam obſervationibus, meoque qualicunque ſtudio, aliquid

conferre queam ad detegendam mali adeo atrocis, adhibitarum hucusque medendi methodorum plurimas ſpernentis penitus, naturam originemque: quo, his in apricum poſitis, conſtans reperiatur atque fida morbi medela, ſicque lethiferæ tandem Lui ponatur terminus, Europam ſucceſſive pervaganti, nec poſt abſolutum circulum deſinenti, ſed ad regionem, unde primo exierat, revertenti, ut novum iter, priori ſimile, rurſum ingrediatur. Hæc vero, quæ dicam, eo, absque omni ſermonis elegantia, proferam modo, ut præter expoſitam morbi conditionem, remedia a me adhibita contra eundem, & qualis fuerit conaminum eventus, lecturo pateant.

Lues bovina, conſentientibus Autoribus tantum non omnibus, pro fundamento agnoſcit contagium quoddam, ea pollens indole, ut ſuccis brutorum admixtum, in iisdem non ſtaſin modo inflammatoriam, ſed & putredinoſam reſolutionem producat. Prius ſaltem ſatis ſuperque evincunt, & ſymptomata morbum ab initio ad finem usque concomitantia, & inflammata loca, poſt mortem in variis boum viſceribus reperta. Cumque, experientia teſte, & vehementiores morbus ſecum ducat effectus, & velocius utplurimum in corpore bovillo procedat, ſemel introductus, atque gregis, quam aggreditur, individua vel omnia, vel ſaltem plurima, corripiat, ſicque totam ſucceſſive perreptet, maximam ordinarie ſtragem, brevi temporis ſpatio, nec raro totalem illius interitum, poſt ſe relinquens: ſequitur, ut pro ſpecie Peſtis iure meritoque habeatur. Num vero contagium iſtud in ſolo hæreat aëre, adeoque vel advehatur ventis, e certa regione flantibus, vel roris, nebulæ, vaporum, adiumento ad corpora brutorum pertingat, quæ nonnullorum eſt opinio, id equidem adfirmare non audeo, quoniam ſingulis annorum temporibus & non obſtante ventorum diverſitate, tam bobus, durante æſtate, noctu ſub dio commorantibus, quam iisdem ſtabulis, hyemali tempore, incluſis, æque manet infeſtum. Mihi enim homines, ipſaque varia bru-

ta,

ta, contagium ab una regione ad alteram circumferre potiſſimum, vero videtur ſimilius, quoniam reiteratis conſtat obſervationibus, propagari morbum, ſi homines, infectæ gregis curam habentes, incolumi adhucdum gregi alii propius accedant, vel e loco iamiam inquinato iumenta adducantur. Quamvis iſtud ipſum contagium, quoties iam adeſt copioſum, aërem qnoque infectum reddere, & hac etiam ratione multiplicari, facile concedam.

Quemadmodum contagium hic adeſſe, ceu cauſam remotam ſive primam, circumſtantiæ probant adductæ; ſic contagii quoque effectus conſueti in bobus ægris præſentes conſpiciuntur; febris nimirum continua, inflammationes externæ & internæ, earumque conſectaria haud raro exanthemata, mors tandem plus minus cito inſequens, ceu totidem notæ, docente Pathologia, contagioſis morbis propriæ.

Quam primum ſcilicet lue corripiuntur boves, febrilis commotio in illis animadvertitur, frigore plus minus manifeſto incipiens, &, pro more febrium contagioſarum, durans continuo, nec niſi remiſſionem aliqualem per intervalla monſtrans. Oculi ipſis apparent obfuſcati, atque ex his lympha profluit cœruleſcens, concepti iamiam contagii ſignum infallibile; qualis etiam e naribus oreque exit. Singuli præterea boves ſiti vexantur, e maiori, quam antea, bibendi cupidine dignoſcenda. Temporis ſucceſſu in aliis accidit excretionum defectus, unde & alvus clauſa eſt per aliquot dies, atque excrementa, ſi quæ prodeant per vices, pauca veniunt, aridiſſima, nigraque: & fauces areſcunt, ac lingua ſicca ex ore aperto prominet. Boves contra ea alii excretionibus laborant nimiis, ac in ſpecie diarrhœa vexantur. Nonnullis exanthemata erumpunt, in dorſo præſertim atque vaccarum uberibus conſpicua; & ab Autoribus quibusdam pro variolis, aut certe variolarum ſpecie, habita: quorum in uberibus apparitionem ipſa forte lactis, conſulto

ſulto ancillarum labore, eductio quotidiana, atque hinc pendens irritatio, iuncta tegumentorum ſubtilitate maiori, promovet.

Peractis aliquot diebus, & ingraveſcente morbo, iunguntur appetitus deficiens, hactenus brutis ignotus, quæ pabulo potius ſuo ad hoc usque tempus conſueto more veſcuntur; lac etiam deficere in lactantibus vaccis incipit. Atque hæc quidem ſymptomata ambo ſtatim ab initio adeſſe, ſicque morbi, nunc demum incipientis, ſigna conſtituere, autores varii aſſerunt: accuratiori tamen experientia præeunte, contagium iamiam dies ſex, imo plures adhuc, inſimulque ipſam Luem revera adfuiſſe indicant. Sitis eo usque pedetentim augetur, ut ſatiari aqua, bibendi fine porrecta, boves amplius neſciant. Lingua intumeſcit, & cuticula alba, quin & puſtulis ſive veſiculis, obducitur. Tuſſicula adeſt, atque reſpiratio primo difficilis, laborioſa abdominis dilatatione & contractione mutua pro parte pateſcens; deinde difficillima, ſub catarrhi cuiusdam ſuffocativi facie, metum ſuffocationis inducens; nec non inquietudo maxima, tantaque, ut corporis ſitum deinde mutent ægroti boves, reiteratis vicibus mox humi proſtrati, mox ſurgentes, & præcordiorum anguſtiam clamore rugituque edito prodentes. Spaſmi præterea particulares varii, & ſtridor dentium, adveniunt, vel etiam os conſtrictum adeoque clauſum, ut vi quoque adhibita aperiri nequeat. Manus prope ſatis admota faucibus, calorem ex iisdem ſummum prodire ſentit. Saliva, in ore collecta, tantam ſucceſſive acquirit conſiſtentiam, ut ſubſiſtat tenax, & baculo immiſſo circumvolutoque adhærens, corii cocti ad inſtar protrahi ſe patiatur: atque in hoc ſpeciatim ſtatu pulmones poſt mortem ſemper inveni tuberculis repletos innumeris, qui lympham diſſecti fundebant putreſcentem. Abdomen iis, qui obſtructione alvina laborant, adeo ſenſim expanditur, ut crepaturam minetur, aliquando tamen hæcce obſtructio ſponte mutatur in diarrhœam.

Boves, quibus opportune ſatis exanthemata prorumpunt, mox deinde ſymptomatum levamen experiuntur, ſive ad claſſem pertineant eorum, qui ſimul excretionum defectu laborant, ſive contrarium, id eſt excretiones nimias, patiantur, atque iidem morbum ultimato ſuperant. Quodſi vero, vel propter regimen minus congruum exanthemata haud appareant, vel praeſentia iam iam retrocedant: mors indubia ſcenam claudit, praecedente utplurimum diarrhoea, ad vitae finem usque perdurante. Sic & illi, in quibus ante eruptionem exanthematum eo usque augetur morbus, ut appetitus proſtratio, &, in vaccis, lactis defectus ſeſe declarent admixti, die tertio abhinc aut quarto ordinarie moriuntur. Ii quoque, quibus, cum alvi obſtructione, abdomen ad crepaturam usque extenditur, brevi poſtea vivere deſinunt: & quamvis obſtipationem hancce diarrhoea excipiat, mortem nihilo ſecius certam praeſagire licet, medela qualibet non avertendam. Loca, quae exanthematibus obſidentur, ſi fuerint piloſa, poſt morbum ſuperatum calva deprehenduntur, pilique ſublati, qui tamen ſucceſſu temporis aliis novis reſarciuntur. Foetarum vaccarum, ſi lue corripiantur, plurimae, vitulum abortu reiiciunt: aſt & tunc e morbo emergunt ordinarie, idque forte propter humores vitioſos, ſic ſimul emiſſos copioſos.

Utplurimum macilentis bobus atque ſenioribus exanthemata felicius eveniunt, ideoque hi certius ſanitatem recuperant, prae iunioribus obeſioribusque, quiquippe graviora experiri ſolent ſymptomata, & exanthematum loco, inflammationem potius faucium, linguarum puſtulas, fortiorem diarrhoeam, ſicque maiorem incurrere deprehenduntur febrem inflammatoriam, non niſi morte terminandam. Cuius eventus adeo diverſi fundamentum in eo latere videtur, quod ultimorum ex his corpora, prae macilentis ſenibusque, maiori repleantur humorum quantitate, iisdemque circulo vivaciori ſanguis per canales ſuos feratur: interim & aliqualem addit ſine dubio ſymbolam, cutis

maior in iunioribus pinguioribusque denſitas, ſaltem a pinguedine obſeſſio maior, hincque impedita magis tranſpiratio inſenſibilis.

Atque hoc loco intermittere nequeo, quin annotem, me, præſente lue bovina in Provincia noſtra, toties animadvertiſſe, quod verum ſudorem nunquam incurrat bovillum genus: unde & exanthemata, ſudoris beneficio in homine promotu poſſibilia, in bobus hac via evocari nequeunt. Cumque, vi antecedentium, potiſſima ſalus in eorundem apparitione debita reſideat, nunc ratio patet, cur tanta gregis adfectæ ſtrages ſequatur, & pauciora multo bruta ægrotantia a morte præcaveri, quam ſanari queant. Num forte boum corpora generatim exiſtunt ad emittendum ſudorem inepta? Num forte id ipſum propterea factum eſt, & animalia hæc domeſtica eum ſpeciatim in finem ſunt creata talia, ut eo largiori lactis proventu, qui absque eiusmodi artificio forte nimis parcus permanſiſſet, homini magnam alimentorum portionem ſubminiſtrent? Id interim obſervavi, certusque ſcio, quod nimia aquæ frigidæ ingurgitatio, fortiusque ſtabulis immiſſum frigus, tranſpirationi neceſſariæ atque exanthematum eruptioni, noceat, ac diarrhœam excitet lethalem, inter reliqua ſigna e cornuum quoque mutuo frigore & calore prænoſcendam.

Medicamentorum contra hunc morbum tantus in variis ſcriptis laudatur apparatus, ut innumera ea haud immerito dicantur. Atque ex iis interdum adeo diverſi generis commixta in illis proſtant, & horum præceptorum ductu a colonis etiam adhibentur medicamina, ut facile pateat, nullam ex eorundem, ſic præſcriptorum, uſu expectandam eſſe utilitatem. Certe ſi, quod a nonnullis ruricolis fit, calida miſceantur frigidis, hisque, tumultuario conatu, laxantia mox interponantur, mox diuretica, aliaque adhuc: tota non poteſt non turbari œconomia animalis, atque natura maxime in protrudendis exanthematibus

impe-

impediri, metusque addi, ne perverſa tali methodo tot ad minimum boves pereant, quot morbo ipſi ſuccumbunt. Cumque mihi perſuadeam, generatim maximum in ſanandis brutorum morbis arcanum potius conſiſtere in medicaminum doſibus, quam medicamentis rite determinandis, amboque hæc ſatis adhuc latere, prætereaque certiſſimum ſit, corpora pecorum, utriusque reſpectu admodum differre a corpore humano; nec tamen de hac re meliora proferre audeam, quam quæ ab aliis leguntur prolata, ea nude narraſſe, atque regulis comprehendiſſe quibusdam ſufficiat, quæ, duce experientia, ſalutaria in lue bovina noſco.

I. Sat diu ante morbi adventum, adeoque præcavendi fine,

1. Venæſectio inſtituatur, quolibet octiduo reiteranda.
2. Quovis die quinto aut ſexto, mane, ſingulis detur bobus uncia dimidia antimonii pulveriſati crudi.
3. Setaceum excitetur in pelle, femora inter anteriora bovis dependente, tres circiter digitos a prominentiæ huius margine: filumque traiectum per vices promoveatur ulterius, ut ſucci corporis impuri viam inveniant, qua exire poſſunt.

Hac ſaltem methodo id me effeciſſe credo, ut boves alii plane reſtiterint a lue immunes, non obſtante continua eorundem apud infectos præſentia: alii vero, quos lues corripuerat, morbum certius multo ſuperaverint, quam ii, in quibus præſervatio hæc fuit neglecta.

II. Quamprimum vel minima oculorum obſcuritas morbum iamiam adeſſe teſtatur adeoque in bobus, lue iam iam correptis,

4. Venæſectio inſtituatur, & excitetur ſetaceum. Atque hoc ultimum non continuetur modo, donec morbus fuerit victus: ſed etiam poſt eundem ſuperatum aliqua mdiu remaneat adhuc, quo ſuccis corruptis prodeundi libertas ſufficiens procuretur.

5. Præterea per octiduum integrum ſequens detur pulvis, quolibet tempore matutino & veſpertino propinandus: Recipe Nitri crudi, Antimonii crudi, ana drachmas tres, pulveris Sabinæ, Iuniperi baccarum, ana drachmam unam; miſceantur omnia pro doſi una: nec non quavis meridie, ſolutæ, in aceti libris duabus, Aſæ fœtidæ unciæ unius cum dimidia, cochlear unum.

6. Poſt finitam ſeptimanam, horum medicamentorum loco, mane & veſperi ſequens propinetur pulvis: Recipe Sulphuris gryſei unciam dimidiam, Nitri, boli rubri, ana drachmas duas, Sabinæ drachmam unam: miſceantur, ut fiat pulvis; itemque qualibet meridie, hydromelis libræ duæ porrigantur bibendæ, atque hæc ipſa medicamenta continuentur ad morbi usque finem.

7. Ad hæc, mane veſperaque, ſtrigili bovis pectinentur dorſum & lumbi. Quotidie etiam collum totum una cum dorſo, & lumbi quoque oleo inungantur terebinthinæ betulæque, ut ſcilicet pori reſerentur atque exanthematum promoveatur proventus, ſicque ægrotis bobus levamen procuretur.

8. Diaphoreſis, quantum quidem poſſibile, omni augeatur ac conſervetur ſtudio, quoniam illius neglectus eos etiam iugulat boves adhuc, qui cum ſanitate iamiam redire in gratiam incipiunt. Hinc, tempore pluviali atque noctu, boves non ſolum ſub dio non degant, ſed & includantur ſtabulis, eundemque in finem continuum potulentum ſit aqua calefacta, in ſufficienti quantitate ante boves ponenda, ut pro lubitu bibant, ſicque ſitim reſtinguant urentem: cuius levandæ gratia, boves ſibi relicti prope flumina rivosque commorari obſervantur, ut ſcilicet ſatis habeant aquæ in promtu, idque ſubinde inſigni cum emolumento. Neque timenda eſt copioſa, & conſuetam alias

doſin mirum quantum ſuperans, aquæ calidæ aſſumtio, cum eo ipſo ſufficiens procuretur humor ad conſervandas corporis ſecretiones & excretiones, quemadmodum id in hominum quoque febribus acutis ſalutare, hodierni experiuntur Medici clinici.

9. Os internum, linguaque quotidie examinentur, num forte mucus coëat viſcidus, reſpirationi moleſtus, aut puſtulæ appareant. Atque in tali caſu eadem ter de die eluantur aqua calida, cum pauco nitro oleoque Olivarum commixta. Quod ſi mucus iſte profundius in gula hæreat, ita quidem, ut manus immiſſa eo usque pro neceſſaria repurgatione penetrare & pertingere nequeat, ablutio faucium inſtituatur bacilli ope, cuius extremitatem ſpongia occupat, ex aqua prædicta expreſſa, & alte ſatis immittenda, inſimulque eadem aqua gulæ reiteratis infundatur vicibus, donec reſpiratio liberior procedat. Cuticula in ſpecie, ſive propter ariditatem, ſive propter puſtulas, ab oris interni ſuperficie ſecedens, ovi vitellum unum vel alterum ſuadet, ori infundendum, quod bos ipſe lingua ſua undiquaque promovet, adeoque & loco applicat morboſo, cum levamine inſequente. In nonnullis, quibus præ virium defectu tuſſis non ſatis procedebat, mel cum pauco Zingibere, ori immiſſum, revocavit tuſſim, cum magnæ muci portionis reiectione & præſentaneo allevamento. Quibusdam quoque infuſum florum Sambuci, ad libras quatuor quotidie exhibitum, ſalutare deprehendi.

10. Quoties diarrhœa adeſt copioſior, detur decoctum radicis Tormentillæ dilutum, itemque puls, e farina ſecalina cocta paratus craſſior. Interdum vero & Rhabarbari infuſum, tam diarrhœa correptis profuit quam alvinæ obſtructioni attulit medelam, & ſuffocationis periculum, ex oppletione pectoris ortum, profligavit. Saltem morbum

 ſub

ſub tali ſtatu duxit quam diutiſſime, ſicque aliquid certe utilitatis exinde veniſſe monſtravit. Excrementa, huius diarrhœæ ope reiecta, ſollicite removeantur, ne ſcilicet fœtor inde exhalans, contagium procraſtinet atque ſic periculum augeatur.

11. Stabula, in quibus boves degunt, ſæpius fumo Sabinæ baccarumque Iuniperi pulvere, itemque aceto, excitando, a vaporibus repurgentur nocivis, ipſique boves intervallo adeo longo ſeparentur a ſe invicem, ac quidem circumſtantiæ ſpatiumque præſens permittunt.

12. Cum, durante morbo, propter manducandi & concoquendi facultatem debilitatam, conſuetum aſſumere pabulum, eoque nutriri, boves neſciant; pro alimento ipſis inſerviat panis ſecalinus, vel etiam hordei grana trita, ſingulaque hæc modice calefacta porrigantur.

13. Bobus, quibus nonnumquam cruor coagulatus inteſtinum obſidet rectum, ibidem irritationem, & aliquando inflammationem, eiusque conſectaria producens, coloni arte peculiari, & adhibitis ſimul ſale, butyro, zingibere, mixtis, cruorem iſtum educere didicerunt. Hæc autem operatio, durante morbo, e lue orto, minime inſtituatur; ad evitandam nimirum, quæ certiſſime inde ſequitur, irritationem noxiam. Cruor iſte, ſi adſit, quietus relinquitur tuto, donec ſucceſſu temporis, quod ſemper evenit, tandem ſponte prodeat.

Cum denique ſalus patriæ mihi, hoc ſcribenti, ſuprema lex eſt, neque negare ſimpliciter ego audeam, quod forte aliquando, & ſub certis circumſtantiis contingere queat, ut methodus medendi a me propoſita, totiesque per experientiam comprobata, omne haud ferat punctum: coronidis loco Auctoris cuiusdam, qui e recentiſſimis eſt, conſilium addam. Hic, luem bovinam pro vera aſſumens Peſte, idque propter

ſimi-

ſimilitudinem ſymptomatum, circumſtantiarumque in ambobus morbis obvenientium, quin & per antecedentia nunc patentium: reiecta medendi methodo quacunque, præcipuam in ſola præſervatione medelam ponit. Suadet ergo, ut, quamprimum lues in pago quodam ſeſe manifeſtat, pagus ille copioſis circumcirca muniatur vigilibus, qui ſingulis in pago præſentibus hominibus animalibusque, tam ſanis, quam ægrotis, exitum abſolute prohibeant; utque omne commercium cum pago vicino quocumque eo certius ceſſet, vult, ut omnes feles, ceteraque bruta, quæ coërceri ſatis nequeunt, imo & aves & feræ propius appropinquantes, trucidentur ſtatim ab initio; porro monet, ut alimenta neceſſaria atque medicamenta incluſis ſubminiſtrentur, certorum miniſtrantium ope, qui ea, quæ apportant, in quadam a pago diſtantia reponunt in terram, quique recedunt, antequam pagi infecti incolæ veniunt, ad reportanda ſecum alimenta iſta; utque labores agreſtes neceſſarii vicinis curæ ſint colonis, durante toto incluſionis tempore; ut libera communicatio tum demum recludatur, quando periculum omne evanuit; quemadmodum obſervare ſimilia coguntur naves, tempore contagioſo ab urbe quadam infecta proficiſcentes, & portum ſanum petentes; tandemque ut pagi proprietariis damnum, quod incurrunt, ex ærario publico, pro parte ſaltem, reſtituatur.

(*Ottinia Halam miſſa d. 22. Decembr.* 1763.)

## OBSERVATIO XLVIII.

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

### De

### *Sphacelo in febribus acutis externo.*

Diſputatum ſæpe eſt, an in febribus acutis ſanguis præternaturaliter reſolvatur, & an medicamenta, ſanguinis craſin are-

a reſolutione lethali defendentia, adhibenda ſint, vel an ſanguis incraſſetur, & medicamenta reſolventia neceſſaria ſint? Sanguinem in febribus acutis lentius ſuum circulum vere abſolvere, quam in ſtatu hominis ſano, facile eſt demonſtratu. Equidem cor, ſpasmo irritatum, tam celeritate, quam frequentia, vehementius laborat ad ſanguinem propellendum; ſed ipſe ſpasmus obex eſt, non permittens illum a venularum orificiis abſorberi. Stagnat itaque hic, illic, in extremitatibus tam internis, quam externis, & quidem ideo ſtagnat, quia craſſus eſt; ſi enim tenuior eſſet, facilius a venulis abſorberetur, nec ſtagnaret. Interim hæc poſitio non infert Sylvianam indicationem: ergo medicamenta reſolventia volatilia danda, & incraſſantia, vel acida, ſunt fugienda: neutiquam; ſanguis enim absque remediis volatilibus exæſtuantibus reſolvi poteſt, nempe ſimpliciter diluentibus & acidulis ex regno vegetabili, & ita ad ſecretionem partium putridarum diſponi. Plane nova licet hæc non ſint, liceat tamen præfari ad caſum lepidum novum, dicta aliquatenus illuſtrantem.

Ruſtica quædam quadragenaria, anno 1730. incidit menſe Januario in febrem acutam epidemicam, & in delirio ſenem quendam ruſticum accuſat, ſe ab illo extra domum portatam, & in craticulam ignitam impoſitam eſſe, in qua nates ipſi aſſarentur. Maritus illam increpando ridet, demonſtrans, eandem durante morbo locum non mutaſſe. Cum tandem morbi vehementia remitteret, ſimulque permitteret, ut ægrota de lecto ſurgere, & alvum extra domum deponere valeret, maritus, ex improviſo, in natibus uxoris duas nigras, ſpatioſas, obſervat maculas. Uxore itaque domum reducta, in illas inquirit, cutim penitus nigram, duram, crematam, offendit. Stupet, & ſimul ſub hac cute humorem quendam latitare obſervat. Arripit itaque avidus cultrum uſitatum, ſeparat cutim, &, quo celerius res detegatur, novaculam in auxilium vocat, & ſic ſtudioſe utramque natem a peruſto corio liberat. Iam corpus delicti,

licti, de faſcinatione indicta, in manibus & poſſeſſione habens, credulus & animoſus redditus ruſticus, vicinum, ob faſcina iam diffamatum, in ius vocat, & partes e natibus uxoris reſciſſas coram Iudicibus exponit.

Invitor, ad dandam de hac re inſolita meam ſententiam, qui, ignarus unde hæ partes reſciſſæ ſint, ſolum interrogor, cuius naturæ illas eſſe putem? Reſpondebam, illas eſſe partes corii ſuilli, fumati, ocreis levigandis aptiſſimi. Solvebamur omnes ſimul in riſum, in eumque Iudices tanto facilius, quia famulus quidam unam illarum partium, eodem mane, iam in hunc uſum traxerat. Exponebatur itaque mihi totum myſterium, & e natibus ruſticæ cuiusdam, quæ febre acuta laboraverat, eſſe reſciſſas, narrabatur, & quæ omnia ſupra dicta ſunt, addebantur. Interrogabar autem nunc, an talia contingere poſſint, ſalvo homine? Regerebam, in febribus acutis ſæpe ex inſpiſſato ſanguine ſtagnationes fieri, in putredinem ſeu ſphacelum abeuntes, & inde mortem inſequi, ſi in partibus nobilibus hoc contingat; in partibus autem minus nobilibus externis, naturam ipſam ſeparationem facere, & putridum removere: hocque ſæpius contingere in partibus remotis, ideoque aliquando digitos pedum a ſphacelo corripi, & a pedibus ſeparari. Feminæ huius nates ſine dubio a furunculis fuiſſe obſeſſas, quorum fervor cerebro, per æſtum ſanguinis, ibidem retardati, laboranti, ideam de craticula, utenſili fœminæ familiari, formaverat, & inſimul recordatio de famoſo faſcinatore, ipſi rem firmiter perſuaſerat. Recenſebam ſimul, quod paucis ante diebus in HAMILTONI Tractatu, de *Febre miliari*, legeram, ibi nempe allegari feminam, cuius nates a gravi & acuta febre ſphaceloſæ factæ fuerunt, ſalvata etiam ipſa ægra. Nec non, quod ante paucos annos ruſtica quædam villulæ meæ graviter febre acuta laboraverit, cuius dextri pedis digiti etiam ſphacelo correpti fuerunt, ut his nunc carens, claudicet; an autem nates ſimul peruſtæ fuerint, uti in duabus allegatis feminis, mihi ignotum eſſe, quia de inſpe-

ctione natium muliebrium non proſtaret Titulus in Jure, uti de inſpectione ventris. Addebam denique, quod forſan rarius contingat, feminarum nates ſphacelo corripi, frequentius autem, digitos pedum illum pati, & communiter inſenſibiliter & inſidioſe, absque delirio conſentiente, vel monente.

Monemur interim per talia obſervata, ut in febribus acutis mentem oculosque ad partium extremarum exſanguium bonam conſtitutionem convertamus: & quemadmodum ſolenne & ſæpius obvium quidem eſt, ut os ſacrum in febribus diutinis, ex ægri perpetuo decubitu, collectionem, ſtagnationemque ſanguinis, & poſtea eroſionem patiatur, atque ad hæc incommoda avertenda, vel linteo ſebo obducto, vel lotione cum ſpiritu vini utamur, vel ad ſacram corticis Peruviani anchoram confugiamus; ita maxime curemus, ut pedes frictionibus lenioribus a tali ſtaſi, inprimis poſt venam in illis ſectam, defendantur: facile enim in his partibus exſanguibus membranæ tendinoſæ ſimul læduntur, unde inflammatio oritur, quæ, ſi negligitur, in reliquas partes ſe extendit, cum ſphaceli periculo.

## *OBSERVATIO XLIX.*

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

De

## *Natura Febris miliaris, Comedonum et Crinonum infantum.*

Quæ mira videtur horum affectuum combinatio, poſt adhibitam legendi patientiam, approbatione, forſan, non carebit.

Femina viginti quinque annorum, optimæ valetudinis, tertio graviditatis menſe abortum trigeminorum patitur, eiusdem omnium magnitudinis, qualis tertio menſe eſſe ſolet. Quod autem

autem in his mirum erat, unus illorum totus erat ſphacelatus, niger; reliqui optimæ conditionis. An ſphacelatus ille cauſſa abortus fuerit, vel labores domeſtici, incertum erat. Secundinæ perfecte ſequebantur, lochia parca nunc fluebant, nunc retinebantur. Accedebant autem dolores abdominis, totum corpus interdum pervagantes, & ſcapulas lancinantes, plexus meſenterici, uti apparebat, emiſſarii. Præterea maxime moleſtæ erant hypochondriorum inflationes, cum anxietatibus, & valde moleſto reptantium formicarum ſenſu in brachiis & dorſo, absque omni tamen febricula, niſi pulſus agitationem, ſub anxietatibus præſentem, exceperis. Apparent tandem, die octavo, in brachiis, a pruritu formicante vexatis, nec non in manibus & in digitorum interſtitiis, utpote in quibus cutis relaxatio vaporoſa ſemper præſto eſt, puſtulæ miliares. Remedia dantur alvum leniter ſubducentia, aloëtica, parciſſima doſi: abſorbentia, nitroſa, parce etiam exhibita ſunt, quia omnia ſymptomata lenia erant; præterea tranſpiratio, mox aucta, mox parca, mox nulla erat, ægra ſimul exiſtente tranquilla. Sequebatur etiam, elapſis circiter quatuor diebus ab excretione veſicularum, in manibus & thorace, veſicularum deſquamatio. Pulſus, licet nunc totus naturalis eſſet, attamen noctes ægræ erant inquietæ, & adpetitus ciborum deficiebat. Ægra nihilominus ad officia domeſtica redibat, ab omnibus moleſtiis & anxietatibus libera. Elapſo autem vix tranquillo quatriduo, novæ adſunt anxietates, pulſum cordis ad minimum, ſi non maſſam humorum, febriliter exagitantes, cum doloribus abdominis, excretiones lochiales molientibus, & novis, valde moleſtis, brachiorum doloribus formicatoriis, quæ omnia feminam hanc lectum repetere, & ibi ex ſudore benigno, cum nova excretione veſicularum miliarium, ſolamen exſpectare iubent. Apparent. Obviam itur iisdem remediis. Mitigantur, & ſolvuntur rurſus omnes hæ moleſtiæ, ægramque hac vice clementius dimittunt. Alacrior itaque nunc, ſua denique capeſ-

 ſit

ſit negotia femina. Verum, octiduo vix elapſo, eadem luditur ſcena, & hac iterum, modo multum mitiore, finita, ægra per octiduum rurſus negotiis extra lectum vacat, donec quarta vice ſolitis ſymptomatibus, hac vice tamen leviſſimis, de lecto, quem repetere coacta erat, multo alacrior ſurgeret, & quidem ſine omni inſequente recidiva.

Duraverat hic interpolatus morbus per quinque ſeptimanas, quibus elapſis, ecce! apparent in brachiis, nunc denudatis, in quibus dicti formicatorii dolores, ægram graviter admodum vexaverant, eminentiæ multæ, totæ nigræ, iis fere ſimiles, quas in infantibus, poſt ita nuncupatum cutis florem, & inſequentem magnum pruritum, inquietudinem & eiulatus, *Comedones*, & *Crinones* appellare & extricare ſolemus; multum craſſiores tamen, &, ut præciſe loquar, lineam dimidiam craſſæ, & lineas tres vel quatuor longæ, absque doloris ſenſu ſe facile evelli permittentes. Pars harum eminentiarum ſupra cutim exſtans, dura & nigra erat; quæ autem intra cutim adhuc hærebat, evulſa, albi erat coloris, fibroſæ & mollis ſubſtantiæ. Quis autem, hæc excreta cutanea oculis & digitis examinans, negaſſet, illa eſſe nerveæ ſubſtantiæ, ipſos nervorum apices? tota enim pars mollis, albida, nervea erat. Quis præterea ex his non inferret, irregularia illa parva corpuſcula nigra, quæ Comedones & Crinones appellamus, partim ſuper cutim infantum eminentia, & quidem maxime in locis, in quibus magis ſtratum nerveo-tendinoſum ſubiacet, nempe in dorſo, aliisque talibus locis, partim frictione repetita cum melle, (quia repetito exſurgunt, cum repetitis inquietudinibus, uti in femina hac tot recidivis reſurrexerunt,) vel etiam æque feliciter cum fecibus cereviſiæ amariusculis, vel Luſitanico modo, quem allegat Ettmüllerus in *Valetudinario infantili*, cum fuligine caminorum, melli & lacti mixto, elicita, & viva animalcula putata, ſupradictis eminentiis feminæ poſt miliares puſtulas, & conſimilem florem cutis, quoad eſſentiam accedere? Maxime

recepta

recepta adhibitio mellis, ad extricandas eminentias illas parvas nigras, quæ infantibus, poſt cutis florem, vel deſquamatas veſiculas, in corporis ſuperficie naſcuntur, opinionem naſci fecit, illas vermiculos melliſugos eſſe. Vſus vero fecum cereviſiæ & fuliginis æque felix ad extricandos hos vermiculos, facile hanc deſtruit opinionem.

Quæ mihi oblata ſunt, non unica vice, ex infantum cute, ſive melle, ſive fecibus cereviſiæ mediantibus, extricata corpuscula nigra, difformia, crinibus minuſculis hirſuta, magnitudine vix ſemen Carvi æquantia, minime illis fuerunt ſimilia, etiam per microſcopium conſiderata, quæ Ettmüllerus loco citato expoſuit, cornuta, caudata, & horrenda, nitidis tamen ocellis donata animalcula. Eodem modo, quo in *Ephemeridibus* Academiæ noſtræ *Dec. I. Ann. I. Obs.* 48. ex rapa illa anthropomorpha puellam blandientibus oculis efformavit Apelles alius; & eodem modo, quo in *Annalibus phyſ. med. Wartislavienſ. ann.* 1725. *menſe Octobre, Claſſ. IV. Artic.* 10. in alia regni vegetabilis puella factum eſt. Quid non audent Pictores, conniventibus ſimul Medicis, vel Phyſicis?

Allegat ibidem Ettmüllerus, hanc excretionem miliarem infantium originem ſuam debere maſſæ ſanguineæ, ſub prima reſpiratione infantum intenſiore fermentatione agitatæ, ex qua tales feculentiæ ad cutim extruduntur, & quidem occaſione balneorum, quibus recens nati immiſſi fuerunt; additque, feminas Saxones, ex ſcorbuto talibus excretionibus miliaribus in puerperio inquinari. Verum enim vero, tales excretiones infantum noviter natorum, unice ob diutinam macerationem nervorum periphericorum, in liquore & muco uterinis, per balneum ab his liberatorum, nunc relaxata epidermide, vividum ſuum ſuccum in veſiculas miliares exhalare, & ſimul ſuos apices protrudere, impune poſtea exſiccabiles, magis probabile eſt.

Ab omni ævo viguit, pro mea ſententia, omnis excretio miliaris, etiam, ſecundum HAMILTONUM, apud Indos, & infantibus æque ac adultis familiaris fuit; nunc mitius & absque periculo, nunc graviter & maligne, ubique terrarum ſe geſſit: niſi nullam febrim malignam aliter, quam per contagium, propagari credas. Subit me hic memoria facti cuiusdam ridiculi, non incongrue tamen allegandi, ratione contagii. Cum Saxones, anno huius ſeculi primo Rigam obſiderent, & durante obſidione aliquot feminæ purpura alba veſiculari occumberent, & Medici Rigenſes, in originem huius novæ iudicatæ febris inquirentes, per WELSCHIUM & ETTMÜLLERUM oculatiores redditi, morbum hunc Saxonibus domeſticum & patrium eſſe deprehenderent ac cum illis crederent, certe vehementioribus maledictionibus globos in hoſtes proiectos comitabantur, quod, cum ipſos urbis muros tranſcendere non valerent, contagio trans muros & per aërem cives Rigenſes morbo ſuo afficerent. Sic, cum obvii fiunt non quotidiani, & obſervati negle̅cti morbi, ſemper, vel contagium, vel mutatum accuſamus vitæ regimen, more tamen antiquiſſimo. GALENUS enim, occaſione rigoris cuiusdam ſine febre, de novis iam queritur morbis, quibus caruiſſe putat antiquos, moderato victu & cultu utentes.

Potum Caffée tamen, & ſic absque contagio, a mulieribus extra graviditatem & ſub illa largius aſſumtum, auctorem febris miliaris eſſe, omnes clamant. Forſan uſtulatæ harum fabarum particulæ, purpuram pro hypotheſi formantes, etiam ſanguinem fœtus inquinant, ut in illis cutis flos, vera purpura pellucida prodeat. Communis enim nunc eſt potus feminarum plebeiarum, adeo, ut etiam plebeiorum infantes, ex hoc abuſu, flore cutis laborare dici poſſent. Qui vero ſerio præſumtam hanc cauſam conſiderare cupit, conſideret Europæam circa hunc potum prodigalitatem, Aſiaticam forſan ſuperantem, & perpendat raritatem morbi in reſpectu ad prodigalitatem. An-

non

non magna copia aliarum uſtulatarum rerum in cibus utimur? An puerperas Aſiaticas eodem, & gravius laborare morbo audis? Sane infantes illarum nationum, quas Caffée potus contagio ſuo nondum affecit, flore tali affici credibile eſt, ex noſtra potius allegata cauſa.

Notandum etiam, quod infantes, ſub harum veſicularum excretione, apparenter non ægrotent, id quod, ſi excretionibus feculentis illas adnumeres, facile fieret cum motibus febrilibus. Inquietudine autem occupantur, quando, deſquamatis veſiculis, eminentes nervorum apices exareſcunt & nigreſcunt, ex calore ſicco oſcillantes & prurientes, donec in totum ſphacelatæ, & ſupra dictis modis extricatæ ſint omnes. Nullum ipſis, ex hoc affectu miliari naſcitur periculum, niſi Tetanum oris, malum ipſis ſæpe occurrens, & communiter lethale, huic morbo, cum rationis haud levi pondere, adſcribendum eſſe ſuſpiceris.

Adultis pueris nullum communiter adfert periculum febris miliaris. Iuniores, inprimis puellæ, leviſſima purpuræ albæ vel miliaris pellucidæ patiuntur ſymptomata, & interdum paucorum tantum dierum interpellatam febriculam; eodem modo, uti in febre varioloſa ſæpe leniſſimus eſt ægri ſtatus, ut orthoſtadius eſſe poſſit. Febris enim vehementia ab ipſis dependet nervis, dum ſub iectigatione corporis illi valde, vel leviter uruntur. Hinc eſt, quod interdum, inopinato, in febre utraque, miliari & varioloſa, abſque omni inſequente periculo, ſtantibus veſiculis, & ſuppurari incipientibus variolis, omnis febris, pulſu ad naturalem ſtatum reverſo, ceſſet. Redeunte enim ad naturalem ſuam temperiem ſyſtemate nervoſo, res ægri in vado eſt; niſi ſub pulſu fallaci, & doloſe naturali, in putredinoſam iam tendat reſolutionem ſanguis, qui paucas ante horas maris microcoſmici magnum produxerat æſtum: quales inſidias tamen, vel gravior reſpiratio, vel anxietas quædam, vel leve, cum mutata facie, deteget delirium.

Adul-

Adultæ feminæ, inprimis ſpasmis hyſtericis gravibus, ex intemperie nervorum vexatæ, vel menſium ataxiis obnoxiæ, ſemper cum maiori periculo ab hoc occupantur morbo; exceptis vetulis hyſtericis, quæ felicius evadunt, teſte celeberr. VOGELIO, in *Annal. phys. med. Wratislavienſ. ann.* 1725. *Menſ. Septembr. Claſſ. IV. Artic.* 11. *de variis invadendi modis Purpurae albae:* obſervatione, quæ ad immunitatem ſenum a morbis referenda eſt; de qua videantur plura in *Tract.* noſtro *de Senio.*

Dubium tandem ſolvendum reſtat, an apices nervorum, ſalvis infantibus & adultis, ſphaceloſæ reddi poſſint? Poſſibile autem hoc eſſe, videmus in iſtis caſibus, in quibus partes integræ corporis ſphacelo ſicco corruptæ fuere, ægris ſalvis. Quanta pars peripherici retis nervei putreſcit in Variolis, gingivarum exulcerationibus, anthracibus, &c. ſalvis ægris! Unica quidem mihi in praxi obvenit ſupra allegata femina; cum nigris nervorum apicibus: forſan autem pluribus accidit: nulla enim ſuſpicio hucusque corporis denudationem inquiſitoriam ſuaſit. Si autem in adultis raro contingit, in infantibus res eſt quotidiana. In caſu utroque mortuum a vivo, vigore naturæ ſeparatur. Aliter autem res ſuccedit in admorſo, vel inciſo nervo, ubi nec ſuppuratio, nec ſeparatio ſphaceloſa locum habet. Succedit his læſionibus ſpecialis ſucci nervei corruptio, ſpasmo lethali, communiter oris, ſeſe prodens, & viſibilis.

## OBSERVATIO L.

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

### De

### *Marasmo ſenili.*

Vir, annum agens octogeſimum tertium, habitus tamen adhuc quadrati, qui hucusque nullis affectibus corporis obnoxius fuerat, idque perpetuo uſui matutino unicæ pilulæ aloë-

aloëticæ attribuerat, tandem appetitus proſtrationem, cum inſecuto virium-lapſu, ſentit, ut lectum petere cogeretur. Somno quidem omni non caret, animus tamen nihilominus eſt deiectus. Maxime autem terret pulſus duriſſimi, licet parum febrilis, conſtantia, cor a materia præter naturam acriori irritari docens. Parcus ſub his cutis mador, & urina, uti parca, ita, a fervido ſanguine, nil bilioſæ materiæ, vel alius, ex maſſa ſanguinea ſecernendæ, continens, limpida. Porriguntur itaque ægro emulſiones temperantes, leviter nitroſæ, lapides cancrorum citrati, vel cum cremore tartari mixti, ad involvendam quamvis materiam heterogeneam, ſanguini inhærentem, illamque per renes educendam. His autem omnibus parum proficientibus, æger proponit, annon ipſi vomitorium, ex radice Ipecacuanha, proficeret remedium? a multis iam annis a celebri Medico Batavo, in vitæ diſcrimine, quod nunc adeſſe putabat, ſumendum ſibi commendatum: adeo, ut per omnes iſtos annos hanc radicem, cum directione Medici, quoad uſum, ſemper paratam haberet. Drachma dimidia autem, pro doſi, imperata erat. Duraverat iam morbus per tres ſeptimanas, vires etiam ſub his multum collapſæ erant, ideo conſultatio Medicorum omnis vomitorii uſum diſſuadebat, accedente mox prægnante phænomeno, apparitione nempe macularum lividarum in oſſe ſacro ægroti. Licet enim per vomitorium liquoris gaſtrici orificia forſan aperirentur, vel, quod in vomitoriorum adhibitione & modeſta operatione haud ſecundum habeo beneficium, omnium viſcerum moderata commotione organa ſecretoria ad officium ſuum denuo peragendum excitarentur; nihilominus, ob incipientem iam ſanguinis, in oſſe ſacro, necroſin, omnia in peius ceſſura eſſe, & vomitorii exhibitionem magis noxiam fore, facile prævidebatur. Relictus itaque prognoſtico, diem ſuum extremum placide obiit.

Uti bene cordatos & conſcientioſos Medicos decet, inſurgentibus poſterioribus cogitationibus & ruminationibus actionum

ſuarum indulgere; ita & nos Medici faciebamus, ponderantes, an nos peccatum omiſſionis, denegando ægro petitum vomitorium, dubium licet remedium, commiſerimus? Forſan viſcidum quoddam, in ventriculo hærens, morbi prima cauſa fuit appetitum deſtruens, & novo chylo ſanguinem ſenilem reſtaurare non permittens; forſan leni vomitorio non ſolum hic obex eiici, ſed itidem moderata omnium viſcerum commotione ſanguis, alicubi ſtagnans, in rivulum reduci, & ad reſtitutionem ſecretionum, hactenus deficientium diſponi, hisque ſubſidiis æger, absque morbis ad hanc ætatem profectus, vitam ſuam prolongare potuiſſet. Non diſſimulo, & me ita cogitaſſe, licet ordinarius non fuerim Medicus, ſed ad conſilium tantum vocatus. Perpendentes autem ſummam ægri ætatem, & nullam invenientes apud Practicos de exhibendo vomitorio, remedio ancipiti, autoritatem, merito nos ipſos abſolvebamus, contenti, quod nullius peccati commiſſionis reos nos fecerimus.

Quem in Tractatu de *Senio*, in utraque Editione Erfordienſi, de Maraſmo ſenili ex Bartholino allegavi caſum, de ægro, octo licet annis iuniore præ noſtro, eodemque viro robuſto, illum de dato vomitorio nullam facere mentionem videmus. Neque etiam celebris Profeſſor Rintelenſis Fürstenau, dum in *Annal. phys. med. Wratislavienſ. Supplem. III. Artic. 7. p.* 115. de Marasmo ſenili differit, illumque ſonticis ſymptomatibus, & quidem Paralyſi, ſæpe ſtipatum eſſe aſſerit, vomitorium commendat, cum tamen hoc ſolum ſymptoma, paralyſis nempe, vomitorii uſum ſuadere poſſit, ſiquidem in *Actis Acad. Suecicae, Volum. I.* hemiplecticum unice vomitoriis fere reſtitutum, & in *Ephem. Nat. Cur.* paralyſin ſcorbuticam, evacuato per vomitum multo viſcido ope decocti Sedi vermicularis, curatam deprehendimus. Interim prædicti allegati caſus nullius propenſionis ad paralyſin mentionem faciunt, quod etiam de ſequenti valet, quem ex *Ephemer. Nat. Cur.* adhuc addere lubet:

Vir annorum 73. menſe Octobris, poſt refrigerationem & iram a febre corripitur, cum alvi obſtructione, & dolore preſſorio abdominis. Abdomini emplaſtrum carminativum imponitur. Multum moleſtiæ a ſiti tulit, cui gratis acidulis contra itum. Poſt varia remedia, die ſexto urina ſedimentum dedit largum: poſtea appetitus rediit, & febriles commotiones ceſſavere. Mens itaque ad roborandum ventriculum vertebatur, & in hunc finem, & ſimul nunc ad ſitim fallendam, æger in prandio vinum purum bibit. Dato nunc purgante, hæmorrhoides, ultra ſex menſes ſuppreſſæ, rediere, cum integra ſanitate.

Felix huius maraſmi ſenilis curatio, qui non multorum menſium morbus fuit. Si in octogenario noſtro non æque die ſexto, ſed ſaltem in aliis inſequentibus, urina largum dediſſet ſedimentum, quod efficere ſtudebamus remediis alcalinis cum acido ſaturatis, forſan & nos ad ventriculum roborandum, & ad ſitim fallendam, purum vinum acidulum bibendum dediſſemus. Verum, cum ordinaria, in maraſmo ſenili alias proficua medicamenta, nil efficerent, merito ab ambiguis in ætate adeo profecta abſtinuimus. Forſan hectica illa maraſmode, qualem THIERMAIERUS, in BONETI *Sepulchret. anatom. pag.* 1403. exponit, obiit æger ibidem notatus, quæ defuncti cor tabidum, parvum & exſuccum reddidit, eoque ipſo ipſam animam afflavit, vel mentis ipſum archæum, quem in corde reſidere ex ſectione artificioſiſſimi Pictoris cuiusdam demonſtrare voluit FANTONUS, Medicus Taurinenſis, Lib. cit. p. 1495. Deſcribuntur enim ibidem a THIERMAIERO quatuor hecticæ gradus, non a cauſis, ſed ab effectu formati, nempe 1) cum rorida humiditas abſumitur; 2) cum carnoſa, & adipoſa ſubſtantia iam perit; 3) cum etiam fibroſæ partes colliquantur, & exſiccantur; 4) quando hæc tabes ipſam animam, vel certe ipſum mentis Archæum, afflat, cor nempe tabidum reddendo. ETTMÜLLERUS, ſub eodem titulo Hecticæ maraſmodes, tres tantum

Ee 2 prio-

priores ſequitur gradus, de quarto autem nullam facit mentionem.

Marasmus eſt contabeſcentia corporis habitus, cuiusvis ætatis, ex quacunque cauſa, cum ſanguinis exæſtuatione. In ſenibus autem, qui ex ſanguinisblioſi, robuſtis eiusmodi ſubiectis communiter proprii, ſtagnatione in vaſis meſaraicis, vel reliquis abdominis viſceribus, oritur, & ſic non ſolum ſecretionem liquoris gaſtrici ad bonum chylum, & conſequenter ſanguinis & reliquorum ſecernendorum humorum reſtaurationem impedit, eoque ipſo per inteſtinam exæſtuationem ad putredinem ruit, is proprie ſenilis vocandus eſt.

Non abſonum fore iudico, ſi in primis Marasmi ſenilis initiis, appetitu nempe languente, radicis Ipecacuanhæ virtus tentetur, non autem eius dimidiam drachmam, ſed grana duodecim tantum exhibendo ægro ſeni robuſto, qualis noſter, & qualis Bartholini ſocer fuit. Felici ſub eventu plurium menſium morbus non erit, quemadmodum allegati caſus illum eſſe docent. Non autem cunctandum erit cum hoc remedio, donec æger necroſin in oſſe ſacro patiatur, uti noſter, vel ſingultu laborare incipiat, uti Bartholini ſocer. Recordor equidem caſus cuiusdam de Iuvene febri acuta laborante, ubi os ſacrum etiam excoriatum erat, & cui Extract. cort. Peruv. & Caſcarillæ magnam opem tulit, perſanando non ſolum hanc moleſtam excoriationem, ſed & febrim ipſam feliciter fugando; quantum autem differant vires naturæ in Iuvene & in grandævo Sene, merito hic conſiderandum erit.

*OBSER-*

# OBSERVATIO LI.

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

De

## *Foeno, ſub combuſtione per fulminis ignem in maſſam ſeu ſcoriam calcariam redacto.*

Anno 1763, menſe Auguſti, in prædio Lib. Bar. de C. *Roperbeck* dicto, fulmen acervum, vel metam fœni ſatis magnam incendit, decidens in eius ſummitatem, illaque ſic concremata, inſignis copia maſſæ cuiusdam calcariæ, ſcoriarum poroſarum inſtar, inter cineres inventa fuit. An magnum ignis fuerit volumen, non referebatur. Cum ann. 1721. Rigæ templum S. Petri incenderetur, & quidem ſummo mane, dormientibus adhuc pluribus civibus, milites in vallis excubias agentes retulerunt, fulminis ignem non diffuſum, ſed compactum fuiſſe; mole teneriori aliquo infantulo comparandum. De compacto tali fulminis igne, perquam exiguæ tamen molis, narrabatur mihi aliquando a viro fide digno, quod ceciderit in domunculam ſtramine tectam, candelæ, vel facis minoris forma, in ſtramine lucentis, adeo, ut quidam ſubito tectum aſcenderit, luculam hanc, exiguo cuidam loco unice inhærentem, arripuerit, & ſimul cum parva portione ſtraminis in terram proiecerit, in qua ſtatim exſtincta illa fuerit, absque ulteriori facta inquiſitione in hanc materiam, quod valde dolebam. Lapides ceraunios, & quidem tales, qui falſo ita nuncupantur, ſtatuere velle, ridiculum eſſet: compingi autem poſſe materiam quandam inflammabilem, cum aliis minus inflammabilibus, in nubibus, a terræ effluviis milleformibus gravidis, cacumina montium lambentibus & fricantibus, effluvia bituminoſa, viſcida, ſulphurea, quin metallica, ſecum rapientibus, illaque nunc Solis ardori exponentibus, nunc aëris regioni frigidiſſimæ ad

 con-

condenſationem & alterationem tradentibus, & ſic varias compoſitiones formantibus, valde credibile eſt.

Materiam illam gelatinoſam, aëre valde gravidam, quam poſt graves tempeſtates in terra interdum invenire licet, *Aporrogas*, græco vocabulo, dictam, abruptam a nubibus materiam, pro nominis ſenſu, eſſe, omnes negant, & bufonum, vel alius inſecti ſperma eſſe, absque probatione volunt. In iuventute mea inveni aliquando talem materiam, planam, rotundam, 4. vel 5. pollices craſſam. Viſcidiſſima erat, vix ſeparabilis, tenaciſſime cohærens, & valde frigida. Igni iniecta multum aëris perpetuo explodebat, nec niſi poſt perpetuos fragores, in paucam reſolvebatur aquam inſipidam. Coloris erat gryſeo-viridis hoc concretum, quod ad cancrum curandum adhibitum fuiſſe, me olim legiſſe recordor.

Si relationi in Diario illo germanico contentæ, quod ſub titulo: *Das Reich der Natur und Sitten*, prodiit, fides habenda, globi ignei, in aëre exploſi, huius materiæ videntur eſſe corpora. Recenſetur enim ibi, *Part. II. Num.* 35. vidiſſe quendam fide dignum virum, quod globus igneus in terram delapſus, ibidemque cum magno fragore exploſus, ac poſtea in illo loco talis materia gelatinoſa, ſplendore cum lithargyrio conveniens, inventa fuerit. Talem ergo materiam interdum ſecum vehere fulmen, non ſolum ex hocce patet teſtimonio, ſed etiam ex lucula illa ſupra dicta probatur, quæ ſe in ſtramen non diffundebat, ſed mirabilis naturæ, ex proprio nutrimento ſolum ardebat.

An in noſtram fœni metam eiusmodi globus ignis ceciderit, ignotum eſt. Inventa tamen eſt ſub peruſto fœno magna copia materiæ calcariæ, duræ, obſcure gryſeæ, ſplendentibus ſcoriis quorundam metallorum ſimilis, vel, ſecundum narrationem ruricolæ, ferreis ſcoriis fabrorum, aut, iuxta literas amici, hunc caſum referentis, ſanguini hircino in clibano toſto

qua-

quadantenus conformis. Alius, qui in Italia Veſuvii ſic dictam Lavam viderat, hunc lapidem calcarium iſti Lavæ (*) æquiparabat. Addo huius lapidis portionem, in Muſæo curioſo Academiæ reponendam, pro ulteriori forſitan inſtituendo examine.

In eodem modo nominato Diario l. c. ex Commentariis regiæ Gallicæ Academ. Scientiarum, ex relatione Dn. *la* FAILLE, commemoratur, quod prope Rupem fortem (*Rochefort*) conſimilis facta fuerit, á fulmine, alicuius metæ fœni conflagratio, ex qua etiam notabilis copia ſcoriarum, vel marcaſitarum, remanſerit, cum intermixto ſulphure, & bituminoſa foſſilium carbonum ſubſtantia & ſplendore. Eandem naturam noſtro lapidi calcario inſidere, neque ſulphure in nubibus collecto, nec forſan illa materia nubium ſingulari, *aporrogas* dicta, illum deſtitutum eſſe, credere licet.

Etiamſi autem illud largiri velimus, quod prædicti Diarii Auctores amplectuntur, negat tamen noſter referens, fuiſſe ſub fœno lapides, qui in calcem ſint redacti; ſingulare autem quid ſcorias illas ex hoc cœleſti igne poſſidere poſſe de natura eius cœleſti, comprobat Obſervatio, in *Annal. phyſ. med. Wratislavienſ. ann.* 1718. *Menſ. Septemb. Claſſ. IV. Artic.* 13. *Num.* 4. *p.* 1658. de lapidibus fiſſilibus cupreæ mineræ a fulmine combuſtis, ex quibus ſcoriæ, vel recrementa, remanſerunt, plane diverſa ab iis, quæ mediante fuſione per ignem ex eiusmodi mineris prodeunt. Ergo ignis cœleſtis vel intimius mineras reſolvit, vel illis aliquid addit. Quid, ſi fuſis per illum lapidibus noſtris vitreſcibilis ſit addita natura? annon multum tunc valerent ad experimenta electrica? Meditatus diu ſum, de conficiendo, ad hæc experimenta, vitro, cum parte quadam vitri

(*) Veſuvii lavæ ſimilis materia ante quinquennium obduxit parietem, orientem verſus totum caſtelli Norimbergenſis turris a fulmine tactæ, quod fulmen, licet varia conclavia pervaſerit, nullum ceteroquin fecit damnum, in culina tamen orbis ſtannei particulam liquefecit, TREW.

vitri antimonii coniungenda: quia autem officina vitriaria longius hinc diſtat, ego, nunc fere octogenarius, id tentare non potui, iunioribus idcirco illud commendans, dum ſuſpicari non immerito licet, quod in lapidibus, vel in materia vitreſcibili, a fulmine tali producta, maior forſitan efficacia ad inſtituenda iſta experimenta lateat.

De reliquo pauca quædam adhuc addere liceat memorabilia, de hominibus, a fulmine hoc tactis. Adſedit femina huic fœno, in terra, infantem ſuum ſemeſtrem lactans, quæ a fulmine perculſa, vel proprie loquendo apoplectica reddita, periit, infante, ad quatuor paſſus ad latus proiecto, toto ſalvo. Sub ipſa fulminis eruptione feminam illam, humi ſedentem & infantem lactantem, hunc ad tantam diſtantiam proieciſſe, incredibile eſt. Probabile itaque erit, id vi fulminis elaſtica factum fuiſſe. In matre reperta ſunt fulminis veſtigia in ſiniſtro brachio, & in pectore; quoad colorem autem faciei nihil in his regionibus fuit mutatum. Vivæ ſimilis apparuit femina, quaſi fulmen unice vitam, animam, ſpiritum, ex illa exſorpſiſſet & abſtuliſſet. Hinc eſt, quod olim felicitatis cœleſtis ſubito participes facti putati ſunt, a fulmine perculſi.

Adſtans feminæ vir, eodem momento, ab ignis radiis divaricatis & diſperſis in dextro brachio uſtulabatur; ſiniſtra autem auris eidem ad dimidium peruſta erat. Cranii integumenta in vertice duobus perforata erant foraminulis, & in cervice duo cutim perforaverant, a qua ſecundum dorſi ſpinam radius uſtulans deſcenderat. Facies eius veſiculis ex ambuſtione obortis conſperſa fuit, adeo, ut inde oculi fuerint clauſi. Præterea, circa cordis ſcrobiculum ſubcutaneus nodus ipſi hoc momento generatus eſt. Ex his periculis tamen commode emerſo, & paulo poſt uxorato, unice illorum ſignum in cicatricibus, a veſiculis relictis, in facie reſtat.

(*Riga Halam miſſae d.* 28. *Januar.* 1764.)

*OBSER-*

## OBSERVATIO LII.

# Dn. D. IOANN. ADAMI RAYMANN.

### *Specimen generale Examinis & Scrutinii praecipuarum in Inclyto Comitatu de Saaros ſcaturientium Acidularum.*

Præſens hocce examen, ad gratioſum excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis mandatum & inſtructionem, ceu Phyſicus ordinarius illuſtris Comitatus de Saaros, circa Acidulas in eodem ſcaturientes (dum Thermis prorſus deſtituimur) lubentiſſime ſuſcepi; ob ingraveſcentis autem ætatis rationem penitus perficere non potui. Experimenta, quibus indagatione iſtarum aquarum uſus ſum, numero quidem ſunt pauca, ſed tamen, ut ſpero, ſufficientia, &, quod præfiſcine dixerim, momentoſa erunt & convincentia.

*Experimentum* I. Charta cœrulea, qua Conos ſaccharinos involvere more vulgariſſimo receptum eſt, etiamſi toto die in his aquis permadeſcat, colorem tamen nullatenus mutat; poſt irrorationem vero cum ſpiritu Vitrioli extemplo ruborem belliſſime incarnatum concipit, qui tamen, poſt exſiccationem & repetitam eiusdem in has aquas demerſionem, paucarum horarum intervallo diſparet, priſtinusque dein color cœruleus, pallidior licet, redit. Quum ſimpliciſſimum & facilem hunc explorationis modum Academia Scientiar. Regia Pariſienſ. anno 1707. ut in eius Commentariis exponitur, non dedignata ſit ſuſcipere cum aquis Vichenſibus & Burbonienſibus, illumque cum Gœppingenſibus in *Eteodromo* anno 1709. LENTILIVS imitaverit, & cum Eichſtadienſibus BAUERUS in *Medicin. conſultator.* HOFFMANNI, nemo forſitan probro mihi dabit, quod eundem repetere, pari cum omnibus Acidulis ſucceſſu,

 non

non dubitaverim. Hinc enim non tam certo argumento, quam irrefragabili potius documento illuceſcit, non acidum (ſecus enim chartæ mutaret colorem), ſed potius alcalinum principium in his aquis prædominare, utpote quod, acorem vitriolicum abſorbendo, adventitium ruborem abolet, nativumque colorem chartæ poſtliminio reſtituit.

II.) Notiſſimus & ubique fere reperibilis ſyrupus Violarum, acidulis commixtus, deperdito colore cœruleo graminis inſtar vireſcit, quod novimus proprium eſſe in quarto modo, ut Scholæ ſe exprimunt, omnibus alcalinis materiis, prout e contrario acidis mineralibus, ut rubore eundem inficiant; immo, ſi iam vireſcenti ſyrupo ſpiritus Vitrioli ſufficienti quantitate, pro ſaturatione alcalini principii, affundatur, iterum rubeſcet; ſi vero ſal aliquod enixum Acidulis iunctum ſit, ſyrupus colorem nullatenus mutat.

III.) Lac vaccinum, ſive recenter emulctum, ſive coctum, vel frigidum, anatica licet proportione Acidulis commixtum, amicum ſine grumis & coagulo connubium init, cum vice verſa ab acido, ipſoque vino, in grumos illico concreſcat, ut vel plebi ruſticanæ noto notius eſt. Vtrum autem tenerrimam huius præcipitationem, ſi æqualis portio ſpiritus vini rectificatiſſimi eidem adfundatur, a ſubtiliſſimo illius acido, quod magna veri ſpecie ſe quam plurimis Neotericorum commendat, vel ab alio forſitan principio derivanda ſit, diſquirere & decernere pro nunc abſtineo. Quod celebratiſſimum olim paradoxum, de lactis cum Acidulis grumeſcentia, attinet, illud, poſt toties repetita multorum examina, ita iam hodie eviluit, ut nemo, niſi forte imperitus, fidem eidem amplius adhibeat.

IV.) In ipſam Acidularum ſcaturiginem proiectus Gallarum

pulvis purpureum, immo poſt aliquam moram nigrum & atramento ſimilem colorem producit. Excreſcentia namque hæc tubercula cum ſint ſpuria Quercus ſoboles, ubi nimirum, inflicto tenerioribus adhuc eiusdem foliis per inſecti aliquam ſpeciem vulnere, depoſitoque in illud, tanquam fertilem uterum, ovulo ſuo, demonſtrante MALPIGHIO & noſtro CAMERARIO, veſicula conſpicua fit, quæ, ſucceſſive excreſcens, cum tempore induratur: quoniam autem ſuccus quercinus, qui Gallarum nutrimentum eſt, vitriolicum quid ſapit, eiusque ad minimum indolis eſt, concipi facile poteſt, qua ratione ex concurſu cum principio martiali, quo pene omnes ſcatent Acidulæ, & latente in illis minerali ſpiritu, nigricans progeneretur color, quo ultimo autem poſt aliquam temporis moram in auras abeunte, Gallarum infuſio non amplius ita tingitur.

V,) Saccharum Saturni, Acidulis commixtum, in momento lacteo colore easdem inficit, quod quidem phænomenon in aqua etiam ſimplici adparet, tanto magis autem in Acidulis, præſertim ſi experimentum prope ipſum fontem inſtituatur. Concretum namque hoc cum ex acido vegetabili, aceto ſcilicet, & plumbi per hoc corroſa calce prognatum ſit, atque ſuperficialem ſaltem & laxam utrorumque cohæſionem monſtret, hinc facta ſolutione calx prompte divortium facit. In Acidulis vero acceleratur hæc actio, partim quod ſolutiones per acidum factæ terram fontium alcalinam pro more præcipitent, partim quod ſocium Vitrioli acidum, ceu potentius vegetabili, illud excutiat ex commercio ſolutæ calcis, partim denique quod hæc propter ſpecificam ſuam gravitatem (eſt enim poſt Aurum & Mercurium hoc metallum, ſeu Plumbum, ponderoſiſſimum,) præceps fiat, unaque terram calcaream ſecum abripiat, hinc etiam ſi ſolutioni Sacchari huius in aqua ſimplici in-

 ſtille-

ſtilletur acidum Vitrioli, præcipitem fieri calcem illius cernimus.

VI.) Acidulæ quævis poſt inſtillationem olei Tartari per deliquium plus minus albeſcunt, nam terram calcaream, quam ſpiritus ſulphureo-vitriolicus, quo prægnantes ſunt, ſibi conſociaverat, nunc repudiat & dimittit ex ſuo gremio, ſiquidem propter maiorem adfinitatem, vel, ut ſignificantius loquar, convenientiam, cum ſit ſalinæ magis indolis, & calcinatione ſubtilius atque levius redditum, in mutuos cum hoc magis, quam cum calcarea terra, amplexus ruit. Vnde etiam certo dignoſcimus indicio, omnes promiſcue aquas calcareæ terræ plus continere, quo magis ab inſtillatione huius liquoris conturbantur, vel prorſus lacteſcunt, & vice verſa. Eiusmodi encheireſin naturæ obſervamus quoque in famigeratiſſima apud exteros, in Patria noſtra potiſſimum, ſuppoſita metamorphoſi ferri in cuprum, ubi pariter acidum Vitrioli, ob amicum ſibi magis præ cupro ferrum, hoc in ſocietatem ſuam recipit, contentas vero cupri partes, ſub forma pulveris dimittit & præcipitat, ſicque non realem transmutationem, ut paſſim creditur, ſed nudam ſaltem Metallorum tranſpoſitionem exhibet.

VII.) Spiritus ſalis ammoniaci Acidulas pariter turbat, urinoſumque odorem, a compedibus acidi liberatum, naribus offert.

VIII.) Acida reagentia ſunt Vitrioli, Nitri & Salis acidum, inter quæ princeps eſt acidum Vitrioli, quum omne aliud ex conſortio alcalium excutiat, nulli autem loco cedat & ſe ex poſſeſſione ſua deturbari patiatur. Huic ſuccedit, quoad potentiam, acidum Nitri; Salis vero acidum reſpective debiliſſimum eſt. Communis autem ſingulorum eſt proprietas, quod cum Acidulis plus minus efferveſcant, acu-

aculeumque ea ratione ſuum deponant. Cum acido Salis nulla quidem experimenta ſuſcepi, ſufficere ratus, me cum ſolutione Mercurii ſublimati, tanquam concentratiſſimo illius acido, examen inſtituiſſe, utpote quod Acidulas pariter turbat & albore inficit, unaque terram calcaream earum gravitate ſua præcipitat. Vnde etiam eſt, quod nulla exquiſitior methodus detur, aquarum quarumvis puritatem & ſimplicitatem inveſtigandi, quam quæ per ſolutiones metallorum, Saturni ſcilicet, Lunæ & Mercurii, illorumque commixtionem, ſuſcipitur; ſemper enim plus vel minus turbidæ ab illis redduntur.

IX.) Acida vegetabilia, mineralibus licet, ut in confeſſo eſt, multum debiliora, cum Acidulis tamen tumultuantur: ita acetum vini bonum vehementer, cum larga bullarum apparitione, efferveſcit, qui effectus ipſi quoque vino ſolennis eſt, quamvis mitiori gradu, præcipue ſi macrum, & ob defectum dulcedinis auſterius fuerit; cum Paſſo enim & generoſiori vino aliter comparatum eſt. Iucundo vero prorſus eſt ſpectaculo, ſi dimidium circiter cochlear ſacchari in pulverem redacti eidem adiiciatur, & æqua Acidularum portio ex altiori diſtantia, ut tanto promptius in omnes dimenſiones penetret, adfundatur: tum enim illico adeo ſtrepitans & ſpumida ſuccedit ebullitio, ut mixtura turbulenta cum quodam albore evadat, quæ, innumeras eructando bullas, ſurſum vergentes, fumi ſpeciem repræſentat, ſique ſub hoc tumultu inteſtino deglutitur, gulam & palatum ſingulariter delectat, cuiusmodi ebullitionem nec potentiſſimum licet Vitrioli acidum unquam excitare viſum eſt, an forte ea propter, quod illi ſoli datum ſit, ut terram Acidularum alcalinam prompte adgrediatur, ſolvat, ſolutamque in gremio ſuo ſuſtineat, quod omnino poteſtatem acidi vegetabilis excedit, ſegniorique ſua ſolutione

 effer-

effervefcentiam prorogat. Quod autem Saccharum eam intendat, mirandum non eſt, ſiquidem in mixtione ſua acidum formale, ut nemo facile inficiabitur, continet, ut taceam, quod virtute ſua ſaponacea diſcordia alia corpora, ut ſunt aqua & oleum, intime uniat, atque inter ſe invicem commiſcibilia, prout Elæoſaccharorum convincimur exemplo, reddat, ſicque acido ſuo, pingui mucagine circumveſtito, liberiorem facultatem cum alcalino Acidularum principio congrediendi & effervefcendi conciliet.

X.) Eperieſio prima mea expeditio fuit verſus tractum Gaboltovienſem, quæ Poſſeſſio Poloniæ eſt contermina, inter duos peraltos montes mutuoque ſibi oppoſitos, ex Occidente & Oriente ſcilicet aſſurgentes, in quorum anfractuoſis convallibus Acidulæ revera luxuriant & plus quam cuiquam credibile eſt, numeroſæ ſcaturiunt, quarum ſeriem, ne quid plus iuſto dixiſſe videar, enumerare lubet. Proſtant nempe ſcaturigo una in *Gerlacho*, ſex earum in *Hrabsky*, in *Snako* tres, in *Petrová* quatuor, in *Zicla* duae, in *Fritska* una, in *Gabolto* tres, in *Folſö Tvaroſta* una, in *Alſö Tvaroſta* duæ, ut reliquas paludoſas & forſan prætervifas ſilentio transmittam. Ad harum ſingulas per avia & devia cum aſſociato mihi, ex conſenſu Inclyti Comitatus, Dn. Doctore *Huebero*, deduxit me Perilluſtris Dn. *Paulus á Zombori*, Inclyti Comitatus huius ordinarius Iudex, qui primus operi mihi demandato manum admovit, & ſimul de ſuſtentandæ vitæ adminiculis neceſſariis affatim providit, quod reticere nefas mihi eſſe duxi. Hoc officii genus ſolus, ut nemo alter, mihi præſtare potuit, quum Proceſſus hic eiusdem curæ & inſpectioni ſubiectus ſit, ac proinde omnia loca ſibi exploratiſſima habeat: dolendum ſaltem, quod plane non præmunitæ ſcaturigines paludem potius, quam fontem referant, dum interim tamen limpidiſſimam, nec

rigi-

rigidiſſima hyeme, ut per traditionem cognovi, conglaciabilem aquam ſcaturiunt; ſaporis ſunt leviter ſubacidiusculi, odoris vero omnis expertes, ochreaceam tamen terram, ubi diffluunt, hinc inde deponunt; itinerantibus & incolis inſerviunt unice pro potu ordinario. Snakovienſes nihilominus interdum ſuas Acidulas pro Balneo, vel verius pro pediluviis adhibent; in vaſe enim vinaceo, quod pro condienda Braſſica ſibi aliunde conquirunt, ſtantes, opus illud perficiunt. Generalia ſupra relata examina potiori ex parte ſuſtinuerunt omnes, ſola evaporatione excepta, quam ob temporis penuriam negligere coactus fui; longius namque pleræque ſcaturigines a Pago diſtant.

XI.) Ad celebres Bartfenſium Acidulas hinc pertingens, ternas ibidem, ſibi viciniſſimas, deprehendi ſcaturigines, quæ, inter tractus duorum Montium, Orientem & Occidentem reſpicientium, in confinio illorum ſurgentes, partim hoſpitibus in potum cedunt, partim vero utplurimum Balneantium neceſſitatibus inſerviunt; ob Balnearia namque ſatis accommoda non minimus hominum confluxus, ſed ſanorum magis, quam ægrorum, niſi ex imaginatione, iuxta *Molieri* ſarcaſmum, hic viget, ita, ut nec hyeme hoſpites deficiant, ſed ex vicina quoque Polonia accedant. Præmiſſis generalibus per reagentia experimentis, cum ſuppeteret tempus & commoditas, libras quatuor civiles lento prunarum candentium igne in vaſe quodam cupreo, ſed optime cum ſtanno incruſtato, quod vulgo *Caſtrol* dicimus, evaporavi, evaporatum affuſa aqua deſtillata diſſolvi, per filtrum tranſmiſi, iteratoque ad ſiccitatem exhalare curavi, & quidquid ſalis continebat elutriavi, relicta in filtro terra minus ſolubili, quod lixivium cum rurſus ad ſiccitatem evaporaſſem, obtinui ſalis ſubfuſci & amaricantis ℨj. quod cum acido Vitrioli efferveſcebat, ſyrupum Violarum

rum viriditate tingebat, & ſalis ammoniaci ſpiritum urinoſum, nares ferientem, liberum reddebat. Cum itaque evaporationis huius ope non ſaltem continentis aquæ & contentorum proportionem, ſed ingredientium quoque naturam & indolem inveſtigare liceat, impune carere poſſumus deſtillatione, quæ reipſa nihil aliud eſt, quam evaporatio in vaſe clauſo, & qua mediante volatilior fontium pars intercipi nequaquam poteſt, ut mox videbimus. Tanto minus autem coctio neceſſaria eſt, cum ſub evaporatione manifeſtum fiat, aquam non niſi communis inſtar fatuam odorisque & ſaporis expertem reddi.

XII.) Ex eodem fonte ſedimentum ochreaceum, quod, infra tubum Tiliaceum, ad inſtar alvearium excavatum, quo pro more hic recepto negligentius præcinguntur ſcaturigines, ſucceſſive dimanat & ſtagnat, ollula excepi, quam linteo ſupra ligato munitam, quumque, poſt octiduum domum redux, aqua dilutum illud ſedimentum, ut per filtrum transmitti poſſet, examinare intendiſſem, ſtupens conſpexi Inſecti quoddam genus, teres & anguiforme, continuo ſe circumagitans, atque Microſcopio Muſchenbrœkiano ſubiectum ſubnigricans, ab extra probabiliter illuc delatum & nutritum. Percolatum liquorem ad ſiccitatem inſpiſſavi, pulverulentamque materiam rurſus diſſolvi & evaporavi, obtinuique ſalis puri ℥ß. a priori in eo ſaltem differentis, quod magis fuſcum fuerit; reſiduam in filtro rubram materiam reſiccatam, cum æquali pulveris carbonum quantitate in crucibulum coniectam fudi, ferrum hoc artificio producere intendens, ſed ſpe & auſis excidi. Metallum enim per poros eiusdem in ſubſtratum laterem diffluens maturius, prius quam phlogiſto carbonum ſatis impraegnari potuit, viſui quidem ferrum mentiebatur, ſed Magneti obſequi recuſabat, nec cum Vitrioli ſpiritu efferveſcebat, multo minus ab eo ſolvebatur.

XIII.)

XIII.) Credulitas antiquitatis, & ſucceſſorum ſupina negligentia, peperit lepidum illud de Nitri in Acidulis exiſtentia commentum & fabulam, cum tamen illud ex viſceribus terræ nusquam eruatur, ſed potius ſupra eandem generetur; quomodo ergo aquis ſubterraneis admiſceri & per has Acidulis communicari queat, non perſpicio. Sed valentiori documento a poſteriori id adhuc eſt, quod ſalia fontium mineralium, evaporatione obtenta ignitisque carbonibus inſperſa, nec crepitent, nec pro more Nitri flammam concipiant, ſed potius, inſtar terræ, fixa & immota hæreant, neque affuſo ipſis oleo Vitrioli vaporem ſubrubrum, aquæ fortis odorem referentem, manifeſtent, qui tamen eſſentiales ſunt Nitri characteres.

XIV.) De principio ſulphureo, ſanguinis & lymphæ depurativo, in his aquis movere quæſtionem, ſuperfluum prope eſſe videtur, ſiquidem ſal fontium, cum carbonum pulvere in catino fuſum, genuinum hepar ſulphuris præbet; niſi ſagaciores Chymici monerent, hoc artificio ſulphur non educi, ſed potius, accedente phlogiſto carbonum, produci. Pariter quoque non ſatis exploratum habeo, utrum ex hoc ſale, ſine ullo additamento, per ſublimationem, ut Seipius de Pyrmontanis confidenter affirmat, verum ſulphur acquiratur. Omni interim exceptione caret experimentum illud, quod Acidulæ deſtillatæ empyrevma redoleant, balneantium in illis induſia flavedine inficiant, & quod primarium eſt, ochreum aquarum ſedimentum reſiccatum, fuſoque Nitro inieſtum, accendatur, atque inſuper cuticulæ variegati coloris, Pavoniæ hinc dictæ, aquæ ſuperficiei innatantes, fulgurationem cum Nitro ſubeant, inflammabilisque terræ conſortium liquido demonſtrent.

XV.) De martiali Acidularum principio, poſt tot repetitas Chymicorum demonſtrationes, non eſt quod quisquam ambi-

ambigat, quas interim ſilentio transmitto, ne crambem recoctam Lectoribus apponere velle videar.

XVI.) Sed eſtne, quaeſo, operae pretium, tam ſollicite & ſcrupuloſiſſime cuncta fontium horum elementa perveſtigare, quum celebriores noſtrae aetatis Hydrographi virtutes illorum, non tam a contentis, quae oppido pauca nobis utplurimum examen tale ſubminiſtrat, derivandas, ſed potius ipſi fluido aqueo in accepto deferendas eſſe, conſentiant, quos inter provocaſſe ſufficiet ad celeberrimum quondam *Frider.* HOFFMANNUM, ceu teſtem authenticum & omni exceptione maiorem, utpote quem communem fontium, in Germania vicinaque Bohemia ſcaturientium, Docimaſtam ſuo tempore fuiſſe, notorium adhuc eſt. Is vero in *Medicin.* ſuae *conſultator. Part. III. Dec. IV. Caſ. III.* exemplo fontis Radebergenſis, Wisbadenſis, Serpentini, potiſſimum vero Piperini & aliorum comprobat, quod, licet omnibus fere deſtituti ſint mineralium contentis, ſaluberrimos tamen effectus ſub Balneorum potiſſimum forma, unice propter aquae ſubtilitatem & levitatem, exſerant. Inconſultum tamen & temerarium foret, omnem ipſis, ſi praeſto fuerint, denegare virtutem medicam, ſiquidem martiali principio ſolidorum tonum ſuſtentant & inſtaurant, fluidorum vero dyſcraſiae cum ſalibus alcalinis, vel enixis, omnino conſulunt.

XVII.) Craſin & indolem aquarum mineralium certius non dignoſcimus, quam per indagationem ſpecificae earundem gravitatis, quo fine replevi phialam, menſuras duas civiles capientem, cum aqua fluviatili lento igne deſtillata, quam in bilance accuratiſſima minimumque ponderis diſcrimen indicante examinans, pondus eam habuiſſe una cum vitro libr. ij. ℥v. & ℨj. comperi. Inſtrumenta namque hydroſta-

droſtatica non æque fideliter minutias granorum nobis detegunt. Hoc pondere pro norma aſſumto, eandem phialam Acidulis repletam rurſus ponderavi, quove propius aquæ deſtillatæ, ceu omnium leviſſimæ, accederet, eo leviorem, quo longius autem ab ea pondere recederet, eo graviorem eſſe ratione certa colligebam. Ita facto experimento cum Acidulis Snakovienſibus fontis ſuperioris, eas pependiſſe deprehendi libr. ij. ℥v. ʒj. & ℈j, inferioris fontis totidem libras & uncias, inſuperque ʒij. & gr. xxiv. Bartfenſes totidem libras & uncias, & inſuper ʒvj. Hoſſurittenſes præter libras ij. & ℥v. adhuc ʒvj. & gr. xxx. Eperienſes præter libras ij. & ℥v. adhuc ʒiij. Quod ponderum ſcire & prænoſſe diſcrimen non parum intereſt; quo magis enim leviores fuerint aquæ, eo magis etiam ſubtiles & penetrantes eſſe oportet, ſicque expeditius ſpiſſeſcentem ſanguinem diluendo fluidiorem reddent, lentorem lymphæ attenuabunt, penetraliaque corporis mediante potu vel balneo ſubeundo, anfractuoſiſſimos vaſorum tubos elutriabunt, immo ad extremos eorum apices in viſceribus pertingentes, eorundem infarctus & obſtructiones, unde ſeges morborum fertiliſſima prodit, exſolvent, libertateque vaſorum reſtituta, corpus ab interitu per ſecretiones & excretiones convenientes vindicabunt.

XVIII.) Lutum fontium cœruleum, quod halitus & vapores ſubterraneos in ſcaturiginem denſare ſpecioſe in ſua Phyſica BECCHERUS aſſeruit, ſub examen ſumere avidus, ſingularem ſitulam, ex duplicata bractea confectam, mihi procuravi, qua baculo adnexa tanto commodius illud exhaurire opinabar; ſed irritum fuit, fateor, conamen, ſiquidem in nullo fontium illud comparuit, ſed quidquid ex fundo in apricum protraxi, craſſamentum fuerat vel ochrea-

ceum, vel utplurimum arenoſum, quale in fonte Hoſſuritenſi manuum miniſterio, propter exiguam eiusdem profunditatem, protraxi, unde forte eſt, quod per ſiccitates temporum aquæ contra morem aliorum ſcaturiginum deficiant.

XIX.) Catholicum inter Chymicos eſt dogma, nulla, exquiſitiſſima licet, arte ſpiritum vitriolico-ſulphureum, in mineralibus aquis plus minus latitantem, propter ſummam volatilitatem & ſubtilitatem intercipi, in apricum produci, ſeorſimque ſenſibus ſiſti poſſe, æque minus, ſicuti Gas Helmontianum. Per deſtillationem namque, ſive centies eam inſtituas, ut inquit Lentilius, *Ephemer. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obſ.* 22. nihil tamen, niſi aqua communis, tantillum empyreumatica, tranſcendet alembicum, relicta in fundo parca calce, cui addit, in ſuo *Eteodromo*, ſub *Menſe Iulio*, vaſa licet ſint loricata, lutata, compacta, emplaſtris & veſicis ſollicite munita, nihil proditurum eſſe in excipulum, quam phlegma inſipidum. Ingenioſiſſimus quidem hic Medicus, in loco prius citato, meliori forte intentione, quam inventione, peculiarem Machinam, ſupra fontis oſtium appendendam, excogitavit & delineavit; ſed res hactenus ſucceſſu caruit. Interim effatum illud Lentilii veriſſimum eſſe, experientia convictus Klaunigius in *Cent. V. Ephemeridum* recognoſcit. Ne quis tamen ſpiritum hunc mineralem pro nudo ente rationis, vel phantaſiæ ſuæ potius, habeat, prodit ille ſe ut ſorex ſuo indicio, partim nares irritante odore volatili, inprimis ubi in vitris anguſtioris colli & probe agitatis olfactui ſubiicitur, partim ſapore & guſtu linguam acriter adficiente, quem ſaporem Germani, pro conſuetudine Gallizantes, *picquant* eſſe dicunt, quique nulla arte imitabilis eſt, immo, ſi vacuo ſto-

macho

macho ingurgitentur Acidulæ, ipſum caput ebriaminis inſtar attentant. Exſerunt autem hanc ſpecificam virtutem potiſſimum ſereno & ſudo cœlo, vernali æſtuoſoque anni tempore, quo fontes hi maxime frigere aſſolent, occiduoque & ſurgente Sole. Quo acriores autem guſtu fuerint, eo magis abundare fontes ſpirituoſo hoc elemento, certo concludere licet, hoc vero in auras evaporato, fatua redditur aqua, quæ nec Gallas amplius tinget, nec ſyrupi Violarum colorem mutabit, omnisque fere virtutis medicæ expers erit, evidenti documento, quod non tam fixis aquarum ingredientibus, quæ omnino præſto ſunt, quam volatili potius huic principio, energia maxima attribuenda ſit, quod idcirco laudatus HOFFMANNUS pro Anima fontium non inconcinne reputavit, quum elaſticitate ſua cordis & vaſorum oſcillationem tonumque intendat, ſicque perennem humorum circuitum, pro vita neceſſarium, conſervet. Ceterum annon ſolenne hoc Acidularum frigus conſtrictionis ſenſui in iſthmo faucium ancilletur, de quo non dubito, ſeorſim diſputare non lubet.

XX.) Memoria pene excidit, quod a fontibus Bartfenſibus per illuſtrem Dn. Perceptorem Dominii, cui prævie commendatus fueram, devectus ſim circa noctem ad *Hoſſurit*, ubi ſurgente die cuncta examina cum Acidulis, ex duobus fontibus in planitie ſcaturientibus, inſtitui, ac propter commoditatem hoſpitii & otium decem libras civiles more conſueto inſpiſſavi, & poſtquam inſpiſſatum magma, ℥iß. ponderans, Eperieſium redux, aqua prius dilutum & per filtrum transmiſſum, rurſus ad ſiccitatem evaporaveram, obtinui gr. XLIV. ſalis ſubalbidi, ſubfuſci tamen, amaricantis & valde alcalini ſaporis, quod intenſum, graminis inſtar, virorem ſyrupo Violarum conciliabat, & vehementer cum ſpiritu Vitrioli efferveſcebat. Apparatus hic Bal-

neariorum & hoſpitii commoditas nihil cedit Bartfenſi, niſi quod propter exiguam ſcaturiginum profunditatem, ut ſupra iam expoſui, per ſiccitates temporum aquæ deficiant, ſiquidem nullis præcinctæ montibus, vix aliquid aquarum, ab iisdem defluentium, obtinent. Hinc ad Illuſtriſſimum Dn. Comitem *Carolum Sirmay*, Zboroviam pro prandio diverti, quem febris tertiana lecto adfixum tenebat, qua ex conſideratione me ulterius excurrere pro intentione mea non patiebatur, ſed Dn. Doctorem *Hueber* cum Dno Perceptore ad reſiduos abhinc diſtantes, in Niclova & Dubova, Poloniæ vicinos fontes ablegare dignatus eſt, quos modo nominatus hic Medicus, inſtituto examine, ſalſulas magis, quam acidulas eſſe, per evaporationem deprehendit, cum ſpiritu Vitrioli tamen fortiter efferveſcentes; quum vero is longius ibidem, propter Perilluſtris Dn. Perceptoris negotia, morari coactus fuiſſet, Illuſtriſſimus vero Dn. Comes reſtitutus fuerit, Eperieſium me propria accommodatiſſima occaſione, quam ſingularem gratiam adhucdum humillime veneror, revehi curavit.

XXI.) Hac tandem 12. Octobr. ad Acidulas *Kis Saaroſſienſes*, quæ, dum territorio Civitatis quam maxime vicinæ ſunt, multoque minus ab hac diſtant, quam a prædicta Poſſeſſione, vulgo pro Eperienſibus reputantur, profectus ſum, quorſum, pro ſingulari ſua humanitate, Perilluſtris Dn. *de Karoly* devehi me curavit, cum alia non ſtatim ſuppeteret occaſio, exhibitoque mihi ad fontem prandio, & in ædibus ſuis, non longe ab eo remotis, cœna, commodoque pro nocte hoſpitio, altero die ad lares domeſticos incolumem reduxit. Scaturit autem hic fons in amœniſſima duorum montium, Orientem & Occidentem reſpicientium, convalli, in planitiem Meridiem verſus procurrentem. Cinctus eſt, præter morem receptum, inferius quidem lapide,

lapide, ſuperius vero ligno, profunditatem habens orgiæ circiter unius. Dimanat hic per relictam aperturam ſenſim, & in planitie ochreaceam dimittit terram. Huius fontis, qui forſan a compluribus ſeculis ubertim absque intercapedine hactenus dimanavit & quoque procul dubio ulterius perennabit, memoriam ex eo potiſſimum capite conſulto & cogitato conſervare ſuſcepi, vt veram portentoſi nominis originem, quod a nemine adhuc præſtitum fuiſſe ſcio, ad ſeram poſteritatem transmittam. Latinis namque Scriptoribus dicitur *Fons lethifer*, Vngaris *Gonosz Kut*, Germanis *der bœſe Brunn*, Slavis denique *Sla Studna*. Ex maiorum ſcilicet traditione cognovi, ſulphuream olim ſcaturiginem, vix 400. paſſibus ab Acidulis diſtantem, exſtitiſſe, quæ tam copioſis abundabat vaporibus exhalantibus, vt prætervolantes aviculas ſuffocando in eandem præcipitaret. Poſtquam autem confluentium ad hanc Bethesdam hominum turba, quæ ulceroſis, tumentibus, aliisque male affectis pedibus, in hanc eosdem demergendo, mederi cupiebat, frequenter illam viſitabat, ruſtici, commodis ſuis intenti, ne Iumenta, quibus ægrotantes advehebantur, gramina depaſcerent, hanc ſcaturiginem expleviſſe feruntur, quæ licet in vicinia rurſus erumperet, in virtute tamen ſua deficiebat. Quoniam vero ſequentibus temporibus Balnearium ibi exſtructum fuit, hinc etiam hodie commodius illa in uſum cedit. Ipſe memoria adhuc teneo, in elatiori ſupra Acidulas monticulo adfuiſſe cryptam, ad quam, pro tempeſtatis ratione, confugientes aviculæ ſtatim ſuffocatæ, ibique dein emortuæ non raro deprehenſæ fuerint. Exactiſſime autem occulta hæc prava ſoli conditio detecta fuit, quum anno 1755. ſpectabilis Dn. *[illegible]*, Tabulæ huius Regiæ Dicaſterialis meritiſſimus Aſſeſſor, in vita tum adhuc ſuperſtes, ædificium pro advenis exſtruxerat, cellariumque pro conſervando vino

no excavare curaverat: tanta enim illud vaporum ſubterraneorum, ſulphur olentium, copia impletum deprehendebatur, ut nemo hominum in illud citra ſuffocationis periculum intrare auſus fuerit, incautioresque gallinæ opinione citius proſternerentur, flagrantesque candelæ illico extinguerentur, quod non ipſe ſolus experientia didici, ſed catervatim etiam ad inſolitum ſpectaculum confluentes cives obſervarunt. Dura ſic neceſſitate coacti incolæ huius loci, cavernam hanc terra expleverunt, pro ſtabulo Vaccarum adaptarunt, in vicinia vero ſeiuncti montis horizontalem foveam excavarunt, quæ adhucdum uſibus illorum inſervit. Quis autem cautionem dabit, quod prodigium hoc extra cellarii etiam excavationem nunquam amplius apparitum ſit? Certe ſi internecinus ſpiritus per arenoſum & poroſum ſolum in cryptam penetrare aviculasque præfocare potuit, perquam probabili ratione conjicere licet, quod ſerius vel ocyus dehiſcente terra, vel ruptura quadam clandeſtina alibi facta, exitum inveniat nomenque *lethiferi fontis* mereri poſſit. In ipſis Acidulis, præter odorem & penetrantem ſaporem, nihil deſideravi, quem olim me percepiſſe optime adhuc recordor, ſiquidem iuvenilibus adhuc annis partim venandi, partim plantas conquirendi cauſſa, ſæpius ad hunc fontem divertere conſuevi. Gas autem illud ſylveſtre HELMONTIO dictum, me hic conſpexiſſe, perſuaſiſſimus ſum, cui aliquo modo ſimile fermentantis in profundioribus cellariis Muſti exhalationes ſubinde præbent; probe enim ſcio, annis ſuperioribus illa iisdem ita repleta fuiſſe, ut nemini acceſſum conceſſerint, flagrantesque cereos illico extinguerent, tamque pertinaces fuerint, ut nec ignibus ad oſtium cellarii accenſis dimoverentur, donec repetitis tandem exploſionibus exhaurirentur & in auras diſſiparentur.

Poſtre-

Poſtremum non erubeſco ingenue confiteri, quod de virtutibus & reali efficacia fontium parum mihi propria, adeoque magis fida experientia, ſeniculo licet, conſtet. Sed, quis etiam, quæſo, Medicis huiatibus exprobrare & culpæ dare iure auſit, quod eam conquirere & aſſequi nequeant? quum tam interne, quam externe, nec tam crebro, nec æque continenter, prout in Germania & Bohemia fit, in uſum trahantur, ſed magis pro luxu & voluptuario otio, quam quidem ſcopo curativo, inconſultis Medicis, nullaque habita ratione indicantis & indicati, citra regimen debitum, prorſus tumultuarie uſurpentur, quod malum in hocce Comitatu endemium eſſe, nemo hominum ignorat. Balneorum equidem vires non prorſus ignotæ ſunt; in vitiis cutaneis, pedum ſerpiginoſis exulcerationibus, tumoribus, pernionibus, & rhevmaticis doloribus; ſed quid de interno uſu dicam, vix ſcio, dum illorum, qui ad iuſtas menſuras Acidulas prope ipſum ſcaturiginem, ut expedit, methodice bibiſſent, neminem novi. Gens noſtra enim tam protractas curationes nauſeat, cito vero ſe abſolvi & expediri amat. Illos vero, qui in fictilibus urceis, in anguſtius collum deſinentibus, ſed nec ſatis excoctis, nec incruſtatis, nec prout decet obturatis, ad urbem turmatim ab initio Veris ad ſerum usque autumnum delatas Acidulas pro more, vacuo æque ſtomacho, ac inter epulas, addito quoque vino, non tam hauriunt, quam ingurgitant, licet inertiores ſint, quam ad ſcaturiginem, diffluente nempe per patulos vaſorum talium poros volatili ſpiritu minerali, aquis ſocio, deſiderato hinc acore & deficiente aquarum limpiditate atque ſubtilitate, inprimis cum veſperaſcente cœlo urceis exceptæ ad montoſos hortos, pro viæ compendio, delatæ, per noctem ibidem aſſerventur, & inde non niſi ſummo mane in urbem humeris transportentur: illos inquam obſecro & obteſtor, ut ingenue, ſi poſſint, nobis exponant, quo cum ſucceſſu eas in dies potaverint. Qui interim adhuc reſtant non poſtremi ordinis fontes, eos poſterioribus curis reſervo, ſi re-

rum Vniverſi Arbiter ſupremus mihi vitam prorogare non dedignabitur viresque ſuppetent.

(*Eperieſo Halam miſſa d.* 26. *Februar.* 1764.)

# OBSERVATIO LIII.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

## *Aſthmate ſpaſmodico periodico, ex febre quartana incongrue ſuppreſſa.*

Operarius annorum aliquot ſupra quadraginta, febre quartana corripitur haud rite typica, ita, ut quarto quovis die mox citius, mox ſerius, paroxyſmi accedentes inæquali frigoris & æſtus gradu ſcenam ſuam luſerint, atque iuncta fuerit tuſſis moleſta, cum ſputo viſcido & expectoratione difficili. Quatuor ſic paroxyſmis ſuperatis, æger proprio conſilio Piperis pulverem, cum ſpiritu frumenti ſubactum, intercalari die adſumſit. Sic emanſit quidem febris & ceſſavit ſudor, etiam intercalari die antea quandoque erumpens, verum eo, quo paroxyſmus accedere iterum debuit, die, adfligebatur æger aſthmate ſuffocativo, cum reſpiratione ſumme anxia & brevi, ſputi ſuppreſſione & extremorum refrigerio. Quum remedia etiam efficaciora ſero nimis in hoc diſcrimine operari viderentur, vocatus, ante omnia e brachii vena ſanguinem ad ℥viij. emittere iuſſi, quo ſtatim æger levatus fuit; poſtea autem ſubiunxi Mixturam ex aqu. hyſſop. flor. acac. ana ℥ij. aſthmat. ℥ß. pulv. antiſpaſmod. Halenſ. ʒij. bezoard. ad methodum Rollwagiani compoſiti ʒj. Salis abſynth ℈j. milleped. ppt. ℈ij. oxymel. ſquillit. ℥ß. & Spir. ſal. armoniac. aniſat. ℈ij. Sequente autem die mane ipſi exhibui Sulphuris antimonii aurati tertiæ præcipitationis, cuius in affectibus aſthmaticis, tam adultorum, quam infantum, egre-

egregias vires ſæpius expertus fui, gr. vj, cum æquali pondere arcani duplicati. Nec in hoc ægro ſpem meam fefellit; vomuit enim aliquoties cum euphoria, & per biduum fere penitus a difficili reſpiratione liber videbatur, ſuccedente quoque facili per tuſſim ſputo. Quarto autem a primo inſultu die priſtina ſcena, paullo tamen cum minori vehementia, ludebatur, iunctis inſimul vomendi conatibus; ideoque denuo exhibui Sulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis, cum arcano duplicato, in eadem, ut antea, doſi, & æger iterum cum levamine vomuit: imminuta autem difficili reſpiratione, ſequenti die, qui fuit intercalaris, pulverem exhibui ex Conch. ppt. Tartari vitriolati Nitr. purif. ana gr. vj. Antimon diaphoret. gr. iij. Sulph. antimonii aurat. quartæ præcipit. gr. ij. pro doſi, quæ quavis tertia hora repetita fuit non ſine inſigni fructu; quarto enim die, quo recurſum paroxyſmi aſthmatici expectavimus, aliqualem horrorem, cum ſubſequente calore, ſenſit æger, aſthma vero tantum aliquali circa præcordia compreſſione, absque brevi & laborioſa reſpiratione, ſeſe prodidit, & exhibito largiori manu ſpiritu ſalis armoniaci aniſato, plane ceſſavit, atque tuſſis quoque, quam prius aſthma ſociam habuit, mitigata fuit, ſuccedente facili ſputo & largiori ſudore. Quarto denique abhinc die, febris quartana cum regulari typo, absque omni aſthmate, denuo recruduit, & poſtea, præmiſſa placida & modeſta medicatione, & ſubiuncto uſu corticis Peruviani, penitus victa fuit.

## OBSERVATIO LIV.

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

### ſanata Fractura utriusque pedis complicata, graviori.

Auriga cuiusdam molitoris Geislingenſis, vir ſanus & robuſtus, 40. annorum, equo, quem cum aliis, currum, ſaccis frumento plenis onuſtum, trahentibus, regebat, vectus, ſomnoque obreptus, ab eodem nocturno tempore, in via declivi, anguſta & vallibus undiquaque circumſepta, quale viarum genus Curtius Lib. III. Cap. 4. *fauces* adpellat, in terram delapſus eſt. Quum vero equi, rectore ſuo deſtituti, curſum ſuum continuarent, ab anteriori & poſteriori rota eius lateris, a quo in via iacuit, eidem tibia & fibula utriusque pedis, infra ſuras, eo circiter loco, quo muſculi flexores tarſi inſeruntur, fracta fuit, & quidem in ſiniſtro pede transverſim, extremitatibus fractorum oſſium retuſis factis, absque multis feſtucis, cum vulnere tamen etiam transverſo & colliſo; in dextro autem pede paullo altius, oblique & cum latis duobus vulneribus, quorum exterius paullo ſupra finem ſuræ, alterum interius, infra ſuram ſitum, magnitudine ſuperavit. Præter hæc vulnera utrumque os, præſertim fibulæ, in plura fragmenta comminutum fuit, extremitatibus eorum circa fracturam acutis redditis, multum a ſe invicem diſtantibus & partim extra vulnus prominentibus. Poſt fatalem hanc fracturam ab omni auxilio deſtitutus & cum noctis intenſius frigidæ inclementia, dolorumque in utraque fractura vehementia per horam conflictatus, domum tandem delatus fuit. Advocatus cum duobus Chirurgis, inveni ægrum ſatis bene ſibi conſtantem; labia autem vulnerum circa fracturas livida, ſanguine atro, a frigore

coagu-

coagulato, obducta. Monſtrabantur nobis aliquot fragmenta oſſis maiora, in via reperta, quæ ad tibiæ os pertinuiſſe, haud difficile fuit iudicare, plura etiam minora, pulveri terreo, qui rotis adhæſit, intermixta fuerunt. Specillo per vulnera dextri pedis immiſſo, fibulam eius quinque ad minimum digitorum longitudine defeciſſe & plane in feſtucas comminutam, carnem vero parteſque adiacentes in latitudinem contuſam & ſuggillatam fuiſſe; in ſiniſtro ex adverſo pede capita oſſium, remotis paucis feſtucis, ſuis ſedibus excidiſſe, deprehendimus. Operam itaque primo horum repoſitioni dedimus, quæ etiam, facta prius decenti extenſione, feliciter ſucceſſit; ſed non æque in dextro pede, utpote in quo extremitatum fractarum nimia a ſe invicem diſtantia, atque acuminata & aſpera fiſſura non minus, quam feſtucarum, quarum tamen inſignis portio provide e vulnere extracta fuit, adhuc latentium copia, atque tumor & dolor acerbus partium adiacentium, eam impoſſibilem reddiderunt; ad amputationem tamen pedis properare haud conſultum duximus.

Rite itaque eo tantum collocato, adplicavimus ad utrumque pedem faſciam aſcialem ſeu libriformem, arculam ſtramineam, e linteo denſiori & duobus bacillis ſtramineis confectam, & reliquum deligationis adparatum, mollius tamen & absque ferulis in dextro pede, ſuperpoſita ſæpius fomentatione diſcutiente & paregorica, ex vino calido eiusque ſpiritu camphorato parata. Aegro inſuper adminiſtravimus Venæſectionem in brachio ad ℥viij. & præter potionem analepticam, ex aqu. Cinnam. ſ. v. & Confect. Alkermes, ad vires eius reficiendas, mixturam ex aqu ceraſor. nigr. ℥ij. ſcord. rubi id. ex ſucc. ana ℥j. cinnam. ſ. v. ℥ß. pulv. antispasmod. Hal. cort. Peruv. elect. ana ʒj. Rhabarb. or ℈ij. ſal. Sedlicenſ. ℈iv. Lap. cancr. ppt. antimon. diaphoret. ana ℈j. Mixt. ſimpl. & Liqu. anod. mineral. Hoffm. ana ʒj. Syr. papav. rh. ʒß. exhibuimus,

& tenuiorem ac exquiſitiorem victus rationem commendavimus.

His adhibitis, die ſequente placide dormivit, absque doloris vel tumoris in pedibus adfectis incremento, & absque febris vulnerariæ veſtigiis. Continuavi itaque mixturam, aucta tantum doſi cort. Peruviani, utpote cuius, ad febres vulnerarias moderandas & ſuppurationem promovendam, egregias vires ſæpius expertus ſum: pro potu autem ordinavi decoctum ex rad. ſcorzoner. liquirit. raſ. C. C. hord. mund. paſſul. min. ceraſis acidis, cort. Citr. recent. Cinnam. nitro & ſale tartari. Subſequuta hinc eſt, ab adplicato ſimul ſub quavis nova deligatione, quotidie facta, cum plumaceolis & vulgari unguento digeſtivo, in vulneribus circa fracturas laudabilis ſuppuratio, absque doloris vel inflammationis augmento. Quarto autem, a quo hæc calamitas ægro obtigit, die, dolor ſcindens, extra deligationem alias haud ſenſibilis, in dextro præſertim pede eum excruciavit, & loco iuſtæ ſuppurationis labia vulnerum arida magisque inflammata adparuerunt, iuncto inſimul maiori calore pulſusque celeritate. Miſſus itaque iterum fuit ſanguis in brachio ad ℥vj. & emulſio exhibita ex ſemin. 4. frigid. mai. ana ʒj. amygd. dulc. excort. ʒß. aqu. ceraſ. nigr. ℥iv. rubi id. ex ſucc. flor. acac. ana ℥ij. nitr. antimoniat ʒß. aqua Cinnam. ſ. v. & Syr. papav. alb. ana ʒj. Sic in vulnere fracturæ ſiniſtri pedis iterum rite ſucceſſit ſuppuratio, in dextro non niſi ichor ſanguinolentus generatus fuit, extractæ tamen per eius vulnera fuerunt, quandoque ſub deligatione iam quotidie bis repetita, variæ magnitudinis & figuræ feſtucæ, non quidem ſine inſigni ægri cruciatu.

Quum itaque inſimul calor aliqualis febrilis pulſusque celeritas ſemper adeſſent, conſultum duxi, moderatioribus antifebrilibus & bezoardicis fixis adhuc aliquandiu inſiſtere. Præſcripſi itaque denuo mixturam ex aqu. ceraſ. nigr. ℥iv. rubi id. ex

ex ſucc. ℥ij. Cinnam. ſ. v. ℥ß. pulv. antiſpasmod. Halenſ. ʒij. cort. Peruv. elect. ʒiß. nitr. antimoniat. Lap. cancr. ppt. antimon. diaphoret. ana ℈ij. rad. Ialapp. ʒß. ſal. Epſom. ʒiij. Mixt. ſimpl. ʒj. Syr. papav. rh. ʒvj. Adiunxi autem eidem laxantia, ob alvi fere perpetuam ſiccitatem, cui nimis diu indulgere conſultum non duxi; quamvis alvum absque nauſeoſa lectuli inquinatione deponere, ob decubitus & deligationis rationem, pedumque fractorum neceſſariam absque omni motu in quiete continentiam, aegro fuiſſet permoleſtum, & non niſi admota ano patina poſſibile. Sed elapſis aliquot diebus diarrhoea acceſſit, quae quantumvis mitior eſſet, effecit tamen, ut vulnera circa fracturas minorem puris, eiusque tenuioris, quam antea, copiam funderent, cum livore circa eorum labia, ideoque hunc pulverem ordinavi: Rec. Pulv. cort. Caſcarill. ʒj. cryſtall. mont. ppt. matr. perlar. ppt. Corall. rubr. ppt. C. C. ſ. igne ppt. ana ʒß. Cinnam. ℈j. Macis ℈ß. mixta div. in vij. part. aequ. quarum una quavis tertia hora adhibita fuit.

Ceſſante ſic brevi diarrhoea, & omni quoque febricula extincta, per aliquot ſeptimanas in id fuimus intenti, ut, vulnere circa fracturam ſiniſtri pedis ſatis repurgato, & ſpirituoſo balſamo, ex Eſſ. ſuccin. ariſtoloch. rot. ver. & ocul. popul. conſolidato, calli quoque generatione oſſa glutinaremus. Quem in finem, conceſſo iam aegro pleniori victu, deligationis adparatum mutavimus, adplicata, loco faſciae aſcialis, circulari, & ſuperimpoſitis inſimul ſpleniis & ferulis, ad pedis figuram, ut eius deformitas averteretur, adaptatis. Interim dextri pedis fracturae vulnera, in quantum id poſſibile fuit, ab omnibus feſtucis repurgavimus, inter quas una maior profundius haerens, atque forcipi parvae, in vulnus demiſſae, cedere recuſans, e ſede ſua mota, a minima pedis ſub deligatione agitatione acutis ſuis aculeis carnes & tendines adiacentes ita graviter vexavit, tantosque excitavit dolores, ut, ſub oculis torvis, dentium ſtridor

artu-

artuumque tremor ægro obortus, nobis indicio fuerit, convulſionibus eum obnoxium reddi, quæ tamen antiſpasmodicis & nervinis ex pulv. antiſpasmod. Hal. antepilept. de Guttet. River. ana ℈iv. Lumbr. terreſtr. ppt. ℈ij. ſuccin. ppt. ℈j. in xj. part. æqu. diviſis, & in aqua Lil. convall. exhibitis, ſopitæ fuerunt. Educta tandem cauta manu feſtuca illa inimica, quum aliæ reſtare haud viderentur, denuo tentavimus, extremitates oſſium fractorum dextri pedis, ſuis ſedibus longius adhuc motas, ſibi invicem committere; ſed acuta eorum ſpicula, carnes adiacentes ſub extenſione graviter pungentia, ægrumque ad vehementiores adhuc, quam prius ab illa diutius latente feſtuca factum fuit, ſpaſtico-convulſivos motus impellentia, omnia noſtra molimina inania reddiderunt.

Nihil itaque agendum reſtitit, quam oſſa fracta, adplicatis modeſte ſpleniis & ferulis, ita coërcere, ut ſenſim propius invicem coirent, eaque a carie, cuius nobis ob tenuem ichorem, putrido odore nares ferientem, & acutam aſperamque fibulæ ſuperiorem extremitatem, quam, quousque id fieri potuit, forcipe reſecuimus, haud vana fuit ſuſpicio, defendere: factum id tam pulvere exſiccante & balſamico, ex rad. ariſtoloch. rot. ver. gumm. maſtich. elemi, ſuccino, oliban. tut. ppt. quam eſſ. ariſtoloch. rot. aſſidue cum turundis adplicata. Dum hæc in dextro pede agebantur, tandem ſub finem quarti, a quo fractura contigit, menſis, tibiæ & fibulæ oſſa in ſiniſtro pede conferbuerunt, generato callo ſatis firmo nec deformi; id quod & ægro decubitum, & nobis deligationem in dextro pede faciliorem reddidit. Fundentibus autem vulneribus in eodem ſincerum pus, nec adparentibus amplius cariei circa oſſa fracta indiciis, nova ſpes conſolidationis nobis adfulſit, nec fefellit: tribus enim iterum ſeptimanis elapſis, ſub rariori & quotidie unica tantum vice peracta deligatione, vulnus, obducta cicatrice, ſanatum fuit. Nihil itaque reſtitit, quam calli in hoc

etiam

etiam pede generatio; quem in finem, remota faſcia aſciali, circularem, una cum ferulis & ſpleniis membro coaptatis, adplicavimus. Sic, quamvis oſſium fractorum extremitates longius a ſe invicem fuerint remotæ, & præſertim fibulæ ſubſtantia quinque digitorum longitudine penitus deperdita, hincque ſuperior eius extremitas inferiori committi haud potuerit, nihilominus utrumque tibiæ & fibulæ os rite invicem conferbuerunt, nato callo craſſiori, haud tamen deformi, niſi quod hicce pes, ob magnam ſubſtantiæ utriusque oſſis, præſertim fibulæ, iacturam, paullo brevior factus fuerit, quod tamen non impedivit, quo minus æger ſeptimo poſt perpeſſum hoc infortunium menſe elapſo, perfecte ſanatus, absque omni incommodo, vel claudicatione, pedibus uti & incedere potuerit.

## *Corollaria.*

Ex hac hiſtoria in uſum practicum colligere haud abs re erit:

1) In fracturis oſſium complicatis, cum magna eorum in fragmenta & feſtucas comminutione, & iactura eorum ſubſtantiæ, atque ubi aliud ſuper aliud fertur, quandoque, ob extremitates eorum acutas, partibus tendinoſis & muſculoſis oblique & firmius infixas, & ita reconditas, ut nullus ad eas detur acceſſus, atrociſſimumque, quem membri fracti ad repoſitionem extenſio in tali rerum ſtatu efficit, dolorem, gravioremque inflammationem, impoſſibilem eſſe oſſium fractorum coaptationem, nec etiam ad calli geneſin adiuvandam neceſſario requiri, quia nihilominus callo craſſiori, adverſa inter ſe oſſa, uti in noſtro caſu fibula cum tibia, invicem glutinari poſſunt. Apprime huc quadrat locus Celsi *Lib. VIII. Cap.* 10. *Sect. ultima*, ubi, *ſolent tamen*, inquit, *interdum adverſa inter ſe oſſa confervere*, *eoque & brevius membrum*, *& indecorum fit:* quæ clarius exponit celeberr. Schulzius, *in Diſſ. de Oſſibus conferventibus*, §. 4. his ver-

 bis:

bis: *Ubi in cubito vel crure utrumque os fractum eſt, minusque curioſe omnia in reponendis & continendis oſſibus facta ſunt,* (addo, vel ubi completa repoſitio impoſſibilis fuit,) *accidere poteſt, ut ulna cum radio, vel tibia cum fibula, hoc eſt oſſa diverſa, invicem coaleſcant.*

II.) Non poſſe generari callum in oſſibus fractis, priusquam vulnera circa fracturus conſolidata & cicatrice obducta fuerint, quia exſudans ex oſſium fractorum extremitatibus ſuccus nutritius, quo perdita oſſis ſubſtantia reſtitui debet, ſemper cum pure miſcetur & per vulnus exit, clauſo vero vulnere tum in callum verti poteſt: apta autem deligatione tunc id efficitur, ne nimis luxuriet callus, nec membrum deformitatem contrahat.

## *OBSERVATIO LIV.*

## Dn. D. WOLFFGANG. THOM. RAU.

De

## *Paracenteſi abdominis in hydrope aſcite ſæpius efficaci, obſervata quaedam.*

I.) Michaelis Gruppen, ex pago *Donzdorf*, uxor, 38. annorum, XIV. liberorum mater, ante VII. annos hydrope anaſarca adfecta fuit, quæ tamen tunc, adhibitis aliquot purgantibus, iterum ceſſit. Poſt ultimum autem puerperium menſes haud redierunt, iisque ſuppreſſis ſenſim tumor abdominis acceſſit, qui ſpatio XVIII. ſeptimanarum in perfectam aſciten degeneravit, atque in tantam molem increvit; ut non ſolum brevi rumpi videretur abdomen, verum etiam reſpiratio fieret ſumme laborioſa & difficilis, cum pulſu celeri & debili, ardore circa præcordia, ſiti vehementi, pedum œdemate, alvi obſtructione, urina parciſſima flammea. Adhibita a me varia hydragoga & diuretica nihil plane effecerunt, ſed præcluſis quaſi omnibus ſeri viis & emunctoriis, abdominis molem auxe-

runt.

runt. Vnicum itaque ſuperfuit in paracenteſi auxilium, quam, cum ægra a tuſſi immunis eſſet, & vires quodammodo ipſi conſtarent, annuente ea, ipſe adminiſtravi, atque prima hac vice XV. circiter menſuras aquæ in abdomine ſtagnantis eduxi, cum magna ægræ euphoria: nihilominus brevi denuo increvit abdominis tumor, ut iterum paracenteſi humorem educere neceſſitas & ſuffocationis periculum ſuaſerit. Interim tamen poſtea denuo in abdomen aqua refluxit, idque tam crebro, ut ſpatio VI. menſium per 61. vices paracenteſis huic ægræ adminiſtrata fuerit, non a balneatore ſolum loci, ſed etiam ab eius marito. Ipſa quoque ægra intrepido animo acu triangulari, cannula munita, ſæpius abdomen ſibi perforavit, & aquam emiſit; tanta enim celeritate interdum abdomen increvit, ut, ob ſuffocationis periculum, circa paracenteſis adminiſtrationem non diu hæſitare permiſerit. Hac adeo crebro reiterata, eductæ fuerunt aquæ ſtagnantis ultra CCCC. menſuræ Geislingenſes, quarum quævis IV. libras medicas continet, & quod notatu dignum videtur, humor aquoſus emiſſus colorem, ſaporem & odorem potulentorum ingeſtorum perfecte exhibuit, & adſumtam cereviſiam, vinum, frumentique ſpiritum redoluit; a lacte vero ebutyrato, ſæpius ad ſitim reſtinguendam adſumto, colorem albicantem dilutiorem nactus fuit. Vrinam tamen per ordinarias vias ſemper, ſed parciſſime reddidit ægra, & adpetitus perpetuo ei conſtitit, alvum quoque libere depoſuit, ſenſim tamen contabuit, atque ultimis morbi diebus lectulo adfixa fuit. Tandem in ea abdominis regione, ubi paracenteſis toties hactenus adminiſtrata fuit, adparuerunt maculæ nigræ ſphacelatæ, viſcerum interiorum necroſin haud obſcure indicantes, atque biduo poſt absque notabiliori ſymptomate ægra placide exſpiravit.

II.) Conradi Rappen, Opilionis in pago *Gros-Sueſſen* uxor, & fœminæ aſciticæ in priori caſu nominatæ ſoror, 36. anno-

 rum,

rum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſatis vegete vivens, niſi quod abdomen extra quoque graviditatis ſtatum plus iuſto tumidum habuerit, ordinate quidem, ſed parcius menſtruata fuit, ex quo factum, ut circa illud tempus utplurimum eryſipelate faciei adficeretur. Tandem vero, quum menſtrua iterum, ſed parcius fluerent, correpta fuit ſpaſticis abdominis & lumborum doloribus, inſtar eorum, qui alias ad partum ſentiuntur; auctus hinc fuit abdominis tumor, atque brevi in tantam increvit molem, ut cutis rupturam minitaretur, atque filum ei circumductum 5. pedum ſpatium longitudine adæquaret. Accedebat pedum œdema, ſenſim femora quoque occupans, neque minus lumborum regio cum natibus intumuit, atque ſeſſio & decubitus redditus fuit ſumme difficilis: urinam ægra minxit parciſſimam lixivioſam, atque partes corporis eius ſuperiores contabuerunt; nihilominus faciei color ei manſit vividus & floridus, adpetitus conſtitit, nec ulla ſitis vel tuſſis adfuit.

Quum me in conſilium vocaret ægra, varia diuretica & hydragoga ei præſcripſi, & inter alia ſequentem pulverem, crebro uſu mihi familiarem: Rec. Scill. marin. ppt. rad. Vincetox. Nitr. purif. Tart. vitriolat. Sal. Iuniper. ana gr. vj. Trochiſc. Alhandal gr. ij. Cinnam. gr. j. M. F. Pulv. pro una doſi, qualis mane & veſperi exhibita fuit, ſed absque omni effectu. Unicam itaque eamque dubiam ſalutis ſpem in humoris per paracenteſin emiſſione ſupereſſe dixi; conſenſit ægra, atque forti animo operationem ſuſtinuit, emiſſis Menſuris Geislingenſibus XII. aquæ glutinoſæ & ſpumoſæ. Nihilominus haud penitus ſubſedit abdominis tumor; nec educta cannula aliquid aquæ amplius effluxit. Vulnere autem plumaceolis & ſpleniis ſiccis deligato, & faſcia abdomini, quod poſt operationem peractam tactu ubique æqualiter molle deprehenſum fuit, circumducta, quum ægra ſatis bene ſe haberet, atque urinam copioſius redderet, tam ad reliquas aquas, in abdomine & pedibus ſtagnantes,

tes, evacuandas, quam ad viſcera firmanda menſtruumque fluxum inſtaurandum, primo pulveres ſcilliticos ſuperius deſcriptos absque trochiſcis alhandal, mane & veſperi, atque Electuarium ex Rob. Ebuli ℥ß. pulv. Rhabarb. or. & rad. Ialapp. ana ʒiß. herb. trifol. fibr. Extr. Card. bened. Fuligin. ſplendent. Milleped. ppt. Tartar. vitriolat. ana ℈ij. Cinnam. ℈j. Eſſ. abſynth. ʒj. & Mellis deſpumat. q. ſ. quavis tertia hora adſumendum, una cum decocto rad. Gramin. Cichor. & Iuniperi; poſtea vero infuſum medicatum vinoſum ex rad. Ir. noſtr. Iuniper. Ari ana ℥ß. herb. Trifol. fibr. Mj. Card. bened. Abſynth. Artemiſ. Sabin. ana Mß. Cort. med. Sambuc. ℥iij. fol. Senn. ℥ij. bacc. Ebul. ʒvj. Iuniper. Laur. ana ʒij. Tartar. crud. ʒiij. ſem. Naſturt. Coriandr. ana ʒj. in vini Neccarini albi & aquæ ſimpl. ana Menſ. j. infuſis, denique Elix. aperitivum Claud. ordinavi, atque hac medicatione id quidem effeci, ut tumor abdominis & femorum non ſolum non increſceret, verum etiam parum imminueretur: ſed menſtruus fluxus, exacto quatuor ſeptimanarum termino, haud rediit, potius eius loco ægra denuo doloribus ſpaſticis abdominis & lumborum correpta fuit, quibus remittentibus, paucorum dierum ſpatio abdomen in priſtinam, ſi non maiorem molem, intumuit. Quum itaque anxietas & ardor circa præcordia, cutisque, abdomen cingentis, rubor, calor, atque venarum per eandem decurrentium ſingularis turgeſcentia increſceret, urina autem parciſſime iterum redderetur, eo ægra adacta fuit, ut ſponte ſecunda vice paracenteſin expeteret: ea denuo in ſiniſtra hypogaſtrii regione adminiſtrata, eductæ fuerunt menſuræ X. aquæ, partim limpidæ, partim lixivioſæ & inſtar loturæ carnis tinctæ; & quum, educta quoque cannula, qua ferramentum mucronatum cinctum fuit, aliquamdiu ex apertura, in abdominis integumentis facta, aqua exſtillaret, omnis omnino humor, in abdomine, femoribus & pedibus collectus, plenarie evacuatus fuit, atque tumor œdematoſus in his partibus perfecte evanuit, non ſine inſigni ægrotæ

 eupho-

euphoria. Reddidit quoque per naturales vias aquas copioſe ad matulam; ſed brevi poſt ſucceſſit diarrhœa ſanguinolenta & purulenta, quæ ægram in dies magis conſumſit, tandemque accedente partium interiorum necroſi enecavit.

III.) Ludovici Hettich, murarii in pago *Böbringen* uxor, 35. annorum, in ultima graviditate tumore hydropico iam adfecta, iuſto partus tempore fœtum mortuum excluſit; lochiis vero in puerperio parcius fluentibus, atque poſt puerperium menſibus per 14. ſeptimanas ſuppreſſis, illi tandem perfecta aſcites acceſſit, atque abdominis moles adeo increvit, ut dum ſederet, femora penitus obtegeret: remanſit tamen aliqualis adpetitus, nec ulla tuſſis ægram vexavit. Adhibitis incaſſum hydragogis, tandem abdominis paracenteſi unica vice menſuræ XIV. aquæ paullulum gelatinoſæ, limpidæ & ſpumoſæ, eductæ fuerunt, non ſine inſigni ægræ levamine. Reſtitit tamen aliqualis abdominis tumor, atque menſes ſuppreſſi manſerunt. Nihilominus ægra ab hoc tempore ſatis commode vixit, atque labores ſuos domeſticos absque multa moleſtia ſubiit, tandemque menſtruis iterum rite redeuntibus, gravida facta, poſtea partum vivum edidit, & iam per triennium abhinc, niſi quod ei abdomen quodammodo ſit tumidiuſculum, integra gaudet ſanitate.

## Scholia.

I.) Aſcites oritur, quando humor ſeroſus, errore loci, magna copia extra vaſa effuſus, in cavo abdominis colligitur.

II.) Seri autem collectio talis, uti id magnus BOERHAAVIUS *in Aphoriſm. de cognoſc. & curandis morbis*, §. 1228. optime in compendio docuit, tribus potiſſimum contingit ex cauſſis: vel enim

1.) vaſa reducentia a cavitatibus ita obſtruuntur, & liquida in cavitatibus depoſita tam parum moventur, ut non exhalent,

lent, nec reſorbeantur: id quod fit ex impeditiori ſanguinis per viſcera abdominis infarcta circuitu, eiusque vitioſa & colliquativa diatheſi, ex qua frequenter cachexia & hydrops oritur, uti id fuſius expoſuit perilluſtris L. B. *van* SWIETEN *Comment. in Aphoriſmos* BOERHAAVII *de cognoſc. & curandis morbis Tom. III. §.* 1174. atque hac ratione ſerum, per vaſa exhalantia magna copia transmiſſum, mora & ſtagnatione ita mutatur, ut in eadem proportione reſorberi iterum nequeat, ſed cavum abdominis inundet. Reſorberi autem ex viſceribus abdominis exhalantibus lymphaticum humorem, experimento conſtat: ſi enim aquæ vel infuſi Theæ tepidi libra, ope ſiphonis per proceſſum peritonæi in vivi canis abdomen infunditur, illo poſt paucas horas inciſo, ne guttula quidem eiusdem ibi reperietur; vid. SCARDONÆ *Aphoriſmi de cognoſc. & curandis morbis, Lib. II. Cap. V. p.* 74. & MEAD *Monita & præcepta medica Cap.* 8. *p.* 97. id quod iam agnovit doctiſſ. *Carolus* PISO, qui Lib. *de Morbis a ſeroſa colluvie ortis* p. m. 298. 299. *omnia,* inquit, *in corpore ſunt perſpirabilia, atque natura vias, quanquam occultas, reperit — cum innumera vaſa deſinant & terminentur in membranis meſenterii, epiploi & glandularum per eas diſperſarum.* Atque de hac aſcitis ſpecie exempla profert, & contra eandem lacteam diætam commendat celeberr. *le* THIEULLIER in *Act. Nat. Cur. Vol. VIII. Obſ.* 40. p. 154. Vel

2.) ita coërcetur ſerum, ut redire nequeat in venas, ſed extenſis in vaſis ſtagnet, duplici ex cauſſa,

*α*.) ex peculiari viſcerum abdominis, uti omenti, meſenterii, uteri, ovarii, ob natam ibi, & ſucceſſive mole & craſſitie inſigniter auctam hydatidem, cyſtica inflatione, vel ſacci geneſi inter muſculos abdominales, & præcipue transverſalium tendines & peritonæum, vel inter eius dupli-

duplicaturam, uti id pluribus evincunt caſibus *de* HAEN *Rat. med. in Noſocom. Vienneſi, Part. IV. Cap. 3. p.* 92. ALLEN *Synopſ. univerſ. Med. pract. Cap.* 8. *Artic.* 26. p. m. 294. TULPIUS *Obſ. med. Lib. II. Cap.* 34. & *Lib. IV. Cap.* 43. 44. & *Acta Med. Londinenſ.* Edit. Germ. Vol. I. Artic. 2. Cap. 7. Hac enim ratione comprimuntur vaſa lymphatica, & lymphæ iter per hæc viſcera intercipitur; vel

β.) ex ſcirrho, ſteatomate, vel abſceſſu in viſceribus abdominis, præſertim pancreate, glandulis meſeraicis, utero, ovariis, tuba Fallopii, &c. uti id confirmat laudatus PISO l. c. p. 307. ubi, *quisquis*, inquit, *attenderit ſerio diſſectioni hydropicorum, fatebitur una mecum ultro, tumorem aliquem Viſceris alterutrius, fere unam eſſe, certe frequentiſſimam aſcitis parentem.* Conf. TULPIUS *l. c. Lib. II. Cap.* 33. 35. BLANCARDUS *Collectan. med. phyſ. Part. I. Obſ.* 61. & *Part. III. Obſ.* 45. *de* HAEN *l. c. Part. IV. Cap.* 3. *p.* 95. *Part. V. Cap.* 2. *p.* 39. & *Part. VI. Cap.* 2. *p.* 37. *ſq.*

3.) Denique vaſa lymphatica rumpuntur ita, ut intra membranulas effundatur ſerum, atque hoc modo, qui cyſticus primo fuit vel ſaccatus hydrops, dilacerato ſacco in verum poteſt degenerare aſciten, uti id notabili Caſu evicit *de* HAEN *loc. cit. Part. V. Cap.* 2. *p.* 45. 63. Idem quoque accidit, quando, ob ſcirrhos viſcerum præſentes, ortæ in vaſis lymphaticis, ex intercepto lymphæ itinere, hydatides vel a pure rodente, vel a compreſſione vehemente aperiuntur: in omnibus autem his caſibus abdominis moles ſubito mirum quantum increſcit. Vid. GALENUS *Comment. in Aphor.* HIPPOCRATIS *Lib.* 7. *Aph.* 55. Oper. Tom. IV. p. m. 734. WILLISIUS *Pharmac. rat. Sect. II. Cap.* 3. p. m. 299. BOERHAAVE *Prælect. ad Inſtit. med. cum not.* HALLERI Vol. I. §. 122. p. 580. *de* HAEN *loc. cit. Part. IV. Cap.*

3. p.

3. p. 73. *Io. Maurit.* HOFFMANN *Diſquiſit. corp. hum. anatomico-patholog. p.* 16. 64. *Specim.* 2. 6.

III.) Præmittere hæc de aſcitis geneſi & differentia placuit, ut caſuum, quos recenſui, triga, ad qualem quisque ſpeciem referri debeat, plenius innoteſcat: in primo nempe caſu videtur aſcites deberi rupto tumori cyſtico, vel ſacco in meſenterio, (Schol. II. n. 3.); in ſecundo, ſcirrho in abſceſſum verſo & rupto ad viſcera (Schol. II. n. 2. ß.); in tertio autem vitiatæ ſeri, ex viſcerum abdominis ſimplici infarctu, exhalationi & reſorptioni (Schol. II. n. 1.).

IV.) Mirum ſane, tantam aquarum copiam intra modicum temporis intervallum, in abdominis cavo colligi atque paracenteſi emitti poſſe, uti in fœmina illa, cuius in primo caſu mentio facta fuit; ſed teſtem veritatis non ſolum habeo virum ſumme reverendum & ampliſſimum, Dn. *Io. Georgium* SCHROZ, Eminentiſſ. Cardinalis & Principis Conſtantienſ. Conſiliarium eccleſiaſticum, Decanum & Parochum Donzdorfii meritiſſimum, qui ſummam paupertatem, qua cum æque ac cum diro morbo conflictata fuit hæc mulier, ſua munificentia perpetuo ſublevavit: verum non deſunt quoque aliæ hujus rei obſervationes, inter quas eminet illa, quam celeberr. MEAD *loc. cit. Cap.* 8. *p.* 93. de illuſtri quadam vidua exhibet, cui, ſeptem annorum ſpatio, libræ mille nongentæ & viginti ſeri aquoſi ex abdomine, mediante paracenteſi, eductæ fuerunt; neque minus de tornatore Geislingenſi aſcitico, cui bis primum, & poſtea quotannis, ex umbilico tumente aqua emiſſa fuit, SCHENCKIUS *Obſ. med. rarior. Lib. III.* p. 453. caſum exhibet. Conf. quoque *Obſ. & Tentamina Med. Edinburgenſ.* Edit. germ. *Tom. V. p.* 2. *Artic.* 36. & *Londinenſ. Vol. I. Artic.* 15. nec non *Commentar. de rebus in Scientia naturali & Medicina geſtis, Vol. III. Part. II. p.* 208. *Vol. IV. Part. IV. pag.* 648. & *de* HAEN *loc. cit. Part. IV. Cap.* 3. *p.* 87.

V.) Quare autem facta paracenteſi, longe citius iterum re-

naſcatur aſcites, quam primum nata eſſet, doctiſſime exponit ſæpius iam citatus celeberr. *de* HAEN, Part. IV. p. 115. his verbis: *Ubi* (ſcilicet hydrops cyſticus) *primum oritur in parva cuiusdam viſceris hydatide, lente admodum membrana continens a mole minima in maiorem extenditur, ut ſemi anno, biennio, quadriennio, decennio & quod plus eſt, indigeat, antequam veram referat aſciten. Facta autem paracenteſi, membrana maxima, intus cava, lymphaticis vaſculis pertuſa millenis, mox denuo repleatur neceſſe eſt, cum nulla intus reſiſtentia ſit, & in inania ſpatia humores undique veluti attrahantur.*

VI.) Exinde liquet inſimul, & varius morbi exitus, & neceſſitas adminiſtrandi paracenteſin: utut enim in prima aſcitis ſpecie medicamentorum diureticorum & hydragogorum energia quandoque aliquid valeat, non ſemper tamen ſufficit; in aliis ſpeciebus autem, quum vitium mechanicum ſubſit, vana eſt omnis per medicamenta medendi methodus, & in paracenteſi unicum ſolamen poſitum!

## Corollaria.

I.) In antiqua iam Chirurgia paracenteſin in uſu fuiſſe, liquet ex GALENO *Oper. Lugd. Bat.* 1650. *Tom. IV. Lib. VI. in Aphor.* HIPPOCRATIS 27. p. 699. qui in iis, qui aquam inter cutim patiuntur, punctionem ſeu paracenteſin Medicis conſuetam eſſe refert: CELSUS vero *de Med. Lib.* 7. *Cap.* 15. quomodo aqua hydropicis emittatur uberius tradit, idque fuſius adhuc ALBUÇASIS, qui univerſam methodum, iuxta quam adminiſtrari debeat paracenteſis, quoad omnes circumſtantias adeo dilucide expoſuit, ut a recentioribus, ſi quasdam additiones & emendationes excipias, parum eidem acceſſerit; vid. FREIND *Hiſtoire de la Medecine Tom. II. p.* 242.

II.) Reformidata quidem ab antiquis quibusdam Medicis, & præſertim ab ERASISTRATO fuit, uti docet SCHENCKIUS loc. & Lib.

Lib. cit. p. 450. & mortem accelerat in iis aſciticis, quorum viſcera prorſus vitiata & ſcirrhoſa ſunt, & qui in ſtatu cachectico & tabido ſimul verſantur; vid. WILLISIUS *loc. cit. Sect. II. Cap.* 3. *p.* 318. Aſt in tali conclamato morbi ſtatu nec medicamenta fortiora diuretica & hydragoga ullius ſunt uſus, ſed ob nimis præcipitem & copioſam, quam interdum operantur, evacuationem, viſcerum necroſin eadem ratione, qua tunc per paracenteſin fit, generant, ægrumque opinione citius e medio tollunt. Ideoque hæc operatio ſæpius & neceſſaria & utilis eſt, quatenus & quandoque morbum tollit, & ad minimum eum mitigat & protrahit, ægrumque a ſuffocatione liberat, in quam ſententiam abit *Frid.* HOFFMANNUS, *Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Part. IV.* Cap. 14. §. 2. 3. p. m. 446. & HEISTERUS *in Inſtitut. Chir. Part.* 2. *Sect.* 5. *Cap.* 102. *p. m.* 703. quin eandem gravidis quoque proficuam fuiſſe, novo exemplo demonſtravit clariſſ. GARNIER, *in der Sammlung von Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchafft, Vol. IV. p.* 2. *Obſ.* 2. *p.* 121.

III.) Serio Medicis olim prohibitum fuit, ſub paracenteſi omnem aquam ſimul & ſemel emittere, quia ſæpius ſubitam mortem inde ſubſequutam fuiſſe, experientia convicti fuerunt. Ubi vero id contigerit, non aliam ſubeſſe cauſſam eleganter expoſuit, præter Dn. *de* HAEN *loc. cit. Part. IV. Cap.* 3. *p.* 79. celeberr. MEAD, *loc. cit.* Cap. 8. p. 81. *quam quod longa abdominis a concluſo humore diſtenſione, ſeptum transverſum nimis ſurſum pellatur, muſculi ventris extendantur, ſanguis magis per canales ſuperiores, quam inferiores, expeditius fluat, aqua denique compreſſione ſua novam quandam partium vicinarum diſpoſitionem efficiat; unde, liquore omni ſimul ſemelque effuſo, ſepti transverſi motus, ut pro natura ſolet, deorſum illico fertur, ſanguis in canales inferiores impetu inſolito ruit, & ſublata compreſſionis vi, fibræ eam, quam prius acquiſiverant, extenſionem, & calorem, quem dederat incluſus humor, derepente amittunt: hinc oritur animi defectio, quæ ſæpe gravius recurrens, orto ſudore frigido mox*

 *occidit,*

*occidit. Hoc autem incommodum,* pergit laudatus Auctor, *commodius præcaveri non poſſe videtur, quam abdomen a ſuperioribus ad inferiora manibus fortiter comprimendo, dum aqua proflueret; & poſtquam omnis effluxerat, faſciis illud ſatis vehementer adſtringendo,* id quod in muliere aſcitica feliciter ei ſucceſſit. Sub iisdem cautelis eademque encheireſi omnem aquæ ſimul & ſemel evacuationem permittit HEISTERUS l. c. & celeberr. PLATNERUS in *Inſtit. Chir.* §. 757. ſuadet; clariſſ. MONROO autem, in eandem abiens ſententiam, *in Actis ſeu Tentam. & Obſ. Med. Edinburgenſ. Vol. I. Artic.* 18. Edit. germ, p. 278. machinam compreſſioni abdominis aptam invenit, atque addito eius icone adcurate deſcripſit. Quamvis autem ego eandem haud adhibuerim; id tamen in paracenteſi, tribus iſtis fœminis aſciticis adminiſtrata, in uſum meum mihi ſumſi, ut non, uti MEADIUS, ſola manuum compreſſione durante operatione contentus fuerim, & tantum poſt eam peractam abdomen faſciis conſtringi curaverim; ſed ſtatim ante illam duas faſcias latiores & ſatis longas, ſupra & infra umbilicum abdomini circumductas, ſucceſſive, prout aquæ maior ſenſim quantitas ex abdomine per cannulam effluxerit, arctius atque arctius conſtringere præceperim, non neglecta ſimul ſufficiente per manus compreſſione: ubi etiam idem, quod MEADIUS l. c. p. 92. notat, obſervavi, faſciis vel per temporis momentum paullulum laxatis, manubusque comprimentibus amotis, ægram actutum animo defeciſſe. Id vero maxime animadverſione dignum adhuc mihi videtur, quod eo ipſo, dum, aqua effluente, abdominis moles & volumen imminuitur, idque inſimul arctius conſtringitur, fibræ muſculorum abdominis, antea ultra elaſticitatis ſuæ ſphæram extenſæ, cito coëant & ſeſe iterum contrahant, quo ipſo fit, ut apertura, mucrone triangulari facta, claudatur, cannula oblique inflectatur, extra ſitum ſuum a muſculis hiſce pellatur, atque ſic aquæ effluxus, antequam penitus fuerit evacuata, ſponte ſiſtatur.

(*Geiſlinga Halam miſſæ d.* 10. *Mart.* 1764.)

*OBSER-*

# OBSERVATIO LVI.

## Dn. LUDOV. CLAUD. CADET.

De

## *Terra foliata Tartari.*

Terra foliata Tartari eſt ſal neutrum, compoſitum ex acido aceti ab alcali Tartari ſaturato. Singularis plane indolis eſt hoc ſal, & perquam difficulter ſub præparatione ad verum ſaturationis punctum deducitur, ſique iam paratum eſt, facile alteratur & decomponitur, quoad maximam ſaltim partem ab igne, quod ſine dubio fit ob exiguam adhæſionem partium alcalinarum & acidarum, e quibus componitur.

Hoc ſal, quod efficaciſſimum eſt reſolvens, inter optima dona Medicinæ a Chymia exhibita, referri meretur. Reſolvens eius virtus ſaponaceæ qualitati debetur, ortæ ab oleoſa aceti parte. Lente quidem agit, ſed ſecure. Præcipua eius qualitas conſiſtit in reſolutione obſtructionum viſcerum.

Notiſſimum eſt, Chymico quam maxime eſſe neceſſarium, ut eas res, quibus uti vult, præparet ipſe. Valet hæc cautio in hoc caſu magis quoque quam in quocunque alio. Opus ergo eſt, ut ſal Tartari ipſe præparet, & deſtillationem aceti ſuſcipiat. Vaſa vitrea aut argillacea tantum ad hancce deſtillationem ſunt adhibenda. Illud acetum, quod ex vaſis cupreis deſtillatum eſt, quale apud vulgares Chymicos deprehenditur, plane exulet. Facile facta hæc mala operatio per alcali volatile detegitur: ſi enim aliquot tantum guttulas in acetum tali modo deſtillatum inſtillaveris, ortus inde color cœruleus præſentiam cupri ſtatim demonſtrat. Et bono ſane fato cupri præſentia hoc modo evincitur; totum enim illud tranſit in ſalia, & notiſſimi ſunt periculoſi illi effectus, quibus ægri inde exponuntur.

Si bene paratum ſit hoc ſal, tunc ex minimis conſtare debet lamellulis, talco molli & unctuoſo, propter oleum, quod continet, tactu ſimile, ſapore gaudebit admodum forti, ita tamen ut nec acidum diſtingui poſſit, nec alcali. Aëri expoſitum, humidum redditur, & citiſſime in liquorem funditur. Qui de hoc ſale ſcripſerunt omnes, de qualitatibus terræ foliatæ Tartari bene præparatæ ſatis conveniunt, de colore vero diſſentiunt. Nonnulli albiſſimum eſſe debere exiſtimant, alii vero hoc ſal æque bonum eſſe contendunt, licet color eius magis aut minus ſit fuſcus, id quod Boerhaavius & Pottius contendunt.

Celeberrimus Argentoratenſis Profeſſor, Spielmannus, propter eximiam ſuam cognitionem in chymicis notus, eandem amplectitur ſententiam. Pottivs, qui egregiam de hac materia edidit Commentationem, albedinem huius ſalis tam parum curat, ut eam eſſe externum & inutile ornamentum exiſtimet, nugivendulos eos declarans, qui neceſſariam illam exiſtimant.

Præſtantia terræ foliatæ a tot eruditiſſimis Viris cognita, qui conqueruntur, eam non frequentius in praxi medica adhiberi; & diverſitas opinionum de qualitatibus, quibus gaudere debet hoc ſal, ſtimulum mihi præbuerunt, ut curatius in illud inquirerem. Antea quam propoſitum illum laborem inciperem, ſufficientem primo quantitatem, præparatæ huius terræ foliatæ, a variis artificibus confectæ, mihi comparavi, quumque quamlibet illarum ſeparatim examinarem, eſſentiales inter illas deprehendi differentias. Variis colorum gradibus tinctæ erant, a fuſco usque ad album progredientibus; quædam manifeſtum alcalinum ſaporem præ ſe ferebant, aliæ acidum adhuc ſuperſtes guſtui & olfactui exhibebant. In albiſſima quadam terra foliata manifeſte diſtingui poterat & acidus ſapor, & acris alcalinus. Quæ fuſco colore gaudebant, ordinarie molles, pingues, unctuoſæ & lamellatæ erant; quæ vero album magis

magis colorem præ ſe ferebant, ſicciores deprehendebantur, duriores & granulatæ. Non admodum miratus ſum hanc diverſitatem, ſed perſpexi inde difficultatem ita præparandi terram foliatam conſtanti quadam lege, ut inde obtineretur perfecta quædam coniunctio ſalium, e quibus componitur. Patebat inde ratio diverſarum de hoc ſale opinionum, & cauſſa probabilis, quare hoc medicamentum a Medicis adeo frequenter non adhibetur, prout merito alias fieri deberet: procul dubio enim in culpa eſt effectuum, qui ab eo expectantur, inconſtantia, quum raro ſibi ipſi ſimile deprehendatur. Hæ obſervationes magis quoque me impulerunt, ut propoſita mihi experimenta caperem. Combinavi itaque acetum vini deſtillatum cum ſale Tartari, obſervando omnes ab Auctoribus præſcriptas regulas, pro obtinendo felici operationis ſucceſſu, & per ſatis longum tempus inde obtinui terram foliatam admodum fuſcam. Quum hanc albam reddere conarer, absque operatione a Pottio indicata, quæ mihi inutilis imo noxia, propter rationes mox exponendas, videbatur; patienter obſervavi omnia phænomena deſiccationis noſtri ſalis, quæ maximi eſt momenti, & tandem ſequenti modo ſcopum meum obtinui.

Libra una ſalis Tartari ſolvatur in ſufficienti quantitate aquæ frigidæ, poſt percolationem huius ſolutionis per chartam emporeticam, inſtilletur ei tantum aceti vini deſtillati, quantum ſufficit ad perfectam ſaturationem.

Hac obtenta, neceſſario opus eſt, ut quadantenus plus acidi addatur, quam requiritur. Operæ omnino pretium eſſe iudicavi, hanc circumſtantiam ſpeciatim declarare, quum inde ex parte felix totius operationis eventus dependeat, id quod in Commentatione mea non ſatis accurate indicavi. Poſt ortam inde notabilem efferveſcentiam, ſed ſtatim ceſſantem, evaporationi exponi debet liquor in patella argillacea, lento igne, ita ut liquor non bulliat; quæ evaporatio ad pelliculam usque eſt

con-

continuanda. Tandem evaporatio ad finem eſt perducenda in balneo Mariæ. Acquirit tunc ſucceſſive conſiſtentiam oleoſam & colorem ſatis ſaturate fuſcum. Formatur in eius ſuperficie albeſcens ſpuma, quæ, ſeparata & refrigerata, conſtare videtur ex congerie minimarum lamellarum ſplendentium, argentei coloris. Agitetur tunc liquor ſpatula eburnea, pro adiuvanda evaporatione, & ſic orietur levis odor aceti prædominans, & fortior quam in initio. Liquor ſucceſſive ſpiſſeſcit & in ſpumam convertitur, ſimilem ei, de qua ante diximus, qui finem operationis annunciat. Dividenda eſt continua agitatione materia: hoc artificio mutatur in pulverem ſatis album, lamellatum, argentei coloris, quem facile perfecte ſiccabis, imponendo vas fornaci calido, ita ut eius margines plane a fornace circumdentur.

Facile intelligitur, hoc ſimplici modo, parum a vulgari proceſſu, terram foliatam Tartari parandi, diverſo, obtineri hoc ſal omnibus requiſitis qualitatibus præditum. Conſervatur enim eidem ſic pinguis illa materia, inter primarias eius qualitates referenda, absque acceſſu coloris fuſci, qui non omnibus placet. Ad deſideratum ſcopum obtinendum requiritur illa paullo maior quantitas acidi, de qua antea dixi; conveniens gradus caloris ſub evaporatione; & ut debito tempore balneum Mariæ adhibeatur, quod operationem retardat quidem, ſed eam quoque perfectiorem reddit. Poſſet quidem ultimus hic labor omitti, ſed tunc opus eſt exercitato ſatis artifice, ad verum gradum ignis conſervandum. Admodum igitur probabile videtur, quod complures Chymicorum, dum neceſſariam non adhibent patientiam, terras foliatas fuſcas producant, imo exiſtimo, reliqua, quæ circa præparationem occurrunt, vitia a diverſo gradu caloris, qui ſub deſiccatione adhibetur, potiſſimum oriri.

Verum quidem eſt, omnes, qui de hac operatione loquuntur, Auctores, quam maxime calorem commendare moderatum;

tum; aſt non ſufficienter eſſentiali huic requiſito inſiſtunt, imo nonnulli, dum non ſatis perſpiciunt incommoda nimii caloris, qui terræ foliatæ, quæ pinguem ſuam materiam nondum amiſit, certiſſime colorem inducit fuſcum, potius huncce colorem innoxium eſſe voluerunt, quam ut ad eundem evitandum alia excogitarent media, præter remotionem materiæ pinguis. Tribuunt huncce terræ foliatæ colorem oleoſis particulis aceti, adeoque magis opportunum, quam imperfectionis cuiusdam indicem iudicarunt. Negari quoque nequit, recte eos, quod primum attinet, iudicaſſe: certiſſimum enim eſt, ab oleoſa parte dependere & colorem fuſcum, & præſtantiſſimas huius ſalis qualitates; ſed quod ad alteram partem attinet, anne perinde eſt, quod oleoſæ partes vel gaudeant, vel deſtitutæ ſint colore fuſco? Infinita experimenta me certiorem reddiderunt, hunc colorem ſemper eſſe effectum nimiæ actionis ignis. Certiſſimum itaque eſt, caute admodum calorem eſſe adhibendum, cum omne oleum a nimio igne acre ſemper fiat & empyrevmaticum, quod ſane imperfectum reddit medicamentum, quod quam maxime benignum & mite reddere conamur.

Nonnulli nd albam reddendam terram foliatam medium quoddam exhibent, cuius incommoda ipſi tamen animadvertunt. Neque etiam hoc proponunt ad perfectius reddendum ſal ipſum, ſed curioſorum tantum in gratiam, qui externis ſaltem contenti ſunt qualitatibus, perfectionem aliqualem ſimulantibus. Solvunt nempe terram foliatam in ſufficienti quantitate ſpiritus vini, filtratam ſolutionem ad ſiccitatem usque deſtillant, maſſam reſiduam lenioris ignis ope in crucibulo fundunt, & in aqua deinde diſſolvunt. Percolatam hanc alteram ſolutionem evaporant dein calore blando, ſed eo modo aucto, quo evaporatio ad finem tendit. Attollitur ſic materia & maiores format bullulas, quæ, diſſilientes una ſuper alteram, albas atque talciformes lamellulas formant. Suſcepi hunc laborem ipſe, & fa-

ctæ inde obſervationes me docuerunt, inutilem eſſe, immo noxium hunc laborem. Scopus huius operationis, ex propria Chymicorum ſententia, is eſt, ut oleoſa pars, quæ fuſcum colorem producit, ſeparetur. Primo autem hic animadverto, ſpiritum vini, in quo ſolvenda proponitur terra foliata, & qui dein mediante deſtillatione iterum ab ea aufertur, plane eſſe inutilem. Verum quidem eſt, terram foliatam cum adhærente oleoſa parte inde ſolvi; ſed quum longe hoc oleo ſit levior, ſolus ſub deſtillatione aſcendit, ne guttulam quidem huius olei, quod totum cum terra foliata combinatum relinquit, ſecum ducens. In prima itaque hac operationis parte operam cum oleo perdimus. Dein fuſio in crucibulo comburit & deſtruit hoc ſal, quod ex odore empyrevmatico & acido, inde exhalante, cognovi. Combuſtæ hæ partes oleoſæ, in filtro reſtitantes ſub forma nigra, inſtar carbonum, ſub percolatione quidem ſeparantur; ſed nihil inde perficimus; ſatis enim olei adhuc in ſale remanet ad alterandum colorem & alios defectus inducendos, ſi denuo ignis gradus nimius adhibeatur, adeoque hæc omnia ſaltem ad maius & minus ſpectant.

Si itaque terram foliatam Tartari, fuſco colore præditam, albam reddere velimus, non opus eſt tam longo & diſpendioſo labore, ſed ſufficit, ſi ſolvatur in ſ. q. aceti deſtillati; diſſolutio percoletur, & eodem, quem antea expoſui, modo evaporetur: facili hoc & non admodum ſumtuoſo labore deſideratam albedinem acquirit, niſi ſub ipſa evaporatione in eundem incidas errorem, qui colorem fuſcum ei iam antea conciliaverat, ignis videlicet incongruam adminiſtrationem.

Difficultas, hocce ſal, ob promptiſſimam humiditatis attractionem, in bolo exhibendi, & averſatio ægrorum ſub aſſumtione nauſeoſi huius medicamenti, eo me adegerunt, ut nova tentamina ſuſciperem cum terra foliata ex alcali Sodæ conflata, quæ hiſce incommodis deſtituitur. Pottius & celeberrimus

rimus MARGGRAV locuti ſunt de hac combinatione, cum de baſi ſalis marini agerent. Inter Chymicos Gallos BARONIUS primus de eo egit in egregia ſua *de Borace* Commentatione. En! operationem: Recipe cryſtallos ſalis Sodæ, adfunde iisdem aceti deſtillati tantum, quantum pro ſaturatione opus eſt, imo paullo plus, ſicuti antea de ordinaria præparatione terræ foliatæ diximus. Acidi aliquo modo excedens quantitas ad obtinendam albedinem & reliquas qualitates neceſſario requiritur. Sola cautio quoad evaporationem lentam non ſufficit: absque hac maiori quantitate acidi addita, terra foliata gryſea evadet, immo fuſca & alcalina, quod cognoſci facile poteſt ex efferveſcentia nova cum acido aceti vini.

Evaporando ad ſiccitatem filtratum huncce liquorem, adhibita cautione ſuperius expoſita, ſal album obtinebis, ex minimis conſtans lamellis.

Ad certum usque gradum evaporato liquore, eoque frigido aëri expoſito, cryſtalli orientur admodum ſimiles ſalis Epſonienſis cryſtallis. Obtentis hiſce cryſtallis, liquore denuo evaporato & diutius frigori expoſito, ſimiles oriuntur cryſtalli novæ, magis tamen ad figuram cryſtallorum Nitri accedentes. Hocce ſal neque linguam tantopere ferit, nec tam acre eſt, quam terra foliata, ſed palato ſuavi ſapore refrigerante & leni amaritie blanditur.

Cryſtalli hæ non attrahunt humidum, ſed in pollinem quendam in aëre calido mutantur. Licet autem de huius ſalis viribus medicis per experientiam nondum quicquam conſtet, convenire tamen quam proxime debent cum iis, quas ordinaria terra foliata exſerit. Si ad analogiam reſpicimus, nulla alia videtur inter hæc duo ſalia intercedere differentia, quoad vires, quam quæ eſt inter ſal vegetabile & ſal de Seignette; ſed hoc præcipuum habet terra foliata cum ſale Sodæ parata, quod in

 bolo

bolo dari poſſit. Facile cuilibet huius rei patet poſſibilitas, quum ab aëre humidum non reddatur, ſed in pollinem abeat; immo ſub deſiccatione vulgaris terra foliata perdit aliquid voluminis ſui, quod novo huic ſali non contingit. Acidum aceti intimius ei iunctum eſt, quam in terra foliata ordinaria.

Inter varias huius ſalis a me factas cryſtalliſationes haud raro coloratas cryſtallos obtinui. Color erat iucundus rubicundus, qui ferri partibus ſubtiliſſimis, in ſale Sodæ contentis, debebatur. Hæc ferri præſentia in ſale hoc alcalino ſæpe tam manifeſta eſt, ut, ſi ſaturetur cum acido vitriolico, ad ſal Glauberianum præparandum, filtra, ad hanc operationem adhibita, ſæpe tingantur colore cæruleo Berolinenſi, & tunc cryſtallos obtinemus cæruleas ſaphirinas transparentes.

Hæc Sodæ qualitas, qua reliqua alcalina fixa carent, ferrum nempe adeo ſubtile & reſolutum ſecum vehendi, in variis compoſitionibus, uti in præparatione ſalis Glauberiani & novæ huius terræ foliatæ cryſtalliſatione, non levem prærogativam meretur. Sed hoc Medicis diiudicandum relinquo, qui ſoli huius rei competentes ſunt iudices.

## *OBSERVATIO LVII.*

## Dn. LUDOV. CLAUD. CADET.

### *Materiæ e voragine ignivoma montis Veſuvii eiectae analyſis.*

Hæc materia admodum ſimilis eſt ſcoriæ fuſi ferri penitus vitrificatæ. In variis eius locis granula apparent Quarzi. Igni ſatis vehementi in crucibulo eam expoſui, unde tamen neque reſoluta eſt, neque vapores dedit, neque odorem ſparſit. Nihil magis reſiſtit comminutioni in pulverem, quam hæc ma-

teria

teria, quæ omnes piſtillos metallicos optimæ notæ atterere ſolet. Ope magnetis hunc pulverem exploravi, ſtatim attraxit inde copioſas ferri particulas perfecte acuminatas. Quum ſuspicarer, has ferri particulas forſitan a piſtillo vel mortario ferreo eſſe abraſas, pro maiori certitudine acquirenda uſus ſum deinde mortario cupreo, cum piſtillo eiusdem metalli, ſed eodem modo præſentia ferri mediante magnete detegebatur.

Acidum nitri & acidum ſalis marini non niſi ope fortioris digeſtionis in hunc pulverem agebant; actio autem acidi vitriolici ab his longe erat diverſa, ſiquidem ſtatim inde diſſolvitur, ſine concurſu ignis. Neceſſe tamen eſt, ut acidum hoc non ſit concentratum, minus enim alias ſuccederet ſolutio. Acidum hoc pauca aqua dilutum, vehementem excitat efferveſcentiam cum inſigni calore coniunctam. Elevantur ſimul eodem tempore vapores alliacei, ſimiles iis qui ſurgunt ſub præparatione Vitrioli martis. Hi vapores accenduntur ab admota candela flagrante, ſed cum exiguo tantum ſibilo. Si portio ferri in hoc mixto eſſet ſatis magna, ſtrepitus absque dubio produceretur maior.

Hæc diſſolutio cum ſpiritu vini mixta, flammam exhibet egregie murideſcentem.

Filtrata & ad certum gradum quemdam evaporata hæc ſolutio, cryſtallos exhibuit vitrioli Martis, admodum regulares, itemque cryſtallos aluminis, ut & ſal, filamenta ſerica imitans. Diſſolvi illud Vitriolum cum aqua deſtillata, quæ, cum alcali volatili commixta, ſtatim aliqualem exhibuit colorem cæruleum cum præcipitato viridi.

Immiſi in hanc ſolutionem vitriolicam ferri laminam, quæ inde in ſuperficie cuprea reddebatur. Cryſtalli aluminis, carbonibus impoſiti, inſtar vulgaris aluminis intumuerunt, relicta terra alba ſpongioſa, uti hoc in alumine vulgari contingit.

 Cryſtal-

Cryſtalli fila ſerica referentes in aqua frigida non ſolvebantur, meritoque credo, illas ortas eſſe ex actione acidi vitriolici in terram vitreſcibilem in hac maſſa contentam.

Ex hac analyſi manifeſto patet, materiam hanc ex voragine ignivoma montis Veſuvii eiectam, ferrum continere. Experimenta cum magnete inſtituta & vitriolum Martis inde obtentum, hoc ſatis ſuperque demonſtrant. Nullum porro ſupereſt dubium, quin cuprum quoque contineat, dum viridem colorem exhibet flamma ſpiritus vini accenſi. Idem demonſtrat color cæruleus, in eius diſſolutione cum alcali volatili ortus, ut & lamina ferri, quæ inde cuprea reddebatur. Parva tamen quantitate hoc metallum ei ineſſe videtur. Alumen, ope acidi Vitrioli inde productum, præſentiam demonſtrat terræ aluminoſæ.

Cryſtalli fila ſerica referentes tandem oſtendunt, hanc materiam etiam continere terram vitreſcibilem.

Ex hiſce experimentis concludo, ortam eſſe materiam hancce e pyrite aluminoſo-vitriolico, cui inſignis copia ſulphuris ineſt. Ex his, ope alicuius liquidi inflammatis, diſſipatis per violentiam ignis principio ſulphureo & acido minerali, in prædicto pyrite latitantibus, reſiduoque dein ope ignis fuſo, accedente Quartzo, inſimul in maſſa iſta notato, orta eſt vitri ſpecies.

Hæc mea coniectura probatur per inflammationem ſatis aliunde cognitam, maſſæ cuiusdam ex commixtione ferri & ſulphuris, accedente pauca aqua, brevi temporis intervallo oborientem.

(*Pariſiis Halam miſſæ d.* 19. *Mart.* 1764.)

*OBSER-*

## OBSERVATIO LVIII.

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

### *Icteri, a calculis in veſica fellea orti, curatio.*

Georgius Baglivius Medicorum Italorum, Coi veſtigiis inſiſtentium ornamentum, omiſſa curatione Icteri, a variis aliis cauſſis originem trahentis, ſpeciatim ſigna eiusdem, a calculo veſicæ felleæ, vel a bile vappida, viſcida & inerti, aut ab acri tenui bile producti, ſatis eleganter expoſuit, his verbis *a*): *Si icterus ſemel curatus denuo ac ſæpius recidivet, ſignum eſt infallibile, oriri a calculo veſicæ fellis*; & iterum *b*): *in cadavere Ictericorum obſervantur, vel bilis viſcida amurcæ ſimilis, vel calculi in veſica fellis.* Operæ proinde pretium duxi, in medium proferre curationem Icteri, a calculis veſiculæ fellis orti, a Medicorum & Archiatrorum, ſi praxin ſpectes, longe feliciſſimo, *Rüdigero S. R. I. Equite de* Westhoven, olim peractam. Laurea Doctorali recens ornato mihi, quum per Tremoniam ante hos tres & quadraginta annos iter faciendum eſſet, dicta in urbe imperiali multis efferri laudibus audio curationem Iudicis, dicto malo adfecti, haud ita longe ab hoc loco habitantis, ſanati per remedia a nominato Avo meo materno, ætatem venerando, transmiſſa, lapillis, quod in miris habebant, per inferius guttur excretis, aliorum Medicorum opera antehac fruſtranea. Igitur, ut iuniorem Medicum decet, ſingulares curationes ſciendi cupiditate flagrans, Hammonam redux, extemplo inſpicio formulas medicas, quæ ſequentes erant: 1) Rec. Aqu. anſerin. ſaxifrag. fœnicul. ana ℥iiß. Spirit. fragor. ℥vj. iuniper. ℥ß. Eſſ. heder. terreſtr. ʒij. anod. ʒj. M. 2) Rec. Spir. Salis rectif. ℥v. Spir. Sal. ammon. ℥j. Extract. papav. errat. ℈ß. M. S. Tinctura, de qua xx-xxv. guttæ cum libra cereviſiæ ſemper miſceantur. His remediis conſumtis,

*a*) In Operib. omnib. p. m. 83. *b*) loc. citat.

ſumtis, ſequens vinum medicatum præſcriptum eſt: Rec. Rad. chelidon. mai. ℥vj rub. tinct. ℥v. Zedoar. ʒij. leviſtic. ℥iß. herb. pulmonar. quern. Mij. flor. centaur. min. hepatic. ana Mß. hyperic. p. ij. ſemin. cannab. aquileg. ana ℥ij. anis. Carvi ana ℥iß. aloës ſuccotrin. myrrh. rubr. elect. ana ℥ij. rhabarb. ver. elect. ʒvj. Croc. ʒj. Conc. & cont. M. D. in Cilicio.

Quicunque reputat ſecum, quæ *Theodorus* ZWINGERUS profert in *Theatro praxeos Medicæ c*), quod, cum iam per triginta annos Praxi medicæ operam dediſſet *d*), typis demum exſcribi curavit, ubi hunc in modum, poſtquam de calculo in genere & de calculo veſicæ more ſuo, id eſt, eleganter diſſeruit, *calculus*, inquit, *veſicæ fellis*, *vel aliarum etiam partium, eandem quidem geneſin habent*, *ſed non pariter ita cognoſcuntur*, *ac eapropter peculiarem curandi methodum hactenus non impetrarunt. Naturæ res minus probe cognita committitur:* is profecto Bagliviana & Weſthoviana adducta non in ſiniſtram, ſed meliorem interpretans partem, ulteriori perneceſſariæ, quoad eius fieri poteſt, ſignorum & curationis inquiſitioni, ſedulam merito navabit operam.

## *OBSERVATIO LIX.*

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

### *Paralyſis pedum, a partus doloribus, procul dubio minus bene adminiſtratis, curata.*

Olim proficiſcenti mihi cum Avo materno, cuius honorificam ex merito in antecedente Obſervatione feci mentionem, in prædium, quod habebat, nobile, *Goy* dictum, obviam ipſi procedit eius quæſtor, coniuge, qua ſede ſedebat, immota ſedente. Miratus, fœminam iuvenem, roſeo, pleno belloque vultu

*c*) Edit. Baſil. 1710. p. 168. *d*) Id quod videre licet in Dedicatione huic Operi præmiſſa.

vultu ſanitatem ipſam, ut ita dicam, ita repræſentantem, ut eius imago nulla alia repræſentatione melius exprimi potuiſſet, ſellæ adfixam manere, ſermonibus ultro citroque habitis, tandem quid cauſſæ ſit audio, nimirum, cum propinqua ei adpeteret partitudo, partus dolores, lumbos pariter atque pedes occupantes, adeo graviter eandem adflixiſſe, ut ægre, partu edito, pedibus inſiſtere, & claudicans ægrius ex eo tempore procedere potuerit. Quum illo tempore nondum Praxi medicæ, recenti laurea Doctorali redimitus, vacarem, curioſitate ductus, formulam præſcriptam medicam inſpicio, & unicum hoc oleum invenio: Rec. Galbanet. Paracelſ. ʒij. ol. deſtill. aneth. ʒj. de quo duodecim guttæ, vel cum oleo Lini bene calido, vel cum ſpiritu vini vulgari, optimo cum ſucceſſu, lumbis ut illinerentur iuſſum fuit, id quod tunc temporis mirum mihi viſum. Maior autem me inceſſit admiratio, poſtquam certior factus fui, hoc unico remedio pedes priſtino officio reſtitutos fuiſſe.

Breviſſima & tam efficax curandi ratio digna eſt, ut opinor, quæ cum aliis communicata in publicum prodeat. An autem, quam hoc oleum efficaciam, eminentiori certe in gradu calidum, in ſubiecto ſucculento ſanguineo exhibuit, eandem haud ſecus præſtet in corpore ſtrictioris habitus, cui ſiccitas caliditasque eſt, qui experimenta ambigua capere non amo, dicere haud auſim. Hæc de claudicatione ſcribenti, ſuccurrit memorabilis locus Ciceronis, qui ita ſe habet e): *Athenis laudamus Vulcanum Deum, quem fecit Alcamenes, in quo ſtante, & veſtito leniter, apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de Vulcano ſic accepimus.* Ut ſibi aliisque hæc aliaque de Diis allata perſuadeat tam diſſertus Orator, quam ſapiens, quod ad cetera pertinet, Philoſophus, paulo ante is ipſe ita: *Non*

e) In Operib. omnib. a *Dionyſ.* Gothofredo edit. Tom. IV. p. 287. Lib. I. de Natura Deorum.

*Non perdet igitur Phyſicum, id eſt, ſpeculatorem venatoremque Naturæ, ab animis conſuetudine imbutis petere teſtimonium veritatis.* Quis credat, in ſtante, &, ut apparet, non eunte Vulcano, claudicationem non deformem? quis non amet hic curatam in homine claudicationem magis, modumque curandi, quam fictitium claudum Deum? qualis haud deformis claudicatio, ab animo præconcepta opinione non imbuto, concipi poteſt? quem vere Phyſicum, ſeu ſpeculatorem venatoremque naturæ, ut verbis Tullianis utar, non pudebit, re recta rationis lance ponderata, in rebus minoris, nedum maioris momenti, divinis iuxta ac humanis, ab animis conſuetudine imbutis petere teſtimonium veritatis? Sed dandum eſt aliquid, variis idolorum cultibus diſtracto CICERONI, eiusque animo denſiſſimis hinc tenebris involuto, æternæ, quæ nobis adfulſit, veritatis Chriſtianæ luce carenti, qua, habita temporis, quo vixit, ratione, frui ei haud licuit. Itaque in tam bono, iuſti & æqui ſervantiſſimo laudatiſſimoque cetera viro, iſthoc magis miſerandum, quam mirandum & culpandum. Sed hæc velut in tranſcurſu.

## *OBSERVATIO LX.*

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

### *Fluor albus, cum aſcaridibus ani, uteri putatitiis, poſt puerperium.*

Telæ, quam cum Weſthovianis exorſus ſum, nunc qualiacunque mea contexam. Infimæ ſortis vir Waldeccenſis, die 21. Martii 1760. me conveniens, in hunc modum me alloquitur: Duodecima iam agitur puerperii uxoris meæ ſeptimana. Octavo die foras prodiit, puerculum ſuum quæſitum, ex eo ſtatim correpta fuit fluore albo, non ceſſante iuſto puerperii ac conſueto purgationis uterinæ tempore, ſed per id tempus continuante, interne pariter atque externe muliebria adgrediente & excoriante.

coriante. Sub emiſſione laticis urinoſi multus dolor, haud dubie ea ex cauſſa eſt, eius tamen incontinentia haud laborat, & quod demiror, multi vermiculi, eorum æmuli, qui in caſeis reperiuntur, ex interioribus arvi muliebris prodeunt. Hæc ille.

Equidem non ſum neſcius, ut alia loca Ephemeridum Naturæ Curioſorum in præſenti tacitus prætercam, *Mauritium* HOFFMANNUM *f*) obſervaſſe, Mercatoris Norici coniugem anno quadrageſimo quarto cum inſigni pruritu plurimos candidos vermiculos, aſcarides dictos, quotidie per muliebre pudendum excreviſſe, mox intereuntes, quorum ulteriorem proventum iniectiones uterinæ amaræ, ex decocto Colocynthidis paratæ, dein prohibuerint. Neque me fugiebat, quod ad ſpeciales Obſervatores attinet, primi quondam nominis Practicum *Baldaſſ.* TIMÆUM *a* GÜLDENKLEE *g*), iuſſu *Torquati de Comitibus*, ſummi militiæ Cæſareæ Præfecti, præſente cum illo ipſo, tum Chiliarcha *de Goldrein*, Domino *Wallenſteinio* iuniore, D. *Egidio von der Myle*, aliisque pluribus, ob animantis ſpem, extemplo poſt mortem ſectione inſtituta, nihil in utero muliebri inveniſſe, præter mucoſum quid, & ingentem aſcaridum viventium, hinc inde obreptantium, copiam. Exiſtentia proinde aſcaridum uteri, mihi inde a longo tempore extra omnem dubitationis aleam poſita, tot teſtibus præſentibus, in raris tamen habenda eſt. Eam ob cauſam iterum atque iterum quæro, an certo ſciat, hos vermiculos ex parte, qua mulier eſt, non vero ex inteſtino recto, cui alias & ſæpius inſident, prorepere. Ille iſthoc etiam atque etiam, ceu antea factum, adfirmat. Hinc ſequentem præſcribo formulam medicam, maiorem in modum ſimul imperans, ut partem adfectam ſuis, non alienis uſurpet oculis: Rec. Rad. Ialapp. reſinos. Magneſ. alb. optim. ana ℈iij. Mercur. dulc. bene ppt. ℈j. M. F. pulvis, de quo primo, & deinde quarto

Mm 2 quovis

*f*) Centur. IX. & X. p. 458.

*g*) Caſ. medicinal. Lib. IV. Caſ. VI.

quovis die drachma miſceatur cum pauca aquæ calidæ quantitate, & primo mane exhibeatur, dehinc per trium horarum intervallum nihil cibi, poſtea vero cremor hordei, cum leni continuatoque motu, in uſum trahatur. Cum hoc ſimul alterum coniunxi remedium: Rec. Raſ. lign. Saſſafr. rad. bardan. alth. ana ℥ij. liquirit. ℥ß. herb. Veronic. Mij. rutæ murar. flor. hyperic. ana Mß. Inciſ. & contuſ. M. F. Species pro decocto, de quibus, quavis die, qua laxationi alvi non vacat, tria cochlearia plena miſceantur cum duabus libris aquæ ferventis, hisque per bihorium cineribus calidis impoſitis, dein percolatis, tribus vicibus, nimirum hora quarta, quinta & ſexta matutina, hanc quantitatem aſſumat, ad horam octavam usque calide cubando. Tertium remedium ſequens erat: Rec. Succin. ppt. ℥ß. Myrrh. rubr. elect. Matr. perlar. ppt. ana ʒij. M. F. Pulvis, de quo drachma dimidia cubitum ituræ detur, cum tranſpiratione nocturna aucta. Ceterum auctor fui, ut herb. Veron. Miß. & ſummit. Centaur. min. Mj. cum aquæ ſ. q. ad remanentiam libr. j. decoctis, externe calidiuſcule cum ſpongia linteisve duplicatis in uſum vocaret. His factis, maritus rediens nunciavit, quod ſub uſu remediorum primis diebus fluor albus incrementa ceperit, procedente vero tempore hic ipſe ſenſim imminutus fuerit, medicamentis vero conſumtis plane ceſſaverit. At vero, metaſtaſi forte humoris ſeroſo-pituitoſo-acris, non penitus eliminati facta, ceſſationem fluoris albi excepit dolor in genu ſiniſtri pedis, itemque in inferiore eius articulatione, & ſub poſteriore plantæ parte, ut ſurgens pedi inſiſtere haud valuerit, ſub quo incommodo id erat memorabile, quod quo magis ægra pede, moleſtia ſibi facta, incedebat, eo minora erant dolorum tormenta, & eo melius incedere potuit. Ob rem anguſtam domi, remedium commendavi ex herb. Betonic. & Trifol. fibrin. ana Mj. cum aquæ libr. V. decoquendis, quo Decocto, cum regimine blando ſudorifero, iuſta doſi mane ſumto, ceſſat & hoc, quod ægre tulit, malum.

Quod

Quod vero ad aſcarides attinet, exhibito pulvere laxante bis terve largius depoſuiſſe alvum, de uxore ad me referebat memoratus maritus, ipſas vero feces alvinas indefinito numero puſillorum vermiculorum, quaſi multo ſemine, conſperſas infectasque fuiſſe, nihil vero horum ex matrice prodiiſſe oculata fide adfirmabat. Ex quo patet, hanc fœminam iuvenem, ſanguineo-phlegmatico habitu, eximiaque pulcritudine præditam, aſcaridibus uteri non laboraſſe. Non minus vel inde diſpaleſcit, caute & cogitate, in rarioribus inprimis phænomenis, rem medicam tractandam eſſe. Liceat proinde verba CICERONIS hic mea facere, qui non minus ſcite, quam vere inquit: *Nervi atque artus ſapientiæ ſunt, non temere credere;* & quæ hanc in rem habet PLAUTUS: *Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.*

## *OBSERVATIO LXI.*

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

### *Lochia ſuppreſſa cum delirio ſummo, & clamore continuo curata, cum cautelis quibusdam, in medela febrium acutarum gentis ruſticae heic locorum obſervandis.*

Qui iuxta mecum malorum lernam [illegible] nimum perpendit, ortum & originem a Lochiis ſuppreſſis ducentem, lectis non una alterave, ſed variis obſervationibus, ſimulque ſerio animadvertit, quæ longa dies in praxi diuturna docuit: is haud dubie in meliorem interpretabitur partem varias, pro variis circumſtantiis, cum republica medica a bonæ mentis Medicis tum communicatas, tum in poſterum communicandas obſervationes. Oedipo namque non opus, ſed ſcitu facile eſt, quum in his febris purpurata, in illis diarrhœa, in iſtis uteri inflammatio, gangræna, ſphacelus, in aliis febres malignæ, ipſæque petechiæ, ventris

ventris tumor, ulcerationes, ſtrangulationes uteri, melancholia, quid? quod mania, phrenitis, epilepſia, alia, ex hoc fonte prodierint, unam eandemque medelam non quadrare. Levia ſubinde ſunt viſa, quum ſuppreſſioni purgationis uterinæ a partu, anſam præbeant, lentor humorum, a ſiccioribus, fumo induratis, pituitoſis cibis, tempore graviditatis copioſius in uſum vocatis productus, his, ut plerumque fit, iuncto motus defectu, & parco potu, quibus cauſis antecedentibus terror, iracundia, potus frigidus fœtu vix enixo, pedum aliarumque partium poſt partum refrigeratio, iuſte accenſentur; aſt, maiorem in modum omnino optandum eſſet, cum in tempore venire omnium rerum primum ſit, ut his aliisque cauſſis evitatis, tam diris debite obviam eatur malis.

Aliis alia in præſenti relinquens, ne multus videar, ſequentem tantum exhibebo obſervationem. Puerpera, ruſtici Haſſiaci uxor, die quinto puerperii, tertio menſis Septembris 1759. noctis hora duodecima ceſſantibus lochiis, eadem fere hora corripitur delirio ſummo, cum continuo clamore ſudoreque, ex lecto ſimul proſilire geſtiens. Maritus, terrore & mœrore adfectus, primo mane iter huc feſtinans ingreditur, & me accedens, urinam offert valde turbidam ſine ſedimento. Mente volvens & revolvens ſingula, ſequentia præſcribo, pharmacopolæ tradenda: 1.) Rec. Mixtur. ſimplic. ℥iij. D. ad Vitr. & exhibeantur undecim guttæ matutino tempore hora quarta & quinta, non minus hora ſecunda pomeridiana, inſtillatæ largiori aquæ tepidæ hauſtui, id quod ſemper urgeo, ne caput petant, ſed in deſtinata ſolum loca agant, reſolvendo, aperiendo, leniter pellendo, tranſpirationem, non ſudorem, in parciori hac doſi promovendo, & hac ratione orgaſmum ſanguinis impediant, non augeant. 2.) Rec. Succin. præp. Nitr. antimoniat. Matr. perl. præp. ana ʒij. Cinnab. nat. opt. ℈j. M. F. Pulv. divid. in 6. p. æqu. de quo tertia cuiusq; doſeos pars ſumatur tertia quavis hora cum quatuor cochlea-

cochlearibus aquæ temperate calidæ, pariter ad promovendam lenem tranſpirationem. 3.) Rec. Rad. rub. tinct. ℥j. Herb. anagall. flor. phœnic. flor. bellid. atrorubent. ana Mß. Sem. aneth. Nitr. antimoniat. ſoluti & adſperſi ana ʒij. Inciſ. & contuſ. M. F. Species, de quibus tria cochlearia plena iniiciantur aquæ ferventis libr. iß. his arenæ calidæ per horam impoſitis, hora poſt pulveris uſum de eo calidiuſcule nonnihil adſumatur, eum in modum, ut tota illa quantitas intra nychthemerum abſumatur. Abeunti auctor atque ſuaſor eram, ut quantocius Venæſectio in pede inſtituatur, quæ eodem adhuc die adminiſtrata eſt, dum pagus, in quo degebat ægra, trium tantum horarum noſtrarum ſpatio Frideslaria aberat. Paucis diebus interiectis, quidam ægram vitam cum morte commutaſſe, unus item & alter eam adhuc in vivis eſſe, adfirmabant. At vero menſe Decembri frater mariti germanus, me inviſens, negabat non ſolum ægram vivere deſiiſſe, ceu in vulgus emanarat, verum etiam inſimul eandem, vena extemplo ſecta, & remediis præſcriptis vix ad dimidium conſumtis, cum priſtina valetudine in gratiam rediiſſe, & nunc optime ſe habere, fidem faciebat.

Lochiis ſuppreſſis, Practicorum alios, ventilationem ſanguinis artificialem non admittere, alios eam laudare, me quidem non latet: at enim vero, licet litem hanc meam non faciam, id tamen adfirmare poſſum, cum in memorata ægra, tum in aliis, utilitate ſua eam haud caruiſſe. Quæ olim Wildungæ hoc in adfectu, me in Haſſos ægrorum cauſa vocato, cum epilepticis motibus conflictabatur plethorica, Venæſectione a me commendata in pede, iis ſimul præſcriptis, quæ lochia ducunt, quibus ſociata erant quæ anti-epileptica audiunt, ſatis cito priſtinæ reſtituta eſt valetudini. Illuſtri loco natæ, ſanguiſugæ muliebribus cum cautela applicatæ, datis ſimul ſtatui & temperamento convenientibus, magno fuere emolumento. Si qualiscunque

cunque mea ſententia dicenda eſt, quo citius hic Venæſectio inſtituitur, eo melior mihi videtur, in ſtatu plethorico puta, ſanguine imprimis ſpiſſitudine ſimul laborante, viribus conſtantibus, ſi calor maior, quam malignitas eſt, & ſic in reliquis. Ubi vero inde oriunda inflammatio uteri, vel aliorum viſcerum, nimia cepit incrementa, in gangrænam ſphacelumve procedens, viribus fatiſcentibus, petechiis, febre purpurata alba, vel alius claſſis maligna, præſentibus, mea ſaltem ex mente ægris, adſtantibus & iudicio Medici relinquenda res eſt. Verum enim vero neceſſe eſt, ut ſtatim Venæſectioni coniungamus & ſubordinemus, quæ craſſo lentoque ſanguini attenuando, & ad loca uterina leniter promovendo apta nata ſunt. Hoc ergo ſcopo fluida, eaque largiori copia exhibita, decocta & infuſa theeformia, niſi inflammatio, quæ altiores paulo iam egit radices, id ipſum inhibeat, palmam tali in ſtatu aliis remediis præripiunt, motibus febrilibus, aliisque ſymptomatibus, proſpiciendo aliis remediis. Eam ob cauſam præter iuſcula, inprimis gallinacea, ter de die ſumta, in cibis haud facile quid admitto. Hinc commendo, multum ſubcalidæ cereviſiæ ſecundariæ bene coctæ, minus vero lupulatæ, neque recentis, neque acris, multo minus acidæ, uſum. Et cum hæc paucioribus data ſit, loco cereviſiæ ſecundariæ ſuadeo, infuſi Theæ ſic dictæ viridis, leviſſime extractæ, absque ſaccharo liberalem hauſtum.

Non poſſum, quin hic commemorem caſum, quem militiæ præfectus, conſiſtentis ætatis, mecum rheda publica ante quatuor & quadraginta annos vectus, mihi enarravit his verbis: Pes meus graviſſima inflammatione tentatus, eo proceſſit, ut omnes negarent Chirurgi, me ſine amputatione vivis ulterius intereſſe poſſe. Audito hoc, me libentius moriturum, quam pedis amputationem admiſſurum, reſpondeo, illisque abeuntibus, prognoſi relictus, aſſidue haurio infuſum foliorum Theæ viridis ad ſex & decem libras, per diem & noctem continuando,

cum

cum diapnoë, unde ſolo hoc uſu factum eſt, ut, pede reſtituto, ceu vides, optime me habeam. Huic ergo, quam ſæpius nominavi, ægræ & inde a longo tempore plurimis dyſentericis, pleuriticis, eryſipelate laborantibus, verbo, quibus vel metuenda, vel præſens eſt, cum interna, tum externa inflammatio, ſuaſi Theæ viridis, dicto modo in uſum vocatæ, ſufficientem potum, datis ſimul aliis convenientibus, optimo cum ſucceſſu.

Redeo in viam. Imminente hoc in morbo forſan inflammatione uteri, duas Camphoræ minutim conciſæ drachmas, cum manipulis quinque florum ſambuci & uno florum Chamomillæ mixtas, ſacculo lineo, traiectis ordine filis firmato, ut contenta æqualiter diſtribuantur, incluſas, regioni uterinæ & confiniis ſæpe cum euphoria applicari iuſſi, latere, ubi madet, cum altero mutato.

Animadverſione forte non ſolum id haud indignum eſt, quod lunare ſequioris ſexus tributum, quæſtione facta, conſiderataque eius duratione & quantitate ordinaria, Medicum quaſi manu ducat ad id, quod hoc illove in ſubiecto agendum, & utrum plus, an minus, per brevius vel longius dierum intervallum lochia promovenda ſint; ſed hoc etiam notaſſe iuvabit, quod iuxta mecum obſtetrices ſæpe obſervarunt, pauperculacularum lochialem fluxum, niſi acriore ſint ſanguine, neque tam diuturnum, neque tam largum, quam fœmellarum divitum, eſſe; & licet, ſi aliquamdiu fuerint lecto detentæ, non ſufficiens videatur, rationi tamen conſentaneum eſſe, abſentibus iis, quæ a morbo ſunt, non tam pellere, quam expectare lenem motum, iuſtis diebus poſt puerperium exactis, quoniam tunc per talem motum illum rediiſſe ſæpiuſcule compertum eſt. De reliquo, quum iterum atque iterum obſervaverim, crocum, fluxu menſtruo imminuto, hunc ordinarie quidem provocaſſe, in nonnullis autem, rariori licet exemplo, contrarium egiſſe, proinde niſi ea de re certus iam antea ſim, lochiis imminutis, nedum ſuppreſſis,

neque crocum pulveribus immiſcere, neque alia quacunque forma eo uti ſoleo.

*Bernh.* RAMAZZINI, in egregio illo Libro, quem de *Morbis artificum & opificum* edidit, varia memoratu digna de morbis ruſticorum publici uſus fecit *b*). At vero ſilentii peplo involuta videas ſtragulorum in morbis illorum acutis haud exiguum curationis impedimentum, forte, ut ſuſpicor, eam ob cauſam, quod calidior cœli Italicis in oris temperies, ſtragula plumis anſerinis farta non æque admittat, quibus, ut craſſa minerva ſapientes ſunt, heic locorum longe lateque, nullo leviorum delectu, hyeme pariter atque æſtate utuntur. Sane hæc ipſa ſcopo præſervatorio huius commatis hominibus uſui eſſent, & autumno ſe in hyemem præcipitante & in hyeme præcipue ipſa, & primo vere, morbis epidemicis inprimis graſſantibus, quum aër frigidus, nebuloſus, humidus, illorum, ut fit, infeſtat corpora, accedente præcipue noxio, quo ſubinde labori vacant, nocturno cœlo. Tum ſane commode in uſum vocarent, proxime dicta calidiora lecti tegumenta, eliminandis eorum ope noxiis, ſi modo poſtea ruri eſſent bene veſtiti, poris cutaneis adhuc patulis. At enim vero, quod iis in more poſitum eſt, quum in morbis inflammatoriis, tam internis, quam externis, ſtragulis plumaceis anſerinis utantur, quæ, quo lautioris in egeſtate fortunæ ſunt ruricolæ, eo craſſiora ſibi comparant, magnum valetudinis, quid? quod vitæ detrimentum ineunt, tam ſi horum patientes ſunt, quam ſi, caloris impatientes, iis abiectis, lodice ſe tantum lineo, vel nullo tegunt, tranſpiratione prorſus inhibita, id quod ſæpiſſime obſervavi. Sane, plus ſimplici vice perhibui, quod ægrotæ ſtragulum, quo tecta erat, plumaceum, neci certiſſime fuiſſet, ſanguine lochiali tam cito, cum tanto delirio & clamore, in cerebrum translato, niſi maritus, de ſtragulo laneo, & moderato fornacis calore, in quibus utrisque hoc genus

*b*) Cap. 40.

genus hominum plerumque vel excedit, vel deficit, monitus, morem geſſiſſet. Aureum illud quod HIPPOCRATES *Lib. de affection.* habet, monitum: *interrogare oportet*, ſi unquam, certe apud ruſticam gentem, magni uſus eſt. Audies, quod in morbis fere quibuslibet acutis, ſaltem non in dyſenteria, magnam potulentorum frigidiorum copiam, ægri & ægræ ingurgitent, aërique frigido frequenter ſe exponant, utrumque ut calorem temperent nimium. Hic certe, ut fidem habeant, multa opus eſt demonſtratione, augeri hac ratione, non vero minui magnum illum, qui eosdem male habet, æſtum, dum nempe per potum leniter calidum a centro ad peripheriam corporis non promovetur, ſed per frigida pocula magis concentratur, pori vero cutanei, numero indefiniti, uſu autem maximi, occluduntur, per quos alias, ceu per tot portulas apertas, proſcribenda eſſet ſubtilis pariter atque hoſtilis orgaſtica ſulphureo-ſalina excrementitia materia, tali ratione per aërem & potum frigidum retenta.

Non minus quoque apud maximam huius farinæ hominum partem, moris eſt, ut in dyſenteria, febribus aliis ardentibus, verbo contagioſis morbis, quamvis vel unus tantum ægritudinis cauſa decumbat, tamen noctu eodem lecto teneantur ſani ſanæque; unde non poteſt non fieri, ut ex ordine citra neceſſitatem ægrotent ſæpe omnes, huius periculi vel ignari, vel incurii, ni ſerio moneantur. Ad huius mali cumulum accedit, quod ægrotantium cubilia & hypocauſta baccis iuniperi, quibus fere abundant, aliisque quæ ad manum ſunt, non ſuffumigent in morbis, quos dixi, contagioſis. Ubi tandem, bonis avibus, melioris valetudinis ſpes adfulgere incipit, appetitu, ut fieri conſuevit, aucto, cibis liberius illico indulgent, cum moderata potius quantitas, in dies lento gradu augenda, viſcerum viribus, per morbum fractis debilitatisque, adſumenda eſſet, unde fit, ut, congeſtis indigeſtis, in morbum priſtinum denuo in-

 cidant.

cidant. Dictorum fidem multis poſſem firmare exemplis; at vero, ne longo ſermone Lectores morer, id mihi tantum in præſens dabo negotii, ut, de quo ultimo egi, unicum tantum caſum in medium adducam. Ruſticus ille Haſſiacus, qui ter febrem recidivam ardentem paſſus fuit, meumque auxilium imploravit, haud ita pridem me conveniens, adfirmabat, veritati conſentaneum fuiſſe id, quod tunc de cibo nimio, potu aëreque frigido citius quam par fuerat admiſſis, monuerim: hinc, convenienter ſumtis remediis, dictisque ſimul obtemperantem, priſtinæ ſanitati ſe reſtitutum eſſe, quæ per plures annos integra hactenus manſiſſet; iam autem quum ex ira tacita cum ictero flavo conflictaretur, iterum coactum eſſe, ut meum rogaret auxilium. Interim hac occaſione id forte adhuc de eo memoratu haud indignum eſt, quod, iuxta relationem ſuam, quod adhibitis ipſi præſcriptis remediis, ſub vehementi delirio, non æque in parotidibus, ſicuti alias ſolemne eſt, ſed in gena ſiniſtra, prope aurem tumor inflammatorius obortus fuerit, quo brevi poſt ad ſuppurationem deducto, evacuatoque multo pure, feliciter convaluerit.

De reliquo, cum noſtrates ruſtici propriis ſaltem in tuguriolis decumbant, a Medicis remoti, raro autem vel nunquam hos accerſant, qui proinde ægrotantes inviſere non poſſunt, ſecus ac ſe res habet cum meſſoribus Romam in Xenodochia delatis, teſte ſupra citato Ramazzini, adeoque hac in re noſtra praxis alia quam Italorum ſit; ideo pauciora hæc de ruſticorum noſtrorum morbis meminiſſe, niſi me coniectura fallit, ex uſu erit cordatioribus, inprimis cum ſicco, quod aiunt, pede hæc ipſa præterierit ſæpius laudatus Ramazzini. Miſeret me ſortis ruſticorum, hinc, ne quid intermiſſum a me duritie immiſericorditerque videatur, hæc qualiacunque hic ſubiungere placuit. Bonæ mentis Magnates iuxta ac Medici, non tam Turni, quam ruſticorum, morbis adflictorum, ſortem miſerantur iniquam.

# OBSERVATIO LXII.

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

### *Vomitus cruentus curatus.*

Fœmina melancholico-cholerica, quam animarum paſtor Haſſiacus in matrimonio habet, audito nuncio, maritum, qui fidem pro fratre interpoſuerat, cauſa cecidiſſe, atque idcirco ipſi, ceu prædi, debitum haud exiguum ſolvendum eſſe, tum temporis purgatione menſtrua laborans, gravi corripitur tam terrore quam iracundia, ſubſiſtente protinus exinde prædicto illo fluxu. Gravem ergo hanc turbationem, quum brevi poſt exciperet vomitus cruentus, maior illam invaſit terror, eaque propter me cum marito hic loci convenit, malo ſuo medelam quæſitura. Expoſitis ergo prædictis circumſtantiis, ſequentia eidem præſcripſi: 1) Rec. Rhabarb. ver. elect. ℈ij. Magneſ. alb. opt. Lapid. cancr. ppt. ana gr. xv. M. F. Pulvis, primo mane debito cum regimine aſſumendus. 2) Rec. Rad. rub. tinct. ℥ij. Herb. rut. murar. flor. bellid. ruberr. ana Mj. ſummitat. millefol. alb. p. ij. flor. hyperic. p. j. ſemin. aneth. ʒj. Conc. & cont. F. ſpecies, de quibus, ſumto laxante, diebus poſteris hora quarta & ſeptima matutina, quinta vero pomeridiana & nona veſpertina, dimidia uncia cum aquæ ferventis libra per quadrantem horæ infundatur & calide aſſumatur. 3) Rec. Lapid. cancr. præp. ʒij. rad. Zedoar. ʒj. M. F. Pulv. divid. in 3. part. æqu. & dein tertia cuiusvis doſeos pars cum cochleari iuſculi mane hora 4. & 7. ac veſpertino tempore hor. 9. ſumatur, ſubiuncto prædicto infuſo, maneatque ſimul in lecto ad horam usque octavam matutinam. 4) Rec. Flor. bellid. ruberr. Miß. Inciſ. coquantur cum libris quatuor aquæ, ut tria circiter pondo remaneant. De hoc decocto leniter calido bibat ægra ſubinde, prodeuntibus menſibus, quamdiu fluunt, per biduum vel triduum.

His die 14. Auguſti 1749. præſcriptis, ac a pharmacopola paratis, eodem menſe literæ ab ægræ marito mihi reddebantur, ſequentis tenoris: Alvo per laxans aperta, die 18. Auguſti venæſectio commendata in pede inſtituta fuit, quoniam tributum lunare die 20. vel 21. huius Menſis ſolvendum fuiſſet, id quod etiam, remediis allegatis in uſum vocatis, denuo comparuit die 20. Auguſti; hacque excretione, more alias conſueto, per biduum continuante, ſatis bene ſe habuit, ſi excipias, quod die 27. Auguſti aquei quid evomuerit, illico hunc vomitum excipiente diarrhœa fere 24. horarum, per quam multum pituitæ evacuatum fuit. His adde, quod de debilitate ventriculi conqueratur, de ructibus & ventre ſubinde a flatibus tumido. Itaque, purgatione menſtrua finita, intermediis diebus pulveres duos laxantes, aucta ſolum rhabarbari quantitate, ſcopo ſanguinem, in ventriculo congrumatum forſitan hærentem, abſtergendi & evacuandi, præſcripſi, ventriculo & abdomini non eſſentiis carminativis, in tali ſtatu noxiis, ſed ſequenti proſpexi unguento, quo regio ſcrobiculi cordis & umbilici inungi deberet: Rec. Ol. Nuc. moſchat. expr. ſtomach. Craton. ana ℥iß. deſtill. Menth. gtt. xx. Speciebus pro Infuſo theeformi adieci radicem polypodii, & ſemen anethi, atque ſex doſes pulverum ex rad. Zedoar. & Lapid. cancr. eodem ordine ſex diebus ante conſuetum tempus menſium aſſumere iuſſi, iisdem autem prodeuntibus, infuſum theeforme, ut antea, ex floribus bellidis ruberr. paratum, addito ſemine anethi, ut augeatur fluxus, prout res poſtulaverit, largius ſumendum commendavi. His remediis in uſum vocatis, ſanguinis vomitus ceſſavit, nec unquam rediit. Notandum autem eſt, ſanguinem, quo fœminæ per menſes exſolvuntur, ex eo tempore rite prodiiſſe, iuſto ſimul obſervato regimine diætetico, adeoque vel inde eluceſcit Hippocratici effati veritas *i*): *Mulieri ſanguinem vomitione reiicienti, menſtruis erumpentibus ſolutio fit.*

Ne

*i*) Sect. V. Aphoriſm. 32.

Ne vero cruentus eiusmodi vomitus habitualis evadat, utpote cuius tunc difficilior eſt curatio, tempeſtiva opus eſt præſervatione. Rogato idcirco a me conſilio, imminente novo menſium recurſu, hanc excretionem dicta methodo ante omnia promovendam eſſe iudicabam, hocque ſcopo bina vice ex voto obtento, res in ſalvo erat. Nullo cum animi deliquio, ſolemni alias ſymptomate, ſub hoc morbo & adhibita methodo, conflictata fuit ægrota, dum Bellidis flores, qui primas fere inter vegetabilia ſanguinem ſtagnantem reſolventia ducunt, cum aliis in hunc ſcopum, quæ oſculis apertis debentur, coniuncti, large in uſum tracti fuerunt. Mature hic facto opus eſſe, ſuadent præterea alia in aliis ægrotis obſervata ſymptomata, febris, ventriculi inflammatio, ulcus, reliqua, ipſeque ſæpius accedens lethalis eiusmodi cruenti vomitus eventus, quæ omnia averruncavit hæc accelerata, ſecura, & naturæ rei congrua, ſi dicere fas eſt, methodus.

*Philippus Hœchſtetterus*, Auguſtanus quondam Medicus, patriæ Phyſicus, virginem ſiſtit *k*), vomitu ſanguinis ex menſibus ſuppreſſis laborantem, copioſo, grumoſo, lobos hepatis referente periculoſo, in quo caſu vomitus brodium gallinarum & cibum aſſumtum ſemper ſequebatur, vinum ordinarie in ſtomacho aceſcebat, cereviſia contra, quam cum adpetitu hauſit, absque incommodo in illo retinebatur, ubi ſequentia, quæ habet, verba notatu digna videntur: *Sectione denique venæ in talo, poſt quinquemeſtre ſanguinem menſtruum provocare volui, quia eundem in corpore ſano ſuperfluum humorem ſciveram eſſe. Virginis autem noſtræ corpus inappetentia & parco cibo abſumtum, repletione prius, quam evacuatione opus habuit. Fruſtra enim evacuari tentatur abſens.* Hæc ergo ut vera ſunt, ita pro faciliori ac citiori obtinenda curatione ut innui, ex uſu erit Venæſectio provida, iuſto tempore in pede

*k*) *Rarar. Obſervation. medicinal Decad. II. Caſ. VI. pag. 166.* quem doctum fuiſſe Medicum, ſatis docent Scholia caſibus ſubiuncta.

pede inſtituta, antequam per diuturniorem cunctationem, per febrem, inediam, nimium ſanguinis vomitum, purpureus iſte latex nimium imminutus, & antequam eo redactus eſt ſtatus, ut artificialis illa excretio minoris efficaciæ ſit, quando nimirum vomitus cruentus iam in conſuetudinem abiit.

Ex Benivenio refert *Iohann.* Langius *l*), mulierem Florentinam, quum intolerabili capitis dolore ex retentione menſium adfligeretur, his vomitu eiectis convaluiſſe, & ne morbus iterum recrudeſceret, ſaphænæ ſectione ſibi caviſſe; quod exemplum autem forte magis obſervationis, quam imitationis eſt. Ad me quod attinet, curationem graviſſimi iſtius doloris ſoli ſanguinis ſpontaneo vomitui, & unicæ ſectioni ſaphænæ non æque committerem. Interim quod idem in ſenum utriusque ſexus corporibus accidat, & Langio, & mihi admiratione non caret; adfirmat nempe, Abbatiſſam quandam, quæ 58. annum ſuperaverat, quum tuſſiret, & circa hypochondria quotannis dolore citra febrem corriperetur, copioſi ſanguinis ſpontaneo vomitu a morbo liberatam fuiſſe. Civem quoque Heidelbergenſem fere ſeptuagenarium, cum magnis circa præcordia torminibus excruciaretur, repente noctu ſanguinis plusquam libram evomuiſſe & convaluiſſe. Et de his pendeo animi, quamdiu ſanitas

*l*) *Medicinal. Epiſtol. 40. p. m. 143. 144.* In fronte primæ harum Epiſtolarum editionis, Baſileæ 1554. per Io. Oporinum typis exſcriptæ, mei exemplaris, litteris antique ſcriptis ſequentia adiuncta lego: *Multa ex Symphoriani ſcriptis mutuatus, ut ex collatione patet legenti.* An hoc ita ſe habeat, videant Criticorum filii, & qui literatiſſimi libris recenſendis navant operam, verbo, quorum intereſt. Qui Symphoriani ſcripta, quod ingenue præ me fero, neque vidi, neque legi, iſthoc negare vel adfirmare non auſim. Undecunque interim *Ioh.* Langius ſua hauſerit, haſce tamen Epiſtolas varia, multa ac recondita eruditione refertas eſſe, nemo eruditorum, cui mens ſana in corpore ſano eſt, inficias ibit.

nitas duraverit? niſi poſtea vel obſtructioni vaſorum, vel viſceri, vel, ſi quæ fuit, plethoræ, vel omnibus proſpectum fuerit.

## *OBSERVATIO LXIII.*

## Dn. D. RÜDIGER. FRIDER. OVELGÜN.

De

## *Alvi deiectione infantum virideſcente, viridi, & perviridi.*

Non eſt, ut is, cui animus eſt, ægris utilem navare operam, nova usque crepet, vel ſequatur (quamquam novitatis, natura avidos homines dicat PLINIUS), & inſimul fumoſas ampullaceasque ſesquipedalibus licet verbis ornatas, verius oneratas, vel ſpecioſis at fictis rationum momentis munitas hypotheſes, rei novitate perculſus, ſpargat. Hæ namque ubi gratiam novitatis exuerunt, rem medicam non innovaſſe, non reformaſſe, ſed deformaſſe magnam partem viſæ ſunt. Priſca vetuſtas, & iunior ætas, ut hæc ipſa ingenioſa mentis commenta primum ſuſpexit, ita, poſtero tempore, ceu nullius uſus, deſpexit. Maioris longe utilitatis, meo ſaltem arbitratu, eſt, ſusque deque habitis, qui ampullantur in arte, novitatis laudem non venari, venerari vero auguſte ſancteque cum veterum, tum recentiorum veritati conſentanea placita, ea novis obſervationibus firmare, & ne vel novandi ſtudio, vel vetuſtate exoleſcant, denuo in apricum proferre. In præſenti hunc in finem adducam duntaxat, quæ *Franciſcus de le Boe* SYLVIUS *m)* de alvi deie-

*m) Prax. medic. lib. IV. Tract. I. Cap. III. in 12.* Librum primum Praxeos in hac forma ipſe SYLVIUS vulgavit, omnibus Poteſtatibus in Europa chriſtiana ſupremis dicatum, Lugduni Batavorum 1671. *Iuſtus* vero SCHRADERUS, quem Editorem teſtamento deſignaverat,

deiectione infantum virideſcente poſteritati reliquit, hæc ipſa nonnullis obſervationibus practicis explanatius confirmaturus atque definiturus. Itaque SYLVIUS 1) *deiectio hæc*, inquit, *plerumque coniuncta habet ventris tormina, & admodum raro ſine his occurrit;* 2) non dubitamus aſſerere, ortum habere notatam alvi deiectionem virideſcentem a bile, ab acido acri corrupta, & in virorem deducta; 3) notandum, quod a paucis obſervatum exiſtimo, excrementa non raro reiici albeſcentia, ſed quæ paulo poſt virorem notatum acquirunt; 4) bili colorem ſuum debere excrementa, ex naturali fecum alvinarum colore patet; 5) acido deberi viridem colorem, patet partim ex acido odore, ſemper ipſi comite, partim ex bilis mutatione in colorem viridem

rat, reliquorum Praxeos librorum SYLVIUS, poſteris annis typis exſcribi curavit Amſtelodami librum ſecundum & tertium, quibus addidit quartum. Sin autem librum hunc quartum, in binis aliis, quas poſſideo, editionibus quærere animus eſt, quarum prior, ſub inſcriptione editionis alteræ Operum, edita eſt Amſtelodami 1680. in 4. poſterior vero Traiecti ad Rhenum 1695. excuſa, eadem forma, operam perdes. Interim & in hac, & in illa editione, in forma, ut aiunt, quarta, omnia, quæ continet liber quartus SCHRADERI, poſt librum Praxeos tertium *Appendici* inſerta videas. E re erit monuiſſe, primam, eamque Sylvianam & Schraderianam editionem, carere decem Diſputationibus, Methodi medendi libris tribus, in qua methodo non eſt forte, quod deſideres, ſi excipias, quod ad finem deducta non ſit, deinde dictatis ad C. BARTHOLINI Inſtitutiones anatomicas, Oratione inaugurali, Theſibus de medicamentis chymicis, Epiſtola apologetica, Oratione de affectu epidemio Leidenſi, & Oratione in Auctoris obitum funebri. Ut autem his non deſtituta eſt, editio proxime dicta Traiectina: ita eam tantum non poſt Indicem auctam videre licet Caſibus medicinalibus, ſeu hiſtoriis ægrotorum, cura *Ioachimi* MERIANI. Quum non cuivis, qui libris medicis recenſendis operam dat, tres Operum Viri huius laudatiſſimi, in praxi certe quondam feliciſſimi, editiones ad manus ſint, in eorum ſaltem & iuniorum gratiam hæc dicta ſunto.

dem a quibusdam, non tamen omnibus acidis, facta; 6) curatio conſiſtit in acidi contemperatione & correctione, quae poſtulat ſimul enemata blanda, ſi feces duriores, aut magis glutinoſae fuerint, aut ſi in iis obſervatur acrimonia mordax, lac bubulum, addito ovi vitello, & terebinthina Veneta, proficiet.

Nunc autem ad noſtra erit progrediendum. Aliquot ſeptimanarum infantulus ruſticae Waldeccenſis, quem primo partu enixa erat, alvo officii memore, deponit excrementa, Solini voce, intervirentia, colore namque erant magnam partem naturali, intermixto viridi, quo viſo, mater, quae antea deſiderio & uſu acidorum tenebatur, ea vitare apud animum ſtatuit, & reapſe vitat. Dum haec cum excretionibus ita ſe habent, maritus uxori in mandatis dat, ut certo tempore in agro ſe conveniat, hocque ſerius, quam iuſſum erat, facto, iunior, harum proinde rerum minus gnarus ruſticus, acerbioribus verbis ruſticatim in foeminam invehitur. Lactans in iram effuſa, domum extemplo petit, & ignara noxaeque ſecura, lactenti lac praebet nociturum. Haud ita multo poſt, patrem anxium inceſſit cupido viſendi infantem, hincque citius ſolito redit domum. Tum vero facies illius ita immutata viſa, ut non amplius, quae erant eius verba, noſceret infantulum ſuum. Terrore perculſus citato gradu iter ingreditur, & appropinquante nocte huc venit.

Equidem non ſum neſcius, quid ſibi velit, ſi lactenti, viridia per alvum excernenti, ſubito mamma praebetur, animo lactantis ira vehementer concitato, ſequente inprimis dehinc tam ſubita faciei commutatione, ut neque vultus, neque color infanti conſtiterit. Tunc lactare & mactare fere unum idemque eſt, lacte prius non emulcto, neque exhibitis antea, quae huc conducunt: nihilo minus, precibus commotus, has praeſcripſi formulas medicas, & quidem uxori in iram admodum

 pro-

pronæ, ſequentem pulverem: Rec. Rhabarb. ver. elect. ʒß. Magneſ. alb. opt. ℈j. rad. Ialapp. reſinoſ. gr. xij. Cinnab. nat. optim. gr. ij. M. F. Pulvis, quem, ut primum demum redierit, conſueto cum regimine ſumat. Infanti autem a pharmacopola præparari ſequentia iubeo: Rec. Syrup. de cichor. cum rhab. ℥ß. qui una vice, altero die poſtquam matri ducta fuit alvus, in uſum trahatur; interea temporis ſtatim uſui ſint, quæ ſequuntur: Rec. Lap. cancr. præp. ℈ij. rad. Irid. Flor. ℈j. Succin. præp. pulv. Marchion. Cinnab. nat. opt. Semin. aniſ. ana ℈ß. M. F. Pulvis, de quo præbeantur quovis bihorio grana quatuor cum Syrupo violarum, cuius ſimul duas uncias præſcripſeram, excepto die, quo alvus ducitur infanti, decumbat inſuper per horam in leni calore, & per id temporis a lacte aliove nutrimento abſtineat. Rec. Ol. infuſ. Chamom. ℥j. ſtomach. Craton. ℥ß. de eo quantum ſufficit, prius calefacto, illinatur præcipue regio ſcrobiculi cordis & umbilicalis, tum totum quoque abdomen, calefacta manu dein diligenter infricandum, deſuper impoſitis linteis calidis. Maiorem vero in modum inculcavi, ut confeſtim infantem per duos tresve dies lactandum det mulieri optima valetudine utenti, neque mater ei antea mammam præbeat, quam & hæc, & puſillus æger noxios per inferius guttur reddiderit humores; deinde id ſibi negotii datum exiſtimet maritus, ut animum uxoris mulceat, & ira compoſita, illa ipſa in poſterum talem animi commotionem evitet, acidaque cane peius & angue fugiat. Vix triduo exacto, ruſticus rediens, conſilium remediaque ad miraculum bene feciſſe adſeverabat, id unum excipiens, tenellum ſibi videri ſiti auctiori laborare. Auctor idcirco eram, ut lac cum æquali quantitate aquæ miſtum coquat, addita parca quantitate ſeminis aniſi contuſi & ſacchari, ut & coagulationi, & ſapori & ſiti conſulatur, qui in lacte materno, in ſtatu ſecundum naturam, alio lacte paulo dulcior perhibetur, omni autem opera adnitendum eſſe, ut lac nunquam frigidum, ob metuendum ſingultum, alia-

que

que incommoda, ſed ſemper calore & ſapore lacti materno naturali æmulo, detur

Quamvis autem hæc curatio ſat brevis fuerit, tamen, quæ moleſtiæ ſubinde occurrant, matre & graviditatis & lactationis tempore iræ acidisque indulgente, fœtuque hinc viridia, quid? quod viridiſſima excernente, vix dici poteſt. Sæpe hinc videas, flatus, tormina fere continua, inflammationem inteſtinorum, mortem. Tardius aliquando, ut communiter fit, mihi ad exteros vocato, contigit obſervare, rariſſimo haud dubie exemplo, infantem Nobilem paucis ante mortem horis viridiſſima, absque ullis excrementis, per alvum reddidiſſe, matre nimis ſecura, viridium, longo ante tempore, ſine febre aliisque ſymptomatibus, per alvum cum fecibus prodeuntium, excretionem flocci faciente, huiusque rei ignorantiam obtendente. Interim hoc ita a me animadverſum malum non cum SYLVIO virideſcens, vel ſubviride, aut intervirens, ſed vel perviride, vel potius, ſicuti indigitavi, viridiſſimum, ſupremumque hut ius morbi gradum verius dixerim. In votis mihi tunc erat, u ad hunc unicum filiolum ſanandum non tam ſero accerſitus fuiſſem. CICERONIS eſt: *errorem pene cum lacte nutricis ſuxiſſe videmur.* Hic puſillus, ſpes familiæ, non errorem, ſed virorem, & tantum non mortem cum lacte nutricis iracundæ non ſuxiſſe viſus fuit, ſed revera ſuxit. Hanc citius vocatus, cum alia & meliori mutari curaſſem.

Haud ſecus quoque hoc animadverſionem mereri videtur, peſſimo in loco rem eſſe, ubi virgo, a teneris acidorum uſu, ex conſuetudine plurimarum, delectata, matrimonio inito, ſuique iuris facta, liberius iis indulget, cholericoque temperamento prædita, dominium ambit, marito eiusdem temperamenti, non minus dominatum affectante. Sub his circumſtantiis, quum ira, acidorum uſui accedens, mox premitur, mox concitatur, non mirum eſt, pœnam neceſſario luere fœtum pri-

mo editum per omne lactationis tempus, ſequentibus autem liberis, quum deprehenderet, primogeniti nece victoriam domeſticam ſtetiſſe, magnam partem meliori ſorte gaudentibus. Quanta tunc felicitas! ſi Cedro digna verba PLATONIS primum omnium curæ cordique habuiſſent; ſunt autem hæc: *Præcipua & optima victoriarum omnium eſt, ſi ſeipſum quis vincat: turpiſſimum vero quiddam & peſſimum, ſi a ſe ipſo quis vincatur.* Sed ſurdis hic plerumque tamdiu narratur fabula, donec experientia fidem faciat. Memini interim, me hoc in caſu felicem tamen obtinuiſſe curationem, ſed non ſine magno tædio, per ſatis longum nempe primi fœtus lactationis tempus, medicina mentis, quod mearum erat partium, & regimine diætetico ſerio inculcatis, quali cum effectu, facile ex ſuperioribus hariolari licet. Formulæ medicæ erant ſequentes, & quidem pro infante: Rec. Rad. Irid. Florent. Lapid. cancr. præp. ana ʒj. pulv. March. Specif. cephal. Mich. ana ℈ß. M. Rec. Ungu. dialth. Ol. chamom. ana ℥j. hyperic. ʒiiß. philoſoph. ℈iv. M. D. pro inunctione abdominis. Rec. Rad. Jalapp. opt. ℈iv. Irid. Florent. Lap. cancr. præp. ana ℈j. M. F. Pulv. D. cum ſyrup. Viol. coniuncto motu leni & ieiunio duarum horarum, tot grana, quot laxationi ſufficiunt. Matri pariter bis quavis ſeptimana laxans præſcriptum eſt, diebus mediis edulcorantia, bilem corrigentia & præcipitantia, ex Magneſ. alb. Cryſtall. mont. Corall. rubr. Conchis præp. Cinnab. nativ. non minus diebus a laxatione vacuis Infuſum theeforme, ex radic. Chin. ponderoſ. Liquir. herb. Fumar. Veronic. Scabioſ. Semin. Aniſ. Fœnic. aliis. His eluctata eſt tandem puellula lactis difficultates; at enim, ne quid diſſimulem, aliquot annorum ſpatio interiecto, variolis confluentibus correpta, me non conſulto, vita deceſſit.

Qui nunc ſequitur, caſus complicatus eſt. Illuſtri loco nata, ex regione oriunda, ubi tantum non fere omnes, acidorum, ſalſorum, fumo induratorum, appetitu tenentur, eadem his ipſis dele-

delectata, nuptumque data eiusdem generis Iuveni, omni graviditatis tempore, dum ſub cœna vel carne agnina, vel hortorum lactuca cruda, aliisve acetariis, oleo olivarum & aceto, ex more, conditis, quamvis ſæpius a me dehortata, utitur, iram, quam non ſua, non mariti, ſed aliena culpa ſubibat, premit, renuente quamvis temperamento, tandem, Lucinas horas parum faventes experta, ægre partum edit, nihil non molientibus, me abſente, femellis præſentibus. Harum rerum haud rudis obſtetrix inſtans arreptumque caput trahere annititur, protrahere non poteſt, a manu ſemper ſe retrahens, quantumvis partus dolores per corroborantia ſuſcitati, fœtui enitendo ſufficere viderentur. Tandem mater mariti, longe optimi, in memoriam revocat, me ſibi olim fuiſſe auxilio in caſu ſimili, aliis incaſſum adhibitis, corde gallinæ nigræ diſcerptæ, quoad eius fieri poteſt, citiſſime filo traiecto & adhuc palpitante, ſiniſtro femori circumligato. Hoc facto, ut mihi venienti citoque rheda vecto narrabant, mox prodit in lucem fœtus, manuaria eadem opera antea fruſtra ab obſtetrice adhibita. Tum vero cauſſa difficilis partus omnium oculis uſurpata eſt. Viſebatur nempe collum tenelli ter funiculo umbilicali circumdatum, qui inſuper etiam unico circumflexu ambiebat ſcapulam. Coniectura facili quivis adſequitur, faciei colorem, ex ſtrangulatione inductum, ex nigricante fuſcum fuiſſe. Accedebat huic ſternutatio frequens, nares obſtructæ non humentes, difficilem ſpiritum trahentes, pulmones male habentes, ſingultus crebro repetitus, & quæ hæc magno cumulo augebant, tormina alvique deiectio viridis.

Quod ad infantem attinet, huic malorum acervo ſequentia a me oppoſita ſunt remedia, quæ ordine dicam; Tullio enim teſte, *affert maxime lumen memoriæ ordo.* (*a*) Die 12. Sept. 1763. Rec. Syrup. de cichor. c. rhabarb. ℥vj. porrigatur recens nato tribus doſibus, alternis fere diebus, cum regimine. (*b*) Rec. Rad. Irid. Florent. Semin. aniſ. Lap. cancr. præp. ana ℈ij. pulv. March.

March. Specif. ceph. Mich. Succin. ppt. ana ℈ß. M. F. Pulv. de quo 3. vel 4. grana ſæpius vel rarius per diem noctemque dentur, prout tormina & viridantes feces magis minusve urgent, per horam poſt quemvis uſum in cunis cubando. (*c*) Die 17. Sept. Rec. Ol. ſtomach. Craton. ℥j. cum quo leniter calefacto inungatur regio ſcrobiculi cordis. (*d*) Rec. Ol. chamom. Ungu. dialth. ana ℥j. D. ad inunctionem abdominis calidam, calefactis digitis fortius paulo inſtituendam. (*e*) Rec. Maſtich. in gran. elect. raſur. Succin. ana ʒß. flor. Roſ. atro-rubent. ʒij. F. Pulv. groſſior, pro fumigandis linteis capiti imponendis. (*f*) Rec. Aqu. flor. til. ℥vj. de qua parum calefiat, & ſequenti ſyrupo edulcoretur ad pulveris uſum. (*g*) Rec. Syrup. flor. til. recent. & optim. parat. ʒiij. Servetur in loco frigidiuſculo, non calido, ne fermentationem ſubeat. Die 23. Sept. (*h*) Rec. Mann. elect. ʒj. D. ad Chart. Rec. Aqu. flor. acac. ℥viij. Bis quavis ſeptimana ſolvendum in hac ipſa aliquid Mannæ, ut alvus bis terve ducatur. (*i*) Rec. Syrup. de Symphyt. Fernel. recent. & opt. parat. ℥vj. D. in Fict. & ſervetur cum cautela lit. *g* indicata, lambatque de eo ſubinde aliquid, minusve, pro rei neceſſitate. (*k*) Rec. Rad. Irid. Florent. ʒj. Lap. cancr. ppt. Spermat. cet. recent. ſaccharo trit. ana ℈j. Succin. ppt. Specif. ceph. Mich. ana gr. xij. M. F. Pulvis pectoralis, detur tribus quatuorve granis cum aqu. flor. acac. calidiuſcula & ſyrupo iam memorato. (*l*) Rec. Semin. aniſ. ʒvj. de eo contuſo in diem x-xx. grana lacti pultique ſubimmiſceantur. Die 26. Sept. (*m*) Syrup. de Cich. c. rhab. drachmæ tres propinatæ ſunt. Die 17. Octob. (*n*) pulvis [illegible] iteratus, unacum aqu. flor. acac. ſyrup. flor. til. & ſyrup. de Symphyt. Fernel. non minus etiam eodem die (*o*) Mann. elect. ℥ij. præſcriptæ ſunt, cum aqu. flor. acac. in dictum uſum, itemque ſyrup. capill. Vener. rec. parat. ʒiv. ac inſimul miſſus fuit pulvis laxans, ex Magneſ. alb. & rad. Ialapp. ana ℈ij. Iuſſi etiam, ut periculum facerent, utrum Manna, an pulvis laxans, melius conducat? negarunt hoc de pulvere laxan-

laxante, unde Manna ſola in uſum fuit tracta. (*p*) Rec. Ol. chamom. ℥j. philoſoph. ʒj. Ungu. dialth. ℥j. ad abdominis inunctionem. Die 2. Novemb. (*q*) Rec. Succin. præp. ʒj. rad. Irid. Florent. Matr. perl. præp. Specif. ceph. Mich. ana ℈j. F. Pulvis, cum aqu. flor. til. eiusque ſyrupo exhibendus, ad lenem madorem proliciendum, qui calidis linteis dein abſtergendus, & omnia capitis tegumenta, ad avertendum frigus pulvere ſub lit. e præſcripto fumiganda.

Quum vero, aliquando præſens, conſpicerem, obſtetricem lavare aqua frigida faciem pariter atque tempora infantis, in tanto rerum & capitis diſcrimine, id ipſum ſerio interdixi, quod etiam optime ceſſit. Per litteras, menſe Octobri deinde ad me datas, quamvis certior factus ſim, ægrum parvulum bene ſe habere, & per integram noctem ſomno indulgere, indeque omnes inſigni gaudio eſſe perfuſos, ſimul tamen percepi, & tum adhuc excrementa alvina prodire viridia, eaque odorem ſpirare valde acidum. Proinde ab inſtituto haud alienum duco, meminiſſe, quod brevi poſt ſignificatum mihi fuerit, infantem dato pulvere laxante lit. *o* inquietum valde redditum fuiſſe, & totam noctem inſomnem duxiſſe, quapropter, etſi Medicorum quondam Roſcium, G. W. WEDELIUM, ſæpius audiverim adfirmantem, Ialappa infantibus exhibita, opio quaſi dato hos conquieviſſe: tamen hoc in caſu deſtiti illius uſu, audito atque obſervato meliori Mannæ effectu. Denique non eſt, ut tacitus prætercam, pulverem ſub lit *b* ex animadverſione domeſticorum, ceteris pulveribus palmam præripuiſſe, eaque propter illius iterationem ſæpius fuiſſe petitam.

Quod ad nutricem attinet, cum ægrius ferret pulverem laxantem, ex Rhabarb. Magneſ. alb. rad. Ialapp. & Cinnab. nativa, ſubſtitui eidem ſequentes Pilulas: Rec. Extract. panchym. Croll. fumar. ana ʒj. ol. deſtill. anth. chamom. ana gtt. iij. F. Pil. ex ℈j. no. x. utatur iis quavis ſeptimana bis ad lenem laxatio-

tionem. Rec. Rad. pœon. mar. caryophyllat. bardan. ana j. ℥ trifol. fibr. liquirit. ana ℥ß. Herb. betonic. ſcabioſ. veronic. rut. murar. Flor. til. ana Mj. Semin. aniſ. fœnic. aquileg. ana ℥ß. Inciſ. & cont. M. F. Species, de quibus primo mane, & poſt prandium, hora quinta, die a laxatione vacua, cochleare plenum aquæ fervidæ per quadrantem horæ admiſceatur, hocque infuſum dein calide bibatur, appoſito ad mammas ſæpiuscule infantulo poſt horam unam alteramve. At vero cum parvulo noſtro debita lactis, vegeta quamvis eſſet nutrix, non ſufficeret copia, & is ipſe ſuctioni nocte dieque indulgeret, caloris interni æſtu afflictus, auctor eram, ut lac ſemine aniſi & ſaccharo alteratum in ſubſidium vocaretur. Lacte nutricis nihilo minus exhauſto, promoturus eiusdem ſecretionem & reſtitutionem, die 6. Octobr. ſequentem præſcripſi pulverem: Rec. Cryſtall. mont. præp. Lact. lun. lumbr. terreſtr. ppt. Semin. fœnic. ana ʒij. de quo mane, poſt meridiem & veſpertino tempore dimidiam drachmam, cum iuſculo, caperet, omiſſo ſimul poſt meridiem uſu infuſi theeformis, eiusque in locum eo tempore commendato frequentiore & largiore uſu cereviſiæ bene coctæ, defecatæ, minimeque acris & acidæ, itemque iuſculorum, mane, circa meridiem & veſpertino tempore aſſumendorum. Horum adminiculorum ope lactis copia brevi ita rediit, ut frequenti ſuctioni par fuerit.

Menſe Ianuario dein, me inſcio, puſio noſter rheda, optime quidem feneſtris munita, in aliam urbem, trium milliarium germanicorum intervallo a priori loco diſtantem defertur. Ego, ſi in conſilium vocatus fuiſſem, minime probaſſem iter, rigente horrido canoque menſe, & mugiente rauco aquilone inſtitutum. Nihilo minus parvulus, qui tunc temporis iam cum valetudine in gratiam redierat, bene ſe ex eo habuit, ita ut illo primis ſeptimanis, & dein hoc tempore viſo, prorſus alium puerulum dixiſſes. Feces alvinæ, quæ, ex Sylvii obſervatione,

ne, albeſcentes excretæ, paulo poſt tamen virorem in hoc morbo acquiſivere, experimento facto, in noſtro tunc fuere & manſere flavæ, molliorisque conſiſtentiæ, quam primum proſpera valetudine denuo uſus eſt, manifeſto documento, per remedia, & puſillo, & nutrici data, acidum bilioſum tantum non perdomitum & penitus deſtructum fuiſſe. Ceterum dum tritum ſermone proverbium eſt: *In bona cauſſa vel tria verba ſufficiunt;* hoc in morbo, quantumvis a plurimis magis adumbrato, quam expreſſo, ſi quid recte auguror, tres ſufficient obſervationes; quare, ne hac in re multus videar, deſino. Ceterum tanti operis erat, lento gradu in ultimo caſu procedendo, curationis tarditatem, ſanitatis conſummatæ lætitiæque bono compenſare ac lenire. Ex his haud ſecus patet, quanto nocumento ſit, ne quid de gravidis & lactantibus dicam, teneris præcipue lactentibus, acido iunctus trium litterarum tyrannus, *ira.*

(*Fritzlaria Halam miſſæ d.* 26. *Mart.* 1764.)

## *OBSERVATIO LXIV.*

## Dn. D. IOANN. GEORG. KILLMAR.

### *Spica ſecalina ex abſceſſu, in muſculis glutæis oborto, protracta.*

Iunius erat anni 1758, quo ad Virum vocabar, munere eorum, qui vectigalibus colligendis inſerviunt, fungentem. Sexagenarius erat, temperamenti ſanguineo-melancholici, vitæ compoſitæ, temperatæ & puræ maxime addictus. Aeger, dum accederem, lecto tenebatur, deque atrocibus circa ani ſphincterem doloribus, neque itum, neque ſeſſum concedentibus, conquerebatur. Ex ſymptomatum enumeratione (exactius enim ſcrutinium intempeſtivus pudor ægri renuebat) colligebam, molimina adeſſe hæmorrhoidalia. Commendabam idcirco medica-

dicamenta antiſpaſmodica & diſcutientia, curans ſimul, ut ſimilia remedia externe adplicarentur. Nullum vero hinc lenimen; dolores potius adeo increſcebant, ut ægrum ad accuratius permittendum examen cogerent. Eo demum inſtituto, circa orificium ani lateraliter, in muſculorum glutæorum regione, tumorem conſpiciebam, ovi gallinacei dimidium magnitudine & figura referentem, ſatisque valide inflammatum. Diſcuſſionem, ut mihi videbatur, recuſante inflammatione, ſuaſor eram, ut incipiens abſceſſus curæ Chirurgi committeretur, pro impetranda debita & plenaria eiusdem maturatione. Obtenta hac, ſatis ampla inciſione abſceſſum aperiendum curabam, ex quo materia purulenta, ſanguine tincta, effluebat. Vulneris poſtea, rite eodem antea deligato & mundificato, perfecta intendebatur conſolidatio. Hæc vero omni mea exſpectatione longius protrahebatur; per integros enim duos menſes ei operam dabat Chirurgus. Tandem autem, vulnere coëunte, voti compotes reddebamur. Verum nova tunc, ad duos circiter pollices a priori, ſumta laterali dimenſione, rubedo, muſculis glutæis quaſi inſiſtens, naſcebatur, cito ſatis in tumorem elevata, quæ novum indigitabat abſceſſum. Hic, ſimili ratione ad maturationem perductus citoque apertus, materiam ſanguine tinctam, ut fieri ſolet, eructabat. Vulneris conſolidatio æque, ut prioris, penitus nunc clauſi, difficilis erat. Specillo in auxilium vocato, varios detegebam ſinus. Quamobrem, ut ad fundum demum perveniremus, inciſionem ampliandam, magis profundam reddendam, congrueque explendam curabam. Elapſis aliquot diebus ad me accedens Chirurgus referebat, ſeſe in fundo cavitatis corpus quoddam acutum percipere, quod tamen oculis uſurpare non poſſet, ſenex enim erat, viſus acie quadantenus orbatus. Eodem ergo comitante ipſe ægrum viſitans vulnusque explorans, acutum illud, quod antea is perceperat, æque ſentiebam. Tandem alienum quid, cuſpidis acus inſtar, detegebam, quod for-

forcipe apprehenſum, extrahere cogitabam; aſt, reſiſtebat huic molimini immotumque manebat. Quum autem ſub ulteriori agitatione tandem quidquam me attrahere perciperem, ſurdus ad ægri eiulatus, id, quod apprehenderam, elabi nolebam. Corpore interea forcipem effugiente, ſanguis a vulnere abſtergebatur, omneque, quod nunc poteram, digitis corripiebam vulnereque educebam. Obſtupeſcens videbam, ariſtam eſſe, cuius partem inferiorem, qua nempe ſtipula erat abrupta, forcipe antea comprehenſam, digitis tenebam. Ablutam hanc ariſtam, cuius delineationem *Fig.* 1. *Tab. V.* minoresque particulas, ab eadem ſecedentes, litteræ *a. b. c. d.* ſiſtunt, mihi reſervabam, eamque, ceu veritatis teſtem, in Muſeo curioſo Academiæ aſſervandam communico. Vulnus, alieno hocce corpore extracto, facile conſolidationem admittebat. Aeger poſtea bene valebat, vitamque integram per quinque adhuc annos ducebat. Elapſo demum anno 1763. fato cedebat.

## *Scholium.*

Non deficiunt Obſervationes, huic ſimiles. In *Nov. litterar. Maris Balt. & Septentr. ann.* 1707. *Menſ. Mart. p.* 69. *ſeqq.* exemplum exſtat Spicæ ſecalis deglutitæ, & per apoſtema circa coſtas feliciter iterum egeſtæ. In *Miſcellan. phyſ. med. mathem.* olim a me editis, *ann.* 1729. *Menſ. Iul. pag.* 459. *ſeq.* refertur, ariſtam, in flore conſtitutam, ex infantis 18. hebdomadum latere mediante abſceſſu eductam fuiſſe. Clariſſ. VANDERMONDE in *Diario, ad artem ſalutarem, Chirurgiam, Pharmaciam, &c. pertinente,* (Journal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, &c.) *Tom. XI.* 1759. *M. Decemb. p.* 523. caſum exhibet de iuvene, qui, poſtquam diu de renum dolore & difficili mictione conqueſtus fuerat, tandem hordei ariſtam, quam meſſis tempore cum impura aqua forte ſe deglutiiſſe putavit, cum urina purulenta excrevit. Vid. *Commentar. de reb. in Scient. natur. & Med. geſt. Volum.*

*lum. XI. Part. II. pag.* 260. Nonnulla alia exempla, quæ ſimiles ariſtas deglutitas & poſtea ex abſceſſibus extractas ſiſtunt, ex aliis Auctoribus adducit Illuſtr. de HALLER, in *Elem. Phyſiol. Tom. I. pag.* 15. In omnibus hiſce exemplis (ſecundo ſaltem excepto, quod, cum pleniori teſtis fide digni teſtimonio minus confirmatum ſit, attentionem vix meretur) ariſta evacuata manifeſto antea erat deglutita. In præſenti vero caſu facta deglutitio ſpicæ verificari nequit. Quum enim hæc vix ſine incommodo quodam abſolvi potuerit: æger omnino, extracto corpore hocce peregrino, incommoda quædam, olim forſitan perpeſſa, certo certius in memoriam revocaſſet, niſi ſuſpicari velis, ariſtam in adeo tenera ægri ætate deglutitione intra corpus delatam fuiſſe, qua actorum minus conſcius eſſe potuerit, quod tamen, cum concipi nequeat, eiusmodi ſpicam ab illo tempore ad ſexageſimum usque annum non ſolum tranquille, ſed etiam absque emollitione corpori inhærere potuiſſe, omni probabilitate deſtituitur. Neque etiam ariſtæ huius generatio a ſemine quodam deglutito, aut aliunde corpori immiſſo, repeti debet. Vt enim omittam, ſemina in corpore humano, fluidis expoſita, adeo molleſcere, ut incrementum, quale fit in Naturæ regno, capere non poſſint; id tantum afferam, ariſtam ſine ſemine fuiſſe, quo, utpote alias perfecta, non deſtituta fuiſſet, ſi prædicta illa ſuppoſita ratione originem ſuam ſumſiſſet. Neque etiam per ſolas corporis ægri vires gigni potuit, cum æternæ ſint leges, quibus Natura quodlibet corpus adſtrinxit. Nil itaque reſtat, quam ut aſſumamus, ariſtam hancce mediante ſolutione quadam continui fuiſſe ſuſceptam, moreque multorum aliorum corporum abſceſſu iterum excluſam. Vero idcirco quam maxime ſimile eſt, ariſtam quandam, ſtragulo lecti inhærentem, abacta paulisper ligatura prioris abſceſſus, partem ſolutam ingreſſam eſſe, mora vero temporis, & imprimis deligatione ipſa profundius intruſam, viam ſibi ad regionem alterius abſceſſus ſtraviſſe, hicque inflammationem cum ſubſequente ſuppuratione produxiſſe.

xiſſe. Prior ſane abſceſſus ſine manifeſta cauſſa per ſatis longum temporis ſpatium omnem renuit conſolidationem, æque ut poſterior, cuius conſolidationi obicem ariſta ponebat. Nonne itaque ariſta priori etiam inexiſtere abſceſſui, & ab huius ad alterius locum abire potuit? Inquietudo præterea ægri ligaturam facile dimovere, imminuta vero Chirurgi viſus acies tam ligaturæ mutationem, levem fortaſſis, quam præſentiam corporis alieni, cavo illati, negligere potuit. Hæc ergo explicatio facti iſtius, quum morbi hiſtoriæ ſatis exacte reſpondeat, aliæ vero admitti non poſſint; plus certe, quam probabile eſt, ariſtam deſcripta ratione locum iſtum ingreſſam, & deinceps iterum inde expulſam fuiſſe.

A. E. Büchner.

## *OBSERVATIO LXV.*

## Dn. D. IOANN. GEORG. KILLMAR.

### *Caries laminæ ſuperioris Cranii, a gravi contuſione orta, poſt plurium annorum decurſum ſponte ſeparata feliciterque ſanata.*

Muſico, Legioni cuidam Dimachorum Boruſſicæ adſcripto, prioris belli Sileſiaci tempore, anno circiter 1745. dum prælium Hohenfriedbergenſe committitur, tam graviter contunditur caput, ut equo deiectus & proſtratus derelinqueretur. Inſtrumentum, quo facta eſt contuſio, exacte determinare neſcit, credit interim, viſum ſibi fuiſſe, ac ſi, tota certante & undique premente multitudine, hoſtilis gladii manubrium caput tudiſſet. Campo, in quo erat prælium initum, cum aliis abductus, ſanatur, atque per integros duos annos incolumis vivit. Poſtea vero gravibus ſæpius torquetur cephalalgiis, pedetentim increſcentibus, atque tumorem, dein evaneſcentem, relinquentibus.

tibus. Anno 1756. ipſi in hac urbe Portitoris munus conferebatur, ex quo tempore me plus vice ſimplici rogabat, ut ab illis vix tolerandis capitis doloribus ipſum liberarem. Adhibeo, quæ ars commendabat; ſed omnia incaſſum. Interea continuo me ſollicitabat, omittens & negligens vero id, quod ipſi in prælio Hohenfriedbergenſi acciderat. Mihi vero tumor tandem iſte, oſſi ſemper frontis, dum prædicti dolores abitum pararent, quaſi inhærens, ſingulare quidquam indicare videbatur. Quum ergo ſollicite in rem inquirerem, id demum relatum accipio, quod ipſi e tam longinquo tempore contigerat. Tumor equidem neque cœruleus, neque rubicundus adparebat, faciei potius colorem referebat; nihilo ſecius cauſam mali ſub eodem latitare, ex allatis concludere fas ducebam. Operationem idcirco commendabam, quam lubens concedebat æger, ſpe fretus, fore, ut tantis liberaretur doloribus. Ad duos itaque pollices tumorem incidendum curabam. Adparebat tunc ſtatim, cranii cariem adeſſe. Inciſio ergo continuabatur, usque dum foramen, quod oſſis medium oſtendit, ſatis diſtincte conſpiceretur. Feſtucæ, ſucceſſive ſeparatæ, eximebantur atque, an integra eſſet interior cranii lamella, inquirebatur. Poſtquam de eius integritate convictus eram, elevatorio & apta deligatione læſio mundificabatur, & morboſum a ſano ſeparabatur. Quum autem alio interea tempore elevatorii ope fortius paullo levarem laminam iſtam, fragorem percipiebam, atque ſub ſana cute os mobile & fluctuans quaſi videbam. Facta itaque verſus hanc partem inciſione, paucos intra dies hanc, quam Figuræ 2. & 3. Tab. V. tam quoad externam, quam internam faciem ſiſtunt, integram oſſis frontis particulam commode educere poteram. Quibus factis, & interiori lamella integra adhuc & ſana deprehenſa, eaque diligenter raſa & mundificata, conſolidatione præterea feliciter dein peracta, æger perfecte ſanabatur, qui, adhuc vivens, vitam ſine doloribus perfert,

## OBSERVATIO LXVI.

## Dn. D. IOANN. GEORG. KILLMAR.

*Calculus veſicæ exacte ſphæricus, granulis undiquaque obſitus, a Vetula ſexagenaria ſponte excretus.*

Mulier, ſexaginta & quod excurrit annos nata, de impedita vrinæ conquerebatur excretione. Magni aderant dolores, atque valde moleſti ad vrinam excernendam ſtimuli, præter paucas vero guttulas nihil excernebatur. Commendabam Saponem Venetum, in ſpiritu Vini ſolutum, cum Tinctura Tartari remixtum. Elapſis inde aliquot diebus exacte ſphæricum mihi mittebat calculum, quem ſub ſumma dolorum atrocia excreverat, cuiusque delineationem Fig. 4. Tab. V. ſiſtit. Ceſſabant hinc incommoda & dolorifica urinæ excretio. Semeſtre circiter elapſum eſt, ex quo hæc eveniebant. Calculus ipſe fuſcus erat, aut ſanguinis colorem referebat, inque tota ſua peripheria minoribus granulis prominentibus conveſtitus. Cultro eundem paullulum radebam, ut internam eius ſubſtantiam conſpicerem; hinc macula, quam inferius oſtendit, oborta eſt.

## OBSERVATIO LXVII.

## Dn. D. IOANN. GEORG. KILLMAR.

*Angina gravis, ab oſſiculo minori vervecino, in oeſophago ſub deglutitione reſtitante oborta, eiusdem reiectione feliciter curata.*

Ex urbanæ noſtræ Legionis Præfectibus quidam ante decem circiter annos me rogabat, ut Dimachum ſuæ cohortis, angina decumbentem, una cum Chirurgo ſupremo viſitarem &

ſanarem. Aderat faciei & colli tumor externus, os aperiri non poterat, lingua tumida, atque unacum partibus vicinis livida, conſpectui ſeſe offerebat; deglutitio plane erat ſuppreſſa, & reſpiratio adeo impedita, ut ſuffocatio proxime inſtare videretur. Tam gravi & periculoſae ergo ut occurreremus anginae, Venaeſectio plus vice ſimplici inſtituebatur, epithemata applicabantur, parvoque cochleari tam Syrupi refrigerantes & emollientes, quam nutrientia liquida, placide infundebantur. Demum Oxymel etiam ſquilliticum cum ſulphure Antimonii in uſum vocabam, ut mucus in faucibus accumulatus abſtergeretur, atque ſic inſpiratio liberior evaderet. Excitabantur hinc vomituritiones, ſummi vomendi conatus, quibus haud mediocris pituitae copia, cum ſtriis ſanguineis mixta, eructabatur, quam pelvi oblata exceptam, mihi venienti monſtrabant. Mixtum hocce diſquirens, video alienum quid pituitae inhaerere, quod extractum, delineatam Fig. 5. Tab. V. oſſeam monſtrabat feſtucam, quam vervecis eſſe iudicabam. Hoc facto angina diſparebat, ſimulque loquela & reſpiratio reſtituebantur.

Vt autem periculoſi huius morbi cauſſam exactius cognoſcerem, in varia diaetae & vitae regiminis aegri inquiro. Tandem comperio, aegrum ante aliquot hebdomades braſſicam albam, cum carne vervecina aſſumſiſſe, cibum huncce in fovea (noſtratibus *eine Grude* dicta) ideo adaptata, ut ollae latiori incluſa, ſtraminis ſucceſſive accenſi carbone percoquantur, valde emollitum fuiſſe: aegrum, fame cruciatum, eundem cochleatim ingurgitaſſe, atque hinc quidem preſſionem quandam in faucibus percepiſſe, minime vero ſuſpicatum fuiſſe, quod a braſſica comeſta illa provenerit. Adparebat interim, hancce feſtucam, oeſophago inhaerentem, ibidem ſubſtitiſſe, atque repetita ciborum aſſumtione & deglutitione, altius ſemper acuta ſua parte intruſam fuiſſe, ut tandem adeo periculoſam anginam, vomitu ſolutam, provocaverit.

(*Aſcania Halam miſſae d. 12. April. 1764.*)

OBSER-

# OBSERVATIO LXVIII.

## Dn. D. IOANN. CASPAR. SULZER.

### *Vomitus cruentus lethalis, a deglutito & ventriculum ſucceſſive fere perforante oſſiculo vervecino productus.*

Fœmina generoſæ ſtirpis, annor. 23. ſana, vegeta & obeſa, quæ, præter irregularitatem menſtruorum, utplurimum per 5. ad 10. dies retardantium, & præter dolores quosdam rhevmaticos, nihil habebat de quo conquereretur, die XIX. Decembris anni præteriti inter prandium os deglutiebat, cuius magnitudo & figura ignota erat. Oriebatur ſtatim metus ſuffocationis, hinc adſtantes omnes vires ad detrudendum hoc os intendebant, digitisque illud ad inferiora propellere nitebantur. Cedebat etiam iisdem hoc corpus, & magis deſcendebat, hinc libera reddebatur reſpiratio, &, ut eadem libertas deglutitioni accederet, portio magna panis vix maſticati cum butyro deglutiebatur. Libere etiam exinde nobilis hæc fœmina comedebat, &, præter levem inter deglutiendum dolorem, nihil mali ſentiebat. Chirurgus, poſt prandium advocatus, nullum malum inveniens, gargariſma ſaltem, ad leniendum dolorem œſophagi, dabat. Senſatio hæc dolorifica non impediebat cœnam, nec ſomnum prima nocte; manebat tamen illa, & ingraveſcebat tertio, & inprimis quarto die poſt os deglutitum, atque ita extendebatur, ut ſuperior pars totius pectoris & humeri dextri doleret, cum ſumma difficultate pauciſſima etiam liquida deglutiendi. Interim, præter relaxationem uvulæ & abundantiam muci, nihil in faucibus præternaturale erat conſpiciendum. Reſpiratio manebat libera, nocte inſequente dormiebat, dolores remittebant, ægra liquida cum minore difficultate deglutiebat, menſtrua tempore conſueto, ſexto die poſt os deglutitum, pro

 more

more largiter & per ſeptem dies fluebant, ægraque hinc ſemper ſe melius habebat, ſomnus erat naturalis, appetitus vigebat, ſolida deglutiebat, manebat ſolummodo dolor obtuſus in ſummo pectore & humero dextro, qui pro rhevmatico habebatur, ægraque valens & de nihilo conquerens ſana credebatur, quamquam ei mors tam cito inſtabat, ſenſationem tamen dolorificam veſperi tertio & ſecundo die ante obitum in faucibus percipiebat, ut & teneſmum, ſed ambo hæc ſaltem tranſitorie.

Die IVto Ianuarii a. c. evigilans, mane ſana viſa eſt, de nihilo conquerens; brevi vero poſt ſanguis ex naribus ſtillare incipiebat, cui ſtatim ſuccedebant, vomitus cruentus enormis, frequens, anxietates, frigus extremorum, animi deliquia. Inveniebatur inter grumos ſanguinis os die XIX. Decembr. antea deglutitum, ſumme fœtens, cui caro adhuc adhærebat, ut & inter carnem & ſubſtantiam oſſis naſturtium aquaticum, quocum caro cocta fuit & deglutita. Erat illud portio ſcapulæ vervecis, figura quadratum, oblongum, pollicem longitudine æquans, plane ſimile lapidi igniario, qui ſclopetis ſolvendis applicatur, habens partem elevatam craſſiorem, ſenſim dein decreſcens & in partem acutam deſinens, prout ex Fig. *6*. Tab. V. adparet. Reddebatur hoc os absque ſenſatione, haud dubie inſtante lipothymia & tempore relaxationis univerſalis. Poſt meridiem ceſſabat vomitus cruentus cum reliquis ſymptomatibus; ægra nihil mali ſentiebat, erat hilaris, atque verſus veſperam, non contenta liquidis, quibus ſolis nutriebatur, ſolida comedere deſiderabat, omniaque videbantur in ſtatu optimæ reconvaleſcentiæ; aſt, eheu! vix quinque minutis poſt horam octavam elapſis, redibant, vomitus cruentus, anxietates, lipothymiæ, motus ſpaſtici, & poſt nonam placida mors.

Inſtituta ſectione deprehendebantur cor & vaſa maiora adeo vacua, ut ſicciorem ſectionem nunquam viderim; e contrario

trario ventriculus & inteſtina tenuia aterrimo & copioſo ſanguine turgebant. Oeſophagus curioſe perluſtratus, præter ſiccitatem nihil præternaturale offerebat; ventriculus apertus monſtrabat tunicam villoſam ruberrimam, unico excepto fundo, qui in illa regione, quæ inſertioni œſophagi reſpondet, coloris quidem naturalis ad duos pollices erat, in eiusdem autem medio rima ſeu vulnus conſpiciebatur, duas tertias pollicis longitudine æquans, tunicas ſtomachi, ad extimam usque penetrans, quæ ultima iam adeo erat tenuis, ut ſub ſectione ſolo motu ventriculus laceraretur, ſubſequente ſanguinis, picis inſtar nigricantis, effuſione. Reſpondebat hoc vulnus parti acutæ oſſis deglutiti, ita ut dimidia præter propter pars hic infixa fuerit. Vulnus autem membranarum internarum multo erat grandius, quam externarum.

Circa hunc perquam memorabilem caſum, ſequentes nunc merito oriuntur quæſtiones: Quonam tempore os deglutitum in ventriculum deſcendit? Cur nullus in hoc adeo ſenſibili viſcere per totum tempus dolor, nulla quærela de vulnere, ſucceſſive per partem oſſis quaſi ſcindentem producto? Cur natura diluvium ſanguinis ad os eluendum præferebat vomitui poſt paſtum & potum? Sane non ex læſione arteriæ cuiusdam ſanguis viſus eſt veniſſe, ſed ex tota tunica villoſa.

Illo die, quo vomitus cruentus comparebat, iniecta enemata absque ſanguine reddebantur. Non febricitavit defuncta toto illo tempore poſt oſſis deglutitionem. Adeo exigua habuit vaſa venoſa, ut nunquam poſſibile fuerit venam in pedibus ſeu extremitatibus inferioribus ſecare, quod non fuiſſet mirandum tempore vomitus cruenti, ſed & nec diebus antecedentibus fieri id potuiſſet.

(*Gotha Halam miſſa d.* 20. *April.* 1764.)

## *OBSERVATIO LXIX.*

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

De

### *Obſtructione alvi, poſt illatas inteſtinis, per nimium niſum, iniurias.*

Communicavi ad Tom. II. novorum Actorum medico-phyſicorum Obſervationem de obſtructione alvi lethali; hac vice autem aliam de obſtructione alvi lethum minante dabo. Lethalis illa obſtructio, a niſu feminæ 63. annorum ortum ceperat, locando pondus aliquod de loco in alium, unde illa dolores in abdominis latere ſiniſtro ſenſerat, cum inſecuta alvi obſtructione. Sine dubio iam ante alvi laboraverat ſegnitie, & cum his ultimis, poſt movendi niſum diebus, etiam inteſtina cibis repleverat, unde nullum quoque remanebat dubium, illam, quam in colo deprehendebamus, fecum coacervationem, his, & præteritis diebus collectam fuiſſe. Quod autem omnia remedia, ad alvum ſolvendam & vitam conſervandam exhibita, prorſus irrita fuerint, non ſolum ſphacelatum & perforatum colon effecit, ſed & contorſio eiusdem verſus inteſtinum rectum. Dedimus tunc in prædicto Tomo pag. 209. deſcriptionem perfectam huius contorſionis; verum, quia chalcographus eandem in Tab. IV. Fig. 2. debite non expreſſit, ideo nunc altera vice melius exprimendam damus, quam Fig. 7. Tab. V. ſiſtit, ubi *a.* denotat inteſtinum colon, *b.* foramina illud perforantia, *c.* inteſtinum ileum, *d.* inteſtinum cœcum, *e.* contorſionem inteſtini coli, & *f.* inteſtinum rectum.

Aderat ſectioni vetulæ ſupra dictæ quidam, qui, multos poſt annos, & quidem ætatis 68. annorum, de loco, tres pedes alto, deſilire cupiebat, reformidabat autem hunc ſaltum, & vicinam contignationem manibus prehendens, corpus ad deſcenſum

ſum

ſum diſponebat, ut feliciter in pedibus erectus ſtaret. Sub hoc ſemiſaltu autem contorquebat ſiniſtrum abdominis latus, cum moleſta in eo ſenſatione. Hæc, licet in muſculis tantum notaretur, ob diuturniorem durationem tamen ipſi memoriam vetulæ refricat, & de iniuria colo inde inflicta ſemper cogitat. Si enim ex niſu corporis, ſub oneris remotione, colon contorqueri poteſt, quidni, quando colon per contorſionem abdominis, ſub deſcenſu factam, & per contorſionem muſculorum, quibus ſubiacet, pati debet? Accedit, quod ex illo tempore alvus ipſi ſegnior fuerit, & ſcybala dura, nucleos olivarum figura & magnitudine ſua vix ſuperantia, excluſerit, quam figuram a contorſione inteſtini coli habere putat æger, dum contorſionem permeant. Nunc vero, elapſis fere 12. annis, a facta contorſione corporis, perpetuo inobedientem habet alvum. Sentit aliquando in regione coli motum tremulum, aliquando refrigerium, aliquando etiam calorem. Hypogaſtrii inteſtina torminibus interdum vexantur levioribus, absque data, ab ingeſtis, cauſſa. Viget appetitus, bene ingerit, bene digerit, ſed vix egerit, niſi ſollicitata alvo per pilulas Stahlii, vel alias aloëticas, hora ante paſtum ſumtas, vel per Electuar. lenitiv. eodem tempore in uſum vocatum. Pilularum contra obſtructionem Halenſium aliquando tres, prima vice, adſumſit, cum prompto inſequente effectu; verum, cum ab illis feces explodi potius, quam deponi putabat, nunc vel aloëticis, numero VI. vel VII. vel Electuario familiarius utitur. A clyſteribus lenioribus, emollientibus, nullus effectus. Fortiores vitat, ut tono inteſtinorum parcat, nec inteſtinum rectum ad teneſmum magis invitet, qui iam per ſe ad ſellam ſæpe cogit, nil niſi flatus explodendo, qua actione autem illud ſimul colon in confinio ſuo contorquere poteſt; immo, hac actione, & perpetuo niſu, mucum proprium gelatinoſum extorquet, quem hæmorrhoides mucoſas appellare ſolent. Rarius per teneſmum paucæ ſanguinis guttulæ excernuntur. Ex muco autem illo ſæpius ipſi madidum

dum eſt ani orificium. Inteſtina roborare ſtudet paucis unciis vini Luſitanici, & potu frigidæ matutino ad fontem, ad unam, quin interdum duas libras, comedendo ſimul panem nigrum cum butyro, unde ipſi interdum mox alvi fit ſolutio. In victu oleracea, muria condita, optima ſunt, & cibi aceto conditi: interponit tamen illis aliquando bucculam carnis tenerioris fumatæ, quæ ipſi verum inteſtinorum & ventriculi amicum eſt tonicum; hæc enim caro ante paucos annos ſæpe largam ipſi præbebat, cum euphoria, cœnam, qualem tamen nunc averſatur, ob noctes inſequentes, infide ſomniferas.

Ob hanc inteſtinorum ſuorum præſumtam conditionem inquietus ſenex, tamen nec ceream flexilem, quali vetula illa in uſu habuit, nec faſcias, quas commendant *Ephemer. Nat. Cur. Cent. IX. & X. p.* 509. in auxilium vocat, niſi ſub ipſa alvi exoneratione, illa mediante hypochondria comprimendo, ad facilitandam alvi exonerationem, ſub niſu excretorio. Nam ad coli diſtenſionem, rupturam, vel contorſionem præcavendam nil faceret faſcia. Sæpius etiam felicius exonerat, quando ſub niſu ad exonerationem hypochondria ambabus comprimit manibus. Hac methodo reſpiratio ad niſum excretorium iuſte modificatur, & inteſtina ita coarctata, ſe invicem propius comprimendo & calefaciendo, motum communem periſtalticum augent, & ſic excretionem facilitant. Quia etiam ipſi aliquando, ſub alvi exoneratione levis lipothymia acceſſit (confer. *Tract. de Senio*, de Lipothymia), ſuaſi, ut ante alvi exonerationem guttas LX. LXX. Eſſ. aurant. ſumat, ad roborandos nervos, & motum periſtalticum inteſtinorum eo ipſo facilitandum. Interim, ſi forſan in tantum ſucceſſive formata fuerit præſumta coli contorſio, in perpetuo laxantium dictorum uſu ſpem ponit: quorum beneficio dum alvum apertam ſervant, ſpiritus eius vitalis per os inferius ſit viam inventurus, quando per ſupernas faucium vias animam ſit redditurus, ne hæc feces habeat comites, obſtructioni alvi lethali alias ſolitas.

OBSER-

## OBSERVATIO LXX.

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

### De

### *Melancholia ex inſomnio, cum inedia mortifera puellae XIV. annorum.*

Puella ruſtica, XIV. annorum, anno 1763. d. XIII. Iunii, ipſo ſuo die natalitio evigilans, abſona & incondita matri & fratri ſuis loquitur, & narrat. Stupent, mater & frater, de re valde inſolita, nihilominus tamen illam ad officium ſuum, pecora paſcendi, compellunt: fervor Solis autem horum dierum, & ſolitudo paſcuorum ſylveſtrium, amentiam puellæ in tantum augebant, ut conſultum iudicarent Paſtorem loci adire, & ab illo expetere, ut publicas preces pro liberanda ab hoc malo puella funderet. Elapſi iam erant XII. dies, in quibus malum augmentum ceperat, cum dicti puellæ propinqui, cum reliquis domeſticis, templum frequentandi gratia, foras iverant, puellam autem domi, & quidem iam per aliquot dies in camera clauſam, reliquerant. Data autem hac ipſi occaſione, conſilium effugiendi cepit, & redeuntibus ſuis vacuam reliquit domum. Hi itaque, poſtquam illam in vicinia ubique fruſtra quæſiverant, Paſtorem loci rurſus adeunt, petentes, ut in concione proxima fugam puellæ indicaret, ſi forte prædii inquilini & coloni illam viderent, ut reducerent. Die XXX. Iulii ruſticus quidam, alius prædii, fœnum ſecandi gratia, ſylvam, milliare a domicilio puellæ diſtantem, petit, ex improviſo autem perſonam quandam muliebrem, ad arborem demiſſis manibus ſtantem, videt; recordatur itaque puellæ, cuius in concione facta fuerat mentio, & in terram depoſita, quam in manu habebat, falce, ad illam properat: hæc, cum virum ad ſe properare videt, fugam adeo accelerat, ut illam aſſequi non potuerit.

rit. Redit itaque ruſticus domum, ſodalem adducturus, qui ſibi aſſiſteret, ut puellam capere poſſent, &, quo hanc regionem, absque errore, rurſus adire queat, ſigni loco falcem in terra relinquit. Ambo hi cum iam eſſent reverſi ad locum iſtum ſignatum, ecce! puella ad eandem arborem, & in eadem corporis poſitione illis apparet. Per inſidias & ambages illam capere tentant, ſicque feliciter capiunt, & domum reducunt.

Ab hoc tempore demum propinqui eius animadvertebant puellæ averſationem a cibo, quia omnem oblatum cibum, varias abſurdas cauſſas abſtinentiæ ſuæ allegans, recuſabat, adeo, ut probabiliter per omne abſentiæ tempus absque cibo quodam vixerit. Hac ex cauſſa frater eius illam ad prædii Dominum ducebat, cuius perſuaſionibus & comminationibus tantum tandem proficiebatur, ut hauſtus aliquot cereviſiæ ebiberet, & fruſtum panis comederet. Mox autem ad Paſtorem loci deducebatur, qui tandem per mille interrogationes omnem huius amentiæ originem detexit. Contemplatur prius faciem eius, in qua, non adeo emaciata, quam reliquum corpus, oculos tenebat clauſos, cum mento verſus pectus inclinato. Manus rugoſæ & coloris fuſci erant, & eiusdem coloris glebæ, ſicuti facies; digiti autem manuum præ debilitate vix erant mobiles. Ad parietem inclinata ſtabat eadem in poſitione, qua in ſylva viſa erat. Pulſus in carpo manus ægræ, præter opinionem explorantis, debilis erat, qui putabat in amentia fortem adeſſe debere. Frater ægræ rogabat Paſtorem, ut ſancta cruce illam ſignaret, id quod Paſtor recuſabat, quia ipſi notum erat, quod Lettica gens tali actui cum ſuperſtitione adhæreat, eiusque amplificatio fidei in Chriſtum amplificationi noceat. Preces potius ardentes, cum uxore propria, & cum ægræ fratre, ad omnipotentem Medicum pro ægra fundebat, & his peractis, quæſtiones ad ægram tranquillam dirigebat, quæ, quando reſpondere tentabat, os contorquebat, ſcapulas elevabat, & cum oculis nicti-

ctita-

ctitabat. His non obſtantibus tamen ſequentia ab illa expiſcabantur: Nocte XII. Iunii menſis ſe in ſocietate animarum maiorum ſuorum, ſomno mediante, fuiſſe, ibique magna voluptate fruitam eſſe, adeo, ut ab illis numquam ſeparari optaſſet; tunc unam animarum ipſi ſuaſiſſe, ut homines fugeret, & per annum a cibo & potu abſtineret remota in ſylva, tunc ſe numquam morituram, ſed ad extremum usque diem talem voluptatem, cum demortuis in converſatione manendi, capturam: uſum enim cibi & potus, & converſationem cum hominibus in cauſſa fuiſſe, quod ipſi ſint mortui. Ex his narratis ſuſpicio naſcebatur, puellam veſpera illa, quæ ante noctem ſomnii præceſſerat, forſan cum domeſticis collocutam fuiſſe de Dea quadam ſylvarum, de qua fabulas nectunt Letti, & quod hæc idea tale pepererit ſomnium; ſed huic ſuſpicioni contradicebat, prioribus inſiſtens, mandatum ipſi fuiſſe, ut per annum nihil ederet, & in ſylva in eadem corporis poſitione ſtaret, in qua præſens ſtabat.

Tandem experimentum captum, quantum ſalutis in hac melancholia fuſcus quidam ſalicis ſcarabæus afferre poſſit, qui in deliriis febrilibus cum ſucceſſu ſæpe fuit exhibitus. Collectus enim menſe Maio, & vivus in melle ſuffocatus, præſtantiſſimum evadit remedium, in deliriis, amentia & mania. Dandi ſunt ad ſummum duo, cum ipſo, quod illis adhæret, melle, in pane ab ægro devorandi, qui communiter ſufficiunt ad medelam. Hanc medicinam Paſtor ipſi offerebat; renuebat autem ſemper ægra, adeo, ut cum perſuaſiones apud illam nil valerent, iſti duo ſcarabæi, cereviſiæ commixti, ori eius violenter aperto infunderentur. Tradebantur præterea fratri eius adhuc duo ſcarabæi, quos ſequenti mane ſorori comedendos daret. Acta hæc ſunt die Iulii XXXImo. Poſtquam ægra die inſequente dictos ſcarabæos absque contradictione ſumſerat, ipſa domeſticos allocuta eſt, & parum cibi aſſumſit, & quidem ſub his bonis ſignis

permanſit usque ad XIV. Auguſti. Hoc die autem domeſtici omnes, meſſis inſtantis ergo, in diſtantes abeunt agros, & ægram, quia ipſi omnem fidem dare adhuc dubitant, ante abitum in camera quadam incarcerant. Iam ſoli ipſi priſtinæ reviviſcunt phantaſiæ, hinc tegmentum prius cameræ, poſt ipſius domus tectum ſtramineum perrumpit, & ſecunda vice evadit. Nova hæc fuga nova in concione publicatur, & ægra tandem die X. Septembris in alia regione, duobus milliaribus Livonicis a domicilio diſtante, in ſylva, eadem in corporis poſitione reperiebatur, adeo tamen per inediam valde emaciata & debilitata, ut, cum frater illam in domicilium ſuum deportare vellet, illa in eius ſinu exſpiraret. Hæc ex menſtrua noſtra ſchedula litteraria Rigenſi.

Addam ad huius facti meliorem cognitionem duos adhuc caſus: priorem apud nos obſervatum, alterum autem ex *Annalibus phyſico-med. Wratislavienſibus* depromtum.

Iuvenis annorum 26, habitus corporis, ut vocant, ſanguineo-melancholici, i. e. habitu corporis florido, ſanguineo, & moribus verecundis, comite taciturnitate præditus, cum fortuna ipſi adverſa fieret, adhuc magis cogitabundus & taciturnus factus, nocte quadam agnatum ſuum, ante paucos annos mortuum, in inſomnio habet apparentem, & quidem radiis beatitudinis cœleſtis cinctum præditumque. Ex hoc adhuc magis ſilens & cogitabundus factus, ſilentio quidem hoc nocturnum phantasma involvit, tanto magis autem illud in animo perpetuo volvit & revolvit, ſe per totum fere diem a ſuis ſeparans, & ſylvas pererrans, donec a ſuis increpatus, factam revelaret apparitionem. Mox autem, quæ per aliquot ſeptimanas aderat taciturnitas, in loquacitatem, & quidem cum aliquali audacia, mutabatur. Hæc vero iterum ſeveris ſuorum comminationibus cedebat, & æger verſus autumnum ad priſtinum tranquillum ſtatum revertebatur.

Puellæ

Puellæ nubili, dormienti & vigili, apparebat phantaſma, vetulam Lenam, ad illicitam venerem ſeductricem, repræſentans, & quidem tanta cum impreſſione, ut, cum aliquando cum matre ſua foras prodiret, hæc vetula ipſi in via appareret, matri inviſibilis, ut illa ideo a matre fugere tentaret. Paullo poſt autem, inſequens huius puellæ, absque mediatione alicuius vetulæ, facta impraegnatio docebat, unde hoc mirum & violentum phantaſma originem duxerat.

Tales apparitiones phantaſticæ communiter reſpectum habent ad præſentem œconomiam corporis. Hoc quidem in iuvene allegato evidenter non elucet, niſi forte incommodis ex hæmorrhoidibus laboraverit, quod mihi ignotum, licet alioquin mihi conſtet, quod in puerili ætate iisdem moleſtatus fuerit. Puella autem nubilis absque omni dubio orgaſmo venereo perpetuo laboravit, quem dum occultare ſtuduit, hinc mens non ſolum noctu ab eodem commota & agitata fuit, ſed & de die, rara & ſingulari vehementia, vigilantibus oculis & præſentibus tot aliis viſibilibus obiectis perturbata, ut eiusmodi phantaſma ipſi appareret. Furore itaque uterino correpta, & deficiente coniugio legali, furtiva ſibi conſuluit venere, non opitulante quadam, ad minimum non phantaſtica vetula.

Applicando hæc ad noſtram puellam ruſticam, primam inediæ eius originem ex conatibus ad primam menſtruationem natam eſſe autumo. Per experientiam enim conſtat, hos conatus functiones viſcerum abdominalium, inprimis ventriculi, graviter turbare, appetitum deiicere, vomitus concitare, cephalæam, hemicraniam aliosque capitis adfectus producere. Acceſſit huic capitis dolori ſine dubio augmentum ex perpetua inſolatione, quam puella, a fervido tunc temporis æſtu Solis, dum in paſcua deduxit pecora, ſuſtinuit, quæque ſomnum turbando inſomnia creavit, unde ſimul plures cogitationes diur-

næ, & ruminationes eorum, quæ mater aliquando ipſi de maioribus ſuis narraverat, obortæ ſunt, quæ omnia phantaſiam eius fortiter turbarunt, ut ſimul anorexiæ naturali, tandem pertinax præternaturalis, ex phantaſia ſibi demandata, accederet.

Quantum autem inſolatio valeat, ad cerebrum alterandum, & ad varias mentis turbationes producendas, exemplum illud virginis cuiusdam hortulanæ, Holſatæ, demonſtrare poteſt, de qua clariſſ. Hamburgenſis Medicus, D. Lossau, ante plures annos peculiare ſcriptum publici iuris fecit. Hæc enim ex perpetua inſolatione in horto, in febrem lethargicam incidit, cum inſequente ſudore fere colliquativo, quæ quidem curata fuit, remanente tamen amentia, ut etiam proprias ædes incendere bis tentaverit. Incarcerata ex hac cauſſa, poſteaque maniaca tota facta, nulla nec alimenta nec potulenta aſſumſit. Nihilo tamen minus ſanæ menti tandem reddita, pie obiit. In cadavere autem eius hoc imprimis memorabile notabatur, quod cranium eius admodum tenue fuerit, adeo, ut hæc tenuitas facile admiſerit æſtum fervidi Solis intra cerebrum, ad lethargum & demum ad maniam diſponentem. Mania autem communiter vel inediam, vel voracitatem habet comitem.

Dum iam circa vim illam ſatis activam æſtus Solis, amentiam concitandi, verſamur, incidit in mentem caſus, in Bartholini *Hiſtoriis anatom. rarioribus* relatus, de tribus puellis nubilibus, quæ in amentiam & fatuitatem, ex admiſſo capiti frigore hyemali, inciderunt, reſtitutæ tamen fuerunt, pelle vervecina (cui magis forſitan præferenda fuiſſet vulpina) calida, XIV. dierum ſpatio capiti impoſita.

Hæc mea de phantaſtica noſtra puella, dum iam exaraveram cogitata, ſubiit mentem dubium, an omnes circumſtantiæ in noſtris litterariis ſchedulis Rigenſibus de hoc caſu inſolito

tra-

traditæ ſint, eaque propter conſilium capio, ad reverendum Paſtorem loci, Dn. *Harderum*, litteras dandi, ſimulque de efficacia ſcarabæi illius medicinalis plura explorandi. Non pœnituit me huius facti, quia in humaniſſimis eius reſponſoriis momentoſas quasdam percepi circumſtantias, quas & ipſe ille, occaſione mearum litterarum a matre puellæ percepit. Indicavit enim nunc mater, filiam ſuam, cum, vaccarum potionandarum gratia, cum duabus amphoris, aqua repletis, ab utraque eius manu pendentibus, ſtabulum ingredi voluiſſet, ſub introitu prolapſam fuiſſe, & ſub hoc caſu manus & dextrum genu læſiſſe. Aſſurgentem dein vaccas numerare tentaſſe, ſed ex mentis confuſione illas numerare non potuiſſe, indeque perterritam exclamaſſe, ſe animam ſuam amiſiſſe. Poſt aliquot dies in inguine ſiniſtro tumor apparuit dolorificus, inſomnes procul dubio noctes huic puellæ, paſcendo interim pecori per diem, tunc temporis admodum fervidum, vacanti, & a radiis Solis inſolatæ, creans. Cum hic tumor tandem ad ſuppurationem deveniret, & pus cum ſanguine funderet, rurſus exclamavit, animam ſuam ſimul effugere.

Contigit inſuper, ſub his ab ulcere doloribus, & timore puellæ phantaſtico de animæ ſuæ iactura, ut frater eius hiſtoriam Bibliorum ſacrorum de tribus viris ad furnum igneum condemnatis, illa auſcultante, legeret, qua occaſione ipſe, cum matre, illam conſolati ſunt, quod, cum Deus hos viros mirabiliter conſervaverit, ita ille etiam animam eius ſit conſervaturus. Conſolidato denique ulcere, cum intercurrentibus doloribus, in ſupra memoratum incidit inſomnium.

Novis his circumſtantiis cognitis, facile nunc erit hanc mentis perturbationem ex alio capite derivare, licet, quæ ſupra commentatus ſum, abſona videri haud poſſint. Notatur namque in hac nova relatione, quod puella, ex caſu, manus & genu dex-

trum

trum læſerit, contuſione forſan ſuggillante, &, quemadmodum nihil de contuſione glandulæ inguinis ſiniſtri, unde tumor illius dein enatus eſt, refertur, quæ probabiliter ex alliſione ad alterutram eminentiam amphoræ facta fuit; ita etiam nihil de contuſione capitis relatum eſt. Aliam autem non habuit cauſſam ſubitanea illa memoriæ abolitio, ut vaccarum numerum, qualis in ſtabulis noſtris non admodum magnus ſervatur, concipere non potuerit, quam prægreſſam capitis contuſionem. Pluribus exemplis talis memoriæ ſubitanea læſio, per capitis contuſionem inducta, probari poteſt. Præcedens itaque ex conatibus ad primam menſtruationem nata anorexia, & concurrens cephalalgia, inſolatione fulcita, & hiſtoriæ de tribus viris in furno ardente ruminatio, cum intercurrente maiorum ſuorum recordatione, fatale hoc produxerunt inſomnium.

Si porro ad id attendimus, quod cum puella hac actum fuit, poſtquam prima vice ex ſylva reducebatur, miror ſane, quod in aula prædii cereviſiæ aliquot hauſtus impune biberit. Nota enim eſt hiſtoria, de Chiliaſta quodam Mecklenburgenſi, qui, dum in Plœnenſi urbe, ad exemplum Chriſti, ieiunium XL. dierum abſolverat, & hauſtum vini Canarienſis, inſuperque aliquot cochlearia cereviſiæ coctæ aſſumſerat, inſequente die colica crudeliſſima mortuus eſt.

Cum puella noſtra ruſtica, poſt deglutitos quatuor ſalicis ſcarabæos, videbatur melius ſapere, propinqui eius, frumenti metendi gratia, agros petunt, illam vero, ne rurſus evaderet, includunt, & ſolam in loco detinent. Verum, quæ adhuc firmiter phantaſiæ depravatio ipſi inhæſit, illam facile ad novam fugam compulit. Melius ergo feciſſent, ſi illam ſecum in agrum duxiſſent, falcem ut frumento immitteret bonis verbis induxiſſent, & choreas intermiſcuiſſent. Sola non potuit non iuſſa maiorum ſuorum, qui per inſomnia ipſi apparuerunt, ruminari,

minari, & ſylvam repetere. Poſtremo, eius reductio per duo milliaria periculoſa fuit, ſive in rudi plauſtro facta fuerit, ſive per manuductionem; nam per concuſſionem in plauſtro, & per ambulationem reſpiratio augetur, & motus cordis acceleratur; cum autem iam, ex diuturna inedia tanta ſanguinis facta fuit imminutio, ut parva eius quantitas, absque aucta reſpiratione, iam per pulmones & cor permeaverit, facile factum eſt, ut cordis dexter ventriculus, inprimis ſub eius a fratre facta de plauſtro in terram depoſitione, nil niſi vaporem ſanguinis hauſerit, inſequente cordis totali quiete; quemadmodum hoc mortis genus *in Tractatu de Senio*, de Syncope agens, ex celebris Medici HARDERI *Apiario*, & experimentis, explicavi, & ſimul ſcorbuticorum mortem ſubitaneam, ex compreſſione pulmonum, ſub horum ægrorum deportatione, derivavi, in ſecunda editione Erfordenſi. Taceo, quod Academiæ Scientiarum Pariſinæ Commentarii, anni 1699, ſcorbuticorum ſubitaneam lethalem ſpiritus cohibitionem a pulmonum, in unum volumen concretorum, pondere, comprimendo cor ſuffocante, deducant. Quæ olim de morte ſubitanea ſcorbuticorum Otſchakovienſium mihi communicatæ ſunt relationes, pariter confirmant, quod illa ſub geſtatione talium, de littore in cymbam, vel ex cymba in littus, contigerit, uti id idem in relatione itineris ANSONI circa globum terraqueum, cum ſcorbuticis factum eſſe legimus. Equidem in noſtra puella talem pulmonum ſtatum fingere non licet; deficiens autem ante cordis fores ſanguis, & compreſſio pulmonum ſub geſtatione, unice mortis huius ſubitæ cauſſa fuerunt. Melius itaque egiſſent, ſi puellam in domum quandam, non procul a ſylva diſtantem, lento duxiſſent gradu, ibique primum panis micas, aqua maceratas, deglutiendas præbuiſſent, & ſucceſſive aliquot cochlearia cereviſiæ ſubiunxiſſent, recuperatisque ita, cum novo ſanguinis proventu, viribus, tandem domum duxiſſent.

Iungenda denique etiam ſunt, in litteris Dni *Harderi* noſtri, de virtute Scarabæi ſalicis amice communicata experimenta, ulteriori experientiæ commendanda. Præter effectum apparenter fructuoſum, quem in puella noſtra produxerunt hi ſcarabæi, monet, quod aliquando iuveni, in febre acuta adeo deliranti, ut, cum propinqui eius peterent, ut deſperate decumbenti ſacra porrigeretur cœna, ob deliria autem id fieri non potuerit, poſt duos eiusmodi ſcarabæos bis deglutitos, ſana mens reddita fuerit, ægrotusque poſt ſacram Synaxin ſanitatem priſtinam recuperaverit. Puero novenni, absque febre abſurda loquenti, duabus vicibus unicus ſcarabæus datus profuit. Alii puero, eiusmodi delirio absque febre, mentis impotentia laboranti, idem factum, duplicatis tantum ſcarabæis. Cani, ab alio rabido demorſo, duo dati ſunt ſcarabæi, & immunis ſanusque permanſit. Vitulo, a ſerpente demorſo, ſanitatem conſervarunt duo ſcarabæi. Vaccam, ſponte præternaturaliter ſe gerentem, delirantis inſtar, quatuor ſcarabæi ad priorem naturalem tranquillitatem reduxerunt. Admiranda hæc experimenta, licet forſan fallacia cauſſæ non cauſſæ ſubſit, nihilominus tantam in Medicina merentur conſiderationem, ut ulteriori committantur experientiæ. Vermis iſtius maialis, Proſcarabæi, virtus in rabie canina & hydrophobia nota eſt, nec non cantharidum, eodem in affectu; verum huius ſcarabæi efficacia in deliriis febrilibus, quantum ſcio, hucusque eſt ignota, digna itaque, ut ulterius indagetur. An ex ſcarabæi ſalicis ſalutari effectu concludi poſſit, quod & Proſcarabæus in aliis mentis impotentiis & deliriis valeat, non equidem ſuſtineo, experimentis autem commendandum puto. Diureticam virtutem poſſident omnia inſecta; quænam autem illorum ſpecifice agant in cerebri enatas turbas, quomodo a priori probari poterit? Quomodo talia diuretica præ aliis tam ſalutarem edunt effectum in mentis turbis?

Miran-

Mirandum ſane, quod variorum animalium non ſolum ſubſtantia, ſed & ſalivæ minima portio, fabricam intellectus, & cerebri elaſticum ſpirituoſum humorem, ita inquinare, & adeo graviter illum mutare poſſit, ut nunc animæ facultates cum vehementia deliriose agant, nunc plane deficiant in fatuitatem, nunc etiam deperditæ iterum reſtituantur. BONETUS in *Sepulchret. anatom. Lib. I. Sect. X.* allegat caſum de femina, a veſpertilione anno ætatis octavo demorſa, & paulo poſt ſtupore mentis affecta, ut domi, ad annum usque 35. incluſa maneret. Aliquot ante obitum menſibus de ventris dolore conqueritur, mentis errori adſcripto. Tandem morte ſubita abrepta, viſcera omnia, medii & imi ventris, corrupta & fœtida inveniuntur; cerebro, fatuitatis ſede, integerrimo exiſtente, & absque omni labe, cum communiter fatui cerebrum habeant ſero inundatum. Qualis itaque eſt modus operandi ſalivæ ad fatuitatem? Fatuum animal veſpertilio non eſt, cum reliquo murino genere.

In *Annalibus medico-phyſ. Wratislav. Ann.* 1723. *M. Februar. Claſſ. IV. Artic.* 9. proſtat caſus de viro, in ſermonibus gravibus recitandis & in motibus convulſivis adeo ecſtatico, ut ad dæmoniacos relatus fuerit, qui, reiecto per vomitum ſcarabæo nigro, cuius ovula procul dubio olim deglutita fuerunt, ſenſim a malo ſuo fuit liberatus. Hic a ſucco & ſanguine hominis educatus & nutritus, & fere aſſimilatus alumnus, ut humanus appellari potuerit, tamen, vel rodendo & mordendo, & ita inſinuato ventriculi membranis qualicunque humore, vel excrementis ſuis, ex ſucco & ſanguine nutritoris ſui participantibus, cerebrum nihilominus halitu maligno forte inquinantibus, illum ecſtaticum reddidit. An ſcarabæus noſter ſalicis hunc fugaſſet dæmoniacum? Forſan! Vtriusque enim operatio, tam ad ſolvendas animæ imperii habenas, quam ad illas nectendas, incomprehenſibilis eſt, ab acutioribus aliorum ingeniis extricanda.

Apparet etiam ex hoc caſu, quod, cum anima uſum rectum cerebri ad facultates rationales, ex ſaliva veſpertilionis amiſſum habuit, ſenſim etiam vitales perdiderit, dum omnia viſcera medii & imi ventris ſphacelo corrupta fuerunt. Hoc non ſubito, ſed a deperdito nervorum ſucco ſenſim factum fuiſſe, credibile eſt.

Addendæ ſunt denique ex his reſponſoriis hauſtæ novæ circumſtantiæ de fine vitæ puellæ, rationem & opinionem meam ſupra allegatam incertam reddentes. Poſtquam *Harderus* cum matre iterum collocutus erat, ſequentia ab illa eſt expiſcatus. Puella a fratre ſalva eſt de curru deportata, & quidem in balneum, quod in deliciis ſingulis hebdomadibus habet Lettica gens, & a matre in adventum filiæ paratum erat, caput eius, diu non curatum, tunc lotura. Deponitur itaque puella in primo ſubſellio. Parat mater aquam calidam pro lotione, & ſine dubio, pro more uſitato, ſilicibus, in aperto furno ſemicandentibus redditis, aquam aſpergit, ut balneum, fervida ex illis aſſurgente nebula, intenſo repleatur calore; nebula ſuffocationem inſuetis facile inducente. Sub his mater videt filiam caput ſuum in ſuperius reponere ſubſellium; quam capitis repoſitionem cum haberet ſuſpectam, filiæ caput elevat, & illam ultimum ſpiritum trahere videt. Exclamat itaque, clamorem frater foras ſtans audit, accurrit, & ſororem extra balneum reportans illam in ulnis ſuis exſpirare videt. Imprudens itaque a matre facta nebulæ illius fervidæ excitatio reſpirationem puellæ, ob ſanguinis defectum ſine dubio debiliſſimam, per modum ſuffocationis plane ſuſtulit.

Vt autem balneorum Letticorum communis ſtructura ignorantibus innoteſcat, ſciendum, contignatam ex lignis eſſe cameram, quæ ſpatium 8. vel 9. pedum in quadrato continet. In huius quodam angulo exſtruuntur arcus duo vel tres lateritii, altitudinis circiter bipedalis, & his imponuntur ſilices, plateis

ſter-

ſternendis uſitati, mediocres. His ſubaccenditur ignis, ſilices ſemicandentes efficiens. Fumo omni per oſtium, & parvam feneſtram abacto, & ligno in prunas & favillas redacto, fervet pro lubitu camera, balneum nuncupatum. Cum non ſufficienter calidum id ſentit Lettus, & cum illo omnes boreales populi, tali balneationi adſueti, ſilicibus aquam affundit, & nebula ex his aſcendente, fervida, immerſus delectatur, pulmonibus, eidem iam adſuetis, nullum inde ſentientibus incommodum.

## *OBSERVATIO LXXI.*

## Dn. D. IOANN. BERNHARD. de FISCHER.

De

## *Vagitu uterino, per embryulciam confirmato.*

Auſus ſum, in *Volum. X. Obſerv. 75. & 99. horum Actorum phyſico-medicorum*, contra communem plerorumque illuſtrium Medicorum, vagitus uterini poſſibilitatem negantium & ridentium, opinionem, illum poſſibilem declarare; confirmavi etiam ibidem, Obſervationem *Decuriæ IIdæ, anni IX. p.* 93. de baubantibus in utero catellis, propria mea experientia, Amſtelodami ann. 1709. in cane valde gravida capta, & quæ reliqua pro hac theſi allegavi, quæ nunc repetere tædet. Tædet autem maxime, quod ſequens de hoc phænomeno Obſervatio, nullam, ut credo, de illo dubitationem admiſſura, cum dictam Volumini X. inſertam Obſervationem conſignarem, inter alius generis meas annotationes abſcondita latuerit, ut illam allegare non potuerim, licet tunc in animo mihi iam hæreret, quemadmodum mihi in animo hærebant, pro tenore Obſervationis allegatæ, catelli baubantes.

Femina parvæ ſtaturæ, annorum 20, ſecunda vice gravida, ultimos menſes ſub magnis incommodis, & inprimis ſub

magna debilitate transegit. Cum dolores ad partum duabus vel tribus ſeptimanis citius, pro ſua opinione, ſentiret, partui ſe accingit. Conſuetis partus liquoribus mox perrumpentibus, læva fœtus manus per os uteri ſimul exit, in qua pollicem manui impreſſum offendit obſtetrix. Ipſa pariens ſe motum fœtus iam iam adhuc ſenſiſſe declarat. Reducta, per oſcitantiam, tandem poſt multas demum horas manu, in qua pulſum explorare neglexerant, puerpera motum infantis non amplius ſentit.

Diſceptant nunc Medici, Chirurgi, & Obſtetrices de vita infantis. Poſteriores tandem, puerpera teneſmo perpetuo ad partum ſollicitata, fœtum vel vivum, vel mortuum extrahere tentant. Elapſis hac cunctatione fere 24. horis, extrahitur eadem infantis manus, nunc frigidiuſcula & livida, pro exploratione pulſus, qui prorſus deficere deprehenditur. Ad embryulciam itaque fit apparatus: amputatur ſiniſtrum brachium, abdomen aperitur, & a viſceribus evacuatur, uncus ſpinæ dorſi infigitur, & tandem fœtus per partes inferiores extrahitur, matre hæc omnia patienter ferente, & tantum ſibi fidente, ut finita embryulcia, pedibus propriis lectum petere vellet. Fœtus interim, ſic per partes in lucem editus, putrilaginoſum ſpirabat odorem, & brachium ſiniſtrum, ex manuali obſtetricum multa contrectatione, totum erat lividum & marcidum. Hæc dum agerentur, confluunt fœminæ propinquæ & vicinæ, lamentales & exclamantes: En! infortunium, quod gravidas inſequi ſolet, & ipſos fœtus, qui in utero vagiunt. Quid loquimini, dico, abſurdi? an audiviſtis hunc vagiviſſe? tunc una ex illis: Audivi, & quidem ultima vice, duabus ante hanc tragœdiam ſeptimanis; mater autem antea iam audivit. Accedo extemplo ad matrem, in alia camera cubantem, & de hac re inquiro. Tunc illa reſpondet: Prima vice mihi vagivit ante quinque circiter ſeptimanas, & quidem obſcurius, ut diſtincte vagitum non agnoſcerem; ultima vice autem nunc, ante duas ſeptimanas, clare &

re & diſtincte verſus pectus meum. Hoc audito, ſtatim iubeo adferri partes fœtus, & thoracem aperiri facio, in pulmones inquiro, & dextri lobi limbum ſuperiorem, per duos pollices, ab atro reliquae ſubſtantiae colore multum differentem invenio. Reſecatur itaque haec pars, cum aliqua portione reliqui lobi, & aquae immittitur; tunc omne ſupernatat, praeeminente parte minus atri coloris, & ad tactum ſemi inflata. Si quae iam pro vagitus uterini exiſtentia proſtant argumenta, certe hoc, quale huc usque nondum exſtitit, viſum & repertum documentum aeternum ſufficiet. Facta haec ſunt anno 1730. Veritatem facti trado, qui in his noſtris Ephemeridibus, & alibi, pro viribus, dubia dilucidare, falſa autem & iniqua indicare conſuevi.

Vt autem, quid porro matri infortunatae contigerit, addam; lochia, quae ſequebantur, poſt 12. horas ceſſabant, & tunc tumor in dextro hypochondrio elevabatur, qui manu preſſus, pallida, & quaſi ſanioſa reddebat lochia. Secundo a partu die, ſeptem Beccheri pilulas ſumebat, ex quibus tres ſedes: interpoſitis quibusdam diebus iterum quinque dabantur pilulae. Genitalibus primo ſtatim die ſebum hircinum calidum, tumori autem ſacculus ex herbis reſolventibus, nunc cum forti cereviſia, nunc cum vino decoctis, imponebatur. (Confer. caſus in *Primitiis Medicorum Polonorum* expoſitus, de Purpura alba veſiculari, cum inflammatione uteri.) Accedebant autem horrores febriles, aeſtusque volatici, remediis temperantibus mitigati. Die ſexto convulſionibus tentabatur, quibus per antiſpaſmodica ſublatis, purpura alba apparebat, in collo, fronte & ventre, veſiculis ſat grandibus, coniuncto quidem pulſu febrili, ſed moderato, adeo ut febris ſolito tranquillius finiretur. Interim, elapſis vix ſex menſibus, cum iam in publicum prodiret femina, ſubito moriebatur, praevia quiritatione 12. horarum, de oppreſſione cordis: morte, multis quoque aliis puerperis, periculis puerperii pro opinione ſuperatis, ab apoſtemate clandeſtino,

ſtino, graviditatis tempore formato, & ſubito tandem rupto, contingente, cuius praeſentiam facile ſuſpicari licuit ex tumore, mox in hypochondrio ſiniſtro, ceſſantibus lochiis, oborto.

(*Riga Halam miſſæ d.* 11. *Iunii* 1764.)

## OBSERVATIO LXXII.

## Dn. D. GODOFR. HENR. BURGHART.

### *Tuſſis ſpaſtico-hypochondriaca, cum febre maligna complicata.*

Puella novennis, habitus corporis tenerioris, animi hilaris vividi, ac vitæ delicatiori adſueta, menſe Martio præterito, tempeſtate admodum frigida, humida, inconſtante, adfligi cœpit *tuſſi vehementiori ſpaſtica*, ita, ut dum ſuos formabat paroxysmos, qui aliquoties intra nychthemerum recurrebant, nocte tamen frequentiores & graviores erant, metus convulſionum ſatis iuſtus omnium adſtantium animos percelleret. Medicus non indoctus his adhibitus, varia tentavit præſidia, in quibus clyſteres præ reliquis ipſi placuerunt. Cum hæc per aliquot dies tempusque fruſtra in uſum vocarentur, *motus febriles continui* ſupervenientes corpuſculum iam ſatis enervatum tanta cum vehementia defatigare incipiunt, ut ægra inſignem experiretur caloris gradum, imo noctem verſus leviter deliraret, floccos legeret, membris tremeret, viribusque deſtituta iaceret, tuſſi nihilominus ſuam ludente fabulam, quam, ſi ultra ſex & plura minuta inſigni vehementia, ut latera hunc laborem vix ferre crederes, miſeram puellulam adflixerat, muci viſcidi, mox viridis, mox gryſei coloris, interdum etiam ſtriis ſanguineis diſtincti, ſatis bona quantitas excreta ſequebatur. Huic tragœdiæ actui ego advocabar. Nono febris die *purpura rubra* per totum propemodum corpus, cute tantum & oſſibus conſtans, copioſiſſime

ſiſſime effloruit, cum aliquo ægræ levamine, licet tuſſis eadem ſemper manſerit. Die decima tertia circa veſperam ægra iterum peius ſe habere cœpit, febris augebatur, deliria recurrebant, urina multum ſedimenti ex rubro albidi limoſi depoſuit; quæ omnia die ſequenti decima quarta *Purpura alba* excepit, haud minori copia prodiens.

Nec miſeriarum ſatis, quamvis motuum febrilium aliqualis obſervabatur remiſſio, quippe poſt hæc halcyonia die decima ſexta nova imminebat ſcena. Aegra enim verſus noctem adeo vehementer febricitabat, ut, ex vulgi dicterio, vita & mors inter ſe luctarentur, & leviores notarentur convulſiones membrorum, rigida videlicet per unum alterumve momentum temporis iacebat ægrota noſtra, tuſſi interim nullo modo quieſcente. Septima decima dies ultimam demum molita eſt criſin, *exanthemata* ſcilicet *pemphigoidea*, id eſt veſiculas lentium magnitudine, vitri ad inſtar pellucidiſſimas, aqua clara repletas. Hæc, cum ad diem usque vigeſimam primam totam corporis peripheriam numero ſatis magno impleviſſent, una cum Purpuris pedetentim evanuerunt, febrique dicam ſcripſerunt.

Nunc reſtitit tuſſis, quæ levioribus laxantibus rhabarbarinis, ſtimulo ſalino maritatis, interpoſitis convenientibus tonicis & expectorationem paululum faciliorem reddentibus, ſtricturasque infimi ventris, imprimis meſenterii, moderantibus, hincque congeſtionem humorum verſus ſuperiora remorantibus, depellebatur, poſt ſeptem aut novem dies non modo mitior reddita eſt, ſed tota fere nobis victas dedit manus, & ægra mœſtiſſimis parentibus, alios non habentibus liberos, præter eorum aliorumque adſtantium ſpem & opinionem, ex orci quaſi faucibus erepta, iterum reſtituebatur ſana & incolumis. Incredibile dictu eſt, quam citato pede rediere vires, & vigor, tam animi, quam corporis recollectus eſt, immo quod omnibus miraculi ad inſtar habebatur, procerior ex lectulo ſurrexit, quam

eum ingrediebatur, inſuperque floridus color, & iuvenilis ille cutis nitor, totus, dum hæc ſcribo, recuperatus eſt; macies tamen adhuc reſtat, quam vero appetitui ciborum, qui frenis indiget, ſano vegetoque ſucceſſive ceſſuram eſſe, nullus dubito.

Ad *curationem* quod attinet, eandem feliciter abſolvimus blandis diapnoicis, temperantibus, nitratis, abſorbentibus, quibus adiungebantur, cum pulverulenta paululum gravius ferret ventriculus, ad vomitum pronus, liquida ex ſyrupo florum Papaveris rhœados, cum liquore anodyno Hoffmanni, Elixirio pectorali Regis Daniæ, & quæ ſunt huius generis alia; uno verbo methodo blanda ſimplici, motibus naturæ accommodata; deinde lenioribus reſolventibus, rhabarbarinis, digeſtivis, non excluſis tonicis, ubi extractum corticis Caſcarillæ, aliis ſuperadditum, manifeſtam egregiamque exſerebat efficaciam, adcurato regimine non omiſſo.

(*Brega Halam miſſa d.* 21. *Iunii* 1764.)

## OBSERVATIO LXXII.

## Dn. D. FRIDER. SIMONIS MORGENSTERN.

De

## *ſingulari Scroti ac penis inflatione, cum penis curvatura ac praeternaturali phimoſi.*

Vir ſexagenarius, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, laxioris habitus corporis, ut iuvenis, abſoluto ſtudiorum academicorum curſu, ſtudiis quidem ſemper addictus fuit, eaque propter munus ipſi non multo poſt demandatum diligenter coluit, permiſit tamen muneris ratio, ut magis mobilem, quam ſedentariam vitam ageret. Robuſto hinc corpore & proſpera ſani-

ſanitate utens, ante unum & triginta annos virginem, animi corporisque integritate præditam, uxorem duxit. Ex hoc matrimonio decem liberi prognati ſunt, quorum natu minimus annum nunc agit decimum quartum. Morbis gravibus, qui eum lecto affixiſſent, per totum vitæ ſuæ curriculum noſter non fuit afflictus, exceptis illis, qui infantili ætati familiares eſſe ſolent. Ante viginti vero circiter annos, quum domicilium ſuum ex uno pago in alterum vicinum commutaret, ſcabiem humidam perpeſſus eſt, quo morbi genere tunc quilibet ipſius familiæ vexabatur. Auxilio Medici, ad hunc morbum ſuperandum tunc uſus, absque remediorum externorum applicatione cum ſanitate iterum in gratiam rediit; anni autem ſpatium interea conſumtum fuit.

Per ſeptennium dein ſanus, ante tredecim circiter annos pruritum in perinæo & ſcroto ſenſit, ipſi admodum moleſtum. In forti frictione cum panno, aut dum digitis ſe ſcalperet, levamen quoddam ſe percipere credidit; ſed poſt breve tempus priſtini incommodi ſenſatio redux novas moleſtias creavit. Huius pruritus tandem comes fuit mador fere perpetuus, quem Medicus, cuius conſilio tunc temporis utebatur, pro Serpigine hæmorrhoidali habuit. Verum enim vero neque tum, neque poſthæc vel cœcas, vel fluentes hæmorrhoides, vel alia molimina hæmorrhoidalia perpeſſus eſt. Remedia varia adverſus hæc incommoda uſurpavit, quæ vero non remiſerunt, ſed plura in ſcenam prodiere. Acceſſit nempe in utroque latere glandularum inguinalium tumor. Negat noſter, ad priſtina mala tollenda, remedia externa repellentia vel exſiccantia fuiſſe adhibita, & pernegat, ſe unquam amore meretricio fuiſſe ſeductum, vel alium morbum venereum ex propria culpa ſibi contraxiſſe. Hoc tamen profitetur, ſe tunc temporis, a quo decem pæterlapſi ſunt anni, cum amico quodam, quem in vicinia ſæpius viſitaſſet, in uno lecto obdormiviſſe, qui, uti poſt-

hæc certior factus ſit, ab infectione venerea non plane immunis fuerit. Medici opem efflagitans, venerei quid latitare iſte autumavit, qui hinc varia pharmaca antivenerea ordinavit, ſub quorum uſu glandularum inguinalium tumor tandem plane reſolutus evanuit. Remedia externa non fuerunt applicata. Sublato inguinum tumore, pruritus tamen & mador in perinæo & ſcroto continuaverunt. Succeſſu temporis ſcrotum intumuit & teſticuli vix digitis prehendi potuerunt.

Tandem & penis eiusque præputium mutationem ſubierunt, ita, ut huius retractio glandisque denudatio difficulter proceſſerit. Præternaturalem penis craſſitiem ſucceſſive enatam obſervavit; hæc autem denudationis prohibitæ cauſſa unica non fuit, ſed accedens præputii ſpaſtica quaſi coarctatio. Obſtupuit ægrotus talem deformationem eo magis, quum nullius labis vel ſtatus præternaturalis genitalium, e. g. phimoſis, conſcius ſibi antea fuerit. Septem anni præterlapſi ſunt, ex quo tempore præputium ita anguſtatum eſt, ut retractio eiusdem impoſſibilis ſit, atque ante quinquennium penis ſe ſucceſſive incurvavit, eamque figuram induxit, quam in icone adiecta *Tab. VI. Fig.* 1. ante oculos pono. Penis ratione craſſitiei ſemirigidus apparet, & hanc præternaturalem expanſionem nunc ſemper ſervat, aliamque rigidiorem formam nec ſub cogitationibus voluptuoſis, neque ſub amplexibus coniugalibus induit. Ad ſiniſtrum latus ſe primum flectit, deinde ad dextrum incurvatus eſt, ſub qua incurvatura variæ plicæ formantur. Glandis corona, ſeu eius baſis, nec viſu, nec tactu diſtinguitur, nec urethræ apertura conſpicitur. Totus penis oſtendit inteſtini effarcti, incurvati, & cœci ſimilitudinem. Sub ultima & extrema flexura incurvati penis præputium rimam & canalem format, (vid. ſign. * Figuræ adiectæ,) ſtilum parvum ſeu ſpecillum vix admittentem, ex quo canali urina mingitur. Hæc rima non conſpicitur, niſi admota manu cutis, eam tegens, repri-

primatur. Integumenta penis communia præternaturalem intumeſcentiam non præbent, penem autem, præcipue glandem, arcte cingunt.

Scrotum ad magnitudinem capitis infantis recens nati accedit, tactui fortiter renitet, impreſſiones digitis tentatas nec admittit, nec retinet; æqualiter tumet; nec reſplendet, nec diaphanum apparet, nec fluctuationis, nec ſarcomatis certa ſigna præbet; verrucis diverſis in locis obſitum eſt, quæ etiam in penis ſuperficie copioſe conſpiciuntur. Teſtes retracti ſunt, ſiniſter usque ad annulum muſculorum abdominalium, dexter plane in abdominis cavum retroceſſit. Maximam difficultatem creat mictio urinæ, propter penis incurvaturam, & propter abſconditam & male formatam aperturam urethræ. Sub mictu urina undiquaque diſpergitur, & poſt mictum ſub præputio & in curvaturis membri virilis ſemper portio urinæ hæret, quæ quidem tandem exſtillat, eo ipſo autem induſium, femoralia, aut lintea impoſita madida reddit atque conſpurcat.

Obſtantibus tot impedimentis, & tam deformatis genitalibus, natura interdum ad venerem incitatur, & ſub coniugali amplexu, quamvis maior erectio penis non ſubſequatur, & debita immiſſio penis in muliebria locum non habeat, voluptas tamen percipitur, & ſemen prolicitum, per varios anfractus retardatum, tandem emittitur. Hoc unicum ſilentio denique præterire non poſſum, quod poſt vehementes corporis exercitationes, vel poſt uſum potulentorum, ſanguinem commoventium, paroxysmus quaſi febrilis præſto ſit, cum levi horrore & frigore, doloribusque dorſalibus incipiens, & ſub levi æſtu & virium aliqua proſtratione ſe finiens; quo præſente genitalium rubedo, ſeu levis ac ſuperficialis eorum inflammatio, nec non ex ſcroti poris ſerum copioſius transſudans, animadvertitur. Eiusmodi vero acceſſus febrilis ultra nychthemerum raro perdurat, qui ante quinque annos prima vice obſervatus fuit,

 ſtata

ſtata tempora haud ſervans, ſed interdum poſt menſem, poſt ſex aut octo ſeptimanas, pro circumſtantiarum ratione, rediens. De reliquo ſenex bene valet, corpore & animo viget.

Mirum non eſt, quod ſenex, per tot annos afflictus inſignem Medicorum & Chirurgorum numerum in auxilium adhibuerit. Sed quamvis multa remedia in uſum vocata fuerint, perſtitit tamen morbus rebellis ac invincibilis; immo, incommoda quævis quotannis incrementa ceperunt. Sub morbi initiis, ſcroti nempe & perinæi pruritu, varios experientiſſimos Medicos huius loci conſuluit; deinde exteros adiit, fontesque Lauchſtadienſes viſitavit, & horum balnea in uſum traxit. Sed his nihil proficientibus, ad noſtros rediit, ac illorum ſe iterum curæ ac experientiæ tradidit, & quum Medici celebratiſſimæ famæ aliorum locorum mœnia noſtra ſalutaverint, non potuit non, quin ab his ſibi auxilium ardentiſſime expeteret. Fuerunt in horum numero viri illuſtres, ampliſſimæ & feliciſſimæ praxeos, omni honoris cultu proſequendi.

Nimis longe excurrerem, ſi quævis remedia indicarem, quibus noſter hucusque uſus eſt. Deinde etiam conamen meum eo redditur irritum, quod paucæ tantum ſchedulæ ad manus ſint, quæ formulas ſic dictas medicas continent. Sufficiat ergo, me brevibus indicare, plurimos, quorum experientiæ noſter confiſus eſt, eiusmodi medicamenta ordinaſſe, quæ morbis lymphatico-ſeroſis, viſcidis venereisque dicata ſunt; hinc varia decocta lignorum & radicum reſolventium, varia infuſa theeformia, tincturas alcalinas & diureticas, eſſentias, gummata & extracta reſolventia, mercurium dulcem, æthiopem mineralem, laxantia, fontes medicatos, ut Pyrmontanos, quos ter, tempore verno potavit; haud neglectis ventilationibus ſanguinis, quæ quotannis bis inſtituuntur. Internis externa iuncta fuerunt, ut ſacculi herbarum ſicci, cataplasmata, fomentationes reſolventes, cum aqua calcis vivæ & vino. Sed quævis externa, uti

noſter

noſter refert, ipſi plus nocuerunt; ſolus cortex Sambuci deraſus, externe impoſitus, ipſi levamini fuit, & adhuc interdum eſt.

Tandem etiam mihi ſors contigit, ut Senex afflictus per aliquot annos ſe curæ meæ tradiderit. Tentavi varia, ſed absque effectu ſingulari, & tentarem plura, niſi ſenium obſtaret. Remedia, quibus inter alia fidem habebam, erant, mercurius dulcis cum ſulphure aurato antimonii ultimæ præcipitationis, vel in forma pulveris, vel pilularum, admixto, ſi poſterior forma placebat, Gummi Guaiaco & extracto Fumariæ; deinde etiam pilulæ ex Cicuta, ſecundum celeberrimi Stoerckii præſcriptum paratæ, interpoſitis laxantibus, coniunctisque aliis interne atque externe adiuvantibus. Multorum pharmacorum noſter nunc fere pertæſus, verno tantum tempore infuſo medicato, vel alio remedio generaliori, ad quascunque impuritates corrigendas educendasque, utitur.

Ex huius affectus deſcriptione apparet, eum multum ſingularis ac inſoliti monſtrare, partim propter partium læſarum faciem, partim propter ſanationis difficultatem. Vera etiam morbi ſedes ſe primo intuitu abſcondere videtur. Hinc Lectoris benevoli pace de ſede mali eiusque cauſſa ſententiam meam paucis declarabo.

Primum incommodum, de quo noſter conqueſtus eſt, pruritus fuit ſcroti ac perinæi, affectus multis hominibus alias familiaris, qui vel moliminibus hæmorrhoidalibus laborant, vel qui obeſi & ad ſudores proclives, ac inſigni acrium humorum abundantia adgravati ſunt. Senex noſter, qui quidem ad hæc usque tempora ab omnibus hæmorrhoidum inſultibus liber fuit, pro temperamenti corporisque ſui ſucculenti ratione tali incommodo pruriginoſo facillime fuit expoſitus. Huc acceſſit venerea quædam infectio, quæ quam levis etiam fuerit, dum nullo Gonorrhœæ vel alio genitalium vitio ſe manifeſtaverit, excepto

excepto glandularum inguinalium tumore, humores tamen, iam acrimonia a naturali ſua temperie recedentes, eo magis & facilius depravare potuit. Poſt hæc non leve damnum ex forti frictione & ſcalptione in partibus prurientibus, imprimis ſcroto, deinde etiam ipſi annexo pene enatum fuit; quia his partium iam irritatarum ſenſatio aucta, & impurorum humorum affluxui, tranſudationi ſeri acris, ſimul etiam poſtea enatis verrucis, anſa data.

Inter omnia vero ſcroti ac penis involucra membrana Ruyſchii celluloſa, impuris humoribus inundata, dilatata fuit atque expanſa. Scroti primum ambitus undique fuit auctus, teſtes retropulſi, tandem penis membrana celluloſa inflata, qua inflatione penis incurvatio, ſpaſtica præputii coarctatio, omniaque deſcripta mala producta ſunt. Quamvis hæc expanſio ab humoribus acribus, ſucceſſive ibi coacervatis, maioremque ſpisſitudinem atque acrimoniam nactis, venereaque infectione ſimul inquinatis, facta eſſe videatur; præſentem genitalium præternaturalem ac inſolitam formam activæ adhuc malignitati venereæ non tribuo, hæc enim per longum remediorum uſum ſine dubio deleta eſt; ſed ſtatus præſens partium affectarum magis ut morbus conſequens conſiderandus eſt, quo tunica celluloſa ſub morbi initiis ſolum expanſa, nunc autem craſſitie aucta & tam in ſcroto, quam pene, ad inſignem molem difformis enata eſt, quæ vix ulla arte ad ſtatum naturalem redigenda. Hoc veritati eo magis conſentaneum reor, quum partes ſcroti ac penis tumidæ æqualiter tactui reſiſtunt, non fluctuant, pulſatæ non reſonant, nec digitis impreſſiones concedunt, atque coloris naturalis ſunt.

Vt hæc, quæ de ſede mali dicta ſunt, paullo magis illuſtrem, quædam ex anatomicis adducere liceat. Celeberrimus Ruychius, qui ſcroti & penis ſtructuram accurate examinavit *), de

*) Conf. Eiusd. *Epiſtol. problem. I. de pilis, pinguedine ſeptoque ſcroti,*

de ſcroti integumentis differens, hanc membranam celluloſam ita deſcribit, quod ſub integumentis communibus ſita ſit, fibrasque carneas intertextas habeat, quarum beneficio ſcrotum contrahitur; quodque porro hæc membrana, flatu extenſa, diſtincte in conſpectum veniat. Huic membranæ etiam continua eſſe debet illa, quæ ſub penis involucris ſita eſt. Involucra univerſalia ſunt, epidermis, corpus reticulare & cutis, tunc ſequuntur ſpecialia; hæc ſunt, involucrum nervoſum externum craſſum, ſub hoc membrana celluloſa, & tandem involucrum nervoſum internum. Eadem hæc membrana glandi integumento eſt **), hinc etiam fit, ut in affectibus venereis penis non raro incurvetur & inſtar arcus ſe contorqueat. Experimenti gratia hanc tunicam celluloſam glandis RUYSCHIUS flatu diſtenſit, neglectis corporibus nerveo-ſpongioſis, & penis incurvatus eſt.

## *OBSERVATIO LXXIV.*

## Dn. D. FRIDER. SIMONIS MORGENSTERN.

### De

### *Febre quotidiana in convulſiones, deinde in emproſthotonum & opiſthotonum tranſeunte, tandem curata.*

Febres, quarum natura ita comparata eſt, ut eædem ſpasmodicorum affectuum nunquam immunes ſint, ad ſummos ſæpe ſpasmorum gradus inclinant, & interdum in convulſiones, imo in minus frequentes ſpasmos, emproſthotonum & opiſthotonum,

*ſcroti, pag. 8.* item Eiusd. *Epiſtol. XV. de Vaſor. ſanguineor. extremitat. quibus accedunt nonnulla circa penem detecta, p. 10.*

**) Vid. Fig. 3. & pag. 11. loci modo citati.

tonum, ſeſe transferunt. Cuius aſſerti veritas ſequenti confirmatur exemplo.

Puer duodecim annos natus, a parentibus ſatis proſpera valetudine fruentibus, & quorum neuter ſpaſticis vel epilepticis inſultibus unquam affectus fuit, per aliquot dies ſeſe male habuit. Moleſtiæ, de quibus conqueri cœpit, fuerunt dolor capitis, & ſpaſtici affectus circa genua; his non obſtantibus, cibos adhuc appetiit, & noctes ſomno ſatis tranquillo transegit. Superatis octo circiter diebus, acceſſerunt motus febriles, hora quinta pomeridiana, horrore & frigore eum invadentes, quas ſat gravis æſtus, cum inſigni capitis dolore, excepit. Febris quotidie rediit hora iam denominata: noctu æger obdormivit, & extra febrim eſculentorum appetitus viguit. Alvus officium ſuum quotidie præſtitit. Die 25. Februar. 1761. febris, priſtinam ſuam formam relinquens, in motus convulſivos abiit. Hora enim quinta, quam febris ſibi ſolemnem & ſanctam fecerat, ſenſus quilibet repente fuerunt ſufflaminati, reſpiratio fuit anxia atque ſuſpirans, extremitatesque convulſæ ſunt. Poſt mediam noctem, ceſſantibus convulſivis motibus, puerulus, ſui iterum conſcius, ſomno tandem profundo refectus fuit. Die ſequenti, hora tertia poſt meridiem, eadem tragœdia in ſcenam prodiit, mox remittentibus, mox revertentibus convulſivis affectibus, in mediam usque noctem protractis. Viceſimo ſeptimo Februarii die, hora undecima ante meridiem, novus paroxysmus, per horam circiter durans, ſecundus hora ſecunda pomeridiana, & tertius hora undecima ſubſequutus eſt, qui poſtremus reliquis prægreſſis gravior fuit, ita ut parentes ipſius mortem inſtantem extimeſcerent; oculi in gyrum rotabantur, & caput retro trahebatur. Hora ſequentis diei ſecunda matutina ſomno omnia mala iterum placata fuerunt; ex quo puerulus, expergefactus, ſenſuum uſum recuperavit & ſatis bene ſe habuit, exceptis quibusdam pavoribus ex improviſo ortis.

Dili-

Diligenter in cauſſas morbi inquirens, percepi, ægrotum per aliquod tempus cibis nimis largiter comeſtis ſe oneraſſe, digeſtionis negotium hinc deturbaſſe, atque febrilibus commotionibus anſam dediſſe. Cur vero eædem in convulſiones ſeſe transmutaverint, accurate determinare non audeo. Ad ſtudia, quibus eum Parens, cum reliquis liberis, ipſe erudivit, non lubenter incubuit; variis hinc exhortationibus & admonitionibus ſeveris excitatus fuit, & ex metu pœnæ ad litteras ſe quoque diligentius applicavit. Quod coactum ſtudium & exinde ortæ animi commotiones, noſtro forſan nocivæ fuerunt. Nam nec incongrua febris tractatio, vel tentata ſuppreſſio, nec morbi cuiusdam cutanei ex impuris & depravatis humoribus, uti ſcabiei, vel cruſtæ lacteæ, inſecura retroactio prægreſſa; his enim nunquam fuit tentatus; nec verminoſæ colluviei indicia præ ſe tulit.

His accurate penſitatis, partim præcedenti febri, partim ſpasmorum mitigationi curationem accommodavi. Salia digeſtiva & media, nitrum, coniunctis ſic dictis ſpecificis antispasmodicis, ut lumbr. terreſtr. rad. Pœon. Valerian. Cinnab. nat. &c. diligenter porrexi, quoties per inſultuum novorum acceſſum fieri potuit. Ad alvum laxandam Potiones mannatæ, rhabarbarinæ, nec non clyſteres domeſtici in uſum vocati ſunt.

Verum enim vero morbus idem perſtitit. Aeger ab inſultibus liber, in lectulo ſedens, luſu delectatus fuit, ſub quo ſæpe obdormivit, veſperi vero impatiens & moroſus, convulſivos motus quotidie expertus eſt, quorum unus alterum ſæpe ita ſtrenue excepit, ut numerus vix figi potuerit. Poſt mediam noctem motus pacatos ſomnus excepit, ſub quo ſudore fere diffluxit. Hinc eadem methodo morbum oppugnare ſtudui. Pulveribus ſalinis, antifebrilibus, & antiſpaſticis, Mixturam ex aquis appropriatis cum Tinct. papav. rhœad. & Liqu. anodyno minerali atque conveniente ſyrupo interponi, & utraque phar-

 maca

maca alternis vicibus porrigi iuſſi, haud neglecto diætæ præſcripto & conſilio de reſeranda alvo vel per clyſteres, vel per laxantia rhabarbarina interne data, quibus etiam, me inſcio, lene emeticum, ex Ipecacuanhæ radice, interpolatum fuit. Sed decimo menſis Martii die omnia hæc hucusque fruſtra erant exhibita. Coniunxi cum antea denominatis medicaminibus extracta incidentia, amara & roborantia, in Liquore terræ fol. Tart. ſoluta, & Liquori anodyno minerali nupta, nec non externe veſicatoria in utrisque pedibus; ſed etiam hæc nihil profuerunt, immo acceſſus ſymptomatum multo vehementior fuit. Nam a viceſimo primo Martii, quavis fere die, nova ſe prodidere ſpasmorum genera. Linguam per aliquot dies immobilem ſpasmus tenuit, ita ut nec ſub paroxysmis, neque extra illos ſonum articulatum producere vel ſermocinari potuerit. Oculos mox clauſit ſpaſmus, mox labia oris, mox os ad utrumque latus traxit, mox per aliquam moram idem apertum ſervavit, mox inferiorem maxillam convulſit. Interdum lingua ex ore prominuit. Tandem miſer afflictus puerulus & emproſthotono & opiſthotono fuit correptus. Alio tempore brachia diu extenſa ſervavit, alio pedes rigidi & extenſi fuerunt; immo interdum ex improviſo e lecto ſurrectus inſtar pyramidis immobilis ſtetit. In hoc triſti ſtatu, nitroſis largiter datis, Eſſentia dulcis Halenſis, quia in adſtantium votis erat, propinata fuit, & quum hæc nihil proficeret, oleum animale Dippelii, finitis paroxyſmis, ad aliquot guttulas exhiberi iuſſi. Sed oleum & operam perdidi. Moſchum denique ad tria grana pro doſi pulveribus antiſpasmodicis addidi, quo bis vel ter ſub remiſſione paroxyſmorum quotidie aſſumto, gravis hicce morbus, ſucceſſive mitior factus, tandem, quæ Dei eſt gratia, evanuit.

Viceſimo enim quarto Aprilis ægrotantis Parens ſumme lætus mihi annunciavit, filium ſuum ab omnibus ſpaſticis inſultibus eſſe liberatum; a tot vero malis perpeſſis, impotentiam obambu-

ambulandi eſſe relictam, viresque deficere. Circa articulos, præſertim extremitatum inferiorum, obtuſum ſentiri adhuc dolorem, atque dolentes partes paululum intumeſcere. Auctor hinc fui, ut balnea ſeu inſeſſus ex herbis nervinis & tonicis conficerentur, poſt quorum uſum linimento nervino & antiſpasmodico artuum iuncturæ inungebantur. His ergo effectum eſt, ut puerulus cum ſanitate in gratiam perfectiſſime rediret. Tres abhinc anni præterlapſi ſunt, quibus vixit incolumis.

Non poſſum non, quin Corticis Chinæ hic mentionem faciam, cuius egregiam virtutem in eiusmodi periodicis & ſtato tempore recurrentibus ſpaſticis affectibus alias ſæpius expertus ſum. Variis vero obſtaculis impeditus fui, quo minus eiusdem energiam in hocce caſu tentaverim.

(*Magdeburgo Halam miſſæ d.* 28. *Iulii* 1764.)

## OBSERVATIO LXXV.

## Dn. D. IOANN. CHRISTIAN. DANIEL SCHREBER

### *Sisyrinchii verus character naturalis genericus.*

Sisyrinchium apud veteres appellata fuiſſe creditur planta, quæ Iridis ſpecies eſt; teſte Clusio, Lobelio. Vid. Bauhini *Pin. p.* 40. *Fabius* Columna nomen iſtud alii dedit plantæ, quam deſcripſit in *Ecphraſi T. I. p.* 328. 329. Botanici ſeniores, Petiverus, Breynius, Oldenlandus, Hermannus, eo retulerunt plures plantarum ſpecies, in Indiis detectas, quarum nomina collecta habentur apud Pluckenetium in *Almageſto botanico.* Magnus Tournefortius, quum plantas in genera & ſpecies cogeret, ex omnibus his tria exſtruxit genera; unum Si-

ſyrinchii, quod ſpecies Cluſianas; alterum Bulbocodii, quod Columnæas, tertium Bermudianæ, quod recentiores Indicas ſtirpes comprehendit. Vid. *I. R. H. p.* 365. *Coroll. p.* 50. *I. R. H. p.* 387. Eius veſtigiis maxima pars Botanicorum poſt illum inhæſit, usque dum Tournefortio maior Linneus, iactis firmioribus Phytologiæ fundamentis, genera Tournefortiana male ſtructa diruere coactus fuit; quæ ruina etiam hæc genera deſtruxit, & Siſyrinchium *Iridi*, Bulbocodium *Croco* reddidit, dictitante fructificationis lege. Ex Bermudianæ vero genere duo nova genera exſurrexerunt, unum *Ixiæ*, cui & pleræque ſpecies novæ a Tournefortio intactæ relictæ, & poſtea, urgentibus accuratioribus obſervationibus, etiam *Bulbocodium* Tournefortii acceſſit; alterum autem, vacuo nunc nomine *Siſyrinchii* donatum. Hoc genus Linneanum, de quo iam loquimur, unam ſub ſe comprehendit ſpeciem, veteribus incognitam, & ſuperiori demum ſeculo detectam; hæc autem duas exhibet varietates, quas cum ſynonymis Auctorum allegavit ſummus Linneus, *Sp. Pl. ed.* 2. *p.* 1353. & demonſtravit, quod ambæ ſpecie non differant. Varietates autem ipſæ ſequentes ſunt:

α. Bermudiana, *caule tereti*, a neſcio quo detecta, & in Anglia primum culta:

Iris phalangoides bermudiana, flore parvo ex cæruleo & aureo verſicolore. *Pluk. alm.* 199.

Siſyrinchium bermudenſe, floribus parvis ex cæruleo & aureo mixtis; iris phalangoides quorundam. *Pluk. alm.* 348. *t.* 61. *f.* 2.

Bermudiana iridis folio, fibroſa radice. *Tourn. Inſt.* 388. *Dill. Elth.* 48. *t.* 41. *f.* 48.

β. Virginiana, *caule alato*, a Botanico egregio *Baniſtero* p.m. inventa:

Gla-

Gladiolus cæruleus hexapetalos, caule etiam gladiato. *Baniſt. Cat. virg.*

Siſyrinchium cæruleum parvum, gladiato caule, virginianum. *Pluk. alm.* 348. *t.* 61. *f.* 1.

Bermudiana graminea, flore minore cæruleo. *Dill. Elth.* 49. *t.* 41. *f.* 49.

Deſcriptiones utriusque ſpeciei dedit Dillenius in horto Elthamenſi, iconibus abſolutiſſimis illuſtratas. Characterem genericum, poſt Tournefortium, *Linneus* in Generibus plantarum exhibuit.

Præterita æſtate, dum in ſtructura florum rimanda occupatus eſſem, quarum copiam mihi ſuppeditavit inſtructiſſimus hortus Ludvigianus, florem Bermudianæ accuratius inſpexi, & characterem eius longe alium obſervavi, quam deſcriptum inveni; hinc non ſuperfluum eſſe duxi, deſcriptionem eius, quam perplura ſpecimina mihi ſuppeditarunt, cum vero exinde formato charactere naturali generico, cum Botanicis, omni qua par eſt modeſtia, communicare.

Calyx: *ſpatha communis* bivalvis: *valvulis* navicularibus, compreſſis, carinatis, acutis, quarum exterior paullo maior, baſi vaginalis; *propriæ* plures minores, lanceolatæ, concavæ, membranaceæ, obtuſæ; ſingulæ uniſloræ.

Corolla: *Petala* ſex, baſi coalita, erecta, infra medium patentiſſima, obovata, integerrima, plana, obtuſa, ſeu leviter emarginata, nervo dorſali excurrente in *mucronem* breviſſimum, ſubulatum, inflexum. Horum petalorum tria exteriora paullo latiora interioribus; ordine alterno poſita.

*Color:* Corolla cæruleo-violacea, venis obſcurioribus longitudinalibus, baſi maculis flavis ſuperne crenatis ornata, ſubtus pallidior, nervo dorſali vireſcente.

Sta-

STAMINA: *Filamenta* tria, baſi corollæ inſerta, connata in *tubum* triquetro-cylindraceum, corolla dimidio breviorem, inferne glandulis capitatis, brevibus adſperſum, ſuperne lævem, apice leviſſime trifidum, interne melliferum, albidum.

*Antheræ* tres, ovatæ, baſi bifidæ, a medio ſuperne filamentis affixæ, biloculares, luteæ.

PISTILLUM: *Germen*, obovatum, trigonum, obtuſum, infra receptaculum floris, viride, pilis ſimplicibus truncatis erectis pubeſcens. Stylus longitudine tubi filamentorum, eoque incluſus, triqueter, lævis. *Stigma* craſſiuſculum, antheris longius, ovato-triangulare, apice trifidum: laciniis erectis.

PERICARPIUM: *Capſula* obovata rotundato-triquetra, apice umbilicata, rudimento ſtyli acuminata, trilocularis, longitudinaliter dehiſcens, fuſca.

SEMINA plura, angulata, punctato-ſcabra, nigra, bi-ſeu trifariam intra quodvis loculamentum *columellæ* affixa, *funiculo* breviſſimo filiformi.

His obſervatis character naturalis genericus erit ſequens:

## SISYRINCHIUM.

CAL. *Spatha communis* anceps, diphylla: valvulis compreſſis acuminatis; *propriæ* lanceolatæ, concavæ, obtuſæ, unifloræ.

COR. *Petala* ſex, baſi coalita, oblonga, obovata cum acumine, erecto-patentia, plana.

STAM. *Filamenti* tubus triqueter, baſi corollæ inſertus, eaque brevior, apice leviſſime trifidus. *Antheræ* tres, inferne bifidæ, biloculares.

PIST. *Germen* obovatum, inferum. *Stylus* triquetro-ſubulatus, longi-

longitudine filamenti. *Stigma* ovato-trigonum, trifidum, erectum.

PER. - - - ut in char. Linn.

SEM. - - - ut in char. Linn.

## *Corollaria.*

1. Ordo efflorescentiæ is eſt, quod flores exteriores prius, tum interiores prodeant & antheſin abſolvant, ſed quavis vice communiter unicus, raro duo aut tres, quorum pedunculi verſus floreſcentiæ tempus elongantur ſpathaque altiores evadunt.

2. *Aeſtivatio*, ſive ordo complicationis, quem ſervant petala in flore nondum explicato, *eſt imbricato-equitans*, ita ut trium interiorum margo exterior ſeu dexter approximatus ſit margini interiori ſeu ſiniſtro trium exteriorum.

3. Flos quivis ante meridiem (hora matutina XI.) expanditur & fructificat, verſus noctem vero iterum clauditur ſecundum leges æſtivationis cum torſione ſpirali, ſic per unum alterumque diem perſiſtit, magis magisque marceſcit, tum tabeſcit & decidit; ſemel clauſus nunquam reviviſcit, adeoque ad flores ephemeros pertinet.

4. Corolla rectius monopetala, quam hexapetala diceretur, laciniæ enim apertè baſi cohærent. Nolui tamen iis litem movere, qui poſterius ſtatuunt, quum primo & perfunctorio intuitu hexapetala videatur.

5. Stamina baſi corollæ inſiſtunt, concretio eorum cum baſi corollæ, attento ſpectatori manifeſtiſſima eſt, decidunt quoque cum corolla, nullo relicto veſtigio.

6. Quæ hactenus dixi, non ſolum de Siſyrinchio, ſed & de Ixia

 valent;

valent; quæ ambæ ſunt monopetalæ, ſtaminibus corollæ inſertis.

7. Staminum filamenta in Siſyrinchio connata ſunt in tubum, cuius angulos faciunt eorum commiſſuræ; apice autem a ſe invicem dehiſcunt prius quam antheras ſuſcipiant, hinc crenæ tres terminales tubi. Tubus in flore nondum explicato admodum brevis eſt, & ſenſim ſuccreſcit. Antheræ impuberes tubo ſunt parallelæ, tumidæ & tubo fere longiores, aut ſaltim ſuppares; poſt exploſionem pollinis vero baſi dehiſcunt a tubo.

8. In cavo tubi ſtaminum ſtylus erigitur, undique liber, ut in aliis monadelphis, nec ullibi cum tubo connexus, ne quidem mediante quadam celluloſa; quod facillime obſervatur, ſi tubus acicula longitudinaliter aperitur, quo facto tubus apertus cum corolla a germine ſeparari poteſt, ut ſtylus ſolus ſuperſtes ſit; debilis autem eſt, & absque ſtaminum tubo ſitum erectum ſervare nequit. Longitudinem tubi exacte ſervat, & cum eo ſuccreſcit. Stigma virgineum lacinias gerit connexas, defloratum paullo magis divergentes, ſemper erectas, nunquam reflexas.

9. Stylus obſervatur continuatus in germen eiusque columellam, cuius ſummitatem conſtituit. Ceterum ſolidus eſt, celluloſa ſucculenta repletus. Germen ſuperius & inferius vacuum eſt.

10. Structura capſulæ, & leges diſſeminationis in hac planta ſatis notæ ſunt; quibus itaque enarrandis ſuperſedeo.

## Explicatio Figurarum Tab. VI.

Num. 1. *Spatha communis* antequam flores produxerit clauſa.

2. Spathæ communis *valvula exterior* baſi connata in vaginam.

3. *Val-*

3. *Valvula* eiusdem *interior.*
4. *Spatha propria.*
5. *Corolla* aperta cum ſtaminibus, ut coaleſcentia petalorum inter ſe & cum tubo ſtaminum appareat.
6. Eadem ſubtus ſpectata.
7. *Flos impubes* clauſus, eius imbricatio laciniarum corollæ, & harum connexio.
8. *Lacinia corollæ* ſeparata, a latere; &
9. Eadem anterius viſa.
10. 11. *Germen* floris virginei *cum ſtaminibus*, naturali & aucta magnitudine, ſeparata corolla, cuius rudera videntur ad *a.* ſtigma vero emergens *b.*
12. *a. b. Filamentum* cum antheris a tubo dehiſcentibus poſt caſum pollinis, naturali & aucta magnitudine, ſuperius ſpectatum.
13. *Filamentum* cum anthera ſua ſeparatum a latere interiori.
14. 15. *Anthera ſeparata* naturalis & aucta, antice, &
16. eadem poſtice viſa, ut appareat connexio eius a medio ad apicem. *c.* pars reſidua filamenti.
17. *Stylus* cum *ſtigmate* in ſtatu virginitatis,
18. idem poſt deflorationem,
19. idem ab alio latere,
20. idem tubo filamentorum incluſus, ſeparatis antheris, ut crena uno in latere in conſpectum prodeat.
21. *Sectio perpendicularis floris* nondum explicati, ubi
    - a. corollæ pars
    - b. eius commiſſura cum germine & coaleſcentia cum ſtaminibus.

c. tubus ſtaminum in medio cavus, exemto ſtylo, cuius pars inferior reſtat, & per umbilicum germinis continuatur in eius columellam.

d. germen, cum columella in medio & ſeminibus ei utrinque adhærentibus.

22. *Sectio horizontalis floris* impuberis, ut æſtivationis modus oculis ſubiiciatur.

(*Lipſia Halam miſſa d.* 18. *Auguſt.* 1764.)

## *OBSERVATIO LXXVI.*

## Dn. D. IOANN. PETRI EBERHARD.

De

## *raro & ſingulari Symptomate mali hypochondriaci.*

Rectiſſime ſane Illuſtr. b. m. HOFMANNVS de malo hypochondriaco pronunciavit *), *quod nulla corporis pars ſit, nullaque functio, quæ in longiſſimo hoc morbo non lædatur, inſimulque ſymptomata tam gravia tamque varia ſint, ut vix cuncta recenſeri queant.* Sunt autem, inter reliqua huius mali ſymptomata, haud levis momenti ea, quæ in nervoſis partibus, & organis imprimis ſenſoriis obſervantur. Sic animadvertimus, viſus obſcurationem, imo cœcitatem periodicam, aurium tinnitus atque ſuſurrus, aliaque plura, hypochondriacis quam maxime eſſe familiaria. Inter varia autem hæcce ſymptomata, rariſſimum illud eſt vitium, quod ſenſum *tactus* afficit, & quod ante plures annos in iuvene viginti duorum annorum animadverti, qui ſtudiorum cauſſa hic commorabatur.

Erat is cholerico-melancholicus, habitus ſtrictioris, plethoricus

*) *Medicin. ration. ſyſtemat. Tom. IV. Part. 3. Sect. 1. Cap. 6.*

ricus & ad acutos morbos proclivis. Incidit is propter nimias lucubrationes & profundiores, abſtruſas inprimis, meditationes, in malum hypochondriacum. Præter ſueta huius morbi ſymptomata, hypochondriorum tenſiones, ſpaſmos in abdomine, vertiginem, ſimiliaque, conquerebatur de ſingulari tactus vitio. Omnia enim, quoad paroxyſmus ſpaſticus durabat, duplicia ſibi tactu videbantur, ita ut ſi cultrum extrema parte digitorum tangeret, vel librum, duo cultra vel duos libros adeſſe exiſtimaret, licet viſu unicum tantum adeſſe cognoſceret. Idem illi etiam videbatur, ſi partes corporis proprii tangeret, ita ut, ſi digito dextræ manus digitum ſiniſtræ manus, vel naſum tangeret, duplicem ſe digitum vel duplicem naſum tangere exiſtimaret. Durabat hoc per aliquot horas, deinde, ſpaſmis mitigatis, ceſſabat.

## *Epicriſis.*

Si ſingularis huius ſymptomatis rationem inquiramus, difficile id quidem explicatu videtur, vero tamen ſimiles aliquas proferre licet conjecturas. Illuſtrationis cauſſa adducam experimentum ſequens: Si globulum minorem extremo indicis & medii digiti, transverſim inter ſe iunctis, tangas, unum tantum globum te tangere ſentis; ſi vero per aliquot momenta tactum hoc modo globulum hac illac inter utriusque digiti extremitatem volvas, duplex globulus videbitur, ita quidem, ut non ſolum duos globulos tactu dignoſcas, ſed digitus inter utrosque globulos verſari videatur. Ratio huius experimenti hæc eſſe videtur: Anima ex omni, in organo ſenſorio ab externa cauſſa excitata, ſenſatione ideam accipit obiecti extra ſe poſiti. Si itaque digito globum ligneum tango, primo idea in me oritur corporis duri; dum ſucceſſive volvendo hoc corpus in variis partibus tango, eius rotunditatem animadverto, & propter partium inter ſe continuitatem idea tandem in me oritur unius globi præſentis. Iam ſi duobus digitis eundem globum tango, e. g.

 indice

indice & medio, animadverto, indice me tangere partem globi ſiniſtram, medio vero digito partem dextram, adeoque diverſas partes unius eiusdemque globi. Duæ diverſæ hic adſunt ſenſationes, pars enim A globi, quem indice tango, differt a parte B globi, quem tango digito medio. Volvendo globum, continuitatem animadverto inter A & B, adeoque concludo, unicum tantum adeſſe globum. Verum ſi transverſim poſitis digitis globum tango, eundemque celerrime inter utrumque digitum volvo, partem globi A, quam indice tango exiguo temporis intervallo interiecto, iam tango digito medio. Et cum exiguum hoc temporis momentum animadvertere nequeo, utroque digito eandem partem A me tangere exiſtimo, adeoque inde oritur idea duorum globulorum. Cum enim ſenſatio, ex tactu partis globi A in indice orta, eadem ſit cum illa, quam eodem fere tempore ex tactu eiusdem partis A in medio digito percipio: unum vero obiectum in duobus locis exiſtere nequeat, neceſſario anima duo adeſſe obiecta iudicat.

Adplicari hoc generatim poſſe videtur ad omnes ſenſationes, indeque formari ſequens regula: *Si ſenſatio unius eiusdemque obiecti ſimul eodem modo in duabus diverſis organorum ſenſoriorum partibus oriatur, & conſenſus reliquarum ſenſationum non obſtet, ſemper duplex adeſſe obiectum nobis videbitur.* Sic ſi cultri cuſpidem digito tango, & alio digito eodem tempore etiam cuſpidem cultri tango: duos cultros adeſſe iudico. In oculo idem accidit. Si imago obiecti cuiusdam in puncto oculi $\alpha$ formetur, & eadem imago eodem tempore in puncto $\beta$ adſit, uti hoc fieri poteſt ope vitri polyedri, duplex obiectum videbitur; ſic triplex obiectum videbitur, ſi in tribus diverſis oculi partibus una eademque imago adſit.

Hiſce generalioribus præmiſſis, explicari ſingulare hoc phænomenon hypochondriaci aliquo modo poterit. Omnes ſcilicet ſenſationes, in organis ſenſoriis ortæ, tandem fluidi nervei ope

ope ad ſenſorium commune propagantur, ibique in certo quodam puncto ab anima percipiuntur. Ex variis locis, in quibus ultima hæc ſenſatio in ſenſorio communi percipitur, varios obiectorum ſitus diiudicat anima. Cum ſenſorium commune admodum exiguum occupare debeat ſpatium in cerebro, diverſa hæc puncta, in quibus obiecta in eodem percipiuntur, parum inter ſe diſtabunt. Pone iam nervum, per quem tactus exerceri debeat, eſſe in hypochondriaco debilem, adeoque ad vibrationes & tremores in minimis partibus proclivem. Propter hanc vibrationem, quæ in itu & reditu partium conſiſtit, duo puncta ſenſorii communis ſimul adficientur, & in anima idcirco orietur idea duplicis corporis, tactu percepti. Ceſſante paroxyſmo hypochondriaco, ceſſat quoque tremor nervorum, adeoque & peculiaris hæc ſenſatio.

(*Halæ communicata d.* 12. *Octobr.* 1764.)

## OBSERVATIO LXXVII.

## Dn. D. PETRI de WESTEN.

### *Oedema genitalium, cum inflammatione aliisque adhuc morbis coniunctum, in gravida.*

Vxor maritata, viginti quatuor circiter annorum, ſtatura mediocri & animo tranquillo prædita, vitam negotioſam vivens, ac huc usque ſana; quæ ſemel iam pepererat prolem; cum ſecunda vice eſſet gravida, poſt abſolutum graviditatis dimidium aliqualem genitalium externorum ſenſit tumorem mollem, indolentem, digiti impreſſi veſtigium levius ſervantem. Huic, ſucceſſive incrementum capienti, poſt aliquot ſeptimanas earundem partium dolor, itemque rubor accedebant; nec non ſanioſi humoris, aperte cum pure interdum permixti, e vagina effluxus; ac denique, idque potiſſimum ex affrictu qui ambulan-

bulando, aut alia ratione corpus movendo, evitatu erat impoſſibilis, excoriationes in labiorum vulvæ interna ſuperficie, ut & fiſſuræ circa frenulum vulvæ. Cumque dolor, ex hiſce morbis variis veniens, ultimato omnem fere corporis motum, in lecto etiam, interdiceret, noctesque redderentur inſomnes; circa initium octavi graviditatis menſis medicum poſtulabat auxilium gravida, ubi prima ſtatim in morbum facta inquiſitio, prædicta ſingula, ac præterea livorem partium affectarum aliqualem, detegebat. Fœtus interim, nunc more obſtetricio ſufficienter attingendus, naturali prorſus in ſitu collocatus, obſervabatur: quæque præterea ad graviditatem ſpectabant, inconſueti nihil ſecum habebant coniunctum.

Quoniam e malis hiſce nullum adeo moleſtabat, quam dolor, ad eundem mitigandum fomentationes, e lacte vaccino paratæ, omnium primæ adhibebantur, & quidem hoc ordine, ut alternis vicibus, vel lac calidum, veſica bubula incluſum, pubis regioni imponeretur; vel linteamina e lacte calido expreſſa; interne quoque antiſpaſmodica, cum tantillo Laudani opiati permixta, exhibebantur. Succeſſu temporis, & poſt dolorem quodammodo ſopitum, lactis pro fomentationibus uſui ſubſtituebatur vinum Gallicum, partim purum, partim reſolventium herbarum decocto coniunctum, ſimul & inflammationi imminuendæ, hinc gangrænæ etiam, quam lividus color prænunciare videbatur, arcendæ, & diſcutiendo tumori œdematoſo aptiſſimum, prætereaque & ſuppurantibus partibus vapore ſuo vinoſo ac mundificante perutile. Fiſſuris quoque & excoriatis locis partim illiniebantur oleoſa, e. g. oleum lilior. alb. oleum hyperici, &c. partim balſamica, utpote oleum ovorum cum pauco balſami Peruviani & oleo Myrrhæ per deliquium commixtum; tandemque, cum ne ſic quidem conſolidatio procurari poſſet, adſtringendi & exſiccandi fine alumen ſaccharinum, mediocri portione in aqua Calcis vivæ ſolutum.

Hæc

Hæc omnia ad tempus quidem ſolatium afferebant, funditus tamen eradicando malo haud erant paria. Interim cum minori, quam antea, moleſtia graviditatis ſpatium totum abſolvebat gravida, mox lecto incumbens, mox leniter obambulans, prouti circumſtantiæ præſentes ipſi permittebant; donec tandem, finita graviditate, partu naturali, eoque minime difficili dicendo, filium eniteretur. Quo facto, medicamentisque commemoratis adhuc per aliquod tempus in uſum ductis, & inflammatio genitalium, & œdema, & quæ præterea infeſtarant mala, ſucceſſive abibant, ſanitasque integra revertebatur.

Durante etiam hoc decurſu, octavo graviditatis menſe, febre catarrhali, tum temporis epidemica quaſi, corripiebatur gravida, qui tamen morbus adhibitis potionibus refrigerantibus, leniter diaphoreticis, temperantibus, nitroſis, coniuncto regimine conveniente, brevi evaneſcebat.

Vt paucis huius generis exempla nonnulla proferam, adhuc ſupereſt, & licet in plurimis, ſi non omnibus circumſtantiis huic, tamen in maximis ita conveniunt, ut Lectori pro confirmatione huius obſervationis & ulteriori eius explicatione inſerviant; talemque ſic caſum inveni in Ephemer. Nat. Cur. Volum. IV. Obſ. II. pag. 8. a *Carol. Ioſeph. de* GEORGIIS; Volum. V. Obſ. IX. pag. 49. a *Ioh. Philipp.* BVRGGRAV, & in Volum. X. Obſ. CIII. pag. 407. a *Georg. Henric.* BEHR, ſimilemque narrat *Ioh.* LOMMIVS inter Obſerv. med. pag. 160. & *Benedictus* SYLVATICVS in ſuis Conſil. & Reſponſ. medicinal. Cent. II. Conſ. 87. itemque *Franc.* MAURICEAU, Traité des Maladies des femmes & *la* MOTTE in Obſ. 187. 313. 427. compluresque alii.

Notari quoque hic de hac puerpera merentur iſta, quod primis menſibus, ante narratum œdema & inflammationem, ſalivam dulcem, inſtar ſacchari, ſolito copioſiorem, in ore ad nauſeam usque, ſine ſufficiente ratione huius dulcedinis, quoti-

die, imprimis circa matutinum tempus collectam, ſenſerit ægra. Purgationibus exhibitis hoc ſuſtuli incommodum, ſed, tempore aliquo præterlapſo, œdema commemoratum ſe monſtrare incepit.

Nonne ex hiſce probabiliter colligi poterit, quod ſaliva ſaccharina æque ac œdema genitalium ex ſcorbutica aliqua corporis conſtitutione deducendum ſit? id quod mihi haud difficulter probari poſſe videtur, plurimi dum abeunt in ſententiam BONTEKOE & PECHLINI, ſcorbutum aliis morbis ſe poſſe immiſcere, quod ulterius etiam in I. D. H. *nova Pathologiæ delineatione Part. II. Sect. I. §.* 169. *pag.* 262. videri poteſt, imprimis cum nec deſint complures alii, qui talia, ſalivam corruptam, imprimis dulcem, ad Stomacacen referre volunt, quos etiam in *Ephem. Nat. Cur.* inveni, ſcilicet *Olaus* BORRICHIVS, *Salomon* REISELIVS, *Ioh.* BVRGIVS, *Ioh. Georg.* HOYERVS, *Pet. Anton.* MICHELOTTI, aliique, ut EVGALENVS, SENNERTVS, WILLISIVS, CHARLETON, LISTER, &c. hac in re conſentiunt.

Ceterum me pariter haud fugit, quod in praxi clinica etiam quotidie, matutino tempore inprimis, talem corruptam ſalivam, vel ſalſam, vel acidam, vel acrem, vel amaram, &c. ſe ſenſiſſe dixerint quam plurimi, hinc ſaporem acidum hypochondriacum malum, ſalſum catarrhum, coryzam, ſcelotyrben, ſtomacacen, amarum, bilioſum, icterum pluresque alios morbos pronunciare veriſſime exiſtimo, id quod Medici in obſervationibus ſæpe recenſent; quod ad dulcem vero attinet ſaporem, non frequenter tales inveniuntur caſus, quod raræ obſervationes medicæ teſtantur. Quare hæc notatu digna putavi, quæ adferrentur. Quodſi iam hæc, quæ de hoc phænomeno a Medicis perhibentur, admitti debent, cum dulcedo hæc ſalivæ tamquam prævia cauſſa iſtius œdematis merito exiſtimanda ſit, ſequitur, ut ſic colligam, nimirum, naturam, ſalivæ huius beneficio, ceu vehiculo, malum iſtud ſcorbuticum a ſe amoliri

liri atque reiicere contendiſſe, materiam autem ſcorbuti, præcluſa medicamentis ſibi via & obſtructa, alio ſeceſſiſſe, ſeque in genitalia conieciſſe, atque ſic non ſpeciem morbi, ſed locum & ſedem eiusdem ſolum mutaſſe.

## Scholium.

In gravida, de qua Obſervatio hæc agit, concurriſſe ſimul, œdema, inflammationem ſanguineam, ſuppurationem intertriginis, fiſſuras, ac, per aliquod tempus, febrem catarrhalem, ſicque morbum hic adfuiſſe complicatum, dictarum ægritudinum ſigna diagnoſtica patefaciunt. Conſtat nimirum ex chirurgicis, tumorem mollem, indolentem, qui cutis colorem non admodum mutat, atque a digiti apice impreſſam foveolam aliquamdiu retinet, dici *Oedema*, ſive tumorem œdematoſum; qui morbus in gravida deſcripta omnium primus, & ſtatim cum initio ultimi dimidii graviditatis apparuit. Porro ex eodem fonte patet, tumorem, cui iungitur dolor & partis adfectæ rubedo, componere inflammationem, ac in ſpecie ſanguineam: & quamvis in inflammatis partibus, una cum prædictis ſymptomatibus, etiam adſint pulſatio arteriarum fortior, nec non calor, atque durities quædam ſive tenſio; hæc ultima tamen in præſenti ægrota adeſſe in gradu notabili non potuerunt, quoniam coniunctum œdema, ceu effectus calori & duritiei e diametro oppoſitos producens, eorum portionem quandam deſtruxit. Præterea *ſuppurationem* factam manifeſtavit pus, cum reliquo humore prodiens e vagina: *excoriationes & fiſſuras* ocularis inſpectio detexit, *Febris* denique catarrhalis immixtæ præſentiam, eo, quo aderat, tempore, indicarunt paroxyſmi febriles irregulares, cum horripilatione incipientes, ac deinde æſtu volatico, atque ſudore inſequente, moleſti; & mox maiori, mox leviori, nunquam tamen penitus abeunte vehementia infeſti.

Cauſſa chirurgicorum malorum occaſionalis non alia in caſu

præſenti fuit, quam graviditas: certe pro præcipuo iure meritoque habetur totius morbi fundamento. Vterus namque fœtum gerens, dum in maiorem, quam antea, molem extenditur, maius quoque, quam antea, ſpatium affectat, ſicque partes vicinas, interque illas vaſa quoque ſanguifera maiora, in abdomine occurrentia, comprimit. Iam dudum vero experientia docuit chirurgica, *œdematoſos tumores* indubitate ſequi venarum, in ſpecie maiorum, a quacunque cauſſa factam compreſſionem, &, qui exinde oritur, ſanguinis refluxum ad cor impeditum. Cum igitur uterus fœtum gerens, mole extraordinaria incumbat venæ cavæ deſcendenti, quatenus per abdomen hæc extenditur, nec non, quæ illius ſunt rami inſigniores, venis iliacis ambabus, easdem comprimat, mirum non eſt, gravidis œdemata, tam in extremitatibus inferioribus, quam in pudendis, eſſe familiaria.

Aſt & partes, œdemate tumentes, eundem edunt effectum, quem comprimendo edit uterus gravidus. Ipſæ namque, aut potius ſerum in iis ſtagnans, easdemque extendens, maius, quam antea illis opus erat, requirunt ſpatium, atque ſic canaliculos proximos quoslibet, & in ſpecie arteriolas ſanguiferas, partes haſce perreptantes, compreſſione reddunt arctiores, unde tranſitus arterioſi ſanguinis moleſtior factus, retardationi particularum quarundam in dictis arteriolis, adeoque obſtructioni earundem, anſam porrigit. Eſt vero obſtructio arteriolarum ſanguiferarum cauſſa *inflammationis ſanguineæ* proxima, quemadmodum Auctores chirurgici ſinguli annotant, & ego quoque in *Diſſertatione mea inaugurali §. II.* mox ſub initium demonſtravi. Hinc, in gravida ſuperius deſcripta, adhuc graviditas, quamvis mediate tantummodo, inflammationis, quæ œdemati tandem ſupervenit, fundamentum exſtitit.

Inflammatione, ſi vel a primo ſtatim principio ad culmen aliquod aſcendat, vel eius cauſſa ſuperari nequeat, adeoque

diutius

diutius protrahatur ea, ſupervenire tandem, idque certiſſime, *ſuppurationem*, inter Chirurgiæ gnaros conſtat. Adeoque in caſu narrato ſuppuratio in nonnullis locis non potuit non ſuccedere, quoniam graviditas, œdematis ac deinde inflammationis cauſſa, ante abſolutum partum removeri minime poterat.

*Excoriationes* denique atque fiſſuræ, partim propter continuum madorem, ab effluente ſanie ortum, partim a motu crurum, eundemque ſecuta alliſione labiorum vulvæ inter ſe invicem, reliquis malis ſeſe iunxerunt.

*Febris* vero *catarrhalis* cauſſam, præter contagium, conſuetarum febris eiusmodi cauſſarum occaſionalium aliqua, vel error diæteticus quidam, gravidis familiaris ſubinde, vel animi affectus vehementior, vel alia, conſtituit: quam ſollicite nunc indagare, cum nonniſi caſualiter febris acceſſerit, & brevi iterum abierit, ſuperfluum duco.

Quod attinet ad *Prognoſin*, tum temporis, cum adhuc dum ſubſiſteret morbus complicatus, formandam; facile erat præſcitu, eundem durante graviditate non debellatum iri pleniter; quod & eventus probavit. Non enim modo in genere morbus oritur ſumme pertinax, ſi in gradu tantummodo aliquo conveniant hydrops externus atque inflammatio, idque eam ob cauſſam, quoniam medicamenta e diametro oppoſita requirunt ambo hi morbi, adeoque, quæ alterum ſanant, ea alterum augent: quin & morbus oritur abſolute inſanabilis, ſi in gradu ſummo dicti illi morbi in eodem ægroto concurrant; quia, qualiscunque ex iis primo profligari tentetur remediis idoneis, alter eo ipſo gravior adhuc factus ægrum iugulat. Sed etiam in hoc caſu *ſuppurationis* finem expectare velle, erat inutile, quoniam *inflammationis* diſcuſſionem impediebat perſiſtens œdema & arteriolarum compreſſio; tantum quoque aberat, ut *tumor œdematoſus* ſuperari poſſet, ut potius appropinquante ſenſim partu augeretur neceſſario, quia compreſſio venarum antea commemo-

ratarum, cum mole uteri augeſcente, increſcebat, & cum hac compreſſione quoque impedimentum refluxus ſanguinis e partibus abdominis infimis, atque inferioribus extremitatibus in dies maius reddebatur. Quod idem & iudicandum erat de *vulnuſculis* præſentibus, quorum ſcilicet conſolidatio ſperari nullatenus poterat, antequam & humoris ſanioſi effluxus ceſſaret, partesque hæ tumiditatem, qua tunc laborabant, deponerent, & eius loco ad naturalem reverterentur, ope partus abſoluti, ſtatum.

Reſtat, ut accurate demonſtrem, *medelam* adhibitam eam fuiſſe, quæ ſecundum Therapiæ regulas adhiberi debebat. Et primo quidem quoad *febrem* iunctam, in eandem convenire, quæ velociorem ſanguinis curſum ſedant, methodus medendi rationalis docet. Atque e Materia medica conſtat, eiusmodi virtutem in ſpecie ineſſe Nitro, variisque, quæ in Pharmacopoliis proſtant, exinde præparatis, itemque remediis refrigerantibus quibuslibet, quo nomine tam aquæ deſtillatæ & diluentia omnis generis, veniunt, quam acida gratiora, ſuccus citri, berberum, mororum, dulcificatus &c. Porro, cum contagium quodvis haud alia ratione e corpore eliminetur, quam blanda diaphoreſi; in deſcripta quoque ægrota leniora diaphoretica, e.g. antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, pulveres bezoardici varii, quibus ſimul temperandi vis adſcribitur, pariter ac regimen nec frigidum, nec nimis calidum, ſed temperatum, merito, cum antea dictis remediis, morbo huic interno opponebantur.

Quoad morbum chirurgicum præſentem principia artis iubent partim, ut, præſentibus duobus morbis coniunctis, ante omnia ei obviam eatur, qui ſocium & ſymptomatum vehementia, & periculo ſuperat; partim monent, inflammationem magis ſemper, propter dolorem iunctum, moleſtare, magisque propter gangrænam, quam aliquando infert, eſſe timendam, quam

quam œdema, quod per ſe eiusmodi quid nunquam poſt ſe trahit. Adeoque & in ægrota deſcripta initium medelæ merito faciebant fomentationes, primum propter vividiorem dolorem emollientes, cum lacte paratæ, atque in obſervatione deſcriptæ; iunctis, ex eodem fundamento anodynis internis; deinde adhibebantur, quæ reſolvendi ſua virtute ſanguinem ſtagnantem diſcutere apta ſunt nata. Vult namque Chirurgia ſanior, ut in quacunque *inflammatione*, ſi ad aliquod tantummodo augmentum pervenerit, primus medentis ſcopus omni poſſibili modo dirigatur contra dolorem, adeoque emollientibus ſolis atque anodynis medela tentetur, donec, ſummum punctum ſupergreſſus morbus, ad diſcutientia venire permittat; cumque diſcutientium medicamentorum tres dentur ſpecies, eorundemque alia ſimul anodynam poſſideant virtutem, e. g. Chamomilla, Melilotus, Sambuci flores, Crocus; alia, quæ diſcutientia proprie dicta audiunt, irritandi vi adhuc polleant, utpote vinoſa, ſpirituoſa, aromata, plantæ aromaticæ, ſalia, ſaponacea, gummata, reſinæ, &c. alia denique & diſcutiant & adſtringant, quo pertinent, vinum rubrum, e vegetabilibus adſtringentibus varia, Vitriolum, Alumen, & exinde confecta: eadem præcepta monent, ut, quando in inflammatione ad diſcutientia itur, primo adhibenda ſint, quæ ad primam claſſem referuntur, i. e. quæ anodyna ſimul agunt virtute: deinde applicentur diſcutientia proprie dicta; tandemque medelam claudant diſcutientia adſtringentia.

*Tumor œdematoſus*, quemadmodum in chirurgicis monſtratur, pro baſi agnoſcit inflammationem ſeroſam ſive obſtructionem in arteriolis ſeroſis, forſan & lymphaticis, factam; atque fortiſſima diſcutientia eadem, quæ ſimul irritationem in partibus affectis producunt, non modo perfert, ſed & poſtulat. Atque hinc patet ratio, cur in omni morbo compoſito, qualis nunc deſcribitur, medicamenta inflammationi ſanandæ præ ceteris

teris idonea, ſive emollientia, œdema præſens augeant; e contrario autem, quæ œdemati opponuntur, diſcutientia nimirum fortiora, irritatione ſua inflammationem reddant graviorem. Certius vero adhuc minuunt œdema ſcarificationes, quæ alias ultimum in tali ſtatu remedium conſtituunt. In gravida, de qua hic agitur, non niſi priora adhiberi poterant; fomentationes nimirum reſolventes, ac inter eas leniores tantum, quæ & ſimul emollientium, antea impoſitorum, efficaciam, œdemati in ſpecie haud adeo ſalutarem, emendabant. Chirurgicam vero efficaciorem medelam partus diſſuadebat inſtans, a quo maximus morbidis genitalibus iam iam metuendus erat dolor, ut ideo is ſcarificationibus minime fuiſſet augendus.

*Suppurationi* in præſenti caſu, præter fomentationes vinoſas, opponi ſpeciale nihil poterat, quoniam omnis illius medela nunc conſiſtebat in quantitate puris ſenſim imminuenda; hæc vero iterum ſupponebat inflammationis, ceu cauſſæ efficientis, gradum ſucceſſive decreſcentem; cuius propoſiti exſequendi hac vice impoſſibilitas per antea deducta ſatis liquet.

Atque ſic aliud iterum in curandis morbis complicatis tædium pateſcit. Quæ enim puris quantitas poſtulabat mundificantia, vapore vinoſo fortiora; ea maior, exinde metuenda, inflammatio interdicebat.

*Excoriatis* quoque partibus illinita balſamica, propter continuam humiditatem fibrarum nimiam, effectu omni ſalutari, quem alias edunt, privabantur, niſi quod, cum oleis applicatis, partes aliquamdiu a tranſeunte humore defenderent.

*Fiſſuræ*, in labiis oris haud raro occurrentes, & in gravida deſcripta frenulum vulvæ potiſſimum obſidentes, vera ſunt vulnera, adeoque medelam vulneri congruam expoſcunt. Iam vero vulnus nullum unquam conſolidatur, niſi ſauciatis fibris quies concedatur omnimoda, atque ſuperfluus quilibet mador

omni

omni aut præcaveatur, aut arceatur modo. Id autem in caſu narrato penitus erat impoſſibile, quoniam & internæ partes ſuppurantes, & excoriata loca œdematoſa, tantum liquoris continuo fundebant, ut ipſius etiam aluminis, fortiſſime alias exſiccantis atque conſtringentis, efficacia redderetur inutilis: quoad quietem vero neminem fugit, eandem a gravidis, ob varia, ab ipſa graviditate oriunda, incommoda, ſolo corporis motu aliquo pallianda, minime exſpectari debere.

Optimam tandem opem praeſtabat partus abſolutio, quem actum, licet, durante foetus excluſione, non modo oedema atque inflammationem, ſed et vulnuſcula augeret, mox tamen, remota morbi cauſſa principali, id eſt ſublata venarum abdominis maiorum compreſſione, adeo ſalutaris comitabatur effectus, ut poſt breve tempus, medicamentis continuatis, tumor oedematoſus abiret, inflammatio pedetentim evaneſceret, ſuppuratio terminaretur, & vulnuſcula conſolidationem admitterent, ſicque omnia ad ſtatum redirent naturalem, & univerſo morbo hac ratione finis imponeretur.

## *OBSERVATIO LXXVIII.*

## Dn. D. PETRI de WESTEN.

### *Partus naturalis difficillimus, puerque monſtroſus.*

Ruſtica, trigeſimum aetatis annum iam ſupergreſſa, & aliquot iam iam liberorum mater, quos naturali, neque adeo laborioſo partu excluſerat; ſtaturae mediocris, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, nunc iterum gravida; poſt finitum rite graviditatis tempus, ſana alias ac vegeta, conſueta parturientium ſymptomata prima experiebatur, dolores ſcilicet in abdomine vagos, partus inſtantis praenuncios, & gravidam per unum alterumve diem ſat male afficientes, tandemque, poſt-

quam pro more eiusmodi conditionis foeminarum eos, absque medicaminum appropriatorum uſu, pertulerat parturiens, in veros abeuntes partus dolores. Ruptis velaminibus, amnii liquor effluebat. Foetus, naturaliter ſitus ab obſtetrice praeſente inveniebatur, caputque eius ſenſim intrare pelvim incipiebat. Cum vero aliqua illius portio ad pelvis partem inferiorem usque penetraſſet, fixum detinebatur caput, atque inter oſſa pelvis adeo haerebat inclavatum, ut neque fortiſſimis a parturiente adhibitis niſibus promoveri ulterius potuerit, praeſertim cum partus dolores tandem imminuerentur quoque, ac, ut ſaepius ſolent in tali caſu, ſucceſſive nimis redderentur debiles. Hinc parturiens, laboris hactenus inutilis impatiens, & immorigera nunc facta, neque obſtetricis, neque adſtantium monitis, obedire amplius volebat, ſed ſellam obſtetriciam, cui inſidebat, relinquens, cubile, quantum embryonis naſcendi ſitus praeſens ipſi permittebat, perambulabat cum moleſtia, & mulierculis nonnullis ſuffulta, atque ſic liberiori aëri incautius ſeſe exponebat, quin & obſtetricem de artis ſuae imperitia obiurgabat. Obſtetrix igitur, ut innocentiam ſuam, de qua & adſtantes dubitare animadvertebat, daret probatam, a Matrona Nobili, parturientis Domina, ac ſimul praeſente, maximis efflagitabat precibus, ut Medicum quendam obſtetricium, cuius quippe conſilia iam aliquoties utilia obſervaverat, in auxilium vocaret. Hunc ego comitans, cum venirem ad aedes parturientis, ſitum foetus deſcriptum inveniebam, id eſt, caput pronum atque in pelvim immiſſum, aſt & ſimul adeo fixum ibi haerens, ut ad invertendum foetum, eundemque pedibus extrahendum, ab oſſibus pelvis ſolvi reducique, quod ego tentabam, penitus recuſaret.

Interim adſtantes, unacum parturiente, opem non differendam expoſcebant, utque foetus, quem mortuum credebant ad unum omnes, quocunque modo, pro ſalvanda ſaltim matre educeretur, poſtulabant. Primo itaque *forcipis* cuiusdam

*An-*

*Anglicanae* crus unum immittere tentabam, deinde crura ambo, ut nimirum vel priori tanquam vecte aliquo, vel ambobus, arreptum caput promoverem.

Cum autem ne hoc quidem experimentum ſuccederet, ac, ſecundum omnem probabilitatem, foetus adhuc inter vivos eſſet numerandus, idque eo magis, cum pulſationem arteriarum, debilem vero, digitis meis, in cranio foetus poſitis, adhuc ſentire potui, praetereaque matri, non obſtantibus doloribus perpeſſis, & labore exantlato, vires adhuc ſupereſſent ſufficientes, ab omni ulteriori Chirurgia abſtinere decrevi, idque potius agebam, ut, ante omnia, blandiori ſermone, et ſpe facta partus tandem feliciter abſolvendi, animum parturienti adderem.

Praeterea, doloribus partus nunc mitiſſimis, ut, ad refocillandas paululum vires, lectulo ſuo quiete incumberet parturiens, imperabam, cui, eundem in finem, & hauſtus unus alterve vini, & medicamenta partim confortantia, partim antiſpasmodica atque temperantia, e. gr. pulv. antiſpasmodicus *Stahlii* cum pulvere bezoardico *Sennerti*, anatica portione cum aqua Menthae permixtus, propinabantur, inſimulque *ſellam Deventerianam*, quam mecum apportari curaveram, ceu praeſente ibidem ſella obſtetricia commodiorem, pro inſtante uſu praeparabam, ac tandem obſtetrici, quae artis ſuae haud erat ignara, commendabam, ut redeuntes partus dolores mitiores, absque omni vel a parte ſua, vel a parturientis parte, adiecta opera, tranſire ſineret tranquille; quam primum vero eosdem fortius urgere obſervaret, ut tum demum parturientem ſellae praeparatae imponeret, atque ſuo partim officio rite fungeretur, partim parturientem admoneret, ut & ipſa niſus, quos poſſet, maximos adderet. Quae ſingula, quoad parturientem in ſpecie, non niſi accedente ſeveriori mandato nobilis Matronae, ſemper praeſentis, & alias ſingulari erga homines ſuos manſuetudine celebris, exſequebantur.

Neque eventum ſpes fallebat. Vix enim hora una vel altera erat praeterlapſa, cum dolores partus redirent vividiores, et, parturiente nunc auxilium quoque ſuum ſtrenue adiiciente, eademque medicaminibus praedictis, nec non ſitu commodiori adiuta, partus haud ita diu poſt abſolvebatur feliciter, puerque mortuus, ſed monſtroſe formatus, naſcebatur. Quo facto puerpera, a placenta more ſolito liberata, nec non per aliquot dies potionibus temperantibus & antiſpaſmodicis tractata, brevi cum ſanitate in gratiam redibat.

Notari haec vero merentur inter alia, quod, ruptis filamentis, magna prodierit haemorrhagia uteri, quam cum ex placenta a fundo uteri ſoluta veniſſe iudicabam, nullius momenti haec eſſe putabam, partuque finito placentam & umbilicum curioſitatis cauſſa ſolum examinavi, venamque umbilicalem ruptam eſſe inveni, unde memoratam haemorrhagiam ortam eſſe autumo, & ideo magis, dum huic aequalem diligentiſſimus *la* Motte in *Obſ. No.* 211. refert caſum; & quod ad umbilicum attinet, longitudine erat conſueta, ſed craſſitie $2\frac{1}{4}$. pollices in diametro aequabat, quod inte rariores caſus referri meretur, cum unum talem caſum ſolum in libris & Obſervationibus Medicorum invenire potuerim, quem Mauriceau in *Obſervat. medic. No.* 406. refert.

Quod ad foetum, ratione monſtroſae formae externae, attinet, inſpectio anatomica tam externarum, quam internarum partium cum mihi conceſſa fuerit, ſequentia inprimis obſervabantur notabilia.

Quoad externa, tantum eius deformationem in his inveni, quod ſine manibus, brachiis & ano natus erat puer. Quum vero non pauca talia in libris Medicorum proſtent exempla infantum, quibus brachia manusque defuerunt, haec ſimul allegare haud inviſum fore Lectori puto, v. gr. apud *Ambroſ.* Paraeum in Chirurg. Libr. XXIV. Cap. VI. pag. m. 839. *Fortun.*

*tum.* LICETUM de Monſtris Libr. II. Cap. 2. & 7. p.m. 55. & 71. *Phil.* CAMERARIUM Oper. ſubciſiv. Cent. I. p. m, 161. *Godofr.* OLEARIUM in Halygraphia ſua p.m. 270. *Fel.* PLATERUM in Obſ. Libr. III. obſ. 556. *Caſp.* BAUHINUM de Hermaphrod. Libr. I. Cap. VIII. p.m. 87. *Ioh.* RHODIUM in Obſ. med. Cent. III. Obſ. 60. *Phil. Jac.* SACHSIUM in Gammarologia ſua p. 78. *Martin.* ZEILERUM in Epiſt. Cent. IV. Ep. 100. *Paul.* ZACHIAM Quaeſt. med. legal. Libr. VIII. T. I. Qu. IX. §. 6. *Thom.* BARTHOLINUM Cent. II. Hiſt. 4. p. 242. *Nic.* TULPIUM in Obſ. med. Libr. III. Obſ. 54. p. 269. *Ol.* WORMIUM in Muſ. Libr. IV. Cap. 1. 2. fol. 387 *Godofr.* WOYT p. 267. *Joh.* HELWIGIUM in Obſ. phyſ. med. Obſ. 12. pag. 32. *Joh.* LENTILIUM Decur. III. Ann. V. & VI. Eph. Nat. Cur. Append. pag. 98. *Ioh. Sebaſt.* ALBRECHT Act. N. C. Volum. V. Obſ. XXII. p. 93. aliosque plures.

Et, quod etiam antea infantes ano clauſo ſint nati, ab aliis iam obſervatum in Scriptis commemoratis invenitur, e. g. ab *Andr. Jacob.* KIRSTENIO, in Act. N. C. Volum. IX. pag. 25. ubi ſimul in Scholio eiusdem Obſervationis, pag. 26. & 27. talem a celeberrimo KALTSCHMIDIO in Diſſertatione analogum allatum caſum, refert Excellentiſſimus BÜCHNERUS, compluresque alii.

Quod tandem interna attinet, ratione ſitus & conſtitutionis reliquae partes optime ſe habebant; aperto thorace ſaltem glandula Thymus adparebat ſolito minor, & in collo glandulae thyroideae duae diſtinctae aderant, id quod contra Tabulas EUSTACHII 25. & 26. et celeberr. HEISTERI Tract. ſpecial. de Glandul. §. 385. pugnare videtur.

## *Scholium.*

Quam graviter operoſa & praeceps natura ſaepe in conformatione organorum aberrare ſoleat, monſtroſa haec pueri con-

formatio etiam monſtrat; ſed quomodo haec fieri poſſit, lis magna inter Medicos & Phyſicos eſt, num vel ſimpliciter mechanice ex ſtaminibus ovuli evolvatur, vel ab anima ipſa formetur & ſtruatur embryo. Quod ad me attinet, iudicium meum ſuſpendo, nec quicquam certi me hac in re comperiſſe audeo dicere; quod terror vero aeque ac imaginatio matris vi animae ad ideam externorum obiectorum, naevos, & formationes monſtroſas, multum facere poſſit, nemo, me iudice, negare poteſt, & quod imaginatio, maxime in mulieribus, tempore graviditatis inprimis admodum vivida ſit, & talia ad ideas obvias formari poſſint, abunde non ſolum patet exemplis, ſed ex Obſervationibus medico-phyſicis compluribus admirandis ſatis ſuperque comprobari poteſt: id quod quam plurimi etiam mecum affirmant Auctores, e. g. Blondellus in *Diſſertation phyſique ſur la force de l'imagination des femmes groſſes* 1739. p. 93. Stahlii Diſſ. de Affectibus gravidarum p. 29. *Annal. phyſ. med. Wratislaviens.* Tent. XVII. pag. 88. ſqq. Excellentiſſ. Praeſidis noſtri Büchneri, Miſcellan. phyſ. med. mathem. ann. 1727. p. 72. et ann. 1728. pag. 1211. ſqq. et *Joh.* Linckii Obſ. LXXIV. p. 128. in Volum. I. Actor. Natur. Curioſor.

Partum diſtingui in naturalem atque praeternaturalem, non modo quotidiana teſtatur experientia, ſed Auctores etiam obſtetricii docent ſinguli, e quibus mihi praeſertim arrident Deventerus, licet noviſſimis non amplius adnumerandus Auctoribus, tum & Goettingenſium Profeſſor laudatiſſimus, *Joh. Georg* Roederer, cuius Elementa artis obſtetriciae mihi, aliisque nonnullis Auditoribus, Praeceptor meus omni cultu devenerandus, celeberr. *Chriſt. Ehrenfr.* Eschenbach, Medicinae Doctor & in Academia Roſtochienſi nunc Mathematum Profeſſor, privatim & practice explicabat; tandemque Compatriota noſter, & in arte obſtetricia praeclariſſimus Medicinae Doctor eiusdemque Profeſſor, *Balthaſar de* Buchvald, & *Georg*

*org Daniel* Boessel, de cuius Compendio, & Germanica & Danica lingua edito, praedictus Praeceptor meus nunquam ſine laude mentionem facere ſolebat.

Nullum ſupereſt dubium, quin, quoad embryonem naſcendum, partus naturalis nomine is inſigniri mereatur, ubi foetus, partui vicinus, & pelvi perpendiculariter inſiſtens, caput pronum digitis obſtetricis, in matris genitalia immiſſis, ſicque explorantibus, offert. Ac e contrario cuilibet partui, ubi neque caput foetus, nec pedes, nec nates, ſed alia quaedam corporis infantilis pars, quaecunque tandem ſit, ab obſtetrice, tangendo offenditur, praeternaturalis nomen denegari nequeat. Aſt, quod attinet ad foetum, excluſioni maturum, cuius vel pedes, vel nates, uteri materni orificio pelvique ſunt proximi, de eo haud eadem Auctoribus ſingulis eſt opinio. Dantur enim, qui hoſce foetus naſcendi ſitus inter praeternaturales recenſent; ſunt vero & alii, qui eosdem naturalibus pariendi generibus adſcribunt.

Me quidem iudice, naturales dici merentur partus ii, quos absque ſpeciali artis concurſu, parturiens propria virtute, ſeu, ut alii loqui malunt, natura potiſſimum abſolvit ipſa. Cumque id ultimum de partu, in quo foetus vel pedes praemittit, vel nates, quotidiana doceat experientia (quam enim in hoc caſu obſtetrix addidit opellam, a ſpeciali arte diſtinguo); hinc dictos partus naturalibus adnumero. Interim quidquid ſit, partus, de quo agit Obſervatio, omnium conſenſu inter naturales eſt referendus, unde & eidem titulum, *Partus naturalis*, impoſui.

Inter partus naturales quosdam dari faciles, quosdam vero difficiles, experientia ſuffulti, Auctores obſtetricii monent; atque Obſervationem meam partum ſiſtere naturalem difficilem, circumſtantiae narratae probant abunde. Patet hinc, quod eadem Obſervatio titulum, quem ipſi dedi, totum optimo iure tueatur.

Epo-

E potioribus, in caſu narrato obvenientibus, momentis, eſt, determinanda vita aut mors infantis, cuius caput, deſcripto modo, in pelvi haerebat fixum. Nota eſt ex praxi obſtetricia, & Auctoribus huc ſpectantibus, inſignis illa difficultas, quae determinandam in genere embryonis naſcendi vitam aut mortem, in caſibus dubiis, premit; tantaque deprehenditur, ut non modo Auctores nonnulli, experientia praeeunte, ingenue fateantur, quod aliquando nihil certi de hac re conſtet; ſed & hinc, id eſt, ex maxima ea, interdum in praxi occurrente, incertitudine vitae aut mortis foetus, originem ſumſere hiſtoriae tragicae, in Auctoribus obſtetriciis hinc inde legendae, foetuum, ab ipſo nonnunquam Chirurgo, ſecundum omnem probabilitatem, pro mortuis habitorum, atque ex hoc fundamento violentiſſimis & vitae noxiis inſtrumentis protractorum, qui tamen, dum prodiere, vitam adhuc quadantenus duxerunt.

Animus mihi iam non eſt, ſigna iſta ex Auctoribus recenſere; adducam potius rationes, quae in Caſu, a me relato, pro vita infantis adhuc integra decidebant, adeoque a quolibet medio protrahendi nocivo abſtinere ſuadebant. Erant autem ſequentes, quas & poſtmodum experientia, ceu ſolido fundamento ſuperſtructas, confirmabat. 1) Mater gravida embryonis motum usque ad momentum partus ſenſerat optime; 2) a parte matris morbus nullus notabilis, e. gr. haemorrhagia uterina, aut morbus quidam alius internus gravior, nec animi affectus vehemens, nec violentia externa, lapſus in terram, contuſio abdominis fortior, & quae ſunt huius generis reliqua, partum immediate praeceſſerant; 3) infans ipſe in ſtatu illo compreſſo haud ita diu erat commoratus, a primo namque capitis in pelvim introitu pauciſſimae tantummodo praeterierant horae; 4) praeter caput praevium, nihil praeternaturale ſimul praeſens, e. g. aut funiculum umbilicalem prolabentem, aut placentam orificio uteri proximam, &c. neque obſtetrix

antea

antea obſervaverat, neque adhuc dum erat animadvertendum: partus quoque antehac a parturiente feliciter abſoluti, indicabant, figuram pelvis conſueta ratione ſe habere; 5) tegumenta capitis, quoad partem pelvi immiſſam, more in partu naturali facilique ſolito, tumida, infantem in momento introitus in pelvim vixiſſe teſtabantur; neque eundem ex eo tempore vita eſſe privatum, e duritie tumoris ſpeciali, nec niſi foetui viventi propria, colligebamus.

Liceat mihi, hac occaſione, ad Medicinam legalem parva excurſione divagari. Auctores, huc pertinentes, multum laboris impendunt, in docendis ſignis, quae in caſu infanticidii, infantem vivum, non mortuum fuiſſe natum, probant. Iure meritoque id fieri, res ipſa loquitur. Quidnam enim Medico forenſi incumbit magis, quam omni cavere opera, ne vel fallatur ipſe, vel fallat Iudicem civilem? Interim certiſſimum quoque eſt, quod, ſicuti quemlibet hominem adultum, quovis momento, repentina mors, absque ullo praegreſſo morbo, aut violentia externa, rapere poteſt, ac, teſte experientia quotidiana, aliquando rapit; ſic & infans, eo ipſo, quo naſcitur, momento, absque ulla matris culpa accedente, ſubitanea morte decedere iterum e vita, a limine vix ſalutata, queat: quod igitur, absque ſignorum, violentiam illatam oculariter demonſtrantium, concurſu, a foetu, vivo inſimulque clam nato, ac brevi poſtea, aut diutius, mortuo reperto, ad violentiam lethalem ipſi a matre illatam, hinc confeſſionem a matre extorquendam, conſequentia nullo valeat modo. Quod tamen punctum nullibi in Auctoribus medico-forenſibus, mihi cognitis, legiſſe memini.

Quae ſuperſunt in obſervatione mea perpendenda, fruſtraneum reſpiciunt forcipis uſum atque medicamina, parturienti propinata. Quoad inſtrumenta, quae vel inſtar *vectis*, caput ab oſſibus pelvis, quibus affigitur, ſolvunt (quae inter *Roonhuyſianum*, ut noviſſimum eſt, ſic a poſſeſſoribus primis

 nimium

nimium quantum laudibus evectum), vel inſtar *forcipis*, idem arreptum attrahere debent; de iis ſingulis notandum, quod ſemper ſupponant poſſibilitatem, ea capiti infantili ſufficienter applicandi, ceu conditionem, ſine qua mere inutilia manent; quod vero iſta poſſibilitas in caſibus, ubi propter inclavatum caput, manus obſtetricis, aut digitorum admotio non amplius permittitur, nulla ordinarie detur; unde & haec inſtrumenta maximam adhuc experiuntur contradictionem. Meo quidem iudicio, caput eiusmodi inclavatum optime comparatur cum globo, aſſeri cuidam aut muro firmiter infixo, nec niſi pro parte foramen factum penetrante. Hicce globus, preſſione a tergo adiecta, foramen anguſtius, ſed ſuperabile ſimul, omnium optime ſuperat; tranſit quoque totus, ſi inſtrumento cuidam idoneo, & a parte anteriori applicato, ultra medietatem peripheriae, ubi ſcilicet maxima globi craſſities occurrit, pateat aditus. Alias vero reſtat immobilis, & omnem quorumlibet inſtrumentorum efficaciam fruſtrat. Ut nunc taceam, vim inſtrumento vectiformi neceſſario addendam, nec tamen ſemper parturienti innoxiam, cuius nimirum partibus internis mollioribus inniti inſtrumenta talia debent, quas vero ullo laedere modo, praecepta obſtetricia interdicunt. Aſt vero, Auctores ad tot experimenta ſalutaria provocant? Reſponſionis loco obſervationem quandam in medium afferam, ex ore celeberr. Eschenbachii hauſtam. Medicus hicce, cum aliquando parturienti, capite foetus, ratione ſupra adducta, inter oſſa pelvis inclavato laboranti, ſuppetias ferret, inſtrumentum tale vectiforme applicabat, eo cum eventu, ut mox foetus prodiret, ubi tamen ſimul diſtincte obſervavit, eventum felicem non ſucceſſiſſe propter inſtrumentum adhibitum, ſed propter dolorem partus, in hoc ipſo momento fortiſſime urgentem, qui igitur, una cum ſitu parturientis commodiori, quam antea, caput fixum ſolvebat.

Quoad

Quoad medicamenta, inveſtigandum adhuc eſſet, numne pellentia, e. g. Hepar anguillae, Borax Veneta, Myrrha, Cinnamomum, &c. hoc in ſtatu fuiſſent porrigenda, quae a variis Medicis felici cum ſucceſſu in uſum duci ſolent? Notandum autem omnino eſt, quod in ſpecialibus caſibus, ubi illa adiumento fuiſſe dicuntur, ſemper adhuc ſuperſit quaeſtio: an auxilium, illorum uſum excipiens, revera hiſce pellentibus, aut an potius alii cuidam cauſae accidentali ſit tribuendum? Certe in Medicina clinica id toties obſervatur, quod uſum medicamenti cuiusdam excipiens vel noxa, vel emolumentum, communiter adſcribatur medicamento, tam ab aegrotis, quam a Medico ipſo, licet eventus iſte longe alio ex fonte proceſſerit. In praedicta quoque mea obſervatione negotium omne, absque pellentium concurſu, optimo cum ſucceſſu ad finem perducebatur.

(*Ottinia Halam miſſae d.* 3. *Novembr.* 1764.)

## *OBSERVATIO LXXIX.*

## Dn. D. GOTTL. HENR. KANNEGIESSER.

### *Aegra morbo Pliniano laborans.*

§. I.

Scorbutus, maris ſeptentrionalis accolis frequentiſſimus & endemius, inter morborum catervam inſignem, tum ratione ſymptomatum graviſſimorum, quibus aegrotantes ſolet divexare, tum quoque ratione medelae, quam plerumque admittit difficillime, locum omnino ſibi vindicat principem.

§. II.

Etiamſi malum illud (§. I.) varia ſaeviſſimorum ſymptomatum complicatione ſit ſtipatum, atque actiones, pro ſubiectorum varietate laedat fere omnes, Auctores tamen, num Vete-



ribus

ribus fuerit cognitum, multi admodum adhuc inter ſe digladiantur.

§. III.

Hippocrati, patri Medicorum antiquiſſimo, qui medicinam diu perditam & ſepultam in lucem denuo revocavit, non incognitum fuiſſe penitus, ex Libro de *affect. intern.* liquido apparet; loco quippe citato, morbum, Scorbuti ſymptomatibus omnibus ſtipatum, ſub *Lienis magni* nomine exacte deſcribit.

§. IV.

Quid igitur mirum, Scorbuti morbus, ſi non eodem acerbitatis gradu Hippocrati innotuit, quum peculiaris cuiuslibet ſubiecti diatheſis, climatis diverſitas, & variae luxuriae, ac diaetae errores, morborum multitudinem & diſparitatem poſſint producere. Divi ſenis temporibus non ita gulae indulgebant, atque ipſe ſenex climate multum benigniori utebatur; adeoque Scorbuti ſymptomata mitiora tantummodo potuit cognoſcere.

§. V.

Neque etiam Medicis recentioribus omnibus per autopſiam innoteſcit, qua ratione, quibusve diris ſymptomatibus, per Daniae, Belgii, Norvagiae, immo & per ipſius Indiae orientalis & occidentalis loca maritima, ad ſeptentrionem vergentia, Scorbutus tyrannidem ſuam exerceat; quippe qui mox ſub ſcabiei malignae, mali hypochondriaci, elephantiaſis, leprae, modo Graecorum, modo Arabum, aliorumque graviſſimorum ſymptomatum larva, ſchema ludit ſuum *a*).

§. VI.

Plinius, rerum naturalium ſcrutator ſagaciſſimus, Scorbuti ſpeciem, *Scelotyrbe* dictam, cum pedum elongatione coniunctam,

a) Conf. Ronsaevs in *Epiſt. ad Hadrianum* Ivnium, *Salomon*, Alberti, Horstius in Obſ. & Tract. de Scorbuto.

iunctam, obſervavit, qui morbus, Plinii temporibus, in Germaniae Imperatoris exercitum vehementer fuerit graſſatus.

§. VII.

Pliniani huius morbi, (§. VI.) denominatio a Graecorum voce σκίλος, *crus*, & τίρσι *tumultus*, deſumta eſſe videtur; alias σκελλος, *ſcombum* & *tortum*, verbum autem διασκελλιξειν pro *varicare*, *ſeu crura in diverſum pandere*, ſumitur. Apud Hesychium σκελλισμα, δρμημα legitur; hinc σκελλιξειν etiam *currere* ſignificat.

§. VIII.

Adfectus eſt frequenter haud occurrens, atque unica tantummodo vice illum videre nobis contigit; cumque ab Auctoribus practicis aeque haud conſignatum deprehendimus, hanc eius indolem, ſymptomatum cauſſas, quis ſperandus ſit eventus, & quibus remediis proficua ſanatio ſit tentanda, breviter adumbrandi curam inſumſimus.

§. IX.

## *Morbi hiſtoria.*

Virgo quaedam annorum XX, ſedentariam plane vitam agens, nendo & fila ducendo victum merens, in civitate maritima, circa brachiorum iuncturas & carpum, digitorumque articulos, diſtorſionem cum notabili elongatione partium experitur, cui tandem ſimilis affectus circa genua ſupervenit, appetitus ſubinde proſternitur, flatus hypochondria infeſtant, dolores quoque artus, nocturno inprimis tempore, affligunt; ſuccedit animi moeror, cordis per intervalla palpitatio, pulſus plerumque debilis & oppreſſus apparet; urina modo alba, modo tenuis, modo craſſa & rubicunda emittitur.

§. X.

## *Reſolutio Caſus.*

Virginem hancce incidiſſe in affectionem ſcorbuticam cum partium elongatione ſeu luxatione incompleta, ſignorum

 eviden-

evidentia atque certitudo evincit (§. IX.); quippe quae morbi huius non ſuſpicionem, ſed ſcientificam inferunt cognitionem. Quoniam vero, in propoſito caſu, morbum varia ſymptomata & ſigna concomitantur, ſingula eius momenta percurrere, & circumſtantiarum omnium rationes breviter allegare licebit.

## §. XI.
### Momentum I.
### *Virgo quaedam* (§. IX.)

Experientia quidem, magiſtra rerum omnium, nos edocuit, Scorbutum nulli ſexui, nulli aetati, nec ordini parcere; quoad ſexum, mulieres, in quibus menſtruae purgationes ordinaria & conſueta naturae lege ſuccedunt, minus proclives ad Scorbutum eſſe videntur, quam viri; a plurimis enim, quibus alias abundant, excrementis liberantur facilius. Aſt enim ſaepiſſime ſolet accidere, idque vel ob frigidiorem humidioremque, qua mares vincunt, corporis conſtitutionem, vel etiam ob evacuationum conſuetarum, haemorrhoidum & menſium, ſuppreſſionem *b*), atque ſeminis retentionem, ſuffragante Petraeo *c*), hoc morbo nihilominus graviter affliguntur, praeſertim cum ex peculiari ſexus imbecillitate vix a victu inordinato, & eſu lacticiniorum & fructuum horaeorum, abſtinere ſoleant.

## §. XII.
### Momentum II.
### *annorum XX.* (§. IX.)

Idem illud obſervat Evgalenvs *d*), forte quia circa id aetatis, ob calorem invaleſcentem, maior humorum ſegregatio

*b*) *Severin.* Eugalenus de Scorb. Obſ. 44. & p. 3.

*c*) Hartmann, de Scorb. Sennertus Prax. Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. II. Forestus Lib. XIX. Obſ. 25. 26.

*d*) Lib. *de Scorb. Obſ. 2. p. 166.*

tio contingit; in pueritia enim calor eſt oppreſſus a nimia corporis humiditate, & occupatus eſt in augmentatione corporis & partium; cumque iuvenes in victu ſint incontinentiores, atque corpora motu ſaepius exerceant intempeſtivo, ita ad cachexiam prae reliquis ſunt diſpoſiti.

## §. XIII.

### Momentum III.

### *Sedentariam plane vitam agens, nendo & fila ducendo victum merens.* (§. IX.)

Qui in otio vivunt, & ſedentariam agunt vitam, magis huic malo ſunt obnoxii, quam qui laboribus indulgent, foeminae prae viris, urbani prae agricolis, Sennerto *e*) teſte, quin immo per vitam ſedentariam, exercitiorumque defectum, humiditas copioſa generatur, calor, quo coctio perficitur omnis, debilitatur & ſuffocatur, excrementorumque ſecretiones & evacuationes non recte perficiuntur.

## §. XIV.

Cibum & potum, licet ad vitam ſuſtentandam comparetur, cum alias corporis partes deperditas & amiſſas reſarciat, immodice tamen & ſine ordine ſumtum, morbo huic noſtro επιβαλλον μερος addere poſſe, per rationis & experientiae principia ſumus convicti. Quemadmodum enim cibi δύγυμοι & δύσπεπτοι nocivam humorum inducunt qualitatem; ita etiam ex ἀδδηφαγία eorundem nimia, varii generis, propullulant damna *f*).

## §. XV.

Victus huic virgini, quem nendo atque fila ducendo ſibi comparare debuit (§. IX.), ad morbum huncce inducendum, ſine

*e*) *Lib. III. Pract. Part. V. Sect. II. Cap. 3.*

*f*) Hippocrates Sect. IV. Aphor. 45. *Oſwald.* Grembs. Arb. integr. & ruin. homin. p. 464.

ſine dubio fuit admodum idoneus; panem enim a furfuribus minus purgatum, carnes fumo induratas, legumina diverſi generis, quibus quotidie, propter penuriam veſci obſtricta fuit, excrementorum ſuppeditare copiam, GALENVS teſtis eſt *g*): Cereviſia feculenta, craſſa, aut minus recte cocta, per vias urinarias difficillime tranſit, hinc peſſimum gignere ſolet chylum, atque flatuum peregrinorum collectioni praebet anſam *h*).

§. XVI.

Momentum IV. (§. IX.)

*In civitate quadam maritima.*

Eſt enim Scorbutus regionibus ſeptentrionalibus & maris accolis malum endemium, teſte EVGALENO, HORSTIO, SENNERTO, &c. non obſtante, quod & in huncusque diem limites ſuos excedat avitos; namque hac ratione nullus fere morbus endemius foret dicendus, qui in aliis locis hinc inde quosdam etiam invadere obſervatur.

§. XVII.

Luem autem hancce, cur loca maritima inhabitantes frequentius patiantur, non una laudari poteſt ratio. Horum enim locorum ſalſa & ſalita ſunt fere omnia, piſcium, muriatorum, groſſiorum, infumatorum & exſiccatorum uſus & eſus largior & longe frequentior eſt; aquae ſunt lacuſtres, paluſtres, & ſaepius corruptae, quae ſanguinem atque lympham alterandi & deturpandi efficacitate pollent ſingulari. Potiſſimum vero incrementum & complementum hic morbus ex prava aëris conſtitutione, quippe qua ſalinae quisquiliae, in aëre volitantes, pulmonibus attractae, ſanguinis maſſae ſubſtantialiter admiſcentur, capere ſolet.

§. XVIII.

*g*) *Lib. II. de Aliment. facult, Cap.* 44.

*h*) CRATO *Conſil. X.*

### §. XVIII.

Vaporoſum illud ſalinum, per inſpirationem ſanguini admixtum (§. XVII.), non ſolum proxime & materialiter concurrendo, humorum temperiem perturbare valet, ſed ἄτροφον etiam, καὶ ὥσπερ, ἄγευτον τό ἁλμυρον, digeſtionem impedit, quemadmodum fumus in carbones tractantibus ſtomachi actionem laedit *i*).

### §. XIX.

Momentum V. (§. IX.)

***Circa brachiorum iuncturas & carpum & digitorum articulos diſtorſionem cum notabili partium elongatione experitur.***

Diſtorſio aut declinatio, ut vocat Primerosivs, ſeu luxatio incompleta cum elongatione, in noſtra virgine, ob humorem ſcorbuticum ad articulos oſſium carpi & digitorum ex toto confertim translatum, accidit, qui ipſius articulationis ligamenta primum madefacit, laxiora reddit, ac os ipſum aliquando e ſede ſua protrudit, experimentis &obſervationibus quotidianis illud ſuadentibus.

### §. XX.

Vbi vero materia ſcorbutica generetur, & ex quo fonte immediate propullulet, de eo adhuc ſub iudice lis movetur; alii in ſanguine ſolo, alii in lympha, alii in utrisque ſimul, alii generatim in viſceribus abdominis, idque inprimis propter tenſionem hypochondriorum, qua ſcorbuticis abdomen, circa hypochondria, cingulo quaſi cinctum videtur, ac pertinaciſſimos tumores viſcerum abdominis interdum ſupervenientes, ut Sennertus & Horstius, atque alii iterum ſpeciatim in liene vel hepa-

*i*) Franckius Obſ. Grembs Arb. integr. Lib. II. Cap. I. Galenus Lib. de vict. rat. in acut. Cap. XXXIV. Tit. 15.

hepate, morbi huius radicationis & inhaeſionis ſubiectum ponunt *k*),

## §. XXI.

Aſt enim Lienem, vel reliqua hypochondriorum viſcera, pro morbi huius cauſſa & radice non ſemper habendum eſſe, frequentes Horstii *l*) Sennerti *m*) & Foresti *n*) cadaverum ſectiones, luce meridiana clarius demonſtrant; etiamſi ac Velthvsivs *o*) multa in contrarium proferat, tamen Sennertvs *p*) in quibusdam cadaveribus Scorbuto extinctis, quae cultro anatomico ſubiicere occaſionem arripuit, absque Lienis vel reliquorum abdominis viſcerum laeſione, totius omenti corruptionem ſeſe obſervaſſe, candide profitetur. Hinc morbum noſtrum ex variis digeſtionum officinis produci, & ſpecificam corruptionis indolem nanciſci, rationis dictamine ſumus devicti.

## §. XXII.

### Momentum VI. §.IX.

### *Cui tandem ſimilis quoque affectus circa genua ſupervenit.*

Ob humorum copiam, ad illas etiam partes decumbentium, quae frigidiores et a fonte caloris remotiores ſunt; hinc, quum a calore diſcuti non poſſint, pedes non ſolum intumeſcunt, ſed etiam ligamenta, quae oſſa mutuo ſibi nexu colligant, lubricantur, emolliuntur & laxantur, & ipſa in tantum excitant, ut e ſede

*k*) Velthusius in Tract. de Liene.

*l*) Lib. IX. Obſervat. 10. pag. 442.

*m*) Pract. Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. 2.

*n*) Lib. 20. Obſ. 11.

*o*) Tract. de Liene.

*p*) Prax. Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. 2.

ſede ſua retrahantur; quemadmodum illud in talo obſervavit EVGALENVS *q)*.

§. XXIII.

Momentum VII. §. IX.

## *Appetitus ſubinde proſternitur.*

Appetitus perinde etiam in Scorbuto ſolet deiici; ſed hoc cum aliis morbis habet commune. Oritur autem vel ob ſalivam copioſam, ſalſam, pinguiorem, & corruptam, aciditatem nimium obtundentem; hinc ſalivationem & ſputationem continuam in Scorbuto obſervarunt PRIMEROSIVS, WILLISIVS *r)*, MOELLENBROCCIVS *ſ)*; vel ob humorem ſalſum per arterias ad ventriculum fluentem, eiusque fermentum ſtimulans enervantem; vel a ſucco pancreatico vitioſo cum bile copioſiore ex duodeno ad ventriculum aſſurgente, turbari & depravari poteſt.

§. XXIV.

Momentum VIII. §. IX.

## *Flatus hypochondria infeſtant.*

Flatulentia hypochondriaca vitam ſedentariam agentibus quidem omnibus communiter familiaris eſt; ſcorbuticis vero illud ſymptoma frequentiſſimum deprehenditur, & in eiusmodi ſubiectis, ob variorum humorum pituitoſorum, ſalſorum & acidorum in inteſtinorum canali concurſum, interdum adeo vehementer urget, ut non inteſtinorum ſolum, ſed ipſius etiam peritonaei rupturam induxerit, quod apud Auctores paſſim obſervatum legimus *t)*.



*q)* Tr. de Scorb, p. 67.
*r)* in Spec. pathol. cerebr.
*ſ)* de Arthrit. vaga ſcorbutica.
*t)* EUGALENUS Tr. de Scorb. p. 86.

## §. XXV.

### Momentum IX. §.IX.

### *Dolores quoque artuum, nocturno imprimis tempore, adfligunt.*

De dolore artuum, ex quibus cauſſis ſumat originem, apud EVGALENVM & SENNERTVM *u*) uberius agitur. Etenim natura in expulſione noxii humoris, noctu inprimis negotioſa eſt; ob calorem vero, ſub lecti tegmentis auctum, humores ad externas corporis partes propellit; immo pro materiae morbificae qualitate eiusque φλογσει, haec & illa magis vel minus ſaepe ſolet affligere *x*).

## §. XXVI.

### Momentum X. §.IX.

### *Succedit animi moeror.*

Quemadmodum LINDANVS inter ſigna Scorbuti primaria, e quibus hic morbus infallibiliter cognosci poterit, genuum vacillationem, ita ut eorum robur, corpus fulciens, pereat, & aegri quaſi ſint lapſuri, recenſet; ſic etiam EVGALENVS *y*) moerorem pro certo & pathognomonico Scorbuti habet ſigno, qui, quos cum craſſiore victus ratione, moeſtitia premit diuturnior, de his conſtanter ſe praedixiſſe, eos a ſcorbutico morbo vel ſolo, vel mixto teneri, teſtatur.

## §. XXVII.

### Momentum XI. §.IX.

### *Cordis per intervalla palpitatio.*

Materia ſcorbutica, cordi ſemper moleſta, vagante & non aequaliter in cordis arterias & venas irruente, machina cordis mu-

*u*) l. c. Lib. III.
*x*) IONSTON Idea Med. pract.
*y*) Lib. 1. Cap. 2.

muſculoſa ad violentam & ſpaſmodicam contractionem facillime diſponitur.

§. XXVIII.

Momentum XII. §. IX.

*Pulſus plerumque debilis et oppreſſus apparet.*

Pulſus cordis & arteriarum revera nihil aliud eſt, quam alterna cordis & arteriarum contractio & dilatatio, ſanguinis motui progreſſivo opitulans. Machinae cordis muſculoſae, atque arteriarum motu ſyſtaltico, globulorum ſanguinis elater in arctius redigitur ſpatium, qui cedens preſſioni atque denuo ſeſe reſtituens, eandem in cordis & arteriarum fibras elaſticas renitentiam exercet; prout igitur utriusque actio & reactio cito vel tardius progreditur, quam poſteriorem, globulorum nimirum ſanguinis reactionem, ab eiusdem maiori vel minori viſcoſitate, vel bilis neceſſariae defectione & inertia, Sylvius praecipue derivatam voluit; ita etiam variat pulſus.

§. XXIX.

Momentum XIII. §. IX.

*Adhibitis quibusdam medicamentis, tum purgantibus, tum diaphoreticis, malum tamen aliquot annos durat.*

Haecce morbi contumaciam, & hinc ſpem omnimodae curationis dubiam, aut certe difficillimam & curationem longiorem indicant. Scorbutus per ſe lerna malorum eſt vocandus, atque alius haud facile deprehenditur morbus, qui natales ſuos ex iſto derivare non poterit; tamen in hoc noſtro ſubiecto, malum difficilioris ſanationis inprimis eſſe videtur, vel quia vitium ſubeſt haereditarium, & debilitas ſingularis articulorum, vel quia diaphoretica intempeſtive, in principio forte morbi, aut purgantia etiam validiora, corpus debilitantia, ſunt adhibita, vel quia in diaeta multi errores fuerunt commiſſi.

§. XXX.

Momentum XIV. §. IX.

## *Urina modo alba, modo tenuis.*

Ob defectum materiae illam tingentis, ſalis nimirum ſulphurei & lixivioſi, a ſanguine ſecreti, modo craſſa & turbida emittitur, quando videlicet dictae iſtae quisquiliae maiori quantitate tubulis renalibus advehuntur.

§. XXXI.

Haec de morbo, eiusque & ſymptomatum cauſſis, & ſignis. Quod vero ad *curationem* attinet, tentandam iſtam putamus, cauſſae tum antecedentis, tum continentis remotione. Etenim dislocatio (§. IX.), ſeu ſemiluxatio, absque humoris remotione nunquam curatur *z*); ſublata autem cauſſa fovente, ſaepe os in naturalem locum, absque difficultate reditum ſumere ſolet.

§. XXXII.

Materia auxiliorum, qua tuto & iucunde huic morbo ſuccurri poterit, ex triplici fonte, chirurgico nimirum, pharmaceutico & diaetetico erit accerſenda.

§. XXXIII.

Etiamſi nonnulli Medicorum, contra affectus ſcorbuticos, ſcarificationes, venaeſectiones, fonticulos, ſetacea, & neſcio quae alia huius commatis adminicula, e fonte chirurgico in ſubſidium vocare ſoleant, immo magni nominis quidam Medici peculiariter & ſpecifice ſalvatellae ſectionem in manibus commendent; tamen dicta iſta adminicula omnia, per ſe ſuaque natura nullius omnino utilitatis aeſtimantur *a*), & ipſa ſanguinis miſ-

*z*) Rolfinccius Anat. Lib. II.

*a*) *Marcus Aurelius* Severinus in *caſtigata Pſeudophlebotomia.*

miſſio, non niſi copia peccante, in mulieribus & virginibus, ſui, per venam in pede ſecandam, indicat evacuationem. Itaque praeſente menſium vel emanſione, vel ſuppreſſione, ante tempus conſuetum vena ſaphaena erit ſecanda; atque cucurbitulae ſcarificatae applicari poſſunt, ubi venam ſecare adhuc non eſt integrum.

§. XXXIV.

Ex pharmaceutico fonte remedia longe praeſtantiora & neceſſaria, quae non Scorbuti ſolum, ſed diſtorſionis quoque cauſſas reſpiciunt, haurire poſſumus. Reliquis omnibus lenientia hic commode praemittuntur, quorum ope primae viae repurgantur & apertae ſervantur, & ad meliorem curationem aditus conceditur facilior; inter quae Syrup. roſar. ſolut. vel Elect. de mann. ſolut. locum tenet palmarium.

§. XXXV.

In curatione mali huius rebellis ad ſcaturiginem inprimis erit reſpiciendum; hinc praeparantia, atque vitioſas humorum qualitates invertentia ab Auctoribus, qui de Scorbuto ſcripſerunt, ferme omnibus commendantur. Verum non uno modo poſſunt exhiberi; conſideranda enim corporis conſtitutio, materia humorum peccantium, modus applicandi, aetas, &c.

§. XXXVI.

Purgantia, inprimis fortiora, quippe quibus ſaepius, monente EVGALENO, malum exaſperatur potius, plus damni, quam emolumenti adferunt, atque graviſſima ſtomachi & inteſtinorum ſymptomata producunt [k]).

§. XXXVII.

Primarum viarum quisquiliis rite expurgatis, diaphoretica & diuretica, quippe quibus humores nimium ad articulos, aut alias partes fluentes, vel ad vias urinarias deducuntur, vel per cutis

k) MOLLENBROCK de Varis, p. 55. SENNERTUS Prax. Lib. III. p. 608.

cutis poros educuntur, hincque a parte diſtorta & ſemiluxata optime revelluntur.

§. XXXVIII.

Enim vero materia hoſtilis in ſubiectis ſcorbuticis iam ſua natura per vias dictas urinarias (§. XXXVII.) ſuum exitum ſumit, & plerique ſcorbutici plus debito ſudoribus, ſaepe plane colliquativis, diffluunt; hinc ſemper habito reſpectu ad aegri conſtitutionem, eorumque corpora, num magis vel minus perſpirabilia exiſtant, diuretica & ſudorifera blandiora, ne inſimul ex primis viis ſaburra ſcorbutica ad ſanguinis undam rapiatur, in ſubſidium erunt vocanda.

§. XXXIX.

Peculiari fere efficacia, ſalia ſcorbutica, una cum ſuo vehiculo, per cutis ſpiracula removendi, pollent antimonialia legitime praeparata, bezoard. minerale, martiale, ſolare, ſpiritus card. bened. C. C. cochlear. fuligin. Tartari volatilis, ſalis ammoniaci, carminat. de tribus, viperarum, ligni Guaiaci, & ſaſſafras; videndum tamen, ne ſponte currenti calcar adiiciamus, atque ſudorem nimium provocando, maiorem ſanguinis colliquationem excitemus.

§. XL.

Ex claſſe remediorum, laticem ſeroſo-ſalſum ad veſicam copioſius determinantium, ex Tartaro praeparata, & quae de alcalium ſunt proſapia, nempe cryſtalli Tart. Tinct. Tart. clyſſus antimon. Tinct. aperit. Moebii, ſpirit. aperitiv. Penoti, ſalia herbar. appropriatarum, geniſtae, centaur. min. palmarium tenent locum.

§. XLI.

Neque vero hiſce evacuantibus & aperientibus ſolis (XXXIII - XXXIV.) negotium abſolvitur totum, quippe horum uſu continuo, ipſius quoque materiae expellendae copia auge-

augetur, atque viſcera iamiam afflicta magis debilitantur; hinc iisdem interdum interponere ſpecifica & confortantia non inconſultum erit, monente HARTMANNO c): *Nota vero, ſubinde uſu evenire, ut ab exhibitione aperientium & evacuantium, ſolutis iam viſcerum obſtructionibus, ita alvus proritetur, ut quaſi dyſenteria ſubſequi videatur, tunc praevidendum erit corroborantibus appropriatis, viſcerum tonum conſervantibus.*

§. XLII.

Huic ſcopo (§. XLI.) inſerviunt quaevis remedia blandum motum & aequalem ſanguinis diſtributionem promoventia, hinc ſale volatili pollentia copioſo, veluti ſpiritus C. C. Mixt. tonico-nerv. Stahlii, ſpir. ſalis ammon. rectif. oleoſus, Sal volat. rutae, ſpirit. cochl. Tinct. Solis cum oleo Cinnam. ſal volatile viperar. aqu. cordial. Herc. Sax. aqu. cord. cervi, aqu. hirund. c. caſtor. pluraque alia.

§. XLIII.

Specificorum antiſcorbuticorum ſat magnum numerum MACASIVS in *Promptuar. medic.* curate exhibuit, & ex multis auctoribus non ſolum ſimplicia, ſed etiam compoſita collegit. Qui itaque ex tanta antiſcorbuticorum farragine delectum vult inſtituere, illa ex HARTMANNI, SENNERTI, TIMAEI, MOLLENBROCKII, HORSTII, WILLISII, aliorumque Practicorum libris petat.

§. XLIV.

Hactenus conſideratis auxiliis, tam chirurgicis, quam pharmaceuticis, reſtat ut ad diaetam deveniamus. Haec autem primario in legitima earum rerum, quae vulgo ſex non-naturales vocantur, conſiſtit. Aër, ad calidum & ſiccum vergens, ſit purus; cibi ſint boni ſucci & facilis coctionis; panis ſit bene fermentatus, & cereviſia optime; defecata exercitia

c) Prax. chymiatr. p. 184. §. 9.

corporis motu & quiete habeant proportionem; conſuetarum excretionum legitimus conſervetur ſucceſſus; animus tandem ſit ſedatus atque opportuna hilaritate temperatus. Hiſce probe & accurate obſervatis, ſonticum illud malum, ſi non ſuperaturum prorſus, emendaturum tamen iri non deſperamus.

(*Kilonio Halam miſſa d. 20. Novembr. 1764.*)

## *OBSERVATIO LXXX.*

## Dn. D. JOANN. JACOBI RITTER.

### De

### *Puella epilepſia ſtomachica laborante, viſu, auditu, voce, motibus epilepticis tam orbata, quam eadem denuo ſub illis recuperante.*

Puella quaedam, a parentibus ſanis prognata & d. 16. Februarii 1748. ruri in lucem edita, temperamenti phlegmatici *a*), habitus ſpongioſi, mollioris, ſucculenti, facie, labiis, canthis oculorum pallidis, oculis vitreis, lentis, languidis, palpebris tumidis, ſubrubentibus, crinibus caſtanei coloris, animi non adeo in iram, ſed in triſtitiam potius proni, quarto aetatis anno variolas diſcretas feliciter & ann. 1754. menſe Novembri itemque ann. 1758. menſe Julio Ophthalmiam, in puſtulam corneae utriusque oculi abeuntem, atque cicatricem ſub maculae albae forma relinquentem, mellis tamen deſpumati veſpertina illinitione, diutius continuata, tandem diſcuſſam, perpeſſa, menſe Novembri eiusdem anni iterum inflammatione corneae ſiniſtrae, absque ſuppuratione ſponte ſanata, adflicta fuit.

Pedes

a) Hippocrates Libro de Morbo ſacro ſcribit: *Pituitoſis enim natura oboritur* ſcil. *morbus ſacer.* Sect. V. pag. 330. Tom. II. Edit. Linden. & porro: *Morbus ipſe fuit in pituitoſis.* Sect. VII. pag. 331. conf. Sect. XIII. pag. 337. modo interpretatio ſit ſatis fida, nec niſi tyrocinium.

Pedes circa annum ſeptimum, ei, ex haereditaria patris indole, cum elevatione plantae pedum in veſicas, & ſubſequente poſtea ſeparatione epidermidis, ſudare coeperunt *b*); peculiari autem quadam idioſyncraſia cerevifiam prorſus averſatur.

Hactenus ſana, ruri degens, agilis, vitae ſedentariae dein magis adſtricta, ann. 1759. duodecimo aetatis anno, die quodam menſis Auguſti (ob morbum gravem, quo eo tempore ipſe decumbebam, nec chartae nec memoriae mandato), parentibus ac aegrae memoria aeque elapſo, metu obiurgationis paternae, ob lapſum ſororis, quam brachiis geſtaverat, pomeridie, vertigine brevi praegreſſa, lecto inſidens, ſubito ſupina in dorſum cadebat, Tetano quaſi correpta, mortuae ſimilis, rigida, ſenſibus tam in-quam externis orbata, oculis apertis, prorſus muta, non ſpumans, pedibus calcando terram, poſt ſemihoram autem, frigida aqua conſperſa, ad ſe rediens, ſurgebat alacris, & parce licet coenans, munia ſolita ſine moleſtia obibat.

Anno 1760. die 25. Maii Eryſipelate faciei, labiorumque tumore, ſeroſae forſitan colluviei indice, correpta, brevi, adhibito roob Sambuci, cum regimine temperato, ſanata, per totum dein annum 1761. ſana incolumisque fuit. Sequenti anno, ſub initium Januarii tumor manus dextrae, ad articulationem medii digiti frigidus, aliquo modo tamen rubens *c*), oriebatur, ſpatio quatuor hebdomadum Emplaſtro rubro Stahlii, intra octiduum aliquoties renovato, & cataplaſmatibus deſuper impoſitis, ſine ſuppuratione diſcuſſus fuit. Dum autem hoc

 tumo-

*b*) Sudor hic olens tenera hac aetate ſine ſanitatis diſcrimine feliciter tolli poſſet, modo parentes id cogitarent, Medicosque conſulerent prudentes.

*c*) Non omnis tumor calidus ſuppuratorius rubet; nec omnis tumor rubens in ſuppurationem abit.

tumore *d*) laborabat, die 10. Februarii *e*), utpote biduo poſt plenilunium, coelo nubilo, procelloſo, temperato, ventis auſtrinis *f*), elatis *g*), hyeme his regionibus ut plurimum tepidis, aeſtate frequentioribus, paroxyſmo epileptico, ſine ulla praegreſſa cauſſa morali aut phyſica, horis antemeridianis ex improviſo correpta fuit; praegreſſa itidem vertigine, genuum vacillatione, humi cadens clamansque, manibus quatiens terram, ſed brevi poſt ſurrexit, de laſſitudine unice conqueſta, adpetitu poſtea per aliquot dies languente. Nulla unquam ſigna vermium obſervare licuit, ſedulo licet inquirenti. Paroxyſmi leviores ſingula fere nocte, intermixtis fortioribus, inde raro expergefactam invadebant.

Die 13. Februarii, biduo ante quadraturam ultimam, coelo mitiore, africo pro more aſpero, domum pomeridie egrediens, ad limina iterum ſubito concidit, ſupina palpebris clauſis, ſine ſenſu motus, pollicibus contractis, attamen absque clamore aut ſpuma ante os; in lectum translata ſtatim ad ſe rediit, de laſſitudine & cephalalgia ſupra radicem naſi conqueſta. Sudor *h*) in pedibus antea per aliquot dies ceſſabat, veſicae in plantis ſiccatae erant, ſimulque ſciſcitanti referebat, ante paroxyſmi invaſionem ſe auram a pedis extremitate per crus dextrum

ad

*d*) Tumor diſpoſitivam et materialem cauſam nec condidit, nec praeſcidit.

*e*) *Vere morbi comitiales.* Hippocrates Aphor. 20. Sect. III.

*f*) Mutationibus ventorum, maxime quidem auſtrinis, etiam aquilonaribus, morbo ſacro corripi potiſſimum homines cenſet Hippocrates loco ſupra citato, Sect. XV. pag. 339.

*g*) Venti, praeſertim auſtrini, aut elati, aut depreſſi, ſcilicet illi, nubes agitantes, hi ſuperficiem terrae attingentes, inter ſe directionibus flant oppoſitis quandoque.

*h*) Ad ſudorem in pedibus ſuppreſſum, unam ex cauſſis forte procatarcticis, reſtituendum, pediluvia calida, cum cineribus, alternis diebus veſperi cum aliquali ſucceſſu adhibita fuerunt.

ad caput adſcendentem ſentire *i*), unde ſtatim vertigo, cephalalgia, nauſea, ſenſuum obliteratio ſequerentur, ut, niſi manibus illico prehenſa, aut ſedili firmata eſſet, humi prona caderet. Cum paroxyſmi nihilominus tam de die, quam nocte, cum aliquali praeſcientia, ut et praemonente modo dicta aura, crebrius invaderent, omiſſis pediluviis, ſub finem Februarii ſurae dextrae Emplaſtrum veſicatorium recens, cum duplo cantharidum, inpoſitum fuit, unde in cute primo rubedo, poſtea parvae puſtulae elevatae ſunt, quae, continuando idem Emplaſtrum, tandem pus fundebant; foraminulis inde ortis intruſae quidem fuerunt turundulae, ex eodem Emplaſtro, ſuperimponendo Emplaſtrum rubrum Stahlii cum cantharidibus acuatum, ſed inde nec ſuppuratio maior, nec ulceratio obtinenda, imo, non obſtantibus his, ſponte ſanabatur cutis *k*).

Dum haec agebantur, die 25. Februarii biduo poſt Novilunium, febre tertiana notha anticipante, quae hisce in regionibus ſingulis annis, ſcilicet ab anno 1759. ad hunc praeſentem usque, epidemice, a Februario ad Julii finem, graſſabatur, puella noſtra corripitur, inſultibus quatuor periodum ſuum abſolvente. An ſponte, naturae beneficio, aut ope Electuarii aperitivi antiphlogiſtici, absque cortice Peruviano parati, mihi alioquin familiaris, ſine alvi, quae toto morbo durante adſtrictior fuit, laxatione, alternis diebus intercalaribus, ſingulis binis horis mane ab hora ſeptima, tribus vicibus aſſumti; aut an



*i*) Cous iam ſuo tempore obſervavit, aegros praecognoſcere, ſe ab hoc morbo correpturos iri, Libr. cit. Sect. XIV. p. 338. *b*. Multae proſtant obſervationes parallelae, de aura ex parte quadam corporis aſcendente. Conf. inter alios HOFFMANNUS in Medicin. ration. ſyſtemat. Tom. IV. Part. III. Obſ. XI. pag. 49. et ipſe ego pluries quoque vidi.

*k*) Ulcera excitare velle, ubi et quando deſideratur, non ſemper ex voto ſuccedit.

imperfecte convaluerit? non dixerim. Interea ſilebant graviores nocturni inſultus irregulares *l*).

Die Martii quinta, ſaburram ventriculi, ex lingua mucida, nauſea, adpetitu languido &c. ſubolfaciens, idem Electuarium, Diagrydio ſulphurato *m*) acuatum, iisdem matutinis horis exhibui, alvo aegre inde ſoluta, ſegni. Sic inſultus diminui viſi ſunt. Vere adcedente, ſudantibus iterum pauliſper pedibus, paroxyſmi leviores coniuncti erant cum riſu multo, oculis fixis, ſilentio, meditatione; fortiores autem, praeter vertiginem, cephalalgiam, ſpumam oris, vociferationem, ſenſuum obſcurationem, oculorum occluſionem, manuum agitationem, trunci rigiditatem, genuum vacillationem, pedumque calcitrationem ſupra iam memoratam; capitis ſimul rotatione, palpebrarum ſpaſtica colliſione celeri, mutatione faciei lividae ſibi diſſimilis, venarum iugularium turgeſcentia, carotidum ictibus viſibilibus, pollicibus contractis, &c. comitati fuerunt.

Inter tot paroxyſmos diurnos, qui maximam partem circa tempus plenilunii vehementius infeſtarunt, die 10. Martii, ipſa plenilunii die, frigore temperato, africo procelloſo, coelo pluvioſo, ante meridiem paroxyſmum, cum fortioribus ſymptomatibus ſupra memoratis, paſſa eſt, ſimilem diei 10. Februarii, absque ulteriori incommodo; bis prona in terram concidit, manibus extenſis immotis, ſtatimque illaeſa ſurrexit. Paroxyſmi minorem, ſupinae in lecto iacenti, pollicibus illico extricatis, exſerebant violentiam. Die ſecunda Junii, quatriduo ante

*l*) Tertiana ſuſpendit hos motus; ſic ſalutares quandoque ſunt febres intermittentes. Quartanae quandoque ut remedium Epilepſiae depraedicantur; ſed hoc manebit in arcanis, quomodo eam, quando libuerit, excitare queamus.

*m*) Praeſtaret forte Diagrydio uti crudo; ſulphuratione enim vires multum cicurantur. Conſentientes mecum habeo multos recentiorum Practicorum.

ante plenilunium, coelo frigido, pluvioſo, africo frigido, ante meridiem, ex improviſo paroxyſmo fortiori correpta, humi proſternebatur ſtupida; ad ſe dein redienti vox erat rauca, cum pectoris oppreſſione, ſputo cruento ac levi tuſſicula, quae per noctem ſequentem durabant ſine febre. Inde vocis ſonorae plenaria abolitio *n*), motu linguae, & facultate verba proferendi, integris.

Obſtructiones in nervo recurrente, quantum tanta in caligine hariolari licebat, inde obortas ſuſpicatus, Eſſentia aperitiva purgante, ad modum ROTHII *o*), finito ſputo cruento reſerare tentabam incaſſum; imo alvus ſegnis duplicata doſi vix ſoluta fuit. Inflatio, tumor externus circa ventriculum, ſenſus repletionis, nauſea ieiunae matutina: vomituritio rara, nunc ſe manifeſtabant prima vice *p*).

Die quinto Junii Electuarium ſtomachicum, ex ſemine Sinapi, limatura martis, pulvere ſtomachico ad mentem Birckmanni cum Roob Juniperi, bis omni mane trihorii intervallo ieiunae lambendum; extus vero ſacculos ex herbis amaris, calidos, ſiccos, ventriculo inponendos praecepi; ſed tumor circa ventriculum ſubſidere, vocique ſonus redire, eius uſu licet per quatuor ſeptimanas continuato, renuebant, paroxyſmis levibus ſubinde de die redeuntibus.

Die

*n*) Aphonia Medicis et linguae mutitas, ſeu impotentia articulata proferendi verba, et ſimul, (ſi quae recte capio) loquelae ſoni abolitio ſeu vocis ſonorae amiſſio audit. Haec itaque aphoniae modo eſt ſpecies. Nonne ergo aphonia, quae, iuxta etymologiam vocis eſt defectus, vera huius morbi erit adpellatio? Conf. ZWINGERI *Theatr. Prax. Tom. II. pag.* 74. ſub Titulo: *Linguae aphonia.*

*o*) Vid. eiusdem Chemia p. 156. Edit. quarta, quae Lipſiae 1733. prodiit.

*p*) Epilepſia ſtomachica inde determinatur ſpecifice. Conf. BOERHAAVE Praelect. de Morb nervorum, edit. a *J. v. Eems*, Tom. II. p. 836. Articulo: *Epilepſia.*

Die ſexto Julii aliud Electuarium, ex pulvere ſtomachico modo dicto, Caſtoreo, Galbano, & Roob Juniperi, mane, horarum intervallo eodem, bis cuſpidatim lambendum, & reſerandarum in nervis obſtructionum ſpe, dorſi ſpinae unguentum nervinum cum oleis ſtillatitiis, Succini albi, Petrae, &c. iunctum, mane et veſperi, praevia leni frictione, applicari curavi. Aſt durante horum confidentiori uſu ſtrenuo, die duodecimo Julii, biduo ante ultimam quadraturam, coelo ex pluvioſo frigido in calidum ſerenum variabili, Borea aeſtivis menſibus crebrius frigidiusculo, ante meridiem paroxyſmo fortiore inopinato, humi prona in faciem manibus porrectis proſtrata fuit, brevi autem poſtea ſurgenti acceſſit aphonia permanens, auditus tanta imminutio, ut proxime ſtans voce elatiore adloqui debuerit, oculique dextri coecitas, cum pupilla dilatabili, minus ceteroquin immutata, manente tamen integro ſiniſtri oculi viſu, ſed coniuncto ſimul ſtupore totius lateris ſiniſtri paralytode.

De colapho lateri dextro capitis infligendo ſerio cogitabam, ſed ob ſucceſſus ancipitem eventum ab incongrua adplicatione, utpote in hoc actu inexercitatus, conſulto deſtiti. Paralyticus ſtupor frictionibus cum linteis calidis ſenſim ſublatus fuit. Interea die 2da Auguſti, cum motibus vexaretur epilepticis, absque obſtructionis nervorum reſolutione mihi perceptibili, Electuarium ex alcohole corticis Peruviani, radice Serpentariae Virginianae, conſerva Roſarum antiqua, & Syrupo florum Poeoniae, hora decima matutina & quinta veſpertina, nucis avellanae magnitudine deglutiendum praecepi. Aſſiduo autem licet eius uſu continuato, & quamquam hoc remedium tantis contra Epilepſiam exornatum fuerit encomiis q), ipſe tamen morbus adeo efficaci contra illud reluctante niſu, ſuperveniente lapſu fortuito, illud ſalutariter perfecit, quod nec ego audebam, nec hucus-

q) Confer. prae aliis b. Kleinii Selectus medicamentorum, p. m. 185.

hucusque Cortex valebat. Die enim aeſtuoſo 12mo Auguſti, die ultimae quadraturae, poſt prandium ſtatim ruri ambulans, caſu epileptico humum ex improviſo proſtrata, viſum plenarium, auditus maximam partem recuperavit ſummo cum gaudio, aphonia licet remanente. Sic ſpatio menſis lunaris cum quinque diebus coecitas & obauditio durarunt. Interea uſus Electuarii ad nauſeam usque continuatus, quo dein ſepoſito, ut, abundantiam ſeri a capite derivando, recidivas praeſcinderem, in brachio ſiniſtro fonticulum circa initium Septembris profundiorem excitari curavi; ſed vulneri leniter dolenti nec inflammatio, nec ſeri, nec puris ſtillicidium, per bimeſtre licet ſpatium aegre patenti, acceſſit, qua periodo tamen nihilominus frequentiores alias ingruente autumno *r*) inſultus leviores redditi fuerunt, absque ullo incommodo.

Die autem prima Novembris, die plenilunii, coelo frigido, pluvioſo, Borea flante, mane ſubito iterum in terram concidebat, cum aliquali ſaltem laſſitudine ſubſequente; ſurgenti brevi poſt, vana confidentia in fonticulum prioraque medicamina lactatus, aliud pro opinione, & quidem efficacius, Electuarium die 11. eiusdem, ex pulvere radicis Valerianae maioris recens contuſae drachmis ſex, corticis Peruviani in ſubtiliſſimum pulverem redacti drachmis duabus, Limaturae martis uncia dimidia, conſervae Abſinthii vulgaris uncia una, Syrupi florum Poeoniae unciis quatuor, triduo tam ante, quam poſt plenilunium ac novilunium, nucis avellanae magnitudine, quater de die, ſcilicet mane hora ſeptima & decima, hora quinta pomeridiana, & nona veſpertina, ſumendum, praeſcripſi. Circa hoc tempus, globulo cereo ex fonticuli cavo exemto, vulnus nychtemeri ſpatio, clauſum fuit *s*). Sic ab hoc tempore ad finem usque

*r*) *Et autumno morbi comitiales.* HIPPOCRATES Aphoriſm. 22. Sect. III.

*s*) Sic Fonticuli iunioribus, utpote quibus perſpirabilis cutis, ob ſucce- daneas,

usque anni ſiluerant quidem inſultus viſibiles, ideo forte, quoniam rigore hyemali generi nervoſo robur eſt maius, minorque inde ad motus convulſivos oſcillatio; remanebat tamen, vitio forſitan ventriculi, vertigo irregularis, cum dolore gravativo frontis, ad radicem naſi uſque ſe extendente.

Cum ſub initium Ianuarii 1763. tempeſtate, uti conſtat, admodum gelida, coelo ſereno, motus epileptici Electuarii praecedentis conſtante uſu, frequentiores & leviores, licet manifeſtiores ac ſenſibiliores, ſe ſiſterent, ſepoſui illud, & die 20. eiusdem aliud, ex radicis Valerianae maioris recens contuſae drachmis ſex, Limaturae martis in tenerrimum pulverem redactae uncia una, roob Iuniperi unciis tribus, aquae Abſinthii uncia una, paratum, mane hora decima, pomeridie hora quarta, & nona veſpertina, conſueta nucis avellanae magnitudine, licet ſapor odorque Valerianae ei, ob diutinum uſum, ingratus nauſeoſusque eſſet, tamen obedienti deglutiendum exhibui, ſperans itidem, eam uſu huius remedii liberatum iri. Nihilominus autem die 21. Ianuar. die ante primam quadraturam Lunae in apogaeo caput Draconis petentis, tempeſtate mane nebuloſa, dein ſerena, tranquilla, gelu iam per plures dies & hoc quoque, rigido, in Thermometro Fahrenheitiano, libero aëri expoſito, die 19. ad gradus 0-15; 20mo & 21mo ad 0-13, ſcilicet tot gradus infra 0. ſeu punctum congelationis ſubſiſtente, mane iterum paroxyſmum leviorem, quamvis diarrhoea ſtatim uſum Electuarii excipiebat, paucis poſt diebus ſponte ceſſans, patiebatur. Durante hac ſatis brevi diarrhoea abſceſſus in mala ſiniſtra frigidus *t*) oriebatur, ſcilicet ſine horrore, inflammatione, &c. praegreſſis, remediis emollientibus ſolitis extus intusque adhibitis, in oris cavi-

daneas, aut inſtantes, aut futuras, aut praeſentes evacuationes, ſine noxa iterum tolli, vulneraque conſolidanda ſibi permitti poſſunt, quod periculum pluries ſine aegri damno feci.

*t*) Rara in abſceſſus frigidos inanes eſt propenſio, laxata irritataque alvo.

cavitate dein ruptus. An diarrhoea fuerit derivatoria, non dixerim; derivatorii enim conatus mihi ſaepe irriti fuere.

Induciae motibus epilepticis aphonae fuerunt usque ad vigeſimam ſecundam Februarii, die poſt primam quadraturam, coelo mitiori, pluvioſo, Africo flante, quo, calore circa cor praegreſſo, oppreſſione pectoris ſpaſtica, catarrhi lenioris ſuffocativi ad inſtar, minime febricitanti, ſanguinis floridi per os eructatio, tuſſiendo antea per biduum, contingebat, ſolitis epilepticis motibus tunc non erumpentibus; adhibitis vero pediluviis veſpertinis, unice ſudore in pedibus aliquomodo redeunte, nocte inter 23. et 24. Februar. huic haemoptoicae *u*) rediit loquelae ſonus. Prima haec aphonia triginta octo hebdomadarum fuit. Die nono Martii, die poſt ultimam quadraturam tertio, Sole radiante, coelo mitiore tranquillo, iterum vertigo, oppreſſio pectoris inopina, denuo vocis ſonorae amiſſio *x*). Die ſequente decima ad ductum Naturae mane Venaeſectio in pede celebrata fuit, qua mediante lubenter ſanguinis uncias ſex detraxiſſem; ſed incerta licet eiusdem quantitate, ob miniſtrorum ignorantiam, emiſſa, rediit tamen eadem veſpera loquelae ſonus ſecunda vice. Periodus huic triginta circiter ſex horarum fuit. Electuarium, nauſeabunda, me facile adnuente, ſepoſuit. Ab hoc tempore motus epileptici diſparuere; tumor ventriculi demum circa menſis Maii initium ſubſedit; nulla ei pathemata hyſterica; nec hucusque menſium molimina, adpropinquante licet, ob pubertatem, debita huius excretionis periodo *y*), obſervare licuit. Sic ergo ad hunc uſque diem, quo haec ſunt conſignata, ſana incolumisque, quae Dei eſt gratia, vixit.



*u*) Nulla ante et poſt in pulmonibus aderat labes, quantum coniicere valebam.

*x*) An motus epileptici perſonati?

*y*) Menſium eruptio prima tandem decimo tertio Octobris 1764. Luna apogaea decreſcente, contigit.

## *Epicriſis cum adnotationibus.*

Suffragante experientia quisque animi motus peculiarem ſibi partem corporis vindicat, in qua effectus ſalubres aut noxios prae ceteris exſerit. Terror ſenſorium commune in ſubiecto praedispoſito debili; metus ventriculum turbat; hoc ſemel laeſo illud in conſenſum per leviſſimum animi motum, luna forte cooperante *z*), rapitur. An vero medicamina, directe et intaminatis viribus ſenſorium commune adeundo, turbationes ibi factas emendare valeant, adhuc ſub iudice lis eſt. Nonne virtus antepilepticorum, cephalicorum, nervinorum, ſenſorii communis intimos receſſus vix penetrantium, limitanda? et nonne, quae nuper clariſſ. CRANZIVS, in ſua *Materia medica et chirurgica Tom. I.* de cortice aurantiorum ad drachmam dimidiam bis de die contra Epilepſiam efficaci, laudat, de ſtomachica eius virtute forte unice valent? quo etiam haud dubie pertinet praeparatio foliorum aurantiorum ex mente ILL. *van* SWIETEN. Licet autem Epilepſiae proxima cauſſa ſit ſenſorii communis ſuccuſſio, haec vero a tot remotis cauſſis, praeſertim conſenſu ventriculi, oriri queat; cardo curationis in opponendo cuique harum cauſſarum ſpecifico proprio verſatur; ſed verum tale indagare: hoc opus hic labor! *a*)

Sublatis, methodo dicta, cauſſis remotis, generalia demum, quae ſunt roborantia, attamen primario in ventriculum agentia, adpropriata, proficua ſunt, indeque paroxyſmi diutius differri videntur *b*). Haec inter cortex Peruvianus in ſexu maſculino, &,

z) De Lunae influxu in epilepticos, lites componere tantas inter Phyſico-Medicos minime conabor. Praeſens obſervatio pro adfirmativa militare videtur; ſed pro obfirmanda ſententia ulteriores requiruntur obſervationes, iuxta artis regulas factae.

*a*) HIPPOCRATI *ex humido ſiccum facere* (id eſt, mutare) *hominem*, primarius eſt ſcopus. L. c. Sect. XIIX. pag. 344. b. Tom. II.

*b*) Ex ventriculi robore reſtituto toti corpori robur.

& ferrum in ſequiori, primatum tenet. Si quid recte iudicare valeam, ferrum, ſexui maſculino rite et prudenter licet exhibitum, non ita ex voto, ac ſequiori, conduxit. Cortex autem utrique ſexui quidem roborans ſit, ſequiori tamen (excepta eius virtute antiquartanaria univerſali,) non adeo promptam, ac potiori, viſus mihi fuit praeſtare opem; de qua differentia ulterius diſſerere non eſt huius loci *c*).

Quisque fere mortalium Epilepſiae ſubiici eamque ſuſcipere valet. In tenellis motus convulſivi; in adultis, utriusque ſexus, ira, furor, libido, actus venerei; in ſequiori ſexu Puerperium, id opinari ſinunt *d*). *Morbi comitiales* porro, iuxta Coi (aut quisquis ſit Collector) Aphorism. 7. Section. V. *ante pubertatem mutationem* (ſeu forte ſanitatem) *accipiunt*. Et Aphoriſm. 28. Section. III. *Plurimae paſſiones puerulis* (forte etiam puellis,) *quando ad pubertatem accedunt, iudicantur*; quae Hoffmannus *Med. ration. ſyſtemat. Tom. IV. Part. III. Capit.* 1. §. 20. *p. m.* 16. de Epilepſia explicat. Licet ergo morbus, iuxta modo dictos Aphoriſmos, brevi ante, aut circa pubertatem iudicetur, adeoque ſponte ceſſet, et in noſtro ſubiecto adpropinquante pubertatis termino (iunctis remediis) pariter abierit; rebus tamen curatius perpenſis, modeſte dubitare inducor:

1. An aegra, ſibi permiſſa, ſponte convaluiſſet? aut:
2. An remediorum, aut virium vitae ope, aut ſedis morbi mutatione, aut robore corporis, fugata fuerit Epilepſia?

Ex tota Obſervatione ſaltem elucet, vires vitae, lapſum in terram, omni arte praeſtantiores, adeoque morbum morbi Me-



*c*) Hippocrati ſuo iam tempore *ſanabilis* videbatur *Epilepſia*, aeque ac alii morbi, *niſi iam prae temporis longitudine invaluerit*. L. c. p. 329. Sect. V. 100.

*d*) Praeter Hippocratis aliorumque adſerta, confer. Boerhaave Praelectiones de Morb. nervor. edit. a *I. v. Ems*, Tom. II. p. 806. 807.

Medicum fuiſſe. Interea ſcepticum quandoque in Medicina agere ſobrium, quid vetat, cum prudenter dubitare via ſit ad veritatem.

## *Mantiſſa.*

Quaeritur tandem: Num Epilepſia ſit contagioſa, duplici modo:

1. an ſaliva Epileptici ſub ipſo paroxyſmo prodiens, aut
2. extra eum, et quidem in utroque caſu, aut attactu labiorum (oſculo v. gr.), commixtione cum ſaliva ſani hominis, aut manuum contrectatione, tam aegri, quam ſani, ſudantium, hominem ſanum inficere eique Epilepſiam concitare queat? Et experientia, & Auctorum illud adſtruentium notitia, mihi hac in materia deficiunt, erudiri alias cupienti.
3. An ſaliva, aut liquidum nerveum, aut ſemen, labem contrahant? Experiundum foret: ſed quomodo, me fugit.
4. Quaenam ſint ſigna diagnoſtica pathognomonica, ex quibus certo cognoſci poſſit, morbum in certo aliquo ſubiecto ſolidis cum fluidis vel ſingulariter, vel utrisque partibus coniunctim et ſimul, aut animo ſaltem inhaerere? Sed nimirum iam in hac materia diffuſus, vela contraho, ne dicta ab aliis inaniter repetam.

| Paroxyſmi maiores. | Annus | Menſis; Dies. | Ante aut poſt meridiem. | Coelum. | Venti. | Lunae Locus et Phaſes. | Symptomata. | Paroxysmorum intervalla. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. | 1759. | Auguſti incertus. | Pomeridie | Indeterminata ob | | incertitudinem diei. | Tetanus, non ſpumans. | - - - - |
| 2. | 1762. | Febrar. 10. | antemeridiem. | nubilum procelloſum. | Auſter tepidus. | biduo poſt plenilunium. | Manibus pedibusque motus, clamor. | 17. Menſium. |
| 3. | | 13. | pomeridie. | mitius. | Africus aſper. | biduo ante quadraturam ultimam. | pollices contracti &c. | 3. dierum. |
| 4. | | Martii 10. | antemeridiem. | pluvioſum. | Africus procelloſus. | die ipſa plenilunii. | eadem uti 10. Februar. capiti rotatio. | 25. dierum. |
| 5. | | Iunii 2. | eodem uti praecedens. | frigidum pluvioſum. | Africus frigidus. | quatriduo ante plenilunium. | ſputum cruentum; vox rauca; aphonia; ventriculi inflatio. | 84. dierum. |
| 6. | | 12. | eodem etc. | idem. | Boreas. | biduo ante ultimam quadraturam. | auditus diminutio; oculo dextro amavroſis; ſtupor lateri ſiniſtro &c. | 40. dierum. |
| 7. | | Auguſti 12. | pomeridie | aeſtuoſum. | S. W. frigidus. | die ultimae quadraturae. | viſus, auditusque reditus. | 32. dierum. |
| 8. | | Nov. 1. | antemeridiem. | frigidum pluvioſum. | Boreas. | die plenilunii. | terram concidit &c. | 79. dierum. |
| 9. | 1763. | Ianuar. 21. | eodem. | nebuloſum frigidum. | idem. | die ante primam □ ☽ in apogaeo et ☊. | abſceſſus malae; diarrhoea. | 82. dierum. |
| 10. | | Febrar. 22. | eodem. | mitius | Africus | die poſt primam quadraturam. | ſputum cruentum; loquelae ſonus rediit. | 32. dierum. |
| 11. | | Martii 9. | eodem. | nix copioſa. | Boreas. | die poſt ultimam □ tertio. | vocis ſonorae amiſſio iterum 10. veſperi reditus. | 16. dierum. |
| | | Octob. 13. | | nubila Phoebusque. | Africus fortis. | 4to die poſt plenilunium. ☽ apog. | menſium prima eruptio. | 19. menſium. |

(*Peilavia Sileſiorum, Circuli Reichenbacenſis, Principatus Svidnicenſis, Halam miſſa d.* 29. *Novemb.* 1764.)

# OBSERVATIO LXXXI.

## Dn. D. ANTONII MATANI

### De

### *Dyſentericis adſectionibus ſingularia quaedam adnotata.*

Cum elapſis annis, menſe praeſertim Auguſto, in urbe Piſtorienſi, eiusque tractu Dyſentericae graſſatae fuiſſent affectiones, illarumque curationem in publico Noſocomio libentiſſime ſuſcepiſſem, varia mihi obſervanti occurrerunt phaenomena, quae modo ab obortis inflammationibus, modo ab interrupta alimentorum coctione, modo tandem ab aëris conſtitutione deducenda eſſe videbantur. Ne autem aliqua fraudetur obſervatione, quicumque diverſos non ignorare cupit aegritudinum identidem recurrentium effectus, eam, quae iam ſequitur, aegritudinis a me in Noſocomio ipſo obſervatae hiſtoriam, exponere liceat. Pervenit nempe ad noſtrum Noſocomium ruſticus quidam ex *Sammomme*, quinquaginta annorum, & meae curae fuit commiſſus. Fluxu materiae billioſae & ſanguineae per alvum laborabat, variisque adfligebatur ſymptomatibus, & praeſertim nauſea, quandoque etiam vomitu, pariter bilioſo, debilitate magna, doloribusque abdominis, ſed non adeo atrocibus ac intenſis, ut aliquando in Dyſentericis affectionibus obſervatur. Habitu corporis praeditus erat macilento, & intermittente febre ſimul laborabat, quae tamen neque in acceſſionibus, neque in ſtatu aegritudinis ullum ſervabat ordinem. Pulſus vero ſemper parvus obſervabatur ac debilis, una cum magna proſtratione virium, quae augeſcente morbo languidiores ſemper evadebant. Cum autem iam per aliquot dies huiusmodi evacuationem ſeſe expertum fuiſſe referret, ad medicamenta ſtatim deveniendum eſſe iudicavi, adeoque praeſcripſi Clyſterem ex radice Ipecacuanhae paratum, ſed exiguo cum levamine. Qua propter

aegro-

aegrotanti quarta die Crocum martis adſtringentem etiam exhibui; poſtridie vero cum haec omnia in irritum cecidiſſent, praeſcribendum eſſe optimum duxi copioſum Nucerinae aquae potum, & ſexta ſeptimaque die Cichoreum compoſitum, indeque Telluccianae aquae non exiguam quantitatem. Sed iisdem ſymptomatibus adhuc vigentibus, vel potius magis ingraveſcentibus, ſingultus ei ſupervenit, quo torquebatur quam maxime. Quare, licet funeſtum reputaverim hocce ſymptoma, tamen ut ſymptomaticam ſaltem ſuſciperem curationem, Meliſſae aquam exhibui, quae tamquam ſpecificum remedium in eiusmodi circumſtantiis commendatur; poſtridie vero cum nihil profeciſſet, eam denuo praeſcribendam eſſe cenſui, cum fomentis emollientibus, abdomini imponendis. Tandem ſpem omnem, ac remediorum delectum, vis morbi eluſit, aegrumque e medio ſuſtulit, decima a decubitu in noſtro Noſocomio die. Quoniam vero ultimis vitae diebus ſingultus ei ſupervenerat non minus moleſtus, quam lethalis, idcirco non ſolam Dyſenteriam mortis fuiſſe cauſſam, ſed alias quoque ſubeſſe potuiſſe, ſuſpicioni dabatur locus. Quapropter eius aperire cadaver, ac curioſe luſtrare decrevi, ut luculentius conſtare poſſet huius phaenomeni latens & obſcura cauſſa.

Aperto igitur thorace, conſideratisque omnibus & ſingulis eius partibus, diverſae apparuerunt ſpectatoribus earundem alterationes. Diaphragma & oeſophagus in naturali ſtatu permanſerant, pariterque pulmones ſani, excepta aliqua parvi momenti inflammatione, quae in omnibus fere cadaveribus ut plurimum reperitur; erant autem valde molles. Cor erat magnitudine et colore naturali praeditum, ſed conſiſtentia laxa, atque in eius cavitatibus quam plures parvi polypi deprehendebantur, qui in extremis vitae periodis efformati apparuerunt, eo quod eſſent plurimum molles; unus vero ex his in principio aortae aliis mole maior & durior fuit repertus. Aperto abdomine luſtravimus magna cum cura omnia eius viſcera, et primo ſtomachum, in quo, quan-

tum oculorum acie licebat aſſequi, nil morboſum, nil organice depravatum fuit repertum; in dextra tantum ac inferiori parte, cui inteſtina iunguntur, plus aequo extenſus apparuit. In inteſtinis nullam labem obſervavimus, excepto colo, quod per totam longitudinem plumbeo colore erat infectum, et pluribus ni locis ulceribus repletum, eiusque cavitas obducta erat copioſa materia bilioſa mucoſaque inter ſe permixtis: Quidam vero iuvenis, qui aegro adfuerat morbi tempore & cadaveris ſectioni, teſtabatur, omnia per alvum prorupiſſe, dum viveret, ſimilia iis, quae in hocce inteſtino collecta deprehendebantur. Pancreas colorem, figuram, ac duritiem naturalem non prae ſe ferebat; hepar etiam magnitudinem maiorem, colorem magis fuſcum, & ſubſtantiam duriorem, quam naturalis eſſe ſolet, monſtrabat; cyſtis vero fellea erat omnimode vacua. Lien tandem in tota ſubſtantia, tam quoad molem, quam quoad colorem, naturali modo erat comparatum.

Ex hiſce omnibus, in cadavere obſervatis & breviter expoſitis, quid nunc erit inferendum? An ſingultus ille a vitio quopiam diaphragmatis pendebat? Sed in naturali ſtatu illud fuiſſe repertum iam adnotavimus. An ab irritatione quadam oeſophagi? Sed nullas in eo eroſiones, aphthas nullas obſervare datum fuit. An a nimia depletione oriebatur, propter diutius toleratam immodicam per alvum factam evacuationem, uti ſaepe in aliquibus poſt Diarrhoeam, & poſt vomitiones in Praxi obſervatur? An tandem a particulis acribus, tunicam ventriculi internam irritantibus ac convellentibus? Forte iſtud quoque improbabile penitus non videbitur, ſi conſiderentur attente illa, quae phyſiologicis comprobantur obſervationibus; nempe quod ſi ad reparanda illa, quae continuo ſub ſenſibili atque inſenſibili forma erumpunt e corpore, alimenta ſunt neceſſaria, & haec ut nutriant, primum praeparari debent in primis viis, et ad hanc obtinendam actionem neceſſe quoque eſt, ut omnia viſcera aliquod praebeant auxilium, ut confecti affundi poſſint hu-

mo-

mores in propria loca; hinc opus eſt, ut tales debeant confici, quales requiruntur, ut neceſſarii ſequantur effectus. Sed in noſtro praeſertim caſu, uti ſuperius monuimus, haec omnia alterata nil, niſi acres, ac degeneres a nativa indole humores affundere poterant. Ergo coctio alimentorum nulla erat, vel ſaltem depravata, partim deficientibus, partim ſenſibiliter corruptis ſolventibus menſtruis, huic operi inſervientibus; ſed tantum in ſpontaneam corruptionem dabatur degeneratio; ſcilicet non aſſimilabantur naturae corporis, ſed ſuam ſequebantur vel acidam, vel putridam, vel alterius generis indolem. Quare ſemper novae materiae irritantes ac convellentes primas vias, & abſorptae a vaſis lacteis, & ad ſanguinea vaſa delatae, febris fermenta evadebant, parteſque finitimas alterare poterant.

Ceterum quoque diverſas Dyſenteriae ſpecies variis licuit obſervare anni temporibus, quas multiplicem habuiſſe cauſſam, effectuſque multiplices, in plebeiis praeſertim hominibus, produxiſſe, obſervatum fuit. Et ſane deerat in nonnullis aliquando febris, deerant obſtructiones, atque benignus ſpontaneae aegritudinis obverſabatur adſpectus obſervatoribus; aderat vero in aliis Teneſmus, cum dolore, et virium proſtratione coniunctus; excitabatur tandem in multis nauſea, calor, et corporis languor. Sed delirium non raro, itemque febris irregularis, & vermes, deiectionem cruentam comitabantur, quod tamen in urbe Piſtorienſi, eiuſque tractu, haud infrequens eſt. Id ipſum autem demonſtrare poteſt, quemdam fere ſemper adeſſe naturae conatum ad corruptas materias, eaſdemque ſanguini permixtas, & inteſtina erodentes, e corpore expellendas. Quod quidem ideo aeſtivo tempore aliquibus ſolet accidere, quia ſive ob caloris exceſſum, ac repentinas aëris mutationes, ſive ob victus qualitatem pervertitur ſaepe chylificationis opus, atque inſuper intercipitur perſpiratio. Hinc mirum haud eſt,

 ſi,

ſi, ſecluſis generalioribus, conſtantibusque Dyſentericarum affectionum cauſſis, repentinae quaedam mutationes adveniant, quae modo cruentis, modo bilioſis fluxibus occaſionem inopinatam ſuppeditant, & epidemicas producunt huius generis aegritudines. Has vero in inflammationem degenerare poſſe, quilibet ſibi poterit perſuadere quotiescumque inflammationes ipſas a nimia ſanguinis quantitate, eiusque in minimis vaſculis diuturna mora deducendas eſſe cognoverit. Atque omnia haec tali occaſione adnotanda eſſe ratus ſum, ut ad alia maioris emolumenti, pro datis occaſionibus, progreſſum faciam.

(*Piſis Halam miſſa d. 4. Decembr. 1764.*)

## OBSERVATIO LXXXII.

## Dn. D. HENR. FRIDER. DELII.

### *Encheireſis circa loricationem Furnorum chemicorum ferreorum.*

Levidenſia ſaepiuſcule videntur nonnulla, quae tamen, ſi ignorantur, in peragendis negotiis interdum haud levem creare ſolent difficultatem. Taceo huius generis plura, & tantum circa *loricam, qua Furni chemici portatiles, e laminis ferreis confecti*, ne nimis cito ignis gradu fortiori comburantur, in interna ſua ſuperficie *obduci ſolent*, ſubſiſto. Harum variae ſpecies vulgo circumferuntur, quarum aliae aliis praeſtantiores ſunt. Plura autem luta chemica talia hoc habent incommodi, ut, ſi etiam fortius cum laminis ferreis, quibus huc illucve clavi uncinulique ferrei infixi ſunt, primo cohaereant, tamen ſub lenta exſiccatione fiſſuras patiantur, dehiscant, atque ſic laminas ferreas non ſatis defendant, et brevi fruſtatim delabantur.

Feci plura talia pericula, neque diffiteor, maſſam ex argilla alba recenti, quae cum argilla, in furno figulino ad inſignem duritiem cocta, & iterum in pulverem redacta, nec non ſan-

ſanguine bubulo mixta erat, quamque alias extollere ſolent, mihi non feciſſe ſatis, ſicuti quoque limus vulgaris, cum arena mixtus, praeſtanda non praeſtitit.

Eam autem *maſſam*, quae ex *limi vulgaris* partibus quatuor, *ſquamarum ferri*, *pulveris laterum*, *ſalis communis*, parte una, *crinibus pellis vitulinae*, & *palea hordeacea*, quantum ſufficit, conſtat, quaeque cuncta cum *ſanguine bovino* in paſtam formantur, omnibus nunc praefero.

Sed quando demum hac maſſa furni interior ſuperficies obducitur, vix fiſſurae praecaveri queunt, ſi lente ea, & absque ignis adminiculo, exſiccatur. Imo lentus carbonum ignis huc non quadrat. Ergo periculum feci, utrum *rapidior ignis humidum citius e maſſa removere, eandemque aequaliter reſiccare poſſet, ita ut eadem ubique firmiter adhaereat.* Et feliciſſime experimentum ceſſit. Sed in furni ſtructuram quoque effectus cadit.

Scilicet in demonſtrandis praecipuis proceſſibus chemicis, commodo Auditorum deſtinatis, per aliquot iam annos utor furno quodam portatili, e ferro laminato confecto, in quo cuncta fere ſubſidia, quae fortiſſimum ignem excitare valent, non tantum collegi, ſed in quo cunctos ignis gradus demonſtrare, cunctosque chemicos labores ſingulatim peragere valeo, ita ut, mutatis variis utenſilibus, eundem in furnum anemium, veſicae, catini, balnei maris, reverberii, ollae ſeu pallii, inque furnum docimaſticum vertere, atque calcinationes, deſtillationes, fuſiones, ſublimationes, cupellationes, cet. efficere poſſim. Similia quaedam praeſtitere iam tripus hermeticus BECCHERI, furni a SCHULZIO, LVDOLFO, aliisque, deſcripti; ſed variae partes, ex quibus illi conſtant, in meo in compendium redactae ſunt, ut corpus furni non niſi unicum & continuum ſit, ita tamen, ut ſuperior pars, quacum furnus ellipſin format, quaeque in tubum ferreum altum exit, removeri, ite-

 rum-

rumque imponi, poſſit. Accedit itaque noſter ad *furnum Pottianum*, cuius excellent. Autor in *Lithogeognoſiae Continuat.* II. mentionem facit, cuiusque iconiſmum exhibet, hoc tantum diſcrimine, ut in meo plures ianuae adſint, prouti earum apertionem, vel occluſionem, & variorum inſtrumentorum applicationem, nunc hic, nunc alius, chemicus labor expoſcit.

Inter alia commoda, quae ſtructura huius furni ſecum fert, illud quoque ſingulare eſt, ut, dum inferius ſpiraculum, quod eſt in cinerario, a craticula ultra ſpithamam diſtat, per illud quoque aër, ope admoti tubi, ſeu cylindri, e laminis ferreis confecti, cuius extremum orificium infundibulum refert, e longinquo adduci poſſit, & tubus ſuperior in aërem exeat, atque ita tractus aëris ſatis fortis oriatur, cuius ope maximus ſane ignis gradus producitur, ita ut, niſi is moderetur, ipſa vitra, praecipue in pallio, brevi colliqueſcant.

Iſte autem aëris tractus permultum omnino ad facilem & conſtantem *loricae*, ſeu luti, *exſiccationem* confert. Scilicet dum a figulo maſſa ſupra deſcripta interiori furni ſuperficiei aequaliter, & ad pollicis craſſitiem, illinita erat, atque capitulo, itidem loricato, impoſito, forma furni ovalis, ſeu elliptica effecta, *ſtatim craticulae ligni ſicciſſimi fruſtula impoſui*, *ex iisque rogum formavi*, qui, admoto igne, *ſtatim rapidiſſime flagrabat.* Hoc autem medio, *omne humidum*, in maſſa lutacea contentum, *repente in vapores reſolvebatur*, qui, utpote partes ſpecifice leviores redditae, *igne elevabantur*, quibusque per tubum ſuperiorem, orto efficaci aëris tractu, *exitus facillimus* erat, unde ſtatim, & admodum aequaliter, exſiccabatur, & firmiter, absque fiſſuris contractis, ferro adhaerebat lorica, ita ut furnus, qui e madida recenti lorica admodum gravis erat, nunc, elapſo vix horae exiguo quadrante, admodum levis & facile portatilis evaderet.

Eam

Eam autem conſtantiam & duritiem nacta haec lorica eſt, ut per quatuor iam Collegia chemica, in quibus bene multos proceſſus demonſtravi, fortiores ignes tulerit, atque hucusque immunis exiſtat, ut plura adhuc experimenta in furno ita loricato inſtituere valeam.

(*Erlanga Halam miſſa d.* 17 *Decembr.* 1764.)

## *OBSERVATIO LXXXIII.*
## Dn. D. IOSEPHI BENVENUTI.
### De
### *Rubiginis, frumentum corrumpentis, cauſſa & medela.*

Vereor profecto, ne me aliquis audaciae condemnet, ſi laborioſae indaginis phaenomenon explanare tentaverim, quod praeſtantiſſimorum Virorum fatigavit, & adhuc fatigat ingenia, quanam ſcilicet in re vera Rubiginis, frumentum corrumpentis, conſiſtat natura atque medela. Fateor enim, me philoſophandi tantummodo amore ductum, commentationes iſtas, qualescumque illae ſint, litteris mandaſſe, neque rem acu me tetigiſſe pervarie praeſumo.

§. I. Quid igitur ſentiam explicaturus, poſthabitis hypotheſibus, ſubtiliterque diſputatis opinionibus, quae mentem magis oblectant, quam ut ſolide illuminent; rationes & experimenta, quae veritati detegendae conduxiſſe viſa ſunt, fideliter enarrabo.

§. II. Id autem primo adnotandum eſt, quinque potiſſimum ex cauſis plantarum morbos excitari, nempe 1. ab humoris, quo nutriuntur, abundantia; 2. ab eiusdem inopia vel defectu; 3 a prava eius qualitate; 4. ab inaequali per plantarum partes

partes diſtributione; 5. a laeſionibus externis. Statuendum ergo erit, quanam ex allatis cauſſis triticum rubigine inficiatur.

§. III. Conſtanter animadvertimus: 1. Siccum frumentum a rubigine haud quaquam corrumpi; id autem poſtquam ros deciderit, ſaepius contingere, dum ſuper ſpicas deponitur. 2. Tunc maxime ſolum rore perfundi, cum ſerenus aër diutius praeextiterit, ut in Chemicis Inſtitutionibus animadvertit BOERHAAVIUS. 3. Nullo tempore, humido, vel pluvioſo exiſtente aëre, ſed cum Sol delapſo iam rore terram calefacit, rubiginem oriri. 4. Ventilatis in agris, frigidiuſculis, minuſque ſolaribus radiis expoſitis, creſcens frumentum aeruginoſis maculis rariſſime aſpergi.

§. IV. Sicuti vero perfectae qualitatis ros utiliter triticum humectat; ita noxius evadit, dum a naturali ſtatu recedendo, erodentem qualitatem adipiſcitur. Id vero facillime contingit, quando aqueis particulis, per atmoſphaeram effuſis, cauſtici ſales, vel minutiſſima inſecta uniuntur, quibus paludoſos vapores maxime conſtat abundare. Miaſmata talia, ventorum ope procul impulſa, ſaluberrimum quoque coelum ſaepius inficiunt, dulcemque roris naturam pervertunt, ita ut frugum corruptio, maximo quidem hominum ac brutorum detrimento, conſequatur. Non ſemel ruſticos, delicatulas praeſertim foemellas, dolore ſimul pedumque pruritu vexatas vidi, poſtquam aeſtiva tempeſtate ſuper ſolum rore conſperſum diſcalceati ambulaſſent. Paſtores etiam in armentis ſuis, virulentos foedati roris effectus experiuntur.

§. V. Satis igitur conſtat, ab infecto rore, ſalibus nempe corrodentibus, vel minimis inſectis onuſto, rubiginem fieri. Frumentum vero plus, quam reliquae plantae, morbo huic obnoxium videtur, quod rariori gaudeat partium textura, ſimul vero propter ſpicarum haud laevigatam, ſed inaequalem & aſperam ſuperficiem, ros ſuper illas facillime ſubſiſtat.

§. VI.

§. VI. Rubigo tamen frumentum aliquando inficit, etſi aliunde ad nos huiusmodi ſalia vel inſecta minime propellantur; ubicumque enim a variorum corporum exhalationibus, vel ab ipſo tellure, ſolaribus radiis arefacto, poterunt interdum oriri. Calcarii lapides, igne excocti, ſal alcalicum penetrantiſſimum exhibent, nullo modo ante calcinationem eroſivum. Nil mirum igitur, ſi ab aeſtivo ſole arefacta tellus, vapores, acribus ſalibus permixtos, in atmoſphaeram emittat, qui a nocturno frigore condenſati, ſub roris ſpecie iterum prolabuntur. Quot inſuper ex mineralium, vegetabilium aut animantium ſubſtantiis effluvia etiam organica, aeſtivo praeſertim tempore, per aëra ſublevantur?

§. VII. Ut luculentius rubiginis naturam & effectus intelligerem, ſpicas rore conſperſas ſummo mane, ante Solis ortum, pluries ac diligenter examinavi, idque comperi, parvulas guttulas, plus minusve contiguas & elevatas, iuxta delapſi roris copiam, maiori minorique ariſtarum ſcabritie eisdem adhaeſiſſe. Spicas etiam aliquas, prominentibus guttulis minime aſperſas, ſed integre ac aequaliter madefactas, animadverti.

§. VIII. Super pratum nocturno aeſtivoque tempore alba ſtrophiola ſubtiliſſimae texturae ſaepius expanſa reliqui, ſuſpenſa tamen, ac ſiccis baculis eo modo alligata, ut ſatis a ſubiectis herbis diſtarent, ne forſan, ab earum contactu, diverſam ros indueret naturam; antequam vero Sol ſurgeret, rorem expreſſi, utplurimum inodorum, inſipidum, fluidiſſimum, nec ſalis miculam ab evaporatione relinquentem. Interdum tamen ſalino ſapore linguam affecit, tunc vero, poſtquam evaporavit, tenues atque albidas cryſtallos, ad prismaticam figuram proxime accedentes, obſervavi. Quando autem ſal a roris evaporatione colligere contigit, non quidem ſimile in quolibet rore contineri animadverti, ut inferius dicam.

§. IX. Ros, (qui diverſimode tentatus haud omni tempore ſpecifica gravitate ſimilis fuit, neque acidam, aut alcali-

cam omnino naturam oſtendit) alveolos ſpicarum, quae grana continent, penetrat, ac rodit; canaliculos (quibus maxime plantae omnes abundant, ut alibilem ſuccum ſuſcipiant,) ita deſtruit, ut tritici grana, eo plane modo, quo in animantibus accidit gangraena correptis, alimento deſtituta, rugoſa fiant atque contracta; maculae quoque flaveſcentes ſuper ſpicas enaſcuntur, ex quibus aeruginoſus pulvis interdum emanat. Tunc vero, quoniam integra frumenti planta palleſcit, magisque vel minus (prout tranſpirabilis, vel poroſa extiterit) friabilis evadit, ab infecto rore nutritium etiam ſuccum depravari, facile intelligimus.

§. X. Huiusmodi maculae vividiori colore tinctae conſpiciebantur, ac profundius ſpicam penetrabant, quando roris guttulae latiores erant, prominentes, atque globoſae: tunc enim ſolares radii magis collecti (ut in convexis cryſtallis accidit,) ſpicarum foramina ampliando, ac ſalia acuendo, faciliorem infecto rori aditum parabant. Nonne microſcopium extemplo habemus, ſi aquae guttula exiguo metallicae laminae foramini ſuperponatur? Sphaericae autem huiusmodi guttulae tunc magis ſpicis adhaereſcebant, cum aeſtivo tempore blandi ventuli ſpirabant, pulverem ſuper plantas propellentes. Quodſi aequaliter ſpica erat rore madefacta, elevatis guttulis minime adparentibus, difficilius tunc frumentum a rubigine corrumpebatur, utut a Sole calefactum.

§. XI. Sed magis admiratione dignum eſt, ſimile haud quaquam ſal elicitum fuiſſe ex rore, qui eiusdem regionis ſub coelo collectus fuit; cuius rei cauſſa ab effluviorum mutabili natura repetenda videtur, quae continuo in atmosphaeram evecta, ſali acido primigenio uniuntur. Satis attamen conſtat, eo praeſertim tempore, quo tellus aeſtuante Sole diutius incaleſcit, abundantius alcalica ſalia ſublevari, ut §. VI. iam diximus: tunc vero acriori reddito rore, rubigine triticum inquinatur,

uti

uti anno 1759. contigiſſe deprehendi, cum huiusmodi labe fruges inficerentur.

§. XII. Roris putrefactionem citius tardiusve accidiſſe compertum habui, prout aër magis calidus, vel humidus erat. Vitrea ſeptem vaſcula, quae aequalem roris, ſub diverſo coelo collecti, portionem recipiebant, ſolaribus valde fervidis radiis expoſui; quemque paludoſis ex locis collegeram, illum ſeptima die corruptum fuiſſe, ac vermibus inquinatum deprehendi. In duobus inſuper vaſculis, quae rorem ſaluberrimis in regionibus delapſum continebant, vermiculos duodecima die nudis oculis conſpexi. Quem autem cetera vaſcula continebant, is tardius putrefactus eſt, neque inſecta exhibuit, licet in eorum ſuperficie virideſcens materies, muſco perquam ſimilis, adparuerit. Foetidus erat ros in ſingulis vaſculis, magis vero ille, in quo vermes oborti ſunt. Tametſi vero inſecta (forſan quod eſſent minutiſſima) ſuper ſpicas mihi numquam inſpicere contigerit, utut optimo microſcopio munito; ſimili tamen modo ros, quo illae aſperguntur, putreſcit, ac Sole calefactus deterior evadit, ex quo virulentiam ſuam frumento communicat, illudque rubigine inficit.

§. XIII. Quae remedia ad frumenti rubiginem arcendam feliciter adhibui, ſententiam meam maxime confirmant. Cum enim Maio & Iunio menſibus anno 1759. plantas fere ſingulas rubigo apud nos infeſtaret, certe deprehendi, minime frumenti ſpicas foedatas fuiſſe, quae ſindone, antequam ſerotina aura decideret, uſque dum Sol ſurrexiſſet, operiebantur; quasve ſummo mane ante Solis ortum concuſſi, atque a rore abſterſi. Hic vero commode adnotabo, parum experientiae conſonum videri, a plantarum tranſpiratione earumdem folia madefieri, dum nullo modo illas humeſcentes deprehendi, quae ſindone tectae fuerant.

§. XIV. Si roris delapſum uberior pluvia conſequatur, rubigo prohibebitur, vel minus frumentum laedet, dummodo

 ſpi-

ſpicae ſubſtantiam nondum deſtruxerit. Pro remedio ergo rubiginis haberi poterit ſpicarum ablutio, idoneae naſiternae ope peracta; vel ſi tenſae funis auxilio, ex utraque arvi parte ſusque deque ambulantes agricolae, rorem a ſpicis excutiant. Accenſi quoque circum agros ignes, noxios vapores facile diſpergent.

*Lucca, in Hetruria, Halam miſſa, d. 22. Decemb.* 1764.

## OBSERVATIO LXXXIV.

## Dn. D. WILHELM. LUDOV. WILLII.

De

## *Struma ſuppurationis vi ſponte rupta, & feliciter curata.*

Quo rarius ſive corporis humani partes internas, ſive externas adfligens caſus occurrit, eo maiori cum attentione & cupiditate etiam nemo non eius exitum expectat. Idem hoc ſequenti in caſu obtigit, dum maxima civium huius loci pars mei, tanquam tunc temporis vix per quatuor annos iunioris practici Medici, cupiditate flagrabat, & inſidiabatur: utrum ſuſcepta haec curatio ex voto ſuccederet, an non? Singuli, & fere omnes animum ad ipſam aegrotam convertebant, & ſpeculabantur: utrum per ſuſceptos meos conatus a pergrandi ſua ſtruma liberaretur, vel an iisdem mors eius iuſto citius maturaretur? Quo curatius autem actiones meae hic expediendae exquirebantur, eo circumſpectius, atque ſtudioſius etiam tractabam aegrotam hanc. Magnus ille & doctus Medicus, *Aurelius Cornelius* CELSUS, qui primo ſeculo poſt Chriſtum natum vixerat, variis in rebus praeceptor mihi fuit, dum *Cap. XIII. Libr. VII. de Medicina* ita ſcripſit: *In cervice, inter cutem & aſperam arteriam, tumor increſcit, Bronchocelen Graeci vocant, quo modo caro* be-

*hebes, modo humor aliquis, melli aquaeve ſimilis, includitur. Ex quibus quicquid eſt, quod tunica continetur, poteſt adurentibus medicamentis curari: quibus ſumma cutis cum ſubiecta tunica exuritur, quo facto, ſive humor eſt, profluit, ſive quod denſius, digitis educitur.* Sed ſcalpelli curatio brevior eſt. *Medio tumor una linea inciditur uſque ad tunicam, vitioſus ſinus ab integro corpore digito ſeparatur, totusque cum velamento ſuo eximitur; tum aceto eluitur, oraeque una ſutura iunguntur; leniter deinde, ne fauces urgeat, deligatur. Si quando autem tunica eximi non poterit, intus inſpergenda adurentia, linamentisque id curandum, & caeteris pus moventibus.* Quali vero methodo curationem ſingularis huius tumoris ego aggreſſus ſum, & quaenam memorabilia in illa obſervavi, ea ſequentibus accurate indicabo.

Huius oppidi, in quo nunc habito, Civis cuiuſdam & piſtoris duo de quinquaginta annorum uxor, decimo quarto aetatis anno in dextra antica colli parte tumore quodam mediocris avellanae magnitudine, qui initio ſub cute ad ſiniſtram uſque aurem moveri poterat, corripiebatur, progreſſu autem temporis non ſolum dicto in loco fixas agebat radices, ſed & ſucceſſive ita increſcebat, ut magnitudini ſphaerae ligneae, ad conos evertendos deſtinatae, accederet, & diſtenſis ambabus viri manibus vix amplecti poſſet.

Fœmina hæc firmioris atque robuſtioris erat habitus, & ab infantia optima, exceptis ſaltem crebrioribus congeſtionibus catarrhalibus verſus caput, gaudebat ſanitate. Ab ipſo hoc tumore nullas, niſi a pondere eiusdem provenientes, perſentiſce at moleſtias, donec anno MDCCXLIX. qui annus aetatis ſuae quadrageſimus quintus erat, menſes ceſſabant, a quo tempore deinde dolorem non ſolum ardentem atque pungentem in ſtruma ſua ſaepius animadvertebat, ſed in ſimul quoque aliquale eius incrementum obſervabat, huncque in modum omnia continuabant, uſque ad ferias nativitatis Chriſti anni MDCCLI. cum tumor hic ſponte tunc diſrumperet, atque nunc e fora-

 minu-

iminulo, magnitudine caulis pennae mediocris anſerinae, multa chorosa profluerer materia. Die XVI. Ianuarii anni proximi MDCCLII. frigus ſatis forte, & ſimilis aeſtus aegram, ſubſequentibus vehementioribus in ſtruma doloribus, invadebant. Suſcipiebat quidem aegra venaeſectionem, qua vero ſtatus hic morboſus neutiquam in melius reducebatur. Die tandem XXI. eiusdem menſis me accerſire curavit afflicta. Pulſum tunc plenum, durum atque celerem, linguam aridam, ac ipſam aegrotam de ingenti ſiti & agrypnia conquerentem inveniebam. Struma ad tactum admodum dura, & ad ſummum erat inflammata. E foraminulo eiusdem humor tenuis ichoroſus, cuius, ſecundum aegrae effatum, a noviſſimis nativitatis Chriſti feriis ad modo dictum usque diem quatuor circiter librae profluxerint, prodibat. Ut febris nunc praeſens mitigaretur, ſecundum meam tunc temporis uſitatam methodum pro uſu interno ſequentem ordinabam potionem: *Rec. Aqu. flor. Sambuc. Card. bened. ana* ℥iiß. *Antimon. diaphor.* ʒß. *Pulv. temperant. Stabl.* ʒiß. *Eſſent. alexipharm. eiusd.* ʒj. *Syr. Papav. rhoead.* ℥ß. M. D. ad Vitr. de qua ſingulo bihorio cochlearia duo erant ſumenda. Ceterum potum tantum aquoſum tepidum ſufficiente in quantitate, itemque iuſcula tenuia, & nonnunquam cibos e pomis, vel prunis paratos, concedebam, utque immodicus valde hypocauſti calor in mediocrem, & temperatum permutaretur, iterum iterumque iubebam.

Ratione externi vero ſtatus ſic procedebam: In foraminulum tumoris turundam e linteo carpto inſerebam, & fruſtulum emplaſtr. ſaponat. Barb. ſuperimponebam, atque ad inflammationem diſcutiendam ſequentia praeſcribebam: *Rec. Spec. emollient. pro cataplasmat. officin.* Miij. *herb. Origan. Serpill. ana* Miß. *rad. Ariſtoloch. rot. Biſtort. ana* ℥j. M. F. Pulv. groſſ. div. in II. part. aequ. D. ad Chart. Speciebus hiſce, duobus ſacculis linteis incluſis, & in aequali portione lactis recentis & aquae calefactis, leniterque iterum expreſſis, in tolerabili calore totam

ſtru-

ſtrumam perdiligenter fovere ſuadebam. Proximo deinde die remittebat paululum febris aeque ac inflammatio, & colli tumor molleſcere inchoabat; cum vero ſtrumam manibus comprimerem aliquantum, cochlearia quaedam materiae, tophulis minoribus & ſanguine coagulato commiſtae, e foraminulo eiusdem egrediebantur. Maximus horum tophulorum magnitudinem nuclei fructus dactyli habebat, & peculiari erat incluſus tunica. Eodem hoc, ac ſubſequente XXIII. eiusdem menſis die ſingulorum praedictorum uſus continuabatur. Die XXIV. ſtruma quidem durior, atque magis inflammata comparebat, nihilo tamen minus cochlearia quaedam dictae iam materiae iterum educebam. Cum autem aliquoties iam nominatum foraminulum pro egreſſu tam ſpiſſae materiae iuſto anguſtius mihi videretur, ad pollicarem magnitudinem forfice acutiſſima dilatabam illud; per quod deinde vulnus unciae circiter quatuor modo deſcriptae materiae mox promanabant. Eodem die ſequens praeſcribebam digeſtivum: *Rec. Decoct. rad. Ariſtoloch. vulg. ſaturat.* ℥ij. *Mell. roſar.* ℥j. *Eſſ. Myrrh. ſin. alc.* ʒß. *Terebinth. clariſſ.* ʒiß. *Vitell. ovor. num. II.* M. D. ad Pyxid. Hocce unguento quotidie ſinum tumoris largiter inungebam, atque labia vulneris linteo tantum carpto ſicco, ſuperimpoſito dicto iam emplaſtro, deligebam, inſimulque reliquis huc uſque adhibitis tam internis, quam externis remediis, porro inſiſtebam.

Die XXV. aegrotam hanc meam ſatis alacrem reperiebam, & cum adparatum deligatorium removiſſem, leni tumoris preſſione ad minimum libram unam ſpiſſae, ſubrubrae, & ſemicocto conciſoque hepati ſimillimae materiae, interſperſis multis tophulis ac parvis ſteatomatibus, educebam. Die XXVI. nihil inſoliti eveniebat. Die XXVII. plane ceſſabat febris, quare etiam potionis uſus omittebatur, & conveniens tantum regimen diaeteticum commendabatur. Eodem hoc die ſex circiter unciae modo deſcriptae materiae, cum qua ſimul magna aëris pars, forti cum fragore erumpebat, ſemovebantur. Obſervabam tunc

tunc pariter, quod ſtruma nunc imminui, ſordes vero in ea contentae ſpiſſiores, ſicciores que fieri inciperent. Die XXVIII. porro vulnus ultra duos digitos forfice acuta ita dilatabam, ut nunc longitudinem quatuor pollicum aequaret. Hac in operatione arteriola diſſecabatur, e qua primo larga ſatis portio ſanguinis profluebat; cum vero vulnus ſufficiente quantitate plumaceolarum ſiccarum impleretur, & labia eius per aliquot horas admota manu leniter comprimerentur, ſponte tunc ſubſiſtebat haec haemorrhagia: Foeminae deinde huic, de aliquali debilitatione conquerenti, aliquot hauſtus vini ſaccharati, leniterque aromatiſati calidi, & largiorem emulſionis amygdalatae potum concedebam. Die XXIX. loco ſacculorum emollientium atque diſcutientium, huc uſque adhibitorum, praecribebam nunc ſequentia. *Rec. Spir. vini rectificatiſſ.* ℥vj. *Eſſ. Succin. ſin. alc.* ʒvj. *Croci pulveriſat.* ℈iv. *Camphor.* ʒij. *M. D. ad Vitr.* Hocce linimento bis de die lintea duplicata humectabantur, & alio ſuperimpoſito linteo quadruplicato ſicco & optime calefacto, ſtrumae calide adplicabantur. Ultimis duobus huius menſis diebus abunde ſuppurabat vulnus, ſinguloque die cochlearia quaedam ſaepius iam dictae materiae educebantur: tam firmiter autem cohaerebat nunc materies haec, ut ſpatula ſemper deradenda eſſet.

Die primo Februarii tumor hic magis magisque molleſcere, atque quisquiliae, in eo adhucdum contentae, a radice eius verſus adpertum vulnus ſeſe conferre incipiebant. Die II. cochlearia circiter quinque materiae ſolitae, quae nunc vero mellis conſiſtentiam adquiſiverat, cum notabili tumoris imminutione emanabant. Die III. ſingulae hae res ex ſententia porro ſuccedebant, & e tumoris cavo tanta quantitas laudabilis puris proveniebat, ut etiam inter deligationis adparatum effluеret; effluxus contra impuritatum, in ſtruma contentarum, de die in diem ſucceſſive nunc imminuebatur. Hoc autem praecipue animadvertebam, quod, quo ſubtilior, fluidiorque materies

haec

haec fieret, eo magis etiam odorem putreſcentem ſpiraret. Similes etiam die IV. V. & VI. eveniebant circumſtantiae. Die VII. aegrotam meam prima iterum vice extra lectum reperiebam. Die VIII. IX. & X. tunica tumoris interna, excretam hucuſque materiam continens, ab integumentis communibus ſucceſſive ſe ſeparabat. Die XI. particulas quasdam huius tunicae aganthabolo extrahebam, & ut ulterior reſtitantis eiusdem adhuc portionis ſeparatio eo citius promoveretur, adhibito hactenus linimento digeſtivo, unguenti aegyptiaci ℥j. admiſcebam. Die XII. particulam eiusdem tunicae, latitudine ſeſqui digitali, duorumque pollicum longitudine, & die XIII. huius membranae fruſtum rurſus maioris palmae magnitudine, atque ſparſim cruſta tophacea obductum, extrahebam. A XIV^to^ uſque ad XXV^tum^ huius menſis diem una eademque obſervabatur methodus, & quovis die parva adhuc quantitas & portio tam tunicae praeternaturalis, quam materiae heterogeneae, in ea contentae, auferebatur. Die XXVI. facta mundificatione lintei carpti ope, e tumoris ſinu, quisquiliarum hactenus excretarum loco, modica tantum ſanguinis ſinceri portio prodibat, atque huc & illuc calloſitas in tumore adhucdum ſupererat. Ad removendam ergo hanc, quotidie *aquam griſeam*, in Diſpenſatorio Würtenbergico deſcriptam, iniiciebam. Die XXVII. XXVIII. & XXIX. in uno eodemque res permanebant ſtatu, ſaltem aegra ab aquae griſeae iniectione de morſicante conquerebatur ſemper dolore.

Die primo menſis Martii tumoris cavitas pulcherrime comparebat mundificata, & pus laudabile, albi coloris & boni odoris, nunc exſtabat. Omittebam ergo etiam digeſtivi uſum, eiusque loco adhibebam hancce mixturam balſamicam: *Rec. Mell. roſar.* ℥iß. *Eſſent. Myrrh. ſin. alc.* ℥j. *Succin. ſin. alc.* ℥ß. M. D. ad Vitr. factaque ſemper aquae griſeae iniectione, portiunculam huius mixturae turundis mollioribus excipiebam, & cavitati aeque ac labiis vulneris adplicabam. Hancce medendi

methodum per totum hunc menſem continuabam, qua etiam efficiebatur, ut ad finem eius non ſolum puris effluxus ſenſim imminueretur, ſed & cavitas aeque ac vulnus ipſum ad caulis pennae mediocris magnitudinem firmiſſime clauderetur. Eodem etiam tempore foemina haec tam rebus ſuis domeſticis iterum praeeſſe, quam hortum ſuum, ante huius urbis portam ſitum, frequentare valebat.

Die primo Aprilis ergo parvum hunc locum adpertum linteo tantum carpto atque ſicco, ſuperimpoſito pluries iam dicto emplaſtro, deligare incipiebam. Ipſa deinde foemina inceptum hunc deligandi modum tam diu perſequebatur, uſque dum medio tandem menſis Maii notabile hoc vulnus perfecte conſolidatum, atque haec curatio, quae Dei fuit clementia, in eximium meum, & aegrae huius oblectamentum finita erat. Quamvis enim ſtruma haec magnitudinem ſphaerae ligneae maioris, ad conos evertendos deſtinatae, habuerit, & integumenti communis pars ad ſummum ſuper eam extenſa fuerit; adeo tamen conſtringebatur cutis, ut, magnae & moleſtae ſarcinae loco, nodulus tantum quaſi cartilagineus, caſtaneae circiter magnitudine, remaneret.

Peracta conſolidatione, praeter ſubortam, tam in antica, quam poſtica colli parte, pruriginoſam ſerpiginoſamque, & adhuc durantem efflorescentiam, ne minimam quidem moleſtiam foemina haec perpeſſa erat. Ex acquiſita vero conſuetudine aliquandiu capite ſiniſtrum humerum verſus converſo, erectaque cervice ita incedebat, ac ſi vetus adhuc in collo exſtaret ſarcina, quae autem conſuetudo temporis progreſſu etiam evaneſcebat. Durante interim curatione diverſis morboſis, partim a malo regimine diaetetico, partim ab ira ſuppreſſa ſubortis adflictionibus, e. g. cardialgia, vomitibus, diarrhoeis, procidentia ani, &c. cruciabatur; at etiam hae calamitates feliciſſime ſemper depellebantur.

Quali

Quali autem maritus, ob uxoris reſtitutionem, affectus fuerit laetitia, vel ex eo patebit, quod, aliquando in caupona ſedens, haecce verba protulerit: *valde ſe dolere, quod Medicum, cum uxori ſtrumam diſſecaret, non ita concuſſerit, ut forficis acies iugulum illius penetraſſet, illique mortem hunc in modum conciliaſſet.* Sic ergo foemina haec, ſub largiſſima ſummi Numinis benedictione, praeter omnem ſpem & expectationem, quatuor menſium ſpatio, a pergrandi & moleſtiſſimo ſuo per triginta quatuor annos geſtato colli tumore ſtrumoſo, in quo neque caro hebes, neque humor melli aut aquae ſimilis, uti CELSUS loco citato iudicavit, ſed longe aliae, & maxime inter ſe diſcrepantes res incluſae erant, ita liberabatur, ut ad hunc uſque diem integra adhuc gaudeat ſanitate.

## *OBSERVATIO LXXXV.*

## Dn. D. WILHELM. LVDOV. WILLII.

De

### *Calculoſo Veſicae concremento, e calce arenata, ſaepius deglutita, ſuborto, & inſtituta lithotomia haud eximendo.*

Non dubito, quemquam facile de eo dubitaturum eſſe, quod praeclarus ille Medicus, *Herm.* BOERHAAVIUS, de eventu Lithotomiae in libro ſuo *de Cognoſcendis & curandis morbis, Aphoriſm.* 1437. ſcripſit, dum de hac operatione ita iudicavit: *Sciendum tamen, omnem eventum operationis ſemper dubium: propter ſingularia, vix ulla ſagacitate praevidenda, neque ulla arte ſananda, incidentia.* Ego ſaltem effatum hoc certiſſimum in caſu hoc ſequenti inveni: quamvis enim operationem hanc, ex infra dicendis rationibus, non niſi ſub conditione dubii eventus in me ſuſcipere voluerim, nihilo tamen minus a propoſito ſuo, tam

gravi ſe ſubiiciendi operationi, miſer hic neutiquam deflecti poterat, ſed re ipſa ſentire debebat, etiam ultimum extremumque artis remedium neque ullam mitigationem, multo minus autem ſperatam liberationem ingentium ſuorum dolorum efficere poſſe.

Initio enim menſis Martii anni MDCCLVI. Chirurgus quidam arroganter de arte ſua ſentiens, revera autem ignarus, iuvenem ruſticum, viginti annorum, mihi ſiſtebat, & ob continuam dyſuriam, & imminutam valde, ſaepiusque inſenſibilem ac guttatim tantum evenientis urinae miſſionem, conſilium a me expetebat. Aeger hic pallidum atque oedematoſum corporis monſtrabat habitum, & de nulla alia adflictione, niſi de iam dicta dyſuria, conquerebatur. Ceterum victu tantum viliori atque duriori frui cogebatur, & ubique neceſſaria ſublevatio ipſi deerat. Omnem quidem nervum ad cauſſam huius mali indagandam, ſed incaſſum, intendebam, cum aegrotans hic neque de praegreſſo alio morbo, vel externa violentia perpeſſa, neque de ſanguine, vel pure, cum urina olim excretis, quicquam ſe recordari poſſe aſſereret, hoc unicum ſaltem referens, ab ipſis pueritiae annis hiſce incommodis ſe iam laboraſſe, ſaepiusque lotium non aliter, niſi ſupino corpore, & titillando penem, emittere potuiſſe, & urinam ita emiſſam limpidiſſimam ſemper fuiſſe. Porro commemorabat, multis ſe iam remediis ſic dictis domeſticis, vel empiricis, praeſertim calefacientibus, e. g. *Bals. ſulphuris, oleo Terebinth. Spir. iuniper. e bacc.* &c. absque ullo quidem levamine, ſed auctis potius doloribus, uſum eſſe. Edocebam tunc illum, ut uſum eiusmodi calidorum diureticorum medicamentorum, ſin ſecus aliqualem mitigationem cuperet, plane intermitteret, eorumque loco emollientia tantum, atque leniter reſolventia remedia adhiberet; quem in finem etiam ſequentem ei praeſcribebam formulam: *Rec. Rad. Alth. mund. Aſparag. Cichor. Liquir. ana* ℥j. *herb. Agrimon. Veronic. Heder. terreſtr. ana* Mj. *incis.* M. F. Species, quarum dimidius circiter

citer

citer manipulus cum unciis VIII. vel X. aquae ferventis infundi & extrahi debet, quale deinde infuſum ante & poſt meridiem calide ſemper bibendum, & paullo ante drachmam circiter dimidiam pulveris ſequentis, ex hauſtu aquae purae ſumendam, ordinavi: *Rec. Tart. vitriolat. Tart. ſolubil. ana* ℥vj. M. F. Pulvis, D. ad Scatul. Victum praeterea mollem, & lubricantem ſuadebam, & nihil aliud, quam aquam putealem, pro potu concedebam, ſimulque ſpiritus vini, & refectionis, & mitigationis gratia hactenus ſaepius reiteratos hauſtus, ſerio interdicebam.

Brevi deinde tempore mater huius adflicti me accedebat, mihique adperiebat, filii ſui res in eodem adhuc ſtatu eſſe, nihilque levaminis hucusque illum obtinuiſſe. Impetrata hac occaſione omnem iterum navabam operam, ad originem huius mali indagandam, tandemque mulier haec plebeia, plebeio etiam ſermone, ita ſe explicabat: *quod praeſentium cruciatuum adflicti ſui filii omnem culpam crebrioris arenatae, particulis nitroſis commiſtae, & e muris in prima ſua pueritia abraſae calcis deglutitionibus tribuere poſſit.* Hocce cognito, eidem declarabam, filium ſuum ex mea ſententia calculo veſicae laborare, huiusque rei veritatem inſtrumento quodam ſecuriſſime explorari poſſe.

Elapſis abhinc aliquot hebdomadibus aegrotus ipſe, dicto iam Chirurgo comite, iterum me accedebat, atque deſiderabat, ut inveſtigarem nunc: utrum in veſica ſua certe calculus exſtaret, an non? Libentiſſime deſiderio huius miſeri adnuebam, deditoque illi parato corporis ſitu, & immiſſo in veſicam urinariam cathetere argenteo, mox conſuetus percipiebatur ſtrepitans ſonus. Captus ego miſericordia, valetudinario praeſentiam calculi, & quidem maioris, annunciabam. Vix certitudinem reperti audiverat patiens hic miſer, illico ac ſine cunctatione dicebat: ſe nunc lithotomiae ſubiicere ſe velle, cum hactenus perpeſſos cruciatus non amplius perferre poſſet;

 ſimul-

ſimulque etiam enixiſſime rogabat, ut operationem hanc primo quoque tempore in me ſuſciperem. Reſpondebam autem ei, operationem hanc optime quidem in eo perfici poſſe, ob habitum autem corporis ſui emaciatum, & ob mali diuturnitatem, eo minus expectandum forſitan auxilium ei promitti poſſe, cum generatim operatio haec ſaepius dubii ſit eventus. Nihilo minus in ſententia ſemel amplexa immutabilis perſiſtebat, & dicebat: quamquam etiam a graviſſima ſua miſeria non perfecte liberaretur, ſaltem tamen ad tempus levamen ſe impetraturum, vel forſitan ocyus moriturum fore. Neutiquam etiam a petitione ſua deſiſtebat, ſed firmiter in ea perſiſtebat, donec memoratam iam operationem me peragere velle promittebam. Sub ſpe quidem, illum forſitan mutaturum eſſe conſilium, de hebdomade in hebdomadem differebam hunc actum; cum vero per nuncios ad me miſſos ſaepius promiſſi mei admonerer, diem tandem XXVI. Aprilis, dicti iam anni, huic operationi praefiniebam. Aeger etiam hic miſer praefixum hunc terminum mirabili cupiditate expectabat; ſecundum vulgi autem praeiudicium hypnoticum expetebat remedium, unde ſequentem praeſcribebam Emulſionem: *Rec. Aqu. Ceras. nigr. flor. Til. ana* ℥iiß. *Sem. Card. bened. Papav. alb. ana* ʒij. *F. ſ. a. Emulſ. add. Nitr. puriſſim.* ℈j. *Syr. Papav. alb.* ℥ß. M. D. ad Vitr. & dimidia pars ante, altera mox poſt operationem ſumatur.

Veſicam deinde ſecundum *methodum Rauianam*, ſiniſtrum verſus femur, in praeſentia memorati Chirurgi, & famuli eius incidebam, qualem etiam operationem maxima conſtantia ſuſtinebat aeger. Cum vero calculum forcipe arripere, eumque vel ſemel in integrum, vel ſucceſſive in plura fragmenta diffractum extrahere vellem, non ſolum tantae magnitudinis, ſed ubique etiam veſicae ita accretum eum inveni, ut neque forcipe apprehendi, neque ullo modo e ſitu ſuo moveri poſſet, attamen calculum hunc non durioris, ſed mollioris tantum conſiſtentiae eſſe ſentiebam. Cum perſpicerem nunc, parum,

vel

vel plane nihil effectum iri, vulnus linteo carpto ſicco, ſuperimpoſitis ſpiritu vini rectificato conſperſis ſpleniis, & faſcia T deligabam, ſicque vulneratus per hunc diem, noctemque ſubſequentem, placide atque tranquille ſe habebat. Altero die miſerum hunc ſatis alacrem, vulnusque optime inveniebam comparatum. Quia vero calculus hic mollis atque laxus videbatur, forcipe forti cuſpidata fiſſuras quasdam radendo ei inferre annitebar, ut maſſam deinde hanc calculoſam forcipe huic operationi peculiariter dicata, ſucceſſive confringere atque educere poſſem. Hos etiam conatus per plures dies continuabam, iisque ſemper efficiebam, ut quotidie cochlear unum vel alterum, cum dicta ſubſtantia calculoſa repletum, cuius fruſtula quaedam maiora, calci arenatae ſubtiliori ac exſiccatae ſimilia, adhucdum adſervo, ſeparare potuerim. Maiores iſtas calculoſas particulas, tali modo deraſas atque decerptas, eadem volſella, minores mediante peculiari illo cochleari (*Bouton*) extrahebam, minimae autem cum lotio per vulnus effluebant. Primis etiam hiſce diebus omnis me tenebat ſpes, tali encheireſi me totum hoc concrementum calculoſum auferre poſſe; quo magis vero ad imam eius partem penetrabam, eo durius id deprehendebam, eaque propter etiam ab hiſce conatibus eo citius deſiſtere coactus fui, cum vulnus ocyſſime conſolidari inciperet.

Quia autem aegrotus per urinae e vulnere effluvium admodum relevabatur, hinc foraminulum hoc in loco, immiſſa cannula plumbea, relinquere volebam; reſpuebat autem hoc conſilium miſer, unde brevi deinde temporis ſpatio totum vulnus, ſub uſu tantum *unguenti digeſtivi ſimplicis*, & *Balſami Arcaei*, firmiſſime conſolidatum erat. Cum autem urina unice nunc per urethram iterum promanare debebat, eique ſabuloſa materia ſaepius admiſta erat, priſtini etiam dolores, & quidem vehementius nonnunquam redibant. Poſt elapſos dein aliquot menſes miſer hic febri hectica corripiebatur, quae de die in

diem

diem non ſolum increſcebat, ſed & pedum ac femorum tumor oedematoſus accedebat. Autumno tandem eiusdem anni ab hiſce calamitatibus aeque ac ſingulis per totam vitam ſuam perpeſſis miſeriis placida morte liberabatur tam graviter diſcruciatus hic homo. Libentiſſime quidem demortuum ſectioni anatomicae dein ſubieciſſem, atque ſitum, connexionem, qualitatem & naturam maſſae huius calculoſae accuratius perſcrutatus eſſem; cum vero extranei dominatus ſubditus, & civis remoti a domicilio meo loci erat, praetereaque parentes eius votis meis haud annuebant, diſquiſitionem hanc, invitus licet, omittere coactus fui. Si tunc, ut nunc, aquae calcis vivae in huiusmodi caſibus uſum cognoviſſem, huius remedii virtutem certiſſime tentaſſem, eiusque effectum ſollicite obſervaſſem.

## *OBSERVATIO LXXXVI.*

## DN. D. WILHELM. LUDOV. WILLII.

### De

### *Violenta Lienis ruptura, ex lapſu ſuborta, vulnerato per novem adhuc dies ſuperſtite.*

Sicuti admodum dubia & incerta illa eſt aſſertio: Lienem etiam vivis adhuc hominibus, ſine omni vitae & corporis diſpendio, exſcindi poſſe, ad quam confirmandam Italus ille empiricus Medicus, *Leonardus* FIORAVANTA glorioſe olim iactitavit, ſe mulieri Panormitanae lienem ſcirrhoſum triginta duo unciarum, vel, ſecundum aliorum falſiſſimam relationem, triginta duo librarum, feliciſſimo cum ſucceſſu exſecuiſſe; cui etiam *Theodorus* KERCKRINGIUS in *Spicileg. Anatomic. Obſ. XI. pag.* 30. & 31. quodammodo aſſentire videtur; ita tanto magis etiam certum, & extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: dictum modo viſcus non ſolum non ſine maximo periculo laedi

poſſe

poſſe, ſed & maiora, & profunda eiusdem, integris nonnunquam quoque corporis partibus externis, contingentia vulnera ſemper eſſe perniciosa atque lethalia, in quo etiam omnes tam ſuperioris, quam hodierni Seculi prudentiores Medici mecum conſentiunt, quemadmodum itidem ſequens caſus veritatem huius adſertionis ulterius confirmabat.

Robuſtus, laborioſus, optima gaudens ſanitate, atque procerae ſtaturae ruſticus quidam, aliquot ſupra quadraginta annos natus, die XXVI. menſis Maii anni praeteriti MDCCLXIV. hora matutina nona ponticulum ligneum, vix tres a terra pedes editum, transgredi cupiebat, & cum trabs ſub pedibus huius viri vacillaret, atque momento fixum ſuum locum mutaret, caſu hoc acerbo concutiebatur robuſtus hic homo, ut non ſolum inferiore parte lateris ſiniſtri acutam trabis oram ſuperrueret, ſed & mox in terram procideret ſyncopticus. Minutorum aliquot intervallo in tantum iterum ad ſe redibat, ut paſſus circiter mille pedetentim domicilium ſuum verſus ſe recipere poſſet, ſed denuo tunc ſyncopticus concidebat, & tandem a viris quibusdam ſuffultus in habitaculum ſuum, bis vel ter centum abhinc paſſus adhuc diſſitum, ferebatur, eorumque auxilio, veſtibus ei exutis, lectulo committebatur. Uxor, & cognati eius Chirurgum huius loci iuratum mox vocabant, qui aegroto venam in dextro brachio ſecabat, & libram ſanguinis unam emittebat, latusque affectum ſacculis diſcutientibus, in vino decoctis, diligenter fovere ſuadebat. Elapſis aliquot horis frater huius aegroti ad me mittebatur, qui ordinationem congruorum medicamentorum, pro uſu interno, a me expetebat. Praeter iam recenſita narrabat mihi porro hic nuncius, quod perſuaſiſſimi ſint, nihil in aegro ruptum vel diffractum eſſe; ſyncopticos tamen inſultus ſemper recurrere; aliquoties iam etiam illum vomuiſſe, nullum autem cum vomitu adhuc eieciſſe ſanguinem. Ad ſtagnantem ergo forſitan & coagulatum ſanguinem reſolvendum, & ad putridam eius corruptionem praecavendam, ſequen-

quentem potionem ordinabam: *Rec. Lapid. cancror. ppt.* ʒß. *Acet. vin. opt.* ʒvj. *poſt efferveſcentiam add. aqu. Veronic. vinos.* ℥iv. *Sacchar. puriſſ.* ʒvj. *M. D. ad Vitr.* ſingulisque bihoriis cochlearia duo vel tria praebeantur. Item: *Rec. Herb. Hyſſop. Malv. Arnic. genuin. ana* Mß. *incis. M. D. ad Ch.* S. Species, cum quatuor libris aquae ferventis decoquendae. Hoc deinde decoctum melle edulcorare, ſaepiusque de eo, quantum vaſculum murrhinum capit, calide aſſumere iubebam. Interdicebam inſuper quemcunque cibum durum concoctuque difficilem, ac vini uſum; pro potu decoctum e hordeo crudo, vel aquam pani toſto ſuperfuſam, vel etiam aquam puram, modica portione aceti vini acidulatam, pro victu autem iuſcula tantum tenuia & mucilaginoſa diluta concedebam. Hora circiter veſpertina ſexta, vel ſeptima, aegrum hunc ipſe viſitabam, eumque ſupine in lecto cubantem (ad latera enim, magnorum dolorum cauſſa, ſe convertere haud valebat) atque valde languidum inveniebam; ſiniſtra faciei pars tumida erat, pulſumque deprehendi debilem & mollem, aſt aequalem; in ſiniſtro pectoris latere de dolore pungente conquerebatur, & ſub exactiori inveſtigatione aliquot ſpurias coſtas fractas eſſe, cognoſcebam. Remittebant nunc quidem lipothymiae, ad ſomnum vero valde inclinabat laeſus, atque de ingenti ſiti, & urinae retentione queritabatur; ceterum vero optime ſibi conſcius erat. Neutiquam autem mihi arridebat rerum hic ſtatus, quare etiam uxori ſuae, & loci praefecto, mortem inſequentem adnunciabam. Die XXVII. aegrum ſublevatum aliquo modo reperiebam, dextro enim lateri incumbere, & praeterita nocte urinam emittere poterat; uſus ergo tam internorum, quam externorum remediorum continuabatur. Die XXVIII. omnia in eodem manebant ſtatu, eademque porro adhibebantur remedia. Singulare autem hoc obſervabam, quod, ſi miſer hic ſupine in lecto cubaret, talis in pectore audiretur bulliens ſonus, qualis ex evacuatione fluidi cuiusdam e vaſe quodam, anguſto collo praedito, ſuboritur; idem etiam

per-

percipiebatur ſonus, ſi pectoris parti ſiniſtrae manus imponebatur; ſi autem in hoc illoque latere decumbebat, tunc mox evaneſcebat hic bullitus.

Die XXIX. annunciabat mihi aeger, tranquille quidem ſe dormiviſſe, ſaepius autem bilem evomuiſſe: qualem excretionem vehementi irae perpeſſae imputabat: praeterea de flatibus retentis, abdomine tenſo, & colico circa umbilicum dolore conquerebatur. Lenitionis harum quaerelarum cauſa ante & poſt meridiem enematis emollientis adplicationem commendabam aegroto, quorum ope ſufficiens excrementorum & flatuum copia educebatur. Ceterum vero eadem, ſaepiusque iam nominata remedia adhibebantur. Die XXX. vomitus bilioſi denuo apparebant, abdomen magis magisque intumeſcebat, dolor colicus ſemper increſcebat, & ſitis in uno eodemque manebat gradu. Hoc in die novam iniectionem clyſteris emollientis, & ſequentium pulverum digeſtivorum uſum commendabam: *Rec. Crem. Tartari, Terr. foliat. Tart. ana* ℈iv. M. F. Pulv. div. in IV. part. aequ. D. ad Chart. ſingulisque trihoriis una doſis ex aqua pura ſumatur. Vltimo huius menſis die, quo feſtum adſcenſionis Salvatoris noſtri celebrabatur, ad evacuandas quascunque impuritates in ventriculo atque inteſtinis contentas, hoc praeſcribebam laxans remedium: *Rec. Mann. puriſſ. Fruct. Tamarind. ana* ℥iß. *Crem. Tart.* ʒij. M. D. ad Chart. & cum unciis octo aquae fontanae ferventis decoquantur, poſtea exprimantur, ipſumque hoc Decoctum calide ſucceſſive hauriatur. Priores huius medicamenti hauſtus mox evomebat, reliqua vero eius pars exoptatum praeſtabat effectum. Maxime etiam ſublevatum de eo ſe credebat aeger. Subſequente autem nocte vehementius iterum colicis doloribus, quos nimio aquae potui imputabat, adfligebatur. Die primo menſis Iunii clyſter emolliens iniiciebatur, & ſacculis diſcutientibus, in vino decoctis, totum abdomen fovebatur, a quorum uſu dolores circa veſperam remittebant paululum. Die II. in tolerabili erat ſtatu, ſaltem continua-

tinuabant ſemper vomitus, & quaecunque ingeſta mox reiiciebantur; ſitis eodem adhuc durabat gradu; pulſus ſemper aequalis, plenus tamen nonnunquam atque durus erat; urina debito ordine & colore, ac ſine ullo dolore profluebat, in utroque etiam latere nunc decumbere poterat aeger, & in ſiniſtra thoracis parte ne de minimo quidem, aliquot iam abhinc dies, conquerebatur dolore; nonnunquam ructus, ab omni tamen adverſo ſapore & odore alienos, emittebat, ceterum ſemper ſibi conſcius erat, & nunquam delirabat. Durante etiam hocce octo dierum ſpatio neque per vomitus & exſcreationem, neque per urinarias vias & anum, ſanguinis extravaſati & coagulati pars aliqua excernebatur. Primo autem diluculo diei III. Iunii recurrebant vomitus, & duabus in vicibus ultra libram unam ſanguinis nigri & coagulati evomebat aeger, dolorem pariter ardentem in univerſo ſiniſtro latere nunc adcuſabat, ad cuius ergo mitigationem ſufficientem portionem *Specierum emollientium pro cataplasmatibus*, easque duobus ſacculis includendas, in lacte decoquendas, partique dolenti calide ſemper imponendas, ordinabam: ad coërcendam autem febrem fortiorem, & imminentem putredinem avertendam, pro uſu interno ſequentem potionem praeſcribebam: *Rec. Aqu. C. C. citr. Ceras. nigr Meliſſ. ana* ℥ij. *Pulv. ſubtiliſſ. cort. Peruvian.* ʒß. *Crem. Tart.* ℈iv. *Syr. Rub. Id.* ℥j. M. D. ad Vitr. de qua ſingulis horis duo cochlearia exhibebantur, tandemque, ad ſitis extinctionem, aquam cum optimo aceto leniter acidulatam concedebam. Aſt, quaecunque adſumta illico revomebat, & pro derelicto ſe nunc habebat, ſiquidem etiam verſus meridiem, hora eiusdem diei undecima, placide & tranquille exſpiravit.

Vt ergo nunc certam mortis cauſſam explorare poſſem, anatomice cadaver hoc perſcrutari adlaborabam, id quod etiam, conſenſu huius Marchionatus ſupremi Magiſtratus, hora matutina VIIma a me, ſupra iam dicto diligente atque curioſo Chirurgo

rurgo adiuvante, ſuſcipiebatur, horaque circiter X$^{ma}$ perficiebatur. In anatomica hac perſcrutatione

I. totus huius cadaveris externus habitus conſueto obductus erat pallore, nulloque in loco neque livida, neque ſanguine ſuffuſo tincta adparebat macula.

II. Abdomen adeo erat diſtenſum, ut digitis fovea ei imprimi haud potuerit. Impoſitis eidem manibus calor naturali ſimilis percipiebatur.

III. Separatis, a ſubiacentibus thoracis & abdominis carnoſis partibus, integumentis communibus, ſupra ſiniſtras ſpurias coſtas, parca ſanguinis coagulati quantitas inveniebatur.

IV. Singulis abdominis partibus continentibus diſciſſis, *ex eius cavitate librae decem, vel duodecim nigri atque putreſcentis cruoris effluebant.*

V. Omentum ad palmae magnitudinem corrugatum, & atri coloris erat.

VI. In ventriculo & inteſtinorum canali nulla obſervabatur laeſio; inteſtina autem craſſa flatibus admodum erant expanſa, colore virideſcente tincta, & ſanguine congrumato & glutinoſo obducta.

VII. Reliqua imi ventris viſcera, ut hepar eiusque partes, pancreas, meſenterium, renes & veſica urinaria, ſana atque integra reperiebantur.

VIII. *Lien contra in media ſua parte ita erat diſruptus, ut in parte ſua concava paululum tantum adhuc cohaereret. Suffuſculum praeterea hoc viſcus habebat colorem, & in durum quaſi haemisphaerium erat conſtrictum.*

IX. Singula thoracis contenta optime ſe habebant. Cor, & vaſa, tam arterioſa, quam venoſa maiora, largam adhuc quantitatem ſanguinis continebant.

X. Denique infimae tres ſiniſtri lateris coſtae ſpuriae diffractae quidem erant, nullum autem neque in muſculoſis huius regionis partibus, neque in pleura & pulmonibus, obſervabatur inflammationis ſignum.

Caſum hunc, rarioribus adſcribendum eſſe obſervationibus, ob enormem Lienis laeſionem, ob ſanguinis in cavitatem abdominis effuſi copiam, ob ſymptomatum levitatem, & ob mortem ad diem usque nonum protractam, certe credo. Quam maxime notabilis etiam hic caſus mihi ideo fuit, quia, proh dolor! dilecta mea mater ex eodem ponticulo in fluvium delabebatur, & aquis peribat.

Plures porro hiſtorias, de diſruptis Lienibus, in exiguo meo librorum ſupellectile relatas inveni, in *Mich.* ALBERTI *Iurisprud. med. Tom. I. Part. II. pag.* 380. & *Appendic. pag.* 193. *item Tom. II. pag.* 324. *Ioh.* BOHNII *Tr. de Renunciation. vulner. pag.* 309. *ſequ. Sam.* SCHAARSCHMIDT. *Relation. medico - chirurgic. Berolinens. Ann. I. pag.* 30. & 33. *ſequ.* & *Ann. III. pag.* 195.

(*Emmendinga Halam miſſæ d.* 10. *Ianuar.* 1765.)

## OBSERVATIO LXXXVII.

## Dn. D. PETRI SIMONIS PALLAS.

### *Phalaenarum Biga, quarum alterius Femina artubus prorſus deſtituta, nuda atque vermiformis, alterius, glabra quidem & impennis, attamen pedata eſt, utriusque vero, ſine habito cum maſculis commercio, foecunda ova parit.*

In claſſe animalium Inſectorum miracula tanta tamque varia detexit recentiorum, in Natura Oeconomia illuſtranda deſudantium, induſtria; ut vix quidquam, utcunque inſolitum & a generaliori Naturae norma abludens, paradoxum noſtro ſecu-

ſeculo videri debeat. Inauditum hucuſque fuit, *dari Phalaenam foemineam, nudo vermis habitu, non alis* modo, quippe cuius plurima exſtant exempla, ſed & *pedibus, antennis paleisque* Lepidoptero propriis *deſtitutam*; inauditum *Lepidopteri ova, ſine maris vivifico influxu, foecunda* naſci poſſe. Prioris tamen in altera hic deſcribendarum ſpecierum, poſterioris etiam in utraque exempla inveni, eaque memoriae prodidiſſe neque inutilis iniucundusve, neque forte inglorius labor cenſebitur.

Utramque ſpeciem, quam deſcribendam mihi ſumſi, nullibi maiori copia reperire datum fuit, quam in Pinaſtretis *agri Berolinenſis*. Et quamquam *minor* ſpecies per totam facile habitet Europam, inque ſylvis campisq; aridis, ad arborumque truncos & hortorum ſepimenta obſervetur ubique; frequentior tamen circa Berolinum viſa eſt. *Maiorem* vero rarioremque ſpeciem, ego, niſi in ariidiſſimae ſylvae, quae prope Berolinum eſt, iis praecipue tractibus, ubi Carices abundant, offendi nusquam; ibique tanta eius quotannis frequentia eſt, ut mirari fas ſit, eam a ſagaciſſimo Frischio praeterviſam fuiſſe.

Illuſtr. Reaumurius Larvae maioris ſpeciei, una cum domuncula ſua ſive folliculo, dedit Iconem in *Commentar.* ſuorum *Entomologicor. Vol. III. Tab. XI. fig.* 10. ulteriorum eius proprietatum, animalculique perfecti, in quod mutatur, ignarum ſe faſſus; id unice adiiciens, eam, Quercus foliis pro pabulo uti, ſibi viſam fuiſſe. Et hic unicus eſt Auctor, apud quem miri huius Inſecti mentionem factam invenerim. Recte forte (loc. cit. p. 147.) opinatus eſt Reaumurius, hoc ipſum, vel ſimile quoddam inſectum, Aristotelem *Xylophthori* nomine indigitare voluiſſe; quem ideo Plinius bene ad Tinearum familiam referendum eſſe cenſuerit.

Maio autem imprimis *maioris* huius, mihi memorandarum ſpecierum, Larvae colligi poſſunt. Tunc enim adultae aridam

dam tellurem, (ſupra quam, pabuli, ut videtur, gratia, vixerant, ob gramineum tegumentum, inter marcida gramina aegrius reperiundae,) deſerunt, arborumque, imprimis Pinaſtrorum truncos, ad aliquot pedum altitudinem, aſcendunt, ut ibi domunculam, qua hucusque tectae inceſſerant, pro ſubeunda ſecure metamorphoſi, affigant cortici.

Figura *Larvae* (Tab. VII. fig. 6.) inſoliti nihil habet. Tinearum Larvis, niſi mole, ſubſimilis eſt. *Corpus* ei craſſum, turgidulum; *caput* corneum, pallidum nigroque variegatum. *Segmenta* tria priora duriuſcula quoque ſeu corneola, coloris pallidi, faſciolis nigris, ſegmentatim interruptis, trium parium, longitudinaliter picta; quodque ſingulare eſt, & ab Inſectorum naturaliſſima ſtructura abludens, antrorſum imbricata ſunt, non retrorſum. Reliquum corpus cute involvitur pallida, praeter faſciam latam dorſalem fuſceſcentem. In ſingulis ſegmentis puncta aliquot calloſa, parum evidentia, pilisque tenellis ſparſa obſervantur. Latera, ſubrugoſa, *ſpiraculis* minutis rotundis notata ſunt. *Pedes*, ſub tribus primis corporis ſegmentis, ſeni, *unguiculiformes*, fuſci, robuſti & ſubpiloſi; horum par tertium, maius, communi inſidet baſi calloſae, a corpore productae. His ſenis pedibus ſolis graditur Larva, atque folliculo incluſum corpus trahit. *Pedes papillares*, ſub medio abdomine ſiti, octoni, plerisque Erucis ſolemnes, huic breviſſimi, truncati, continuaque ſerie uncinulorum coronati ſunt; iisque & caudalibus, itidem breviculis; Larva noſtra ſerico, quo folliculum intus veſtire ſolet, tenaciſſime, curvulo corpore adhaeret, & expulſa quoque ſemper incurva iacet. Magnitudo, quam figura noſtra expreſſimus, mediocris Larvae eſt; quales fere in Phalaenas maſculas mutari ſolent: Femineae enim multo maiores plerumque ſunt.

*Folliculum*, in quem turbata ſe recipiat, quoque loricata incedat, more Tinearum, e proprio ſerico, albiſſimo, Larva noſtra

noſtra conficit: elliptico-oblongae figurae, intus puriſſimum, exterius vero ramentis graminum, fragmentisque bracteolarum corticalium Pinaſtri additis rudem, quae longitudinali ſitu applicare & attexere callet. Talem folliculum, longiſſimis ramentis munitum, exprimit figura 10. Tab. VII. Vulgo breviculis tantum culmorum portionibus conтecti eſſe, maſcularumque larvarum folliculi plus corticalium bracteolarum exhibere obſervantur. Anterior folliculorum apertura amplior & oblique truncata eſt, qua progreſſura Larva corporis priora pedata ſegmenta exſerat. Poſtice in tubum collapſum (fig. 10. *c.*), nempe ramentis heterogeneis obſitum, elongantur, per quem deinde matura Phalaena prorumpit.

Adultae nempe Larvae, uti iam dictum eſt, oblique truncatam folliculi aperturam arborum cortici applicant firmiſſimeque attexunt, ita ut obliquo ſemipendulus ſitu ſeſe ſuſtineat. Tunc intra folliculum, quamquam pro craſſo corpore perangustum, uti Tineis ſolemne eſt, vertuntur, atque poſticam aperturam, tubi nempe initium, tomento ſericeo, laxo occludunt. Sic munitae exuunt Erucae habitum.

*Nymphae* ſeu *Pupae*, quae ex his Larvis fiunt, pro ſexu futuri Inſecti, diverſiſſimae ſunt. *Foeminea* Pupula (fig. 7.) farciminuli oblongi, loricata inſtar eſt, coloris ſubbrunnei, & vitae ſignum nullum prodit. Quae in reliquorum Lepidopterorum Nymphis, futurorum artuum adumbrationem ſiſtit Larva ſeu perſona, huic nulla adeſt, incluſum enim inſectum artus omnino nullos habiturum eſt. In loco, ubi Erucae pedes fuerunt, ſpatiolum diluti coloris conſpicitur, ſex punctis, veluti pedum veſtigiis, notatum, inque dorſali, quod icone exhibitum eſt, latere diluti itidem coloris lineola, ad anticam extremitatem, conſpicitur, quae veluti ſutura eſt pro maturi demum Inſecti exitu ſecedens.

*Maris* Pupa (fig. 9. 10. *a*) a reliquarum Phalaenarum Nymphis vix abludit, caſtaneique ſeu dilutioris, quam foeminea,

 eſt

eſt coloris. Eo tamen ſingularis eſt, quod abdomen ſeu poſticam corporis partem ſubincurvam ſemper gerat, eamque non rotatorio motu, ut vulgo Nymphae ſolent, ſed tantum ſurſum atque deorſum, ut Cancri caudam, moveat.

Matura maſcula Nympha, motu ſuo, quo folliculi tubum occluſerat ſericeum tomentum dimovet, e tubo dimidia emergit (fig. 10. *a*) tumque Phalaena, dehiſcente putamine, exit. Feminae vero, intra folliculum relicto nymphali involucro, vermiculari motu enituntur, tuboque elabuntur.

In *maſcula Phalaena* (fig. 11. Tab. VII.) id iam ſingulare occurrit, quod, quamvis e Larva *Tinearum* ſimili prognata, antennis tamen pectinatis ad *Bombycum*, a LINNAEO conſtitutam, Phalaenarum *familiam* accedat, & habitu ſpecialiori illam Phalaenarum bombycinarum ſpeciem referat, cuius femellae alis deſtitutae ſunt, *Phalaenam* dico *antiquam* LINNAEO dictam. Exili Phalaena noſtra eſt corpore; *alae* ei latiuſculae, integrae, obſolete nigrae, quibus *in tecti formam* compoſitis quieſcit. *Thoracem* raris atque longiuſculis canis villis hirſuta, cetera tota fuſco-nigra eſt. Fera eſt, leviſſime turbata avolans, inque natalibus ſylvis raro vel nunquam interdiu conſpicienda. Videamus iam qualis agiliſſimae Phalaenae, quam

*Phalaenam Bombycem*, alis depreſſis nigris, thorace cano villoſo,

& triviali nomine *Ph. Xylophthorum* appello, qualis inquam perfectae Phalaenulae Femina ſit?

Eam fig. 8. adiectae Tabulae VII. exhibet, pro Verme potius ſeu Inſecti cuiusdam Dipteri Larva, quam pro Phalaena foeminea habendam. Eſt nempe velut ſacculus oblongus, anfractibus ovariorum, ovis pleniſſimorum, totus effarctus, eorumque, ob tenuem & diaphanam cutem, colorem & tractus, tracheasque male occultans. In antica tamen ſacculi extremitate minimum capitis velut rudimentum, puncto utrinque minu-

to nigro notatum; & verruculae, ſubtus ad extremitatem, minimae & vix evidentes, loco pedum; a dorſo vero litura caſtanei coloris corneolaeque conſiſtentiae apparet. Dorſum longitudinaliter duplici rivulo fuſceſcente pictum eſt; quo in loco recenter excluſum Inſectum longitudinalem faſciam, paleolis horrentibus, cinereo-ſubargenteis obſitam, exhibet, quibus ordinis Lepidopterorum ſe eſſe teſtatur. Eas vero, dum e folliculo exire laborat, fere ſemper deterit, aut, brevi poſt exitum, volutatione amittit.

Paradoxa haec Phalaenae femina, dum e folliculo ſuo exit, vehementi, quaſi periſtaltico, motu agitatur. Etiam aliquo, poſtquam exiit, tempore, ſimili vermiculatione aliqualiter loco movetur. Tandem vero, velut exanimis, quieſcit, vulvam, quae brevis inteſtinuli inſtar eſt, poſtica corporis extremitate exſerit, lente movet, per eam maxima ovorum parte ſe exonerat, & demum marceſcit.

Servavi ſaepe ſolos in ſeparatis ſcatulis femineos folliculos, vidique, emiſſis plurimis ovis emarcuiſſe vermiformes Phalaenas; & aliquo tempore poſt, quamquam omnis maſcula progenies abfuiſſet, totam ſaepe ſcatulam innumeris Eruculis ſcatuiſſe, maternos rodentibus folliculos, ſibique e furfuribus minutas domunculas conſtruentibus, miratus ſum. Vix credibilis phaenomeni frequentius poſtea in *minori ſpecie* experientiam cepi; quippe cuius feminae promptius certiusque ova ſua edunt, quam prioris, quae plerumque ovis refertae moriuntur atque ſicceſcunt. In eadem, ad quam deſcribendam nunc progredior, ſpecie, eandem obſervaverat proprietatem Reaumurius, (loc. cit. p. 151.); cui & Larva huius ſpeciei cum folliculo (Tab XI. fig. 7, 8, 9.) & maſcula Phalaena (loc. cit. f. 5. 6.) & femina quoque anomala (pag. 152, 153.) probe cognita fuit.

Haec itaque *minor Species*, ubique per Europam obvia, in Ericetis ſylvisque aridis & hortis habitat. Quo vero Larva eius proprie utatur pabulo, non maiori cum certitudinis ſpecie

affirmare auſim, quam quaenam herba prius deſcriptae *Phalaenae Xylophthori* Larvam nutriat. Vero tamen ſimile eſt, aridos quorundam graminum culmos, quorum fragmentis utraque ſpecies ad folliculos conſtruendos utitur, quosque ex ovulis prodeuntes Eruculae rodere amant, pabuli ſimul loco eſſe. Neque magis hoc mirum videri debet, quam Larvas varias Phalaenarum Noctuarum aeque ac Geometras, Lichenibus, ſicciſſimis nempe & maxime exſuccis plantis, nutriri; illud tamen in quinis ſpeciebus, *Specimini Faunae Marchicae*, propediem edendo, inſerendis, obſervavi.

*Larva* (Fig. 1. Tab. VII.) multoties praecedenti ſpecie minor, ei tamen ſubſimilis eſt, praecipue figura & anterioris corporis ſui extremitatis habitu. Reliquo vero corpore non eſt pallido, ſed rubeſcente, maximè in dorſo. *Folliculos* ſibi ſtruit ex tenuium culmorum gramineorum fragmentis inaequalibus, longitudinaliter ſericeo cylindro, in quo latet, circumpoſitis (Fig. 4. *a*). Tali folliculo per totam vitam, inde ab ovo, tecta incedit. Hunc, ubi metamorphoſeos tempus adeſt, truncis arborum, parietibus hortorum ligneis, culmis, foliisve arborum & herbarum obviis, obliquo ſitu affigit, plerumque deorſum inclinatum, aliquando tamen & ſurſum directum, quod in *maiori* ſpecie numquam obſervatur. Hoc facto intra folliculum vertitur, ut liber Phalaenae, ex poſtica folliculi apertura, pateat exitus, tumque depoſitis exuviis fit *Nympha*, ſecundum ſexum diverſiſſima.

*Feminea Nympha* oblongum farciminulum veluti eſt, (Fig. 2.) loricatum, a praecedentis ſpeciei Pupa (Fig. 7.) eo tantum diverſa, quod larvulae exiguum quoddam veſtigium, tenellorum nempe futurae Phalaenae pedum congeſtas delineationes, in antica corporis extremitate, exhibeat. Coloris eſt in dorſo caſtanei, ſubtus dilutioris & fere luteſcentis. Prodit ex ea Phalaena foeminea, Figura 3. Tab. VII. depicta; ſimilis vermiculo pallido, maculis in dorſo transverſis fuſcis loricato, pilis-

que

que vix conſpicuis aſperſo; in cuius antica extremitate capitis nigro-ocellati & vix antennulati minimum rudimentum, pedesque tenelli & tenuiſſimi ſeni, quorum priores breviſſimi ſunt, aegre conſpiciuntur. Poſtice vulvam ſubulatam longe exſerit, ad corpus pilis tenellis ſubciliatam. Ubi e folliculo prodiit, incurvo corpore, ni decidat, poſticae eiusdem extremitati, per reliquam vitam, adhaerere pergit; ſaepeque vulva & parte corporis adhuc intra folliculum haerente, ut maris commercium recuſare videatur, ibidem, depoſitis prius pro parte ovis, marceſcit.

E *maſcula Nympha*, quae ſolitae figurae (Fig. 4. *b.*) eſt, & ubi maturuit, poſtice e folliculo emergit (Fig. cit.), evolat Phalaenula pennicornis, tota cinereo-fuſceſcens, lucida, quam ſedentem ſive quieſcentem, compoſitis alis, *Figura* 5. depingi curavi. Ad Bombyces pariter, utut ex larva tineode prognata, pertinet, poteritque vocari

*Phalaena Bombyx*, tota fuſca; *femina aptera.*

Triviale autem nomen *Phalaenae caſtae* meretur.

Haec maſcula Phalaena etiam Friſchio nota fuit, qui in *Operis de inſectis Volumine ſexto, Tabula VII*, Larvam, folliculum, & quam ex ea obtinuit Phalaenulam, ſatis bene depinxit, & (pag. 17.) ſententiam noſtram de Larvae pabulo confirmat.

(*Haga Comitum Halam miſſa*, d. 18. *Ianuar.* 1765.)

## OBSERVATIO LXXXVIII.

## Dn. D. ANDREAE ELIAE BÜCHNERI.

### *Falſo credita metamorphoſis ſumme miraculoſa Inſecti cuiusdam Americani.*

Quod haud raro contingere animadvertimus, ut, quae primo quam maxime mira nobis viſa ſunt, ea, ſi accuratius conſiderentur, non ſolum non mira, ſed Naturae legibus quam

maxime conſentanea deprehendantur: id recentiſſimis temporibus memorabili exemplo in quodam Inſecto, quod rerum naturalium ſcrutatores in Gallia *Mouche vegetante* appellitant, demonſtratur. Mira ſcilicet fama in Europam delata fuit, dari in America Inſectum, quod, depoſita animali ſua natura, in veram plantam plusquam Ovidiana metamorphoſi mutaretur: ita ut non amplius aniles nugae viderentur Daphnes in Laurum converſio, aut Narciſſi in florem. Haud ita pridem ſtrenuus cohortis cuiusdam Praefectus, Dn. MELVIL, in Angliam redux factus, Londinum ſecum attulit ex Inſula St. Domingo aliquot corpuſcula mixtae indolis ſeu ſubſtantiae, quorum inferior pars verum erat Inſectum, ſuperior autem plantam aliquam ſiſtebat. Inſectum magnitudine apes aequabat, planta autem unigena & ſimplex ad pollicis longitudinem accedebat. Ab iis, qui mira iſta conquiſiverant & MELVILIO obtulerant corpora, relatum ſimul erat, Inſectum illud ſpeciem quandam Veſparum eſſe, quae, poſtquam ad certum aliquem terminum vitam ſuam continuarunt, motu omni privarentur, inque ſuperiori ſua parte in plantam quandam, ſucceſſive magis excreſcentem, mutarentur, inferius autem figuram & ſubſtantiam ſuam retinerent.

Inſignem utique admirationem, apud ſolertiſſimos naturalium rerum in Anglia ſcrutatores, novum hocce & hactenus plane inauditum Naturae miraculum excitavit, meritoque complures illorum de inſolita tali metamorphoſi, eiusque tam probabilitate, quam poſſibilitate, prudenter dubitarunt, fraudemque aliquam ſubeſſe ſtatim ſuſpicati ſunt; aliqui tamen ideo ſuſpicioni huic non ſimpliciter locum concedendum eſſe autumarunt, quoniam ipſo hoc noſtro recentiori aevo aliud quoddam, a modo deſcripto illo non penitus abludens, ſed aliqua ex parte cum eodem conveniens miraculoſum Zoophyton, Rever. P. TORRUBIA in *Hiſtoria ſua naturali novae Hiſpaniae x)* produxerit,

de-

x) Prodiit hoc Opus in lingua Hiſpanica, forma maiori quadrupli-

cata

xerit, delineatumque curioſorum oculis ſubiecerit, addita ſimul relatione, quod in campo quodam Inſulae *Cuba*, haud ita procul a celebri illo Hiſpanorum emporio, *Havana* dicto, complures mortuas invenerit Veſpas, quoad omnes ſuas partes adhuc perfectas & integras, ex quarum ventre exigua quaedam planta, acutiſſimis ſpinis praedita, prodierit, quae ab incolis eius loci *Gia* vocaretur & alioquin ad aliquot palmarum altitudinem creſcendo aſſurgeret. *xx*)

Licet

cata, ſequenti ſub Titulo: *Apparato para la hiſtoria natural eſpannola, Tomo primero. Autor el* R^mo^ *P. Fr.* Ioſeph. Torrubia, *Archivero y Chroniſta general de toda la Orden de nueſtro Padre S. Franciſco &c. En Madrid.* 1754.

*xx*) Ipſa auctoris verba, explicationem ultimae Operis ſui Tabulae aeneae continentia, haec ſunt: *Hallandome convalenciente en una hermoſiſſima Quinta, (à las que en aquella tierra llaman Eſtancias) propria des generoſo Caballero Don Seb. de Pennalves, vecino de la Havana, à cuya piedad charitativa debi el conſuelo y reſtauracion de mi ſalud; en aquel delicioſo retiro (que eſta como dos leguas diſtante de la ciudad) halle el dia* 10. *de Febrero* 1749. *algunas* Abiſpas *muertas en el campo (pero enteros todos los eſqueletos con ſus alas) de cuyo ventre ſalia* un arbolito, *que llega a crecer haſta cinco palmos. A eſta planta, llaman* Gia *aquellos naturales, y eſta llena de agudiſſimas eſpinas;* lo que attribuyen al vientre de la Abiſpa, *que lo produxo, por lo qual dicen eſta llena de aguijones. No era communmente conocido el principio di ſemeiante arbuſto, haſta que yo lo di â conocer. Deſpues de grandes obſervaciones, que hice con el microſcopio embie con un mozo, llamado Centellas, una Abiſpa muerta, perfectamente conſervada con un arbol baſtantamente crecido, à el Syndico general de mi religion, y eſpecialiſſimo bien hechor mio, & Sennor Don Martin de Aroſtegni, accompannandolo con eſtas Decimas &c.* Latine reddita haec ſic ſonant: *Cum, vixdum a morbo reſtitutus, in formoſiſſimo praedio (quale in his terris Eſtancia audit) eſſem, Generoſiſſimi Domini D. Seb. de Pennalves prope Havanam, cuius pietati*

&

Licet autem ſatis notabilis haec congruentia utrorumque iſtorum corporum, apparenter metamorphoſin quandam, ſeu tranſitum ex animali regno in vegetabile demonſtrantium, inque duabus diſtinctis Americae inſulis, *St. Domingo* nempe & *Cuba*, repertorum, aliqua ratione illorum favere videretur ſententiae, qui inſolitam & hucusque incognitam eiusmodi transmutationem, ſi non defendendam ſuſcipiunt, tamen etiam non plane abnegandam & pro impoſſibili declarandam eſſe arbitrantur; nihilo tamen minus brevi dein ceſſavit imaginarium iſtud miraculum, nebulisque diſpulſis nuda apparuit veritas. Poſtquam enim, ab illuſtriſſimo quodam primi ordinis in Anglia Nobili, ingenioſisſimo & inter nos quoque percelebri Dn. D. *Hill* quaedam illorum corporum tradita fuerunt, ut exactius eadem examinaret ſuamque de vera eorum conditione ſententiam aperiret, is ſtatim, ut eſt ſolertiſſimus naturae indagator, rem totam detexit, demonſtravitque, inſectum ipſum eſſe ſpeciem ex claſſe illarum Cica-

*& favori omne ſolatium & ſalutis reſtaurationem debeo, in amoeniſſima hac villa, quae duo circiter milliaria ab urbe diſtat, die 10. Febr. 1749. mortuas aliquas inveni in campo* Veſpas, *quae tamen integrae adhuc erant & alis praeditae, e quarum ventre* arbuſculum *creſcebat, quod ad quinque circiter palmarum altitudinem elevari ſolet. Plantam* Gia *vocant incolae, & acutiſſimis praedita eſt ſpinis,* quarum originem ventri Veſpae tribuunt, *quem plenum eſſe aiunt aculeis. Originem huius plantae ante meam hanc obſervationem ignorabant. Poſt varias cum Microſcopio inſtitutas obſervationes, mortuam talem & optime conſervatam Veſpam, per iuvenem, cuius nomen erat Centellas, Syndico Generali Ordinis noſtri & ſingulari fautori meo, Don Martin de Arroſtegni, cum hiſce Decimis tranſmiſi &c.* Extat etiam huius deſcriptionis aliquod compendium, unacum neceſſariis iconibus, in Collectione illa, quae anno 1763. Lugduni Gallorum, ſub Titulo: *Melange d'Hiſtoire naturelle par M. D. Avocat &c*, prodiit, & quidem in Parte eius II. p. 335.

Cicadarum, quas, cum ARISTOTELE, antiquiores quidam Auctores *Tettigometras* vocarunt; plantam vero, eidem annexam, eſſe fungum, hactenus nobis incognitum, ad ſpecies tamen *Clavariae* pertinentem, in medio caulis ſuae novos alios protrudentem, cui idcirco *Clavariae ſoboliferae* nomen tribuendum eſſe cenſuit. Dum ergo alioquin varii eiusmodi fungi exigui in variis animalium putreſcentium partibus deprehenduntur, veluti is, qui interdum in ungula equina haeret, quemque idcirco *fungum e pede equino Raius* vocavit; hinc facile exinde apparere iudicat praedictus Vir clariſſimus, quod in praeſenti caſu Cicadae iſtius Larva aut Nympha mortua, ſi inter frutices delabatur, ubi ſupra deſcripta Clavariae ſpecies creſcit, foliisque decidentibus tecta maneat, ſemen iſtius fungi, caſu fortuito in eius caput aut dorſum incidens, ibique nutrimentum aptum inveniens, exinde in eam altitudinem excreſcat, in qua dein, reperto inſecto, conſpicitur. Tali modo ipſa operatur Natura, reliqua veſana ſubiunxit opinio, ſicque miraculum effinxit. Eadem procul dubio ratione comparatum quoque erit cum veſpis illis a Rever. P. TORRUBIA in Inſula *Cuba* repertis, in quarum ventrem forſitan decidens granulum ſeminis ſupra nominatae plantae, radices ibi agit, & per aliquod tempus a reſiduis in illo humoribus nutrimentum pro vegetatione obtinet, quae in hoc pariter ac priori Inſecto, absque ulla miraculi cuiusdam ſuſpicione, ſimili fere ſuccedit modo, ſicuti notiſſima & vulgatiſſima Viſci in arborum corticibus vegetatio.

Ceterum pro facilitanda exactiori, ab ipſis noſtris Lectoribus ſuſcipienda, indagatione, utriusque Inſecti, planta ſua paraſitica inſtructi, iconem in adiecta Tabula VII. ſimul ſiſtere lubet, prout easdem celeberrimus EDUARDUS, fidem forſitan aliquam tribuens tam ſuperiori, quam Clerici Hiſpani relationi, in egregiae ſuae *Collectionis Avium rariorum & extraneorum Tomo ultimo*, qui nuperrime, anno proxime praegreſſo, in publicam prodiit lucem, delineatas exhibuit, ubi Fig. 12. Larva Cicadae

Americanae, cum annexo fungo, in magnitudine quidem aucta, addita tamen linea *b*, naturalem totius obiecti magnitudinem indicante, & Fig. 13. Veſpa Rev. P. Torrubia, cum plantula ex ventre prodeunte, intuentium oculis patet.

(*Hala Norimbergam miſſa, d.* 22. *Ianuar.* 1765.)

## OBSERVATIO LXXXIX.

## Dn. D. IACOBI REINBOLDI SPIELMANN.

### *Spicilegium circa Saponum hiſtoriam.*

§. I.

Graecae originis vox eſt *Sapo*, primi enim Medicorum, qui eius mentionem faciunt, Galenus *a*) nimirum & Aretaeus *b*), eum *σάπων* appellant. Primus Plinius *c*) eius meminit, & cum Valerius Maximus *d*) cineri eundem in colorandos crines effectum tribuat, quem de *Sapone* Plinius praedicat, Dioscorides *e*) vero eius parandi rationem quidem deſcribat, voce *Saponis* autem non utatur, hinc ſub finem demum Seculi primi Romae in uſu eſſe videtur coepiſſe, hactenus Gallis & Germanis tantum uſitatus.

§. II.

Primus Sapo ex ſevo & cinere ea plane ratione ſurrexit, qua hodie vulgatiſſimum eius genus conficitur, Plinio *f*) teſte; cum autem labente tempore & Chemia magis fuerit culta, ſive potius ſurrexerit, & medentes ſaponem hominibus intus quoque exhibuerint, eiusdem praeterea ita uſus increverit, ut non mediocrem in re mercatoria conſtituat mercem, varii eum parandi

*a*) de Compoſ. Medicam. ſec. loc. Lib. II. & Lib V. *b*) de Morbis diuturn. Lib. II. Cap. 13. *c*) Libr. XXVIII. Cap. 12. *d*) Lib. II. Cap. 1. no. 8. *e*) Lib. I. Cap. 186. *f*) loc. cit.

di ſurrexere modi, varias eius parare ſpecies didicerunt artifices, varias ab ipſa Natura paratas detexerunt Naturae ſcrutatores; cum demum eruditis placuerit, Saponi adſcribere omnes ſubſtantias, quae olea diſponunt, ut ex aqua ſuſpendi poſſint, inſigniter Saponum & numerum & differentias increviſſe deprehendimus, & ex eo demum recte omnino σμῆγμα veterum Graecorum per Saponem interpretari licet.

## §. III.

Sapo & antiquiſſimus & vulgatiſſimus, quum ex cinere & ſevo ſurgat, eius autem ſub praeparatione ex cinere ſeparetur alcali, & hoc ſolum ſaponem intret, pinguedo vero, in cellulofa animalium tunica collecta, eiusdem cum oleis unguinoſis vegetabilium indolis ſit; hinc patet, Saponem ex alcali & pinguedine qualicunque conſtare. Alcali, cum ſit ſive fixum, ſive volatile, pinguedo ſive unguinoſa, ſive odorata, hinc quatuor ſaponum genera parari poſſe conſtat, quibus plura etiam accedent, ſi Sapones, qui, loco alcali, acidum recipiunt, rimamur.

## §. IV.

Saponis vulgaris parandi modum, primus exacte deſcripſit TACHENIUS g), eundem BOERHAAVE ſuis *Elementis Chemiae* h) inſeruit, idem in varia Diſpenſatoria & Compendia tranſiit. Illuſtris *du* HAMEL i) exquiſitiſſimam rationis, qua Maſſiliae ſaponem parant, hiſtoriam tradidit. Proceſſus, qui ab artificibus empiricis, nec non illi, qui circa moles maiores inſtituuntur, talia ſolent habere, quae minus determinata ſunt, talia quoque, quae in minoribus tentaminibus, ſive non obſervantur, ſive impune etiam negligi poſſunt. In ſapone Alonenſi rationem olei ad ſalem aequare : : 4 : 3, GEOFFROI k) eſt expertus; eandem



g) *Hippocr. Chemic.* Cap. 4. h) Lib. II. Part. I. Proc. 73. i) *Traité des Arbres*, Lib. II. p. 83. k) *Mem. de l' Acad. Royale des Sciences*, ann. 1739. p. 286.

dem in Maſſilienſi : : 5 : 3, in Veneto : : 3 : 8, in nigro : : 3 : 5, in noſtrate officinali : : 1 : 4, reperi. Alcali fixum utrumque etiam quadruplum pinguedinis in ſaponem vertere poſſe, ſum expertus; ſequitur itaque, in Sapone vario variam obtinere principiorum rationem. In more habent, calcem vivam adiicere alcali, quod ad confectionem Saponis adhibent; hinc in omni ſapone communi aliquid calcis obtinet, inde per experimenta, a Geoffroi *l*) tradita, eliciendum, ſed ſuperflua omnino eſt haec calcis ad alcali adiectio; pinguedo enim optume coit & cum vegetabili & cum foſſili alcali. Si largior alcali quantitas cum largiori olei mole miſcetur, illud debilitatum primum, cum hoc coquitur, & quando inde omnes olei globuli alcali receperunt, tum demum fortius alcali affunditur; ſecus enim ſi inſtitueretur labor, denſati a concentrato alcali globuli olei exteriores obſtarent, ne omne oleum alcali recipiat; cum autem aliquot libras non excedit omnium miſcendorum moles, agitatio cum ſpatula, ut uniformis mixtio contingat, efficit; maior moles ſaponis ſi paratur, eius partes remittente calore coëunt, expellunt, quae interpoſita eis erat, aquam, ipſi ſupernatant; aquam hanc & de ſalibus, quae adhibita fuere, & de calce aliquid retinere, facile liquet; minor ſi paratur ſaponis moles, paucus, qui poſt iuſtam evaporationem remanet, humor, mediocri clibani calore facile expellitur. Ut ſapo bonus, & qui durus ſit, obtineatur, neceſſe eſt, ut alcali aqua ſolutum, & calore agitatum, cum oleo miſceatur; alcali enim niſi ſolutione in minimas partes fuerit reſolutum, non aequaliter per omnem pinguedinem diſtribuitur. Sola quidem digeſtione ſaponem parare docet Geoffroi *m*); cum autem coctio multum abbreviet laboris tempus, hinc ea digeſtioni omnino praeferenda erit, & id quidem eo ſecurius, cum aqua nunquam poſſit tantum caloris gradum acquirere, qui oleo noceat.

§. V.

*l*) loc. cit. ann. 1741. p. 13. *m*) loc. cit.

## §. V.

Obſervationem a GEOFFROY traditam & circa oleum Lini, & circa oleum Papaveris repetii, & omnino confirmatum vidi, quod pinguia, quae frigus non cogit, nec ab alcali in ſaponem ſiccum poſſint formari. Num hoc debetur terrae in oleis, quae frigus cogit, magis, quam in reliquis abundanti? ſed deſtillatio ex una olei Lini uncia ultra triginta terrae grana ſeparat, cum ex eadem olei Olivarum quantitate vix decem grana obtineantur; num hoc phaenomenon a propria vegetabilis, cuius in vaſis olea haerebant, ſtructura deducendum videtur? Olea aetherea, quae frigore conſiſtunt; ſoliditatis ratio, quam in maiore partium ſeſe uniendi niſu conſiſtere, nemo ignorat; pinguedo, in animantibus ruminantibus ſebum ſolidum efformans, in carnivoris & piſcibus in adipem fluidum abiens, obſervante iam ARISTOTELE *n*), tale quid ſuadere videntur; num unum olei genus prae altero magis abundat acido? acida enim olea ad ſoliditatem diſponere, omnes norunt; nolo ex ingenio decidere, nec video, quomodo res experimentis confici poſſit.

## §. VI.

Licet alcali quaedam olea in conſiſtentiam ſolidam redigere nequeat, nullum tamen eſt, quod inde non ſpiſſius evadit; hoc denuo videtur confirmare, quae de alcali ex acido oriente, & hoc ex terra & aqua conſtante, Chemici ſolent evincere: oleum cum alcali unitur; per ipſum, qui ſub coalitu fit, tritum, aliquid de aqua, quae in mixtione haerebat, deteri videtur, hinc magis ſemper terreſtris fit ſal, talis nimirum, qui novo mixto multo ſpiſſiorem conſiſtentiam largiatur, & eam quidem eo maiorem, quo magis oleum ad eandem diſpoſitum eſt (§. V.).

## §. VII.

Germani, qui ſuum ſaponem cinerum ope parant, eidem ſub coctione ſalem communem adiicere tenentur; putat HENCKELIUS *o*) id, ut alcali abundans facilius ſecedat, faciendum eſſe,

 &

*n*) *Hiſt. animal.* Lib. III. Cap. 17. *o*) *De Appropriat.* p. 103.

& Henckelium vulgo ſequi ſolent; ſed hic eximium virum lapſum eſſe probat ſapo, qui duriſſimus ſine ſale communi evadit, quando ex Soda paratur: is autem, ad quem alcali vegetabile recipiunt, ex huius indole humorem ex aëre attrahit, hinc humeſcit; quando autem ſal communis adiicitur, hic alcali in deliquium niſum corrigit.

§. VIII.

Olei cum alcali nexus, qui, cum ſapo paratur, contingit, non tám ab aqua olei, quippe quae proprios ſibi ſolvendi effectus edere nequit, quam potius a principio inflammabili deducendus eſſe videtur; huius enim ſeſe cum alcali uniendi niſum, evincunt alcali in longe plurimas ſubſtantias, principio inflammabili inſtructas, vires ſolventes. Sapo, ex oleo & alcali conſtans, illius intuitu omnia oleoſa recipit, & illa, ratione huius ex aqua ſuſpendit; alcali quidem, ſolum iam & bitumina & reſinas aquae unit, ſed ea unit vinculo leviſſimo, ita ut breviſſimo interlabente tempore inde ad fundum ſecedant, cum alcali ſolum tenaciores harum ſubſtantiarum partes & diſtentas, & in aqua ſuſpenſas retinere nequeat, hinc aqua debilitatum earum nativo ſeſe uniendi niſui cedere cogatur; cum autem oleum, quod in ſapone alcali unitum eſt, has ipſas partes diſtentas teneat, hinc ſaponem multo efficaciorem, quam alcali, in reſinis & bituminibus cum aqua uniendis, deprehendimus. Ipſa Camphora, quae eo quod ſolidum oleum eſt, nec leniori calore liqueſcit, maiorem ſuarum partium ſeſe uniendi, prae illo, quae in aliis oleis obtinet, evincit niſum, alcali ope ex aqua ſuſpenſa mox inde recedit, & aquae cremoris in modum ſupernatat. Eluceſcit ex dictis, cur reſinae, multo licet oleo ſcateant, cum alcali tamen in ſaponem verti nequeant. Olea ſaponis ope quidem aquae uniuntur, ſed neutiquam in limpidam cogi poſſunt ſolutionem, ſed aqua, quae ſaponem habet, ſemper albo coeruleſcente colore, tali nimirum, qui oritur, quando oleum per agitationem cum aqua confunditur, gaudet, evidenti

denti argumento, pinguedinem ab alcali non ita poſſe attenuari, ut tota aggregationem aqua ſubeat.

§. IX.

Terrae alcalinae, ſeu calcareae, ſi illis oleum affunditur, ab eo non recipiuntur, nec in ſaponem abeunt; id enim terrae genus, ex quo Smyrnae ſaponem parari refert SMITH *p*), evidenter ſalem alcalinum vehit; id autem curioſum omnino eſt, quod terrae ſubtilioribus particulis inſtructae, ſe & ex aqua ſuſpendi patiantur, & aliquid pinguis tactui ſiſtant, immo earum multae in abſtergendo pingui, quod pannis ineſt, ſaponi ſimiles effectus edant, unde etiam *Smectides* & *terrae fullonum* dicuntur, Veteribus iam notae, ut ex DIOSCORIDE *q*) & PLINIO *r*) conſtat; nec ſalem, nec oleum ex illis hactenus potuerunt elicere Chemici; quod autem principium inflammabile vehant, evincere allaborat egregius Auctor *anonymus ſ*). Teneriores terrae partes ſua levitate ſe in aqua ſuſtentare videntur: principium inflammabile, quod illis acceſſit, ipſis tenacitatem, tactu detegendam, largiri, probabile eſt; per aquam diſperſae, aërem ſua tenacitate coërcent, aquam in ſpumam intumeſcere cogunt; idem, quod his terris inflammabile principium ineſt, illis pingue, quod in pannis haeret, unit, atque ſic, ut a lana ſecedat, efficit. Principii inflammabilis vires ſane in concilianda partibus terrae tenacitate, docet gluten, quod argillas ab omni reliquo terrarum ordine diſtinguit, & quo per calcinationem ablato, argillae partes ulterius inter ſe non cohaerent *t*).

§. X.

Circa ſaponis in ſpiritu Vini diſſolutionem GEOFFROI *v*) varia prodidit, quae cum a meis experimentis hinc inde recedant, quae

*p*) LOWTHORP Abrigdem. Vol. II. p. 457. *q*) Lib. V. Cap. 101. *r*) Lib. XVII. Cap. 8. & Lib. XXXV. Cap. 17. *ſ*) Verſuch einer neuen Mineralogie, §. 78. *t*) Pott Fortſetzung der Lithogeognoſie, p. 9. *v*) loc. cit.

quae ego obſervaverim ſiſto. Spiritus vini diſſolvit ſaponem omnino, & cum eo limpidam ſolutionem format, diſſolvit eundem quoque, quando ipſi alcali adiicitur, & quidem ſatis cito; alcohol ſaponem quoque recipit, & cum eo liquorem viſui homogeneum facit; curioſum vero eſt, quod haec ſolutio levi frigore, quod Thermometrum Fahrenheitianum ad quinquageſimum incirca gradum deprimit, in coagulum album, glaciei ſimillimum, abeat, quod calore manus fundi, & ita occaſionem dare poteſt, experimenta, quae vulgus miratur, inſtituendi; ſapo etiam duodecuplam ſui ponderis rationem alcoholis hac facultate imbuit; ſal Tartari, ſi ſaponi adiicitur, ille & difficilius alcohol ſubit, & impedit, ne ſolutio conſiſtat; acida dulcificata ſe ad ſaponem in alcoholis modum gerunt, nec id mirabuntur illi, qui eorum naturam norunt. Id vero quoque obſervandum eſt, quod, qualiscunque ſpiritus inflammabilis ad ſolutionem ſaponis recipiatur, ſemper aliquid de ſapone remaneat, quod neutiquam ſpiritum ſubit. Eo magis ſaponis in ſpiritu ardente ſolubilitas noſtram attentionem meretur, cum conſtet, ſpiritus ardentes pinguedines neutiquam, alcali parum modo diſſolvere; interpoſitus alcali inter partes pinguedinis efficere videtur, ut ſpiritus ardentis vis ſolvens praevaleat niſui partium pinguedinis ſeſe uniendi, ita ut ſpiritus nunc poſſit penetrare aggregationem per alcali laxiorem redditam; ſic videmus, reſinas, alcali unitas, ita ſpiritus ardentes ſubire, ut nec aqua eas inde deiicere queat, cum inter reſinam interpoſitum alcali, eius partium ſeſe uniendi niſui obicem ponat. Ideo ſal Tartari ſolutionem ſaponis in alcohole morari videtur, quod alcohol in alcali liberum prius, quam in id, quod oleo obductum eſt, vires ſuas exſerit. Condenſatio ſolutionis ſaponis in alcohole, videtur ab alcoholis acido pendere, quod pinguedinem denſat; circa ſpiritum Vini, cuius acidum maiori aquae ratione dilutum eſt, haec condenſatio non obſervatur, quae nec obtinet, ſi alcali acidi vires ſuſpendit; levis calor coagulum, quod leve acidum induxit, faci-

facile tollit; portionem ſaponis, quam alcohol non ſolvit, nec aqua recipit, ſed cum eodem eum in modum ſe gerit; quo ſapo, ſi acidum recepit, aquae commercio ſe ſubducit; non igitur pro fece, quam alcohol reiicit, ſed potius pro ſaponis portione, quam alcoholis acidum coagulavit, id, quod a ſolutione remanet, erit habendum, hinc quoque ſi ipſi alcali adiicitur, aquam denuo ſubit; ſaponi, in ſpiritu Vini ſoluto, ſi affunditur aqua, liquor lacteum colorem aſſumit atque ſaponem ſub floccorum forma dimittit. Eluceſcit ergo exinde denuo ſaponis maior cum ſpiritu, quam cum aqua, affinitas, & acidi, quod in alcohole haeret, vis ſaponem denſans.

## §. XI.

Sapo cum largiore alcali fixi quantitate tritus, aquam quidem optime ſubit, ſed quiete inde denuo ſub forma cremoris recedit; alcali abundans, id nimirum, quod a pinguedine ſaturata in ſaponem verti non potuit, aquae ſe iungit, globuli aquae, ſale gravidae, citius coëunt, quam partes ſaponis, & hinc a ſapone recedunt, qui cum pauca, quae ipſius globulis iuncta fuit, aqua, formam cremoris producit; hinc patere videtur, in vulgari ſaponem parandi modo (§. IV.) rationem alcali excedere.

Alcali urinoſum etiam ſaponem recipit, & cum eo aquam ſubit, quae autem inde neutiquam ita ſpumat, ut ea, quae ſive ſolus, ſive alcali fixo excedens ſapo ſubiit; nec ſapo ex hac miſcela recedit; hinc apparet exinde, pinguedinem, alcali fixo ſaturatam, alcali volatile recipere adhuc poſſe; alcohol ſi ſaponi, alcali volatili unito, & ex aqua ſuſpenſo, affunditur, nulla inde ſequitur mutatio, omnia viſu manent homogenea, nec poteſt hic offa ſurgere, cum cryſtalli alcali urinoſi hic non aqua, ſed pinguedine diſſoluta teneantur.

## §. XII

Acidum quodlibet, quando affunditur ſaponi, aqua ſoluto, facit ut ille inde recedat, & aquae ſub olei forma ſupernatet.

Geoffroy *x*) hac ratione genuinum & ſincerum ex ſapone ſeparari oleum autumavit, & idem ea, quae vulgo circa corpora in alcali ſoluta contingere novimus, videntur ſuadere omnino; ſed cum tali oleo affuderim aquam, ut illud ab omni adhaerente ſale liberarem, evidenter vidi, quod Saponis naturam non exuerit, ſed in ſaponis modum, qui acidum habet, ſe cum aqua dilui patiatur, ab eadem autem quiete mox recedat. Acidum portionem alcali eripit ſaponi, qui hinc ſe aquae ſubducit, reliquum autem alcali, oleo, tanquam cortice, cinctum, acidi effectus effugit, unde ſub hoc labore oleum conſiſtentiam ſolideſcentem, quam ab alcali habuerat, exuit; ubi autem aqua adiicitur, haec ſaponaceum corpus quidem penetrat, ſed cum alcali ratio deficiat, illud nequit retinere acida multa aqua diluta, cum minorem alcali actionem ſaponi eripiant, illum non in formam fluidam, ſed floccoſam reducunt. Sed acida, quae ſaponi vulgari eius indolem, quod ex aqua ſuſpendi poſſit, eripiunt, ſi cum oleis uniuntur, veros ſapones, a vulgari non niſi in eis qualitatibus, quas ob alcali edit, differentes efformant. Circa huius generis ſapones ſequentia notaſſe non inconſultum duco: acida concentrata foſſilia, id maxume, quod ex Vitriolo obtinetur, denſant & unguinoſa, & odorata olea, & ſi in ratione, quae non excedit, adhibentur, inde formant ſubſtantias, quae apprime mucilagines referunt, iuſto maiore autem quantitate ſi affunduntur oleis, ea in reſinas, quae omne cum aqua commercium reſpuunt, efformant, ut diu iam innotuit. Num acidum fortius expellit debilius, quod in mixtione olei haeſit? num principium inflammabile, acido iunctum, commercium cum aqua reſpuit; multa ſunt, quae haec ſuadere videntur. Acetum cum oleis unguinoſis coire, vulgari quoque experimento conſtat; idem accidit, quando acetum cum oleis odoratis agitatur; ſed hic longior omnino labor requiritur, & parcam tantum

*x*) *Mem. de l' Acad. Royale.* ann. 1739. p. 286.

tum aceti quantitatem olea deſtillata recipiunt; ſubſtantiae unguentiformes, quae utraque ratione ſurgunt, aquam neutiquam ſubeunt. Salia acida, ſicca, quae *eſſentialia* dicunt, nequaquam cum alterutro oleorum genere potui unire, id quod quidem tam circa vegetabilia, quam circa animalia intelligi velim. Sal urinae fixus, oleo confuſus, hoc inde validiſſimo balnei calore abſtracto, nullum Phosphorum eſt largitus. Aqua, quae copioſior acida debiliora diluit, acidi niſum, ſeſe cum oleis uniendi, obtundit, hinc nullus hic ſapo oriri poteſt; ſurgunt autem agitatione ſubſtantiae ſaponiformes, cum olei viſcidi globuli illos acidi inviſcant; mechanica hic, neutiquam phyſica, contingit cohaeſio. Salia eſſentialia, licet ſint omnino acida, tamen pro puris acidis a nemine poſſunt reputari, nec in ullo experimento cupiditatem ſeſe cum oleis uniendi probant, hinc nec mirum, quod in ſaponem abire nequeant, licet ipſa oleum, per organismum ipſis immixtum, ex aqua ſuſpendant, recte ideo ſaponibus adſcribenda. Ad ſapones acidos pertinet quoque omnis, quae in Vegetabilibus haeret, mucilago, omnis, qui eorum vaſa perfluit, ſuccus, omne, quod ex eis exſudat, gummi, omnis, quae inde obtinetur, pulpa. Huc etiam nullus dubito referre gelatinam animantium, & ipſum ruborem, qui a cruore elicitur z): attritus, frictio, agitatio, occurſus olei ad acidum, dum innumeris vicibus, in minimis globulis, per organismum, cuius encheireſes nulla ars imitari poteſt, fiunt, ea uniunt & exinde faciunt ſapones, qui etiam alia olea aquae commiſcent. Haec evidenter evincunt ſubſtantiarum, quas dixi, effectus in olea & reſinas, & cum eaedem deſtillatione edant, praeter oleum, liquores ſive evidenter acidos, ſive tales, qui evidenter per ignem ex acido ſurgunt, hinc quod ex oleo & acido conſtent, nullum omnino relinquunt dubium. Reſinae quidem etiam ex acido & oleo coiverunt, ſed effectus ſaponum edere non valent, cum largiud

 illus,

z) Gaubii *Inſtit. Pathol.* §. 342.

illud, quo ſcatent, acidum de oleo multum aquae expuliſſe videatur, ac tantam ei induxiſſe viſciditatem, ſeu potius tenacitatem, ut acidum, tenaci oleo merſum, aquam appetere & ſubire nequeat, hinc tales reſinae, ſi gaudent olei portione, quod minus acidi accepit, illud aqua commiſcere ſolent, ut Benzoë exemplo patet.

§. XIII.

Alcohol olea unguinoſa non recipit, diſſolvit autem odorata penitus, id quod ab oleo alcoholis, per fermentationem attenuato, videtur pendere; reliqua enim eius principia, acidum nimirum & aqua, nil poſſunt facere; de aqua id quilibet perſpicit, nec id ab acido expectare ſinunt ea, quae hactenus de acido vegetabili diſſerui; quando autem oleo odorato, in alcohole ſoluto, adiicitur aqua, illud inde ſeparatur, liquor fit lacteus, immo largior ſi affunditur aqua, oleum etiam ſub forma nativa ſecedit *y*), claro argumento, quod, ratione olei in alcohole imminuta, ille nec alia olea in ſuam aggregationem recipere queat.

§. XIV.

Vitriolum Martis in aqua ſolutum, ſi affunditur ſaponi diſſoluto, ſurgit coagulum, quod ferri portionem ſub forma croci ruberrimi ſiſtit; ſi autem Vitriolo Martis adiicitur ſapo, in quo alcali largius abundat, cavetur coagulum, efficitur ut pinguedo plenius in ferrum agere queat, & crocus coeruleo colore imbuitur.

§. XV.

Acidum Nitri, quod hydrargyrum habet, ſi ſaponi ex aqua ſuſpenſo affunditur, coagulum ſurgit, cui nigredo ineſt; accedente autem liquorum agitatione, mercurius albi pulveris ſub forma ad fundum ſecedit, qui, balnei arenae calori expoſitus, revi-

*y) Memoir. de l' Academie Royale des Sciences*, ann. 1721, p. 159.

reviviſcit; curioſa haec eſt hydrargyri, per alcali ex ſolutione deiecti, coloris a pinguedine mutatio; novum hinc ſurgit argumentum, quam ambiguus ſit mos vulgaris, ſalia in aquis haerentia per colorem, quo mercurium deiiciunt, inveſtigandi.

Sapo a Mercurio ſublimato non mutatur, ſed inde hydrargyrum, aurantio colore tinctum, praecipitat. Nullum praeterea metallum eſt, nulla ſubſtantia metallica, quam non ex ſolutione ſua deiiceret ſapo; auri calx, quae hac ratione ſurgit, ſine fulmine funditur & in globum colliquatur; curioſum ſane eſt, argentum & zincum, ſi hac ratione deiiciuntur, deſcendere ſub forma valde ſpiſſa; plumbum ex aceto per ſaponem deiectum, ſi in retorto vaſe balnei arenae valido calore urgetur, abit in pulverem nigerrimum, cui hinc inde exigui globuli plumbi reducti interſperſi conſpiciuntur; hi globuli ſpeciem ſphaerularum, in quas hydrargyrum ſolet dividi, exactiſſime referunt, ita ut magna inde, mihi ſaltem, oriatur ſuſpicio, mercurium, quem multi Auctores ſe ex plumbo obtinuiſſe gloriantur, tales globulos plumbi fuſi fuiſſe. Regulus Antimonii, tam ex aqua Regis, quam ex acido Salis per ſaponem deiicitur, ſed liquor calci ſupernatans, eandem mox iterum ſolvit; idem deſtillatus, nulla plane indicia reguli volatilis redditi exhibet, ſed metallum in fundo retortae relinquit, quod fuſum, regulum neutiquam mutatum ſiſtit. Liquor, qui regulum ex butyro Antimonii deiecit & denuo recepit, deſtillatus globulos Mercurii fudit; ſed tales globuli ſemper obtinentur, quando butyrum Antimonii cum alcali deſtillamus; neutiquam ergo debentur regulo, ſed cum acido Salis, in praeparatione Cinnabaris, in excipulum tranſierunt, antequam ſulphur ab Antimonio eos potuit arripere. Nullum, praeter regulum Antimonii, metallum, a ſapone ſoluto deiectum, ab eodem denuo recipitur, licet etiam copioſius alcali ſaponi adiectum fuerit; num oleum vires ſolventes alcali obtundit? num inde novum robur, ex coniectura celeberr. MARGRAFII accedit, qui alcali cum ſanguine calcinati vires,

praeter inflammabile, ab alio adhuc principio pendere autumat *a*).

§. XVI.

Boracis una pars duas partes olei unguinoſi in verum ſaponem, eumque pulcerrimum, vertit; cum altero autem Boracis principio, quod *Salem ſedativum* dicere ſolent, oleum neutiquam poteſt uniri; ſapo ex Borace ſurgens, hoc notandum exhibet phaenomenon, quod ſal, difficulter ſatis in aqua ſolubilis, oleo, quod omne cum aqua commercium reſpuit, mixtus, ſubſtantiam efformet, quae citiſſime aquam ſubit. Videtur hic alcali foſſile integris viribus in oleum agere, ſaponem autem in ea, qua ſurgit, ratione, ſalem ſedativum quoque recipere; hoc enim notetur velim, quod ſal ſedativus, ſaponi iunctus, aquam facillime ſubeat, licet oleo neutiquam poſſit uniri. Num ex his ad maiorem alcali foſſilis cum oleo, quam cum ſale ſedativo, affinitatem, ſalis ſedativi autem indolem neutram & principium inflammabile, licet concludere? Solutiones ſalium mediorum, acidum vitriolicum vehentium, quando cum oleis unguinoſis coquuntur, ſi maior aquae quantitas exhalavit, ſaponacei quid referunt, dum autem omnis aqua exhalare cogitur, ſal ab oleo recedit; nam acidum vitriolicum, quod principii inflammabilis avidiſſimum eſſe nemo ignorat, efficit, ut ſalis moleculae, aqua diſtentae, oleo adhaerere poſſint, id quod autem quando aqua abundans ſalis effectus debilitat, ſive illa deficiens huius moleculas in maſſas, quibus retinendis oleum impar eſt, coire permittit, locum nequit habere.

§. XVII.

Arſenico, aqua ſoluto, ſi adiicitur ſapo in lixivio alcalino ſolutus, nil ad fundum ſecedit, omnia bene coëunt, ſed poſt aliquod temporis intervallum ſapo ſub cremoris forma ſecedit &

*a*) *Memoir. de l' Academ. de Berlin.* ann. 1745. p. 12.

& aquae ſupernatat; haec miſcela ſi deſtillatur, lacunari retortae aliquid arſenici, ſub nigri pulveris forma, accreſcit, reliqua eius portio ab alcali fixata, ſi a carbone ſeparatur, albido colore inſtructa apparet. Arſenicum in aqua ſolutum, ſi cum oleo coquitur, exacte ſaponem refert; quando autem omnis aqua, in vapores reſoluta, inde exhalavit, oleum denuo ab Arſenico recedit, evidenter ſpiſſius per hunc laborem redditum. Hoc oleum cum aqua conquaſſatum, inde intumeſcit, aliquid aquae ſibi unit; ſi largior autem aquae quantitas eidem adiicitur, oleum, in reſinae modum, ſub forma floccorum in aqua haeret; idem oleum ſi deſtillatur, dimittit arſenicum, & ſub forma florum nigrorum, qui retortae lacunar occupant, & ſub forma pulveris nigri, quem intenſior quoque balnei arenae calor elevare non potuit. Nonne haec experimenta ad acidi naturam accedere Arſenicum confirmant?

Sulphur oleis unguinoſis quidem unitur, balſamumque Sulphuris inde oritur; ſed aquae nullae in has ſolutiones vires ſunt. Oleum ab acido multo forti, quod in Sulphure haeret, reſinae naturam induere videtur; imo Sulphur adeo alienum eſt a natura ſaponis, ut cum eius una pars, cum duabus alcali unita, in oleo ſolvitur, & ſic parato balſamo aqua adiicitur, alcali hanc ſubeat, oleum vero & Sulphur ſub forma grumorum inde recedant. Alcali, quod ex tali miſcela poteſt elui, evincit, quod Sulphur maiorem cum oleis, quam cum alcali, affinitatem habeat, & hinc oleo ita adhaereat, ut quoque alcali dimittat.

Calci vivae ſi affunduntur olea unguinoſa, vix quaedam mutatio ſurgit, videtur nimirum calx aliquid aquae ex oleis ſeparare; ſed haec aqua neutiquam aggregationem calcis penetrat.

§. XVIII.

Id ſaponis genus, quod ex alcali fixo & oleo quodam odorato paratur, magnam famam, variasque appellationes eſt aſſecutum. In illo alcali ita mutari, ut volatile reddatur, multi aſſeruere, hinc proprie *chemicus*, nec non *philoſophicus* dicebatur; de-

denominatur quoque a STARCKEYO, qui primus eius parandi rationem accuratius deſcripſit *b*). Eius fama Alchymicorum argumentandi, delirandi, oſtentandi, mori debetur quoad maxumam partem, nec non illis rationibus, quae & alia hominum genera, ut non raro Alchymicorum ſomniis fidem adhibuerint, permoverunt, ſalem nempe fixum volatilem reddere Alchymicorum idiomate idem eſſe, ac *mercurificare*; hoc cum praeſtetur oleo, quod hi homines Sulphur dixerunt, hinc ſunt gloriati, ſibi hac ratione proximam, ad paranda, ſecundum PARACELSUM, metalla, patere viam, & vix non omne inde expectarunt miraculum. Sed mitto opprobria & peſtes Chemiae; mitto prolixas ac ſine ratione taedioſas, ab egregiis etiam Auctoribus redditas, hoc ſaponis genus parandi rationes, quarum variae in *Actis Medic. Berol. c*) leguntur, & quae ſimplex obſervatio hic docet, monebo. Sal alcali per calcem vivam cauſticus redditus, funditur, effuſus, quam primum conſtitit, redigitur in pulverem, qui immittitur olei odorati, in cucurbita ebullientis, duplae ad ipſum rationi, inſtituitur digeſtio in balneo arenae, & crebro agitatur miſcela; oleum ſi cum ſale coiviſſe obſervatur, nova olei portio adiicitur, & ita continuatur, usque dum omnis olei ratio, quam cum ſale unire intendimus, aut quam alcali recipere valet, ſit abſorpta. Hac ratione oleum Aniſi ſex horarum ſpatio oleum Terebinthinae autem quatuor dierum intervallo cum alcali fixo in ſaponem redegi. Nullus licet negare velim, quod olea unguinoſa facilius cum alcali coëant, quam odorata, unde quoque oleum Aniſi, quod varia ratione propius ad unguinoſorum genium accedere conſtat, citius, quam alia, in ſaponem poteſt reduci; id tamen non poſſum non notare, quod minus bene vulgo contendant, adeo difficulter alcali olea odorata recipere, ut pro tali unione obtinenda, ſingulares encheiriſes & longiſſimae digeſtiones requi-

*b*) In Chymia, Edit. germ. p. 324. *c*) Decad. III. Vol. I.

quirantur; genius volatilis oleorum odoratorum, cum coctionem in apertis vaſis non admittat, hinc longior digeſtio exigitur, neutiquam autem adeo diu protracta, ut vulgo ſolent contendere. Hunc ſaponem illo, qui ex oleis unguinoſis paratur, magis irritantem, penetrantem, calefacientem, eſſe, nemo non videt, cui genius utriusque oleorum generis perſpectus eſt; vires autem, quae illi ad cicuranda venena ineſſe dicuntur, abortus ſunt delirantium Alchymicorum ingeniorum. Ad hoc ſaponis genus pertinet etiam ille ſapo, qui ſurgit, quando alcohol alcali cauſtico adiicitur, quem ipſum Pharmacopolae vitris, quibus Tincturas alcalinas, maxime illam, quae a ſale Tartari denominatur, aſſervant, adhaerere, omni die obſervant.

## §. XIX.

*Si* ex ſapone chemico iuſti caloris ope principium inflammabile expellitur, cinis inde reſiduus largitur aquae ſalem, qui in cryſtallos abit, multo alcali foetas, cum oleo Vitrioli album fumum eructantes, quae carbonibus iniectae decrepitant, & mercurium diſſolutum colore albo praecipitant. Hae ipſae cryſtalli, & acidum oleis odoratis ineſſe, & qualem id genium habeat, evincunt. Num hoc acidum debetur ſali communi, quod copioſe ſatis variis in regionibus haeret? hoc in caſu olea, quae in vegetabilibus, ſolo Salis experte cultis, adoluerunt, aliud acidum ſiſtent; ulteriora tentamina haec illuſtrare debent, num organismus, acidum cum reliquis principiis movens, atterens, agitans, illi hanc indolem imprimat?

Ex ſapone chemico deſtillationis ope ſalem volatilem obtineri, multi ſunt qui contendunt, nec id ex modo, quo alcalia volatilia gigni Stahlius *d)* oſtendit, difficile eſſet explicatu; id interim omnino fatendum, quod prima deſtillatio nihil talis exhibeat, licet id facile largiar *Actis Med. Berolin.*, quod iteratis



*d) Fund. Chym.* Edit. Norimb. 1747. p. 320.

deſtillationibus, aut additione ſubſtantiarum, quae acido ſcatent, aliquid tandem ſalis volatilis poſſit obtineri, qui autem prae aliis ſalibus alcalinis volatilibus nil proprii habebit omnino.

### §. XX.

Sive urinoſus liquor, quem calx viva ex ſale ammoniaco ſeparat, ſive ſal ſolidus, qui ope alcali fixi inde obtinetur, cum aliqua pinguedine miſceatur, levi accedente calore ſapo albus ſurgit, cuius ſapor & odor illis, quo ſal & oleum, quae adhibita fuerunt, gaudent, reſpondet Idem ſuccedit, quando oleum odoratum qualecunque cum ſale urinoſo miſcetur, tunc ſapones, hac ratione parati, accedente calore ſublimantur; iidem, ſi alcali fixum ipſis adiicitur, oleum ſub coaguli forma dimittunt; patet hinc ratio, cur bilis ab alcali fixo in coagulum verti obſervetur. Id praeterea notandum adhuc eſſe duco, quod alcali urinoſum, quod ſub forma fluida ex ſale ammoniaco obtinetur, cum oleis odoratis ſi unitur, formam cryſtallinam induat. Ad hanc ſaponum tribum pertinent omnes ſpiritus volatiles oleoſi, quorum magnum numerum libri Medicorum recenſent.

### §. XXI.

Sapones, quales ars parat, ipſam quoque Naturam per organiſmum & vegetabilem & animalem producere, ad §. XII. iam monui; eo pertinere omnes humores animalium inquilinos, Kuchelbecker (*e*) evicit; eos omnes ad ſapones acidos pertinere, ſupra a me dicta probant; aliud autem iudicium de bile erit ferendum: haec enim, cum, evidenter licet oleoſa, ſe aqua dilui patiatur, & e pannis ſericeis oleum, nemine ignorante, abſtergat, ſaponibus erit omnino annumeranda, id quod quoque eius in χυλοποιήσεος negotio effectus declarant; ea autem cum ſurgat ex vaporibus alcalinis, ex primis viis reſorptis, cum

*e*) De Saponibus, Lipſ. 1756.

cum pinguedine ex omentis & meſenterio reduce mixtis, hinc ad ſapones ex alcali urinoſo & oleo unguinoſo pertinet; ſed quis non videt, quod eidem etiam acidi quid adhaereat; ſecernitur ex ſanguine, nunquam acidi experte (§. XII), & illa vaſa reſorbentia, quae alcali ex inteſtinis hauriunt, neutiquam impediuntur, ut etiam acidum, quod in primis viis multo praeſto eſt, recipiant; recte hinc bilis ſapo ammoniacalis, ſive cum ROBERT & DUSSANT *f*) ſapo acido-alcalinus dicitur: id adhuc obſervo, quod KUCHELBECKER *g*) recte moneat, olea unguinoſa, ope bilis ex aqua ſuſpenſa, inde ſecedere, olea odorata autem, itemque reſinas, tam fluidas, quam ſiccas, per illam optume aquam ſubire, id quod KUCHELBECKER circa oleum Terebinthinae, GAUBIUS apud *Narciſſeum h*) circa oleum Sabinae, Balſamum Peruvianum & reſinam Ialappae, egoque circa oleum Cornu Cervi ſumus experti.

(*Argentorato Halam miſſa*, *d.* 29. *Ianuar.* 1765.)

## OBSERVATIO XC.

## Dn. D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD.

### De *Foetu bicipite humano.*

Quum Obſervationes monſtrorum, praeſertim bicipitum, non adeo frequentes ſunt, licet interdum occurrant: nihil ſupervacanei ſuſcipere credo, ſi foetus illius bicipitis humani memoriam conſervabo, qui 1758. d. 14. Aprilis in vicino pago, *Gniebendorff* dicto, qui pari ſpatio, unum circiter lapidem ab

Mmm 2 urbe

*f*) Quaeſt. quodlibetar. Pariſ. 1754. habita. *g*) Diſſ. citat. *h*) *De Generat. & receptac. Chyli*, §. 8.

urbe *Weiſſenfelſa* & *Martisburgo* diſtat, & ad prioris praefecturam pertinet, natus fuit. Mater, *Chriſtina, Ioannis Eichardi* uxor, quadraginta circiter annos nata, quatuor iam pepererat liberos, ſanos beneque compactos, quum quinta vice utero gerens foetum hunc bicipitem enixa eſt *x*). Tempore graviditatis nihil, quod praeter naturam & extra ordinem eſſet, ſenſit, niſi quod abdomen magis expanſum, maiusque, quam in prioribus, perciperet pondus. Nec meminit ſe illo tempore quadam imaginatione fuiſſe adfectam, aut terrore ſubito vehementique percuſſam. Partus, ut facile opinandum, laborioſus & diuturnus fuit. Poſtquam enim caput & thorax corporis dextri, *Figur. I. A.* Tab. VIII. uſque ad coniunctionem *C.* prodierant, foetus per ſesqui horae ſpatium haeſit, & eiulatu ſuo certiſſima indicia vitae dedit. Quum vero adſtans obſtetrix talem impedimenti cauſſam non ſuſpicari, ne quidem ſomniare poſſet, laborem continuabat, omnique vi adhibita foetum extrahere contendebat, quo factum eſt, ut thorax alterius corporis *B.* violenti reclinaretur modo, & foetus in partu ſuffocaretur. Interim tamen foetus extractus, & mater ab eo liberata & ſervata fuit.

At enim vero obſtupuerunt nunc omnes, quum foetum bicipitem viderent, parumque abfuit, quin, neſcio quas praeſtigias ſibi fingentes, hunc foetum pro ſuppoſititio infante haberent. Poſtquam autem rumor de foetu hoc monſtroſo ad aures meas pervenit, ſtatim me ad ſupra memoratum pagum contuli, & in eius veram conditionem inquiſivi.

Erat omnino, ut relatum erat, foetus biceps, qui, praeter duo capita, quorum dextrum *A.* ſiniſtro *B.* parum maius erat, duplicem habebat thoracem, quatuorque perfecta brachia & ad finem utriusque thoracis ita connatus erat, ut commune

x) Uti poſtea audivi, 1760. denuo peperit filium ſanum & integrum, qui & nunc vivit.

mune abdomen, unamque formaret pelvim. Praeter ea huic foetui duo perfecti erant pedes: ad dorſum autem, ſupra anum, circa os ſacrum, extabat pes tertius *D. Fig II. Tab. VIII.* monſtroſus, parumper flexus ac ita contractus, ut difficulter extendi poſſet. Pes autem ipſe erat duplex, ex duobus pedibus concretus, quod decem imprimis digiti connati indicabant, hinc non rotundus, ut ceteri, ſed aliqua ex parte preſſus, magisque latus, & quaſi deformis. Quod anum & partes genitales attinet, hae debito modo formatae videbantur: ſtilus enim immiſſus ſimplicem anum, ſimplicemque vaginam indicabat. Ex abdomine, eiusque umbilico ſimplex exibat funiculus *E*, qui ad duorum pollicum latitudinem abdomini adhuc adhaerebat. Placenta etiam, ut praeſens obſtetrix teſtabatur, ſimplex fuit, foetumque ſtatim eſt ſecuta.

Diſſectionem foetus parentes denegabant, permittebant tamen ut depingeretur, quod etiam quatuor diverſis figuris factum eſt. Tertiam & quartam figuram ideo adiecimus, ut adpareret, quam formam & poſitionem membra aut artus in ovo habuerint. Vtut enim artus in menſa, ſuper qua foetus extenſus iacebat, dislocati eſſent, facili tamen negotio, natura ipſa monſtrante, in hunc collocabantur poſitum, quem *Fig. III. & IV. Tab. IX.* oſtendunt. Foveae enim & veſtigia, a membris appreſſis facta & relicta, adhuc poterant conſpici. Mirus erat exitus funiculi umbilicalis, *F.* qui intra duos pedes complicatos prodibat. Haec omnia non caſu fortuito facta eſſe, ſed in primo ovulo ita fuiſſe iam collocata atque diſpoſita, plus quam probabile eſt.

Nolo me iam controverſiae hoc ſeculo a doctiſſimis viris agitatae, immiſcere, num ſcilicet monſtra in primo ovulo iam ita delineata exiſtant ac lateant? an potius imaginationis quadam vi producantur &formentur? Ultimae ſententiae, ut omnibus notum eſt, prioribus temporibus vix non omnes adhaeſerunt, ut quaſi

communis opinio eſſet, donec non ſolum celeberrimus olim Winslovius, ſed indefeſſus imprimis atque Illuſtris Hallerus, utpote qui in diverſis Scriptis, quae omnia in *Opuſculis* ſuis *anatomicis x)* inveniuntur, omnium monſtrorum exempla atque hiſtorias collegit, & eiusmodi protulit argumenta, quae omni exceptione maiora videntur, priorem defenderunt ſententiam, quicquid etiam clariſſ. *Nicol.* Lemery & Illuſtr. Bianchi contra hanc proferre anniſi ſunt. Novum quidem modum, qui ortum mechanicum monſtrorum explicet, clariſſ. Lemery excogitavit; allata autem argumenta ita comparata ſunt, ut omnem, ni fallimur, veriſimilitudinis ſpeciem perdant. Eximius Morgagnus in incomparabili ſuo Opere, *de Sede & cauſis morborum per Anatomen indagatis xx)*, ad monſtra perveniens, expreſſis quidem verbis non declarat, cui opinioni, prae alteri, de ortu monſtrorum, aſſentiatur, favere tamen, ut cuilibet lecturo facile patebit, ei magis videtur, quae eorum originem ex ovulo, primisque ſtaminibus, derivat, licet contrariam ſe defendere credi velit. Caſus enim dari, ait, *ubi durum ei videtur, a communi ſummis etiam Viris ſententia prorſus diſcedere.* Quare admodum propenſus eſt, naevos ſaltem maternos ab imaginationis quadam vi deducere, qua in re plures habebit aſſenſores.

Inter foetus monſtroſos, qui ex duobus inter ſe connatis corporibus conſtant, hoc coalitionis, quod deſcripſimus, exemplum inter rariora numerat exempla Illuſtris Hallerus *xxx)*, quippe qui omnium monſtrorum hiſtorias & exempla, quorum ſcilicet memoriae conſervatae fuere, evolvit, & inter ſe comparavit, ſimulque invenit, inter centum & ſexaginta quinque exempla, quadraginta quatuor fuiſſe, quae unicam pelvim, ſicut

x) *Goettingae 1751. editis. num. VI. VII. VIII. IX. & X.*

xx) *Libro III. p. 246.*

xxx) In Libro citato, Num. VI. §. III. not. 7. p. 176.

cut noſtrum, habuerunt, quum numerus eorum, quae ad thoracem iam connata erant, ad ſexaginta quatuor adſcenderet, quale etiam illud fuit, quod Illuſtris Vir diſſecuit, & delineari curavit. Quemadmodum & hoc annotavit *x*), in hac claſſe monſtrorum ſexum foemininum frequentiorem eſſe, quod & noſtrum exemplum confirmat.

Interea tamen exemplum quoque maris, ad illam claſſem pertinentis, memoriae conſervabo, de quo plures ob rationes dubito, an in ulla collectione inveniatur. Nec huius ſpectabilis Senex MORGAGNUS meminit in eximio ſuo opere: cuius certae notitiae non evaſiſſet ob novitatis gratiam & loci viciniam, ſi eius hiſtoria ullibi legeretur impreſſa. Perfecte autem cum noſtro exemplo, ſexu excepto, convenit, ut etiam, uti in proverbio eſt, ovum ovo magis ſimile eſſe non poſſit, quam illud eſt ſimile huius. Eius delineatio ſequenti ratione ad meas pervenit manus. Libros nonnullos ex Celeb. quondam GÜNZII Bibliotheca, quae Lipſiae vendita eſt, accipio; in horum uno reperio imaginem foetus huius monſtroſi bicipitis aere excuſam (vid. *Fig. V. Tab. IX.*), quam unde b. Poſſeſſor acceperit, ignoro: forte in peregrinatione ſua hanc ſibi comparavit. Non atro, ut apud nos magis moris eſt, ſed rubro colore tincta eſt; ex quo ſuſpicor, eam ad nullam collectionem pertinere. Ex notatiuncula, quae Italico ſermone compoſita & figurae adſcripta eſt, apparet, hoc monſtrum in Italia, in Provincia Ticinenſi, anno 1748, decem annis ante, natum eſſe. Verba autem italica latine ſic ſonant: *Accidit hic partus in tractu* Sicomarienſi, in Parochia S^tae^ Mariae della Strada, *duo milliaria ab urbe* Pania *diſtante. Pater vocabatur* Barberio, *mater vero* Catharina Scaglia. *Qui erat a dextro latere puer, in ſacro lavacro nomine* Ioſephi, *& qui erat a ſiniſtro* Hieronymi *inſigniebatur. Fiebat partus in nocte diei Sabbathi, die 15. Iunii 174 . hora ſexta.*

*Unio*

*x*) Ibidem §. VII. not. 51. p. 176.

*Unio non incipit niſi infra cartilaginem mucronatum, ubi unicum tantummodo format corpus, cum unico ventre, duobusque pedibus, quibus accedit tertius, qui a parte poſteriori unius pueruli exit, imperfectius tamen, & novem digitis inſtructus. Adſunt praeterea duae virgae, quarum una, ſupra ſcrotum poſita, uſui apta, altera vero infra locata, nullius eſt uſus.*

*Figurarum Tab. VIII. & IX. explicatio.*

Figur. I. Facies anterior foetus bicipitis.

Figur. II. Facies poſterior eiusdem foetus.

Figur. III. Situs foetus in ovulo materno a facie antica.

Figur. IV. Idem ſitus a facie poſtica.

Figur. V. Foetus biceps in provincia Ticinenſi in Italia 1748. natus.

## OBSERVATIO XCI.

## Dn. D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD.

## *Pes, praegreſſa gangraena, infra ſuram ſponte delapſus.*

Peculiare dari gangraenae ac ſphaceli genus, quod *ſiccum* vel *lentum* vocari meretur, praeſtantiſſimi iam dudum obſervarunt Medici ac Chirurgi, ut ſuperfluum foret eorum citare nomina & verba. Refert tamen ex pluribus unum tantum adducere, venerandum Senem MORGAGNUM, qui in eximio ſuo, & Medicis non ſatis commendando Opere, *de Sedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis* a), ſequentia habet: *Porro eſt quoddam gangraenae, imo ſphaceli genus, apud noſtrates rarius occurrens,*

a) *Lib. IV. Epiſtol. 55. Artic. 24. p. 343.*

*rens, ut nec Valſalvae unquam viſum etiam tum eſſet, cum adoleſcenti mihi ex relatione aliorum narrabat, exſiccationem, a pedis pollice incipientem, & ſenſim ad femur uſque productam, ut pes & crus totum, velut in mumia, arida eſſent, mortem cuidam mulieri annis ſuperioribus attuliſſe.* Colligit dein ex probatiſſimis huius & praecedentis ſeculi auctoribus hiſtorias, quae huc ſpectant, & naturam atque indolem huius morbi perfecte illuſtrant. Ex omnibus autem allatis hiſtoriis, licet multae ſint, duae tantum (citatos enim auctores evolvi omnes) cum noſtro iam proponendo caſu perfecte conveniunt. *Rudolphi* nempe *Iacobi* CAMERARII Obſervatio in noſtris *Ephemeridibus b)* adſervata, & SMETII, quam HILDANUS *c)* ex eius *Miſcellaneis* adduxit. Reliquae enim ob gangraenae genus quidem huc pertinent, ſed non ratione eventus, qui diverſus fuit. Ad has ea adhuc addenda eſt, quae in iisdem *Ephemeridibus d)* legitur, & a MAUCHARTO inſerta eſt. A noſtra in hoc differt, quod, ut clariſſ. Auctor autumat, initio os tibiae, & tandem os fibulae fracta fuerint. Interim pes totus ſponte decidit. Quatuor, vel quinque inter legendum mihi poſtea adhuc obvenerunt, quas, quum ex recentiſſimorum Scriptis depromtae ſint, ad finem huius Obſervationis adſervabo. Perpaucis igitur licuit talem videre huius morbi exitum, qualem & mihi 1759. obſervare contigit. Multi pro-

*b) Centur. VI. Obſervat. 82. Sphacelus pedis ſponte terminatus.*

*c)* HILDANUS *de Gangraena & Sphacelo Cap. VII. p. 779. Weſaliae, in principatu Clevenſi,* inquit, *coriarii cuiusdam Galli uxor, alterum pedem aridum, nigrum, absque tumore emortuum, nempe ſyderatum, aut ſphacelatum, ſine ullo motu, aut ſenſu, aliquandiu geſtaverat, absque ſeparatione a parte ſana, quam tamen multo poſt factam intellexi, & ſpeciem linguae bovillae, fumo induratae, prae ſe tuliſſe.*

*d) Centur. VII. Obſervat. 98. Pes ſponte deciduus.*

proinde in ea fuere opinione, huius gangraenae genus ſenes tantum adficere, hinc ad ſenum morbos eſſe referendum. Quodſi vero conſignatas inter ſe comparamus obſervationes atque hiſtorias, videbimus omnino, hoc morbi genere etiam iuniores, licet multo rarius, adfligi. Quapropter praeſens caſus non ſolum ob id, quod ſingularem & mirandum habuerit exitum, omnem meretur attentionem, ſed etiam quod in iuvenili acciderit corpore. En! hiſtoriam ipſam.

Femina viginti quatuor circiter annorum, levis ac diſſoluti animi, nullo marito nupta, ſed quaeſtum corpore faciens, caſtra Boruſſorum ſecuta erat. Wratislaviae autumno 1757. febri caſtrenſi corripitur, ibique in Noſocomium delata, in tanto verſatur periculo, ut de eius vita deſperaretur: evadit tamen praeter omnem ſpem atque opinionem. Vix ſanitati reſtituta, ne prius vitae genus denuo inciperet, pluresque milites corrumperet, ut patriam repetat cogitur: &, ut eo certius mandato obediat, a cuiuscunque civitatis, quam tranſit, Magiſtratu comites ac cuſtodes ei dantur. Iter media hyeme, Decembris finem verſus, quum nives omnia iam impleverant, pedibus ei conficiendum erat. Vias igitur, praeſertim in locis montanis, quae tranſcendere debebat, multis nivibus obſitas, geluque rigidas invenit. Hinc, quum minus bene veſtita eſſet, poſt aliquot dies pedum digitos frigore habet enectos, quos more vulgi, fornacis calore, incongruisque applicatis remediis, priori ſanitati reſtituere contendit. Quo facto inflammatio dira, a digitis incipiens, utrumque pedem inferiorem occupat, moxque in gangraenam tranſit, quae ſenſim ad ſuras uſque aſcendit. Hanc inflammationem, ut facile creditu eſt, vehemens comitata eſt febris. Quamvis ſaepe morti proxima fuerit, nihilo tamen minus, quum ſemel iuſſum eſſet, ut in patriam reduceretur, pedibus non amplius incedere valens, in currum coniicitur, & de loco ad locum vehitur. En! belli moleſtias, & morem militarem!

In hoc miſerrimo ſtatu *Weiſſenfelſam*, ubi nata eſt, menſe Februario venit, ſtatimque civitatis Chirurgo traditur. Hic, cernens ambos inferiores pedes ſphacelo abalienatos atque demortuos, gangraenam autem non ulterius procedentem, ſtatim de amputandis cogitat pedibus. His cogitationibus ad me venit, mihique morbi ſtatum, captumque conſilium narrat, ſimulque a me petit, ut ipſe venirem ac viderem, &, ſi adprobarem, amputationi adeſſem. Non diu moror, ſed mox ad aegrotam cum eo me confero, reperioque feminam emaciatam quidem, minime autem ita debilem, ut ſuſtinendae amputationi non ſufficeret. Exploro pulſum, illumque invenio celeriorem, quam quidem in ſtatu ſano eſſe conſuevit, minime tamen debilem, de reliquo vero aequalem, & tunicas arteriarum ſatis attollentem. Quaeſtionibus ſimul experior, febrem aliquot ab hinc diebus una cum ſiti multum remiſiſſe. Examino pedes, & obſtupeo, quum ambos ad ſuram uſque velut in mumia, aridos, & linguae bovinae, fumo induratae, ſimiles, fibulam & tibiam autem, uti in Figura adiecta videre eſt, carnibus prorſus denudatas, tamen non exeſas, quas carioſas vocant, conſpicerem. Magis autem mirabar, quum cognoſcerem, gangraenam quieſcere, & terminum, quo haec perſiſtebat, me perfecte internoſcere poſſe. Limbus enim carnis ſuperioris, tumidus quidem, rutilus tamen ac mundus, qualis in ulcere ad ſanationem properante obſervatur, apparebat, circulumque notabilem infra ſuram formabat, qui partem ſanam a mortua evidenter diſtinguebat. Foetor quidem aderat ingratus, vix tolerabilis, qui tamen, ut bene cognoſcebam, non ex partibus ſanis carnoſis, ſed ex emortuis & corruptis oſſibus ſpirabat, quem & delapſus pes adhuc, dum haec ſcribo, ſervat. Peculiaris enim, & aliquantum diverſus erat ab illo, qui alias ex partibus carnoſis, gangraena & ſphacelo correptis, exhalare ſolet.

Eo ipſo tempore, fereque die, quo haec mihi ſe offerebant, occupatus eram elaboratione recenſionis egregii libelli, famoſi illius Chirurgi Pariſienſis, clar. Bagujeu, qui inſcribitur: *Examen de pluſieurs parties de la Chirurgie d'aprés les faits, qui peuvent y avoir rapport. à Paris* 1757. ut ea inſereretur *Commentariis Lipſienſibus de rebus in ſcientia naturali & Medicina geſtis*, in quorum *Volumine VI. Part. IV. p.* 591. & *ſeqq.* una cum nota *pag.* 600. adiecta, quae ipſam hanc hiſtoriam breviter enarrat, etiam legitur. Expertiſſimus hic Chirurgus in Capite VI. & VII, ubi eximii Chirurgi Angli, Sharp, libellum: *Recherches critiques ſur l'etat preſent de la Chirurgie*, examinat, de induſtria de ſiccae huius gangraenae ſpecie agit, & amputationem, cui in aliis caſibus, contra popularium ſuorum morem, minus favet, in hac contra celeberr. Sharpium, qui illam prorſus damnat, defendit. Evolvens igitur ipſum libellum Sharpii, huiusque argumenta ponderans, non potui non, quin huic magis, quam illi, aſſentirem.

Haec omnia adhuc recenti memoria tenebam, quum ad noſtram aegrotam arceſſor. Accedens, omnia, quae video, cum verbis celeberr. Sharpii animo comparo, & eius auctoritate & experientia fidens, meo Chirurgo amputationem diſſuadeo, auctorque ipſi ſum, ut naturae omnia committat, & ſpontaneam ſeparationem expectet: interim tamen partem ſanam fomento ex herbis amaris aromaticis, ut abſinthio, ruta, ſalvia, ſcordio, parato, & in aquae Calcis vivae atque vini partibus aequalibus decocto, addito ſub finem ſale & aceto, foveat atque defendat. Aegrotae autem ipſi, ut bono ſit animo, parumque vini generoſi, quod illi porrigendum curo, vires reficiendi gratia ſumat, ſuadeo. Certe, niſi clariſſ. Sharpium paulo ante legiſſem, corticem quoque Peruvianum illi dediſſem. At enim vero, quum hic parum utilitatis in hac peculiari gangraenae ſpecie ei tribuit, ea propter illum eo tutius

in

in hocce caſu ſequi potui, quod mea aegrota ab omni febre fere libera fuerit. Ecce! autem quod evenit!

Poſtridie Chirurgus ad me venit, mihique magno cum clamore refert, pedem dextrum ſponte eſſe delapſum. Dum enim aegrota in lecto ſe vertere voluit, pedemque dextrum pluteo lecti impegit, is infra ſuram, cum fragore quodam transverſim fractus, ſponte decidit. Paucus ſanguis, qui effluxit, ex tibiali arteria, uti ex relatione iudicare potui, ſine dubio venit: hunc ideo vocatus Chirurgus ligatura & compreſſione ſtatim coërcuit. Veſperam verſus una cum Chirurgo aegrotam ipſe viſito, & invenio eam, quod ad reliquam corporis conſtitutionem attinebat, ſatis bene valentem. Truncus erat aequalis rotundus, velut a peritiſſimo Chirurgo amputatus: eiusque orae carnoſae erant mundae atque rubicundae. Oſſa truncata, tibiae ſcilicet atque fibulae, intra carnes latebant, pulchreque rubebant; uno verbo: omnia optimum promittebant eventum. Contemplor pedem delapſum, & miror praeſertim fines ſerratos oſſium, quos etiam in icone adiecta (vid. *Fig. I. Tab. X.*) exprimendos curavi. Intra hos natura ſeparationem miro modo perfecit, & gangraenae terminum poſuit, vel, ſi mavis, gangraenam cohibuit. Cur autem non altius aſcenderit, forte in eo quaerendum eſt, quod, uti ſupra audivimus, per aliquot dies uſque ad ſuras per nives ambulare debuerit, de reliquo autem uſque ad easdem ſuras veſtibus muliebribus fuerit tecta. De inhumando pede nunc erat ſermo, ſed precibus & munuſculo a parentibus aegrotae tandem obtinui, ut mihi illum cederent. Mox autem apud animum meum ſtatui, eius delineationem & hiſtoriam, ut rariſſimam, in Actis noſtris conſervare. Ceterum ſpes me non fefellit in mea opinione, quam de huius curae felici exitu concepi. Natura enim poſt paucos dies partes carnoſas obduxit nova cuticula, tandemque etiam oſſa truncata, quo factum eſt, ut mutilum hoc membrum perfecte tectum atque ſanatum fuerit.

Nunc adhuc quaedam dicenda reſtant de ſiniſtro pede, cuius cura non in omnibus parem habuit exitum. Certe autem habuiſſet, ſi Chirurgus neceſſaria praeditus fuiſſet patientia. Omnia enim paria in hoc ſiniſtro erant pede, ac in dextro, excepto hoc unico, quod inferiores partes tibiae ac fibulae, licet carne etiam prorſus denudatae eſſent, non tam aridae & exſuccae, ut in altero, apparerent, certe autem futurae, ſi ſatis diu Chirurgus expectaſſet. Quum autem mihi conſuetum annuum iter ad Thermas Carolinas ſuſcipiendum erat, nimis officioſus Chirurgus, diuturnae forte curationis pertaeſus, cui ſoli nunc aegrota noſtra relicta fuit, ſtatim poſt meum diſceſſum pedem extremum in articulo, quem tarſus cum tibia & fibula facit, abſcindit, denudatam deinde partem tibiae ac fibulae ſerra, &, quae reſtant, fragmenta forcipe auferre tentat, hoc ipſo autem nihil aliud effecit, quam ut curationem, quam tamen praecidere crederet, protraxerit. Natura enim in ſalutari ſua operatione, qua mortuum a vivo tandem ſeparaſſet, turbata, opus ſuum perficere non potuit. Inde factum eſt, ut totus ambitus trunci carnoſus cuticula quidem tegeretur, tibiae autem ac fibulae oſſa, quae ultra carnes aliquantum prominebant, intecta ac nuda reſtarent, & circum aliquantisper maderent. Et quamvis etiam nonnunquam tenuiſſima obducantur cuticula, leviſſima tamen contrectatione aut frictione facile rurſus denudantur. Hoc in ſtatu & hodie ſiniſtrum hunc truncum inveni, quum foeminam hanc eum in finem viſitavi, ut cognoſcerem, num aliquid poſt quinque annos, quibus illam non vidi, mutatum ſit: ſed dextrum contra perfecte tectum, rotundum, & bene formatum reperi. Quod reliqua attinebat, multo vividiore & pinguiore erat habitu. Retulit enim mihi, ex quo menſes illi rite fluerent, ſe priore rurſus gaudere valetudine, illique nihil deeſſe, quam pedes. Interim ex hiſce diſcere poſſumus, quam neceſſaria interdum cunctatio & expectatio etiam Chirurgo ſit.

In

In ſuperioribus promiſi, eas adhuc obſervationes adiicere, quae cum noſtra quandam ſimilitudinem habent, & ex recentiorum Auctorum Scriptis deſumtae ſunt. Prima in celeberr. Huxham Operibus *e*) reperitur. Virgini, annorum circiter viginti quinque, pes dexter dolore quodam prope digitos afficitur, quem Chirurgus advocatus ſpiritu vini camphorato abigere contendit, ſed fruſtra; dolor enim augetur, accedit inflammatio, quam cito gangraena excipit, quae ſenſim ad genu aſcendit; cutis & caro femori, ante dies aliquot iam abſciſſo, erant ſimiles. *Tandem*, inquit, *linea quaedam obſcure livida, circuli in modum, in crure mox infra genu apparens, locum notabat, ubi natura mortuas a vivis partibus ſeparare moliebatur. Haec ſeparationis nota quolibet die magis magisque in conſpectum prodibat, &, ad eam promovendam, omnibus propriis remediis utebatur Chirurgus: quaecunque enim rationes, ut membrum abſcinderetur, adeſſent, neque tamen aegrota, neque eius amici illud permittere volebant. In deplorato tali ſtatu (quum mortua cruris pars a ſana quotidie putredine ſepararetur,) uſque ad diem decimum quartum menſis Iulii remanebat iſta miſera, quo eſcharam diſruptam & ſeparationem in genu articulo fere perfectam inveniens Chirurgus, a ſano femore, in ipſo articulo, nullo fere cum dolore, absque aegrotae conſenſu & fere eius ſenſu, crus abſcindebat mortuum. Quo facto — in ſtatum ſanitatis tolerabilem brevi tempore reſtituebatur aegrota.*

Secundam annotavit noſter Sodalis, excellentiſſ. Delius *f*), ſequentibus verbis: *Uxor quinquaginta circiter annos agens, per longum tempus pernionibus, praecipue in pedis dextri pollice, laborans, fortaſſis, ut fieri ſolet, incongruis adhibitis medicamentis, & inordinata*

*ta*

*e*) *Io.* Huxham *Oper. Phyſico-medic. curante Cl.* Reichel, *Lipſiae 1764. edit. Tom. II. Cap. V. p.* 74.

*f*) In *Diſſertat. inaug. de Malis ex Medico nimis cunctatore oriundis. Erlangae 1760. §. XVI. p.* 14.

*ta ſervata diaeta, in gangraenam totius metatarſi, tarſi, tibiae, ad patellam uſque; incidit. Sphacelo tandem accedente, tempore quodam matutino, quum adſtantes aegram e lecto tollere niterentur, pes ſphacelatus, facta integrae articulationis tibiae & fibulae cum femore, tendinum & ligamentorum ſpontanea abſceſſione, & ſeparatione incruenta, in lecto remanſit.* Natura quidem hic praeſtitit, ut pes ſphacelatus a reliquis partibus ſeiunctus fuerit, paucos tamen fructus exinde capere potuit aegra; nam poſt aliquod tempus animam efflavit. In hoc a noſtro differt exemplo.

*Tertia*, ſub inſcriptione: *de Amputatione cruris ſpontanea*, Auctore clariſſ. GIGNOUX, inſerta legitur in *Diario medico*, quod celeberr. VANDERMONDE g) ſuo nomine divulgat. Femina ruſtica, poſt febrem putridam ſuperatam, ſubito in planta pedis ſiniſtri inflammatione corripitur, quae, remediis ab ipſa aegra reiectis, in ſphacelum tranſit. Tandem ad laterales genu partes, & ad anteriores & poſteriores partes femoris, duorum digitorum ſpatio ſupra patellam, ſphacelus ſiſtitur, acciditque, ut nocte quadam, ſomniis turbata, evigilet aegra, atque crus in ipſo genu articulo a femore absque ulla haemorrhagia ſeparatum reperiat. Caro ſenſim reſtituitur, cutis protenditur, vulneris ſpatium minuitur, cicatrix tandem inducitur, & aegra evadit. In fine Obſervationis clariſſ. GIGNOUX addit: ſe vidiſſe hominem iuvenem, oppidatim ſtipem colligentem, & ſine cruribus, ope machinae, incedentem, cui ambo crura, ut ipſe ei interroganti narravit, gelu prius enecata, accedente gangraena & ſphacelo, poſt aliquot dierum ſpatium, in genu articulo ſponte fuere delapſa.

*Quarta* & *quinta* adſervatur in ſcripto illo, omnibus, qui id legunt, pergrato, quod ſingulis hebdomadibus *Hamburgi* pro-

g) *Journal de Medicine, Chirurgie, Pharmacie* &c. a Paris 1759. Tom. IX, p. 37. *Confer. Commentar. de rebus in ſcientia natur. & Medicina geſtis. Vol. XI. p.* 246.

prodit, & *der Arzt*, i. e. *Medicus*, inſcribitur. Ibi duas, a diverſis Auctoribus anonymis miſſas, habemus epiſtolas, qui ſimiles caſus referunt; in hoc differentes, quod in uno *h*) infra genu pes ſeparatus in lecto fuerit repertus: in altero *i*) autem pes infimus in articulo tali cum tibia & fibula ſponte exciderit, amborum vita ſalva.

Memoratu dignum eſt, allatas hiſtorias continere tantum exempla artuum inferiorum, videlicet pedum & crurum delapſorum: in Hiſtoria vero Academiae Scientiarum Pariſienſis *k*) legitur etiam exemplum puellae ſeptem annorum, cui, poſt febrem praegreſſam, ambo brachia, ad cubitos uſque, fuere delapſa, ſuperſtite puella.

(*Weiſſenfelſa Halam miſſae*, *d.* 10. *Februar.* 1765.)

## OBSERVATIO XCII.

## Dn. D. IOANN. CHRIST. DANIEL. SCHREBERI

*Siſtens*

## *Stirpium obſcurarum aut novarum illuſtratarum Decuriam I.*

### I. Antirrhinum molle.

Antirrhinum foliis oppoſitis ovatis tomentoſis, corollis ecaudatis, caulibus procumbentibus. *Linn. Sp. pl.* 2. *p.* 860.

Antirrhinum hiſpanicum villoſum, origani folio. *Tourn. Inſt.* 168.

*Habitat* in Hiſpania, Pyrenaeis. *Loefling.*

*Ra-*

*h*) Part. IX. fol. 218. pag. 160.
*i*) Ibid. Part. X. fol. 255. p. 336.
*k*) Hiſtoire de l'Academie des Sciences. 1703. p. 52.

*Radix* fibroſa, perennis.

*Caules* herbacei, proſtrati, teretes, foliati, tomentoſi, ramoſi: *ramis* alternis, brevibus, divaricatis.

*Folia* alterna, patentia, petiolata, ovata, integerrima, obtuſa ſ. apice rotundata, utrinque tomentoſa, ſubcarnoſa, longitudine circiter internodiorum; *ramea* minima.

*Petioli* breviſſimi ſ. foliis quadruplo breviores, ſupra canaliculati, tomentoſi.

*Flores* axillares, in ſummitate caulis ramorumque, pedunculati; magnitudine florum Aſarinae.

*Pedunculi* ſolitarii, erecti, petiolis longiores, at folio breviores, filiformes, tomentoſi.

*Calyx*: *Perianthium* quinquepartitum: foliolis lanceolatis integerrimis obtuſis villoſis ſubaequalibus: inferioribus dehiſcentibus.

*Corolla* ringens, alba. *Tubus* compreſſus, calyce duplo longior, baſi gibbus nectarifer, pubeſcens; externe albidus, interne ſtriis purpureis, lineisque duabus flavo-villoſis parallelis, per palatum extenſis uſque ad labium inferius. *Palatum* clauſum, gibbis 2. approximatis flavis.

*Labium* ſuperius ſemibifidum, reflexum, purpureo-ſtriatum; inferius ſemitrifidum, deflexum: lacinia intermedia anguſtiore obtuſa.

*Stamina* 4, corolla breviora, incluſa; quorum 2. paullo longiora. *Antherae* biloculares: loculo altero ſupra alterum poſito.

*Stylus* longitudine filamentorum breviorum.

2. ONOSMA cinerea.

ONOSMA foliis lanceolatis hiſpidis, fructibus ſpicatis, caule erecto.

Symphytum orientale oleae folio cinereo & hirſuto. *Tourn. coroll.* 7.

*Habitat* in Oriente.

*Caulis* ſpithamaeus baſi procumbens, demum erectus, teres,

pilis

pilis copioſis parvis ſetisque rarioribus craſſis rigidis exſtantibus hiſpidus, ſimplex.

*Folia* radicalia, lato-lanceolata, in petiolos deſinentia, integerrima, margine ciliata, obtuſiuſcula; caulina lanceolato-linearia, ſuperne paullo latiora, integerrima, obtuſa, ſeſſilia; omnia ſetis longis decumbentibus e glandula ſtellato-radiata oriundis hiſpida.

*Spica* terminalis, fere biuncialis, ante floreſcentiam recurva, ſecunda folioſa.

*Calyces* ſeſſiles, obtuſi, hiſpidi, breves.

*Corolla* infundibuliformis, fauce pervia radiis deſtituta, purpurea: ore coarctato quinquefido; longitudine digiti transverſi.

*Antherae* longae parallelepipedae.

*Stylus* flore longior, ſetaceus, poſt floreſcentiam incurvus. *Stigma* capitatum.

*Semina* 4. nuda ovata glabra.

3. Cynoglossum racemoſum.

Cynoglossum corollis calyce duplo longioribus, foliis linearibus.

Cynogloſſum orientale minus, flore campanulato caeruleo. *Tourn. cor.* 7.

*Habitat* in Oriente.

*Caulis* ſpithameus, erectus, angulatus, piloſus, inferne foliatus, ſuperne nudiuſculus, ſimplex.

*Folia* inferiora, in petiolos deſinentia, lineari-lanceolata, integerrima, acutiuſcula, biuncialia, ſuperiora linearia duplo triploque breviora, ſeſſilia, integerrima, obtuſa; omnia utrinque piloſa.

*Racemi* duo terminales aphylli. *Pedunculi* filiformes, calycibus longiores, quorum ſuperiores ſenſim breviores.

*Calyces* erecti, acutiuſculi.

*Corolla* infundibuliformis, caerulea, calyce multo longior. *Tu-*

*bus* ſuperne ampliatus, deſinens in *ſquamulas* 5 parvas planiuſculas lanceolatas acutas.

*Limbus* erectus, tubo amplior.

*Filamenta* cum ſquamis alternantia iisque breviora. *Antherae* lineares, ſagittatae, erectae, ſquamis longiores, at limbo breviores.

*Arilli* ſcabri margine crenulati.

4. Cynoglossum criſtatum.

Cynoglossum arillis ovatis muricatis: limbo glabriuſculo dentato.

Cynogloſſa altera media fructu cotylodes ſive lychniodes *Columm. Ecphraſ. I. p.* 177. *t.* 178. *b.*

Cynogloſſum fructu umbilicato *Baub. Pin.* 257. *Moriſ. Hiſt.* 3. *p.* 449. *S. II. t.* 30. *f.* 7. *ex Columna Tournef. Inſt.* 140.

Cynogloſſum Orientale, bugloſſi folio, fructuum bilicato criſtato. *Tournef. cor.* 7.

Habitat in montibus Vulvenſium, prope oppidum Anverſan, inque Oriente locis ſaxoſis apricis.

*Caulis* ſeſquipedalis, erectus, teres, ſetis albis hiſpidus.

*Folia* lanceolata, integerrima, obtuſa, ſetis albis ſtrigoſa, inferiora in petiolos deſinentia, ſuperiora ſeſſilia.

*Racemi* duo terminales, aphylli, divergentes, palmares.

*Pedunculi* breviſſimi, ſecundi filiformes, ſtrigoſi. *Flores* erecti.

*Calycis* foliola erecta lanceolata obtuſa hiſpida.

*Corollae tubus* longitudine calycis, cylindraceus; *limbus* erectus: laciniis ſubrotundis. *Faux* clauſa ſquamulis quinque externe convexis ſulco longitudinali exaratis.

*Stamina* corollae tubo breviora. *Stylus* longitudine calycis.

*Arilli* quatuor ovati, apice ſtylo adfixi, aculeis parvis muricati, circumdati limbo lato laeviuſculo dentato: denticulis acuminatis. *Semina* reniformia nigra. *Calyx* fructus reflexus, arillis brevior.

Corol

Color corollae caeruleus.

Planta a Columna depicta & deſcripta, & a Morisono Bauhinoque recenſita, procul dubio eſt eadem cum noſtra iam deſcripta, ſtructura enim utriusque convenit; hirſuties vero alba mollis, quam Columna plantae ſuae adſignat, a loco producta eſſe videtur.

### 5. Trifolium grandiflorum.

Trifolium ſpicis imbricatis, vexillis ſubrotundis deflexis perſiſtentibus, calycibus pedicellatis, caulibus diffuſis.

Trifolium creticum elegantiſſimum magno flore. *Tourn. cor.* 27.

*Habitat* in Creta.

*Caules* filiformes, pubeſcentes, diffuſi, ramoſi.

*Folia* obovata, glabra, apicem verſus ſerrata, apice rotundata, medio pedicellato, fere *Trifol. ſpadicei*, ſed minora & anguſtiora. *Petiolus* brevis, filiformis, glabriuſculus. *Stipulae* adnatae ovatae, acutae, integerrimae, ſubpiloſae, petiolis breviores.

*Spicae* terminales lateralesque, pedunculis longis nudis inſidentes, nudae, ſubrotundae, compoſitae ex floribus 8. ad 10. maximis, ſubſeſſilibus, erectis, poſt antheſin pedicellatis, deflexis.

*Calyx* glaber, bilabiatus: *labium ſuperius* dentibus 2 minimis ovatis acutis remotioribus; *inferius* triplo longius, ſemitrifidum: laciniis ſubaequalibus ſubulatis acutis approximatis.

*Corolla* ſpadicea: *vexillum* maximum, ſubrotundum, crenulatum; *ungue* cylindraceo, longitudine calycis, obſcurius colorato: macula ovata ſubpellucida inter dentes calycis breviores, aliaque utrinque ad utrumque latus, inter labium calycis ſuperius & inferius. *Alae* patentes, lanceolatae, concavae, vexillo breviores, obtuſae. *Carina* breviſſima.

Ooo 3 6. Are-

6. Arenaria graveolens.

Arenaria foliis ovatis acuminatis petiolatis aveniis, panicula aphylla, caule viſcido.

Alſine graveolens ſaxatilis & verna, foliis lanceolatis. *Tourn. cor.* 17.

*Habitat* in Oriente. ⊙

*Caulis* ſemipalmaris, flaccidus, filiformis, pubeſcens.

*Folia* longitudine internodiorum, oppoſita, petiolata, ſubrotundo-ovata, integerrima, acuminata, ſubcarnoſa, venis fere deſtituta, iuniora pubeſcentia, adultiora glabra.

*Petioli* filiformes foliis longiores.

*Panicula* terminalis, pubeſcens, bis vel ter ſubdiviſa; e medio ſingulae dichotomiae exit pedicellus ſolitarius, reliquis brevior. *Pedicelli* inaequales, pubeſcentes. *Bracteae* breviſſimae ſubulatae acutae pubeſcentes.

*Calyx* lanceolatus, acuminatus, pubeſcens.

*Petala* longitudine calycis, integra, alba.

*Styli* tres.

*Capſula* ovata, obtuſa, calyce longior.

7. Linum arboreum.

Linum foliis cuneiformibus, caulibus arboreſcentibus. *Linn. Sp. pl.* 2. *p.* 400.

Linum arboreum. *Alp. exot.* 19. *t.* 13.

*Habitat* in Creta. ♄.

*Frutex* ramis determinatis angulatis. *Folia* alterna, ſeſſilia, cuneiformi-lanceolata, integerrima, acuminata, glabra, avenia, nervo medio decurrente per ramum ad folium proximum. Punctum glanduloſum fuſcum utrinque ad baſin cuiusvis folii eſt. *Flores* alterni, pedunculati, lutei, magnitudine lini vulgaris. *Calycis* foliola lanceolata glabra ariſtata. *Petalorum* laminae ſubrotundae. *Capſulae* ovato-globoſae, acuminatae.

8. Ga-

8. Galium iunceum.

Galium foliis quaternis cuneiformibus, caulibus acute tetragonis, paniculis coarctatis dichotomis capillaribus.
Galium montanum alterum. *Alp. exot.* 294. *t.* 293.
*Habitat* in Cretae *aridis.*
*Radix* ramoſa, fibroſa.
*Caules* ſesquipedales, trifidi, tum dichotomi, glaberrimi, virides, quadrangulares, angulis elevatis pallidioribus, internodiis longiſſimis.
*Folia* quaterna ſeſſilia oblongo - cuneiformia integerrima apice rotundata, glaberrima, inaequalia, internodiis longe minora, unde planta fere aphylla apparet.
*Paniculae* terminales lateralesque ex alis ſuperioribus, parvae, aliquoties trifidae, tum dichotomae; pedicellis tenuibus tetragonis glabris. *Bracteae* duae oppoſitae ſubrotundae minimae ſingulae ſubdiviſioni paniculae ſubiectae ſunt.
*Flores* minuti, purpurei. *Corollae* quadrifidae, acutae. *Stamina* longitudine corollae. *Fructus* oblongi, glabri.

9. Salvia cretica.

Salvia foliis lanceolatis, calycibus diphyllis. *Linn. Sp. pl.* 2. *p.* 33.
Salvia foliis peranguſtis ſinuatis, longis petiolis inſidentibus, lanuginoſa. *Pluk. Phyt. Tab.* 57. *f.* 1. *ſine flore.*
*Habitat* in Creta. ♃
*Caules* erecti, baſi lignoſi, tomentoſi, obtusanguli.
*Folia* petiolata, lanceolata, crenulata, obtuſa, tomentoſa, rugoſa. *Petioli* filiformes, longitudine fere foliorum aut foliis paullo longiora.
*Folia* floralia ſeſſilia, ovata, integerrima, acuta, concava, ſubtus tomentoſa.
*Flores* verticillati, ſummi oppoſiti.
*Calyx* diphyllus: foliolis ſubaequalibus, ſtriatis, pubeſcentibus: ſuperiore tridentato, inferiore ſemibifido: denticulis ſetaceis.

Co-

*Corolla* calyce longior. *Labium ſuperius* emarginatum, *inferius* trifidum: laciniis lateralibus obtuſis integerrimis; media ſubrotunda crenulata.
*Filamenta* corolla breviora; appendiculis breviſſimis, deſinentibus in glandulam effoetam. *Antherae* oblongae.
*Styli* duo, longitudine labii ſuperioris; *ſtigmata* ſimplicia.
*Semina* 4.
*Calyces* diphylli & ſtyli duo admodum ſingulares ſunt in hac ſpecie.

10. Lobelia Laurentia.

Lobelia caulibus proſtratis, foliis lanceolatis ovalibus, pedunculis ſolitariis unifloris longiſſimis. *Linn. Sp. pl.* 2. *p.* 1321.
*β*. Rapuntium Creticum minimum, flore maculato, folio bellidis. *Tourn. cor.* 17.
*Habitat* in Creta. ☉
*Caules* pollicares, proſtrati, ſetacei, glabri, ramoſi.
*Folia* petiolata, ovato - ſubrotunda, integerrima, obtuſa, glabra (ſed iuniora pilis raris adſperſa.)
*Petioli* radicales baſi dilatati, membranacei; caulini planiuſculi; folio longiores.
*Pedunculi* terminales lateralesque, ſetacei, glabri, longiſſimi, uniflori. *Bractea* una alterave ſubulata ad pedunculos.
*Calyx* Perianthium quinquepartitum: laciniis ſubulatis acutis glabris aequalibus.
*Corolla* monopetala, albida. *Tubus* cylindraceus, longitudine calycis. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis obtuſiuſculis: ſuperioribus duabus erectiuſculis, inferioribus maioribus, patentibus; coeruleo - maculatis.
*Stamina* connata, tubo paullo longiora. *Antherae* connatae.
*Germen* ſubrotundum. *Stigma* hiſpidum, vix ſupra ſtamina prominens.
*Capſula* globoſa.

(*Lipſiae Halam miſſa, d.* 18. *Februar.* 1765.)

*OBSER-*

# OBSERVATIO XCIII.

## Dn. WOLFGANG. IACOBI MÜLLNER.

De

## *Vero & indubitato Vteri prolapſu, unacum brevi Caſus dilucidatione.*

Exemplis, quae rei veritatem exhibent, & circa quae manus Chirurgi ſe compoſuit ad regulas Mechanismi, comprobata iam ſtat ſententia: *Prolapſum uteri vere contingere, nec ad impoſſibilia eſſe referendum*; cui aſſentiti ſunt, Hippocrates, Mangetus, Hildanus, Fernelius, Paraeus, Ruyschius, Saviardus, Plattnerus, Smellius, Monro, Heister, Schenck, & alii plures, quorum enucleationes in *Ephemer. Acad. Nat. Curioſor.* & in *Obſervation. Reg. Acad. Chirurg. Pariſienſ.* lectu dignae proſtant.

Aeque adverſas his partes tenuerunt *Iobus a* Mekern, Rhoonhuysen, Kerkring, Barbette, *van* Horn, Verduk, & alii plures, qui principia theoriae, tantum non experientiam ipſam priorum ſententiae contrariari contendunt, & unanimes obloquuntur: *non poſſibile eſſe, ut Vterus procidat, nec unquam extitiſſe eius prolapſum vere talem;* ſaltem vaginae procidentiam concedunt, prolapſum Vteri vero, ob firmam eius cum vicinis partibus connexionem, pernegant, & eiusmodi corpus ex pudendis feminae propendulum, nil, niſi vaginam Vteri eſſe exiſtimant, prout *Stalpart van der* Wiel in *Obſerv. Cent. I. Obſ.* 68. & *Henr.* Sanden in Obſerv. memorant.

Experientiſſimi & celeberrimi Viri, Per-Illuſtris Büchneri iam olim *Actis medico-phyſ. Nat. Curioſor. Vol. II. Obſ.* 63. inſerta Obſervatio ſe commendat ſagaciſſima huius rei tractatione; ſiquidem etiam celeberr. D. *Abrahamus* Vater in Diſſ. *de Sarcomatis, e pudendo muliebri ſectione ſublati, hiſtoria* paſſim explicatius agit, quo modo & ex qua ratione vaginae prolapſus re-

ſpici poſſet tanquam Vteri procidentia. Ac ſane non diffitendum, priorem aeque ac Sarcomata, Polypos, & horum ſimiles excreſcentias, Chirurgorum cognitionem difficiliorem eoque magis dubiam reddidiſſe, utrumne vere adfuerit Vteri prolapſus, aut an potius vagina tantum prolapſa fuerit; adeo, ut, teſtante IUNCKERO in *Conſpectu Chirurg. Tab.* 27. *p.* 106. exercitatiores nonnulli Medici & Chirurgi in anceps deflecterentur. Inprimis ſolertiſſimus ille LEVRET, in *Commentariis Academiae regiae Chirurgorum, Tom. III. p.* 515, ubi ipſi de polypis Uteri & vaginae ſermo eſt, & in Commentatione peculiari, dilucide & aperte rem explicuit, exemplisque corroboravit; ſicut & TULPIUS, *Thomas* BARTHOLINUS & MAURICEAU talia exhibuere.

Ac quidem, quum plurès in eo conſentiant, vaginam Uteri procidere poſſe, quia ſubſtantia eiusdem rugoſa & fibroſa tenſione & humoribus intus ſtagnantibus relaxata & diſtenta reddi poſſit; vid. VATER in cit. Diſſ. §. III. & *Ioh. van* HORNE *in Microtechn. Sect. II. p.* 1. §. 28. facile utique concipiendum erit, & Uterum inverti & prolabi poſſe, ſicut dudum probatum eſt, qua ratione ligamenta lateralia eiusdem extendi, & ipſaque latiora relaxari queant. Si quando porro colligas rationes, quae exiſtentiam prolapſus vaginae exhibent, & conferas, quae *Alexander* MASSARIAS in Libro de *Mulierum morbis Cap. VI. p.* 230. recenſet; ſi porro verum eſt, affluxum pituitoſi humoris efficere poſſe eiusmodi prolapſum, prout hoc demonſtrarunt *Regner. de* GRAAF, in Libro *de Mulierum organis*, & *de la* MOTTE dans *le Traité des Maladies des femmes*; nec non eundem originem trahere ex obſtructionibus vehementioribus, flatulentia, & continuis preſſionibus in abdomine, quae protrudant vaginam extrorſum: tunc aeque poſſibile erit, matricem, cum eadem cohaerentem, ſimul deprimi & propelli poſſe, quo magis gravitas elabentis Uteri ligamenta extendere & poſt ſe trahere ſolet; quid? quod ſitus, ſtructura & finis, in quem Uterus conditus

ditus eſt, indicant, ipſum maiori inverſioni eſſe expoſitum, quam unquam patiatur ullum aliud viſcerum abdominis.

Stat itaque & huc Philoſophorum dogmati ſua ratio: quasvis ratiocinationes & conſequentias nihil fere valere adverſus experientiam, quae contrarium teſtatur; nec ſane ii, qui Uteri prolapſum pernegant, reluctari poterunt tot repetitis caſibus, & praeter Heisterum, quem olim meum Praeceptorem pia mente recolo, & qui in *Inſtit. Chirurg. Cap.* 157. *p.* 493. hunc Uteri prolapſum comprobavit tanquam teſtis ex ἀυτοψία, ipſa quoque rationis dictamina, rite ſubductis argumentis ex Mechaniſmi natura & indole, veritatem rei confirmarunt, ad cuius quoque amuſſim peritiſſimus Gallus, Sabatierius, *Tom. III. Commentarior. reg. Academ. Gallicae Chirurgor.* p. 361. ſe compoſuit, diſſerens de inverſione Uteri & vaginae, ubi indubitatae fidei exempla prolapſus utriusque exhibuit, & exquiſite de hac re diſſeruit.

Contigit & mihi, Chirurgiam exercenti, plures ſpecies Prolapſus vaginae, & excreſcentiarum eiusdem, nec non polyporum, qui & ex utero prodierunt, ſaepius obſervaſſe. Sed oculis & manibus meis duo tantummodo caſus, Uteri vere & indubie procidentis, ſeſe obtulerunt. Quo vero magis mihi gratulari poſſum, quod praeter plures alias huius indolis obſervationes, *novis Actis Academiae Nat. Curioſ. Tom. II. p.* 138. quaedam de inverſione Uteri inſerere mihi licuerit; eo minus indignum attentione peritorum erit, ſi hac vice rariſſimi ſane exempli obſervationem communicabo, qua verum, proprie talem, & indubium Uteri prolapſum in femina gravida ſiſto, ex quo foetum, in ſitu praeprimis contra naturam exiſtentem, vivum extraxi, addita ſimul methodo, qua tandem medela ſuſcepta & peracta fuit.

*Barbara Hummelin*, civis cuiusdam noſtratis uxor, trigeſimum octavum annum aetatis agens, per ſex annos, ex quo

 duos

duos partu enixa fuit infantes, non amplius gravida, iam vero denuo uterum gerens & per 5. menſes praegnans, ſenſit, ex pudendis tumorem magnae admodum molis prodire & indies augeſcere. Conſuluit hinc vetulas medicaſtras, aliosque imperitos homines, qui malo ſupervenienti mederi poſſent, donec fuerit partui vicina; ſed ſpem fefellit ſiniſter eventus, malo magis magisque increſcente & moleſtiori reddito, adeo, ut verſus parturiendi tempus Uteri collum, prolongatum ad 6. digitorum longitudinem, in forma Coni e pudendis feminae propenderit *a*). Metuens periculum, tandem, ex Medici cuiusdam conſilio, illa octo circiter dies antequam partus tempus inſtaret, meam operam efflagitavit. Deprehendi non ſolum, die 17. Febr. 1764. accedens, adeſſe Uteri deſcenſum, & id, quod propendebat, Uteri collum, ſed & hoc 6. digitos longum, & in diametro $2\frac{1}{2}$ digit. latum, ſimul admodum exulceratum, & hinc illincque maculis gangraenam referentibus affectum. Sciſcitanti mihi, qua ratione mulieri contigerit malum? illa veroſimiliorem aliam non indicare potuit, quam quod, ante aliquot hebdomades aquam e profundo puteo hauriens, in continenti corripi ſe doloribus immenſis in abdomine ſenſerit. Exploranti mihi, quaenam hucuſque ſupervenerint ſymptomata? conqueſta fuit, iam per tres menſes ſe paſſam eſſe in abdomine vehementiora tormina, tenſiones & ſpaſmos ſatis exquiſitos; emiſiſſe urinam quovis tempore vel guttatim, vel inter cruciatus ineffabiles; excretiones autem per alvum ſemper moleſtiores ipſi fuiſſe; & una vel altera temporis vice e pudendis prodiiſſe ſeroſum humorem, cum cruore commixtum. Indagans ipſe, quo modo ſe haberet malum praeſens, exacte deprehendi

a) Prolongationem inſolitam colli Uteri, in *Commentariis regiae Acad. Chirurgor. Tom. II. p. 351.* Dn. Buzos allegat: *Vidi*, ait nempe, *aliquoties*, *Uteri collum digitum unum fuiſſe longum, & ſic ſpeciem vaginae efformaſſe.*

di Uteri orificium internum, licet admodum tumefactum, ita, ut certiſſime contendere potuerim, exiſtere hic verum deſcenſum Uteri cum ſuo collo *b*); eoque id magis, quo digitum manus meae indicem per orificium internum Uteri, in eiusdem collum agere & intrudere potui; & praeter id differentiae, quae Uteri prolapſum, vaginae procidentiam, Sarcomata, & Polypos intercedit, bene gnarus, cum eiusmodi caſus multifariam mihi eveniſſent. Ex gravidi autem corporis forma facile coniectari poterat, mulierem partui maxime vicinam eſſe, quod & ipſa fatebatur, ſe proximis 14 diebus matrem infantis futuram eſſe. Quae cum ita ſe haberent, locum non eſſe arti, bene perſpexi, ut reponere poſſem molem propendentem, ſed fomenta ſaltem, ex ſpeciebus reſolventibus parata, Uteri collo prominenti, applicari curavi, utque poſt aliquot dies certiorem me reddant, quo modo valeret femina, domeſticis inculcavi. Elapſis fere 8 diebus, die 25. Febr. cum illa ſe accingeret ad excludendum partum, meam operam poſtulavit obſtetrix, conquerens, proſtare fere omnia, quae alias in abdomine intus eſſent, & e pudendis parturientis prodire. Advenienti mihi in oculos & manus incurrit quoque uterus feminae in eius ſinu conſpicuus, & extra eundem poſitus *c*).



*b*) Conſpicere licet paſſim in Libris delineationes Uteri prolapſi, quae exhibent eius fundum in fronte. Sed ſaltem id fieri poteſt, ubi Uteri inverſio contigit, nuſpiam vero, ubi deſcenſus vel prolapſus eiusdem, ubi collum & huius orificium ſe conſpiciendum exhibet.

*c*) Eadem die, circa horam 8 antemeridianam, mulier haec in ſuburbium, *Woerd* dictum, ſe conferebat, ubi ipſi res quaedam agenda erat. Rediens, partus doloribus oppreſſa, conſidebat in lapide quodam, uſque dum urbis porta, cultu divino tunc finito, aperiretur. Aedes ingreſſa ſuas circa meridiem, ſenſit augeſcentes dolores, qui uterum protrudebant ulterius, & languentem & cruciatus deplorantem ipſam adveniens deprehendi, ſecunda hora poſt meridiem.

Probe penſitatis, quae in praeſenti ſtatu eſſent facienda, nihil magis neceſſarium mihi viſum fuit, quam mediante arte obſtetricia feminae parturienti opitulari, quo dolores vix ſuſtinendi aliquantum ceſſare poſſent. Immiſi itaque indicem digitum meum in Vteri orificium, quod eodem modo, ſicuti eiusdem collum, admodum intumefactum erat, & animadverti, iam iam aquas ſe ſtitiſſe. Pariter tactu cognovi digitos & manus infantis a tergo membranarum, ſimulque & illos & has in prolongato Vteri collo intruſos eſſe deprehendi. Membranis diſruptis, digitos manus meae dextrae componens ad formam Coni, per Uteri collum eos egi in orificium eius internum valde tumefactum & durum, ac proinde non ita facile, ſicuti ſub ordinario fit partu, extenſionis patiens. Deinde manum ipſam, immo brachium meum intromiſi uſque in fundum uteri, ubi pedes infantis prehendere ſtudui. His arreptis, tandem inverti, uti ars praecipit, foetum, eundemque protraxi, pedes tenendo, per Vteri collum & eius orificium, non tamen absque periculo. Spirabat & vivebat infans, ſed, elapſis aliquot horis, poſt obtentum ſacrum lavacrum, expiravit. Secundinas, praeternaturali modo firmius adhaerentes, ut protrahere valerem, omnem curam & operam caute & provide adhibui, quum naturae moliminibus illae non potuerint relinqui, neque more ſolito attrahi debuerint *d*).

Occu-

*d*) Exiſtimat quidem celeberr. Ruyschius in *Obſerv. XXV.* ſolius naturae ope foetum & ſecundinas, ſi ille vivus eſſet, excludi debere in caſibus, ubi exiſteret Prolapſus uteri; ſi vero mortuus eſſet foetus, eundem manu protrahendum fore. Aſt, ſi Mechaniſmi regulae applicandae ſunt in promovendo partu, tantum abeſt, ut haec ſententia ſit conformis iisdem; ut potius credam, doctiſſimum hunc Virum ſaltem caſum illum intellexiſſe, ubi foetus fuerit in naturali ſitu; ſin enim ſecus, fruſtranea foret naturae opera in eiusmodi caſu Vteri prolapſus. Vid. *Commentarii Academiae regiae Chirurgorum loc. cit.*

Occupatus in protrahendo foetu, & ſolvendis ſecundinis, inſolito modo adhaerentibus, curavi, ut obſtetrix ambabus manibus prolapſum Vteri bene retineret, qua ratione periculo proſpexi, ut ille non ulterius verſus me protraheretur. Quum igitur de vita puerperae res ageretur, & eo allaborandum exinde eſſet, ut Uterus extrorſum prodiens in ſitum ordinarium redigi poſſet, vino calido ipſum fovere iteratis vicibus iuſſi, & tentavi, licet maxima cum difficultate, ut componerem ipſum ita, ut rediret in ſitum naturalem, non attendens periculum, quod ſatis magnum alias repraeſentat doctiſſ. Ruysch in *Obſ. IX.* Retinui ipſum ſic repoſitum manu mea dextra, ſiniſtra interim compreſſas ex linteo efformans, easque vino calefacto immerſas, unam poſt alteram in vaginam intrudens, quam poſtea faſcia quadam, ut impediretur procidentia ulterior, firmavi *e*). Tulit ſane mulier aequo & conſtanti animo hos meos conatus, ſuſtinuitque manuum operationes eo magis patienter, quo faciliores exinde redditi ſunt dolores, quid? quod ſedati, & brevi prorſus evanuere.

Sequenti die, qua inviſebam aegrotam, ipſa, ſe ſatis quiete noctem tranſegiſſe, nec cruciatuum quid, niſi laſſitudinem & artuum debilitatem, ſentire, mihi aſſeruit. Pulſus erat naturalis; emiſſio urinae multo, quam antea, facilior, nec moleſtia ſub excretione per alvum notabatur, quia neque veſica urinaria, neque inteſtinum rectum ab utero procidente premi poterant. Sublata faſcia & ligamine, compreſſas deprehendi cruore nimium

*e*) Equidem, ut praeſens fuiſſet Medicorum quis, vel Chirurgus, operanti mihi, in votis erat, quos arceſſere tamen non licuit ob urgens periculum. Ac fere non poſſibile eſt regulas adſtruere, iuxta quas repoſitio uteri & vaginae rite perfici poſſit. Sola praeſentia animi in Chirurgo, & ſolertia manus optime hic conſulere poterunt, & a ſucceſſu operae pendet vita feminae, nec periculum rei eum deterreat a tentamine & conatu.

um adverſi odoris madefactas, quod tamen effectum putavi a Lochiis. Injecto repetitis vicibus calefacto vino in vaginam uteri, ut abluerem ſorditiem, & defenderem uteri collum admodum alteratum ab accidenti quodam mali ominis, applicari curavi denuo compreſſas vino immerſas, idque veſpera appropinquante iterum repetii.

Bene ſe habere gratulatur ſibi ipſi femina etiam ſequenti die, ſcil. 27. Februarii; ſed ablatae compreſſae adhuc foetoris plenae extitere, hincque ita cum aegrota rem agendam, uti praecedenti die, decrevi, & aeque ligamine firmavi Uterum, quo facto, die 28. Februar. foetor ille deſinere coepit, febriles commotiones vix aderant, nec aegrota, de qua conquereretur, moleſtiae quid allegavit. Continuavi tamen, & eadem, & ſequenti die cum iniectionibus vini in vaginam & uterum ipſum, licet bene gnarus, nihil ſecundinarum & membranarum foetus relictum eſſe, id quod alias iniectionem in Vterum poſtulat. Eiusmodi iniectiones ex partibus aequalibus vini & aquae paratae erant, & per orificium uteri in eundem ipſum dirigebantur, cum illae priores ſaltim ad vaginam eiusdem pertingerent, quo reſidua Lochia, aliaque quaevis immunda & putreſcentia abluerentur. Lochiorum fluxus legitime ſuccedebat, & uterus linteaminum complicatarum ope in ſitu naturali ſuo permanebat, quod ut ulterius fieret, quarta ſeptimana peſſarium quoddam adhibui, ad cuius uſum prius progredi non potui, antequam certus eſſem, collum uteri tumefactum & induratum iam quoad maximam partem in priſtinum naturalem ſtatum abiiſſe, quem felicem rei ſucceſſum calori naturali tribui poſſe perſuaſus ſum. Margo huius peſſarii, ovalis formae, latior erat, quam alias eſſe ſolet, ſicque eius apertura aliquanto anguſtior, ut eo minus collum uteri, adhuc prolongatum, per aperturam hanc prodiret.

Utitur adhuc mulier iſta hoc peſſario, ſine ulla moleſtia & impedimento quoad menſtruum fluxum, qui poſt 4. ſeptimanarum

narum intervallum reſtitutus erat, & quoad negotia rei domeſticae, ſalvaque & incolumis, liberata a periculo prolapſus Vteri, Deo ſoſpitatori indies vota perſolvit. Quod ad medicamenta attinet, illa praeſcripta & adhibita fuere ex ordinatione Illuſtris Viri, Dn. D. TREW, coniuncta ſimul debita & eiusmodi ſubiectis convenienti diaeta.

Proſtant in *Ephemeridibus* Illuſtr. *Acad. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. III. p.* 375, & in *Commentariis Academiae regiae Gallicae Chirurgorum, Tom. III. p.* 368. memoranda exempla, quam proxime ad ſimilitudinem recenſiti Caſus accedentia, de prolapſu Vteri ſimulque cum eo procidente infante, hoc unico excepto, quod eiusmodi inter rariores rariſſimae circumſtantiae cum iisdem non fuerint coniunctae. Quum exempla iſta plus quam vulgaria ſint, & praeter iſta nuſpiam fere eiusdem generis quaedam deſcripta deprehendere potuerim, non abs re fore putaverim, ſi eadem, benevoli Lectoris cum venia, breviſſimis recenſita exhiberem. Priori loco citato mentio fit uxoris cuiusdam civis & tornatoris Norinbergenſis, quae a pluribus iam annis ſaepius deſcenſum uteri paſſa fuerat, & cum partui vicina eſſet, tanto conatu affectam ſe ſenſerat, ut cum utero infans ipſe prociderit. Adeo intumefactus erat ille, ut magnitudine aequarit caput hominis adulti. Obſtetrix in initio accerſita, dubitans quid factu hic opus ſit, Medicum celebrem & Chirurgum advocavit, qui ſtatim cognoverunt, tumori huic incluſum eſſe infantem, nulla alia ratione egreſſum obtenturum, niſi mediante ſectione ſeu inciſione illius tumidi corporis protuberantis, quorum ſententiae etiam duo alii in conſilium vocati Medici ſubſcripſere, unde praedictus Chirurgus, inciſione facta, ilico integrum quidem, ſed iam extinctum protraxit foetum.

Altero loco citato hiſtoria ita exponitur, ut iudicium ſuum ſubiungat Auctor ſequentibus verbis: *Eventus vero huius operationis, qualis etiam fuerit, nobis non adeo ex omni parte probandus*

*eſſe videtur, cum potius illorum opera aberraverit, & qui direxerunt operantem, & qui rem peregere: nam longe faciliori eaque ſimpliciori via infantem producere, & Uterum ſuo ſitui & naturali diſpoſitioni reſtituere potuiſſent.*

Eodem modo & poſterior Caſus, quem exhibent *Commentarii Academiae regiae Gallicae Chirurgorum*, notatu perquam dignum eiusmodi prolapſum ſiſtit. Chirurgus nempe quidam, nomine *Ducreux*, accerſebatur, ut adiuvaret mulierem parturientem. Illa tam gravi dolore affecta fuit, ut alta voce conqueſta ſit paene incredibiles cruciatus, praeſentesque omnes, miſericordia ducti, ipſam deſeruerint, conſilio & arte deſtituti. *Ducretius* rem curatius indagans, uterum in ſinu & extra pudenda prolapſum oculis vidit, & orificium unum digitum transverſum apertum deprehendit, quod relaxavit, & produxit foetum vivum. Porro & aliud exemplum ſubiungit huius tenoris: Obſtetrix quaedam, arte ſua parturienti mulieri nobiliſſimae conditionis opitulatura, tumorem extraordinarium ad inſtar pilae, vidit, propendentem ex illius pudendis. Vteri prolapſum adeſſe credens, Medici conſilium & Chirurgi manum praeſto eſſe poſcebat. *Portalius*, celebris Chirurgus, vocatus, id ipſum rei hic eſſe iudicavit, quod obſtetrix credidit. Animadvertit & ipſe in tumore ſciſſuram, dimidiam lineam longam, ex qua humor ſeroſus & pituitoſus prorumpebat, & hanc internum Vteri orificium eſſe cognovit. Aegrota, prima vice puerperae labores ſubitura, affecta fuerat a primordiis iuvenilis aetatis moleſtia deſcenſus Vteri, quem tamen facile reponere ipſa poterat. Ex intervallo quodam temporis, & quidem, ex quo gravida facta erat, penitus liberatam ſe eſſe ab hac moleſtia credidit, uſque dum moleſtia, poſt conatus ad parturiendum, iterum ſe conſpiciendam dederit. *Portalius* edoctus de his omnibus, conſtituit ſenſim relaxare uterum, ut foetus recipi ex illo poſſet. Difficile id ipſi quidem fuit, & primi conatus, quos fecit, tam vehementes dolores feminae concitarunt,

ut

ut manum ulterius admovere Chirurgus non auderet. Poſtquam autem femina vires collegiſſe ipſi viſa fuit, operationem repetiit, & quidem feliciori cum ſucceſſu. Digitos unum poſt alterum cum introrſum egiſſet, ſufficientem dilatationem effecit, & puerperium feliciter peractum, Vterusque dein bene repoſitus fuit.

Quod ad Caſum, quem benevolo Lectori exhibui, attinet, illum admodum ab utroque recenſito in praedictis egregiis Scriptis differre, ipſe iuſte diiudicabit. Ac quidem, quod priorem attinet, qui Norimbergae contigit, diſſimilis eſt praeſenti in eo, quod debita operatio chirurgica, quae partum promovere debet, minime applicata fuerit, ſed quaſi nodus Gordius in inſtanti per eiusmodi inciſionem diſtrictus & ſolutus; deinde, quod foetus in Vtero demortuus extiterit, & quod non indicatum fuerit, utrumne foetus ſitum naturalem vel praeternaturalem habuerit?

Fere pari modo in Caſu poſteriori, quem exhibent *Commentarii Academiae regiae Chirurgorum*, minus accurata proſtat deſcriptio, illamque circumſtantiam ſilentio praeteriit Auctor obſervationis, in quonam ſitu, utrum naturali, an adverſus naturae ordinem, infantes fuerint, & quo modo ſe res habuerit cum Vteri collo prolongato & tumefacto?

Obſervatione itaque attentiori dignus erit Caſus, quem oculis tuis ſubmiſi, benevole Lector! quum 1.) ne quidem opus fuerat, inciſione in Vteri collo tam elongato & tumefacto; ſed 2.) ſola manus & ſolertia Chirurgi emollierint orificium hoc coarctatum, & ſibi viam in Vteri fundum paraverint; 3.) ſicque foetus, licet ſitus eius fuerit praeter naturae ordinem & multum periculi minitaretur, dum brachiolum eiusdem in elongato Vteri collo admodum compreſſum eſſet, per inverſionem ſolitam protrahi debuit, ut pedes infantis primo prehenderentur; non minus quoque 4.) Secundinae, quae extraordinario

rio modo adhaeſerunt, protrahendae fuerint; & tamen 5.) durante operatione Chirurgi, partus vivus fuerit, nec extinctus, & 6.) aliquot horas poſt impertitionem S. Baptismatis vivus ſervatus fuerit; tandemque 7.) Uterus ipſe ſine ulla ſuperſtite moleſtia ita feliciter fuerit repoſitus, ut adhuc, de quo teſtari poteſt univerſa Civitas, ſana & vegeta ſit haec mulier, & bene valeat, operis domeſticis, ut antea, defungatur &, quocunque velit, ſine ullo impedimento progredi poſſit.

Quousque Chirurgiae practicae operam dedi, id tutiſſimum certiſſimumque ſignum animadverti, ex quo Vteri deſcenſus, & eius Polypus cognoſci, & differentia inter utrumque dignoſci poſſit, quae alias facile oculos Chirurgi, qui minus ad omnia attendit, fallere poteſt, quod ſcilicet Polypus, cum plerumque ex praecedente defluxione ſanguinis, vel etiam fluore albo oriatur, reductionis & repoſitionis nunquam ſit capax, & tentamina, quae id efficere deberent, mulieri cauſa immenſi doloris evadant, qui in repoſitione Vteri multo tolerabilior eſt. Et licet tumor, ſub quo Vterus latet, pyriformis ſit; differt ille tamen a tumore ex Vteri debilitate orto & in eo quoque, quod eius maxima pars ſit ſimul infima, & extremitas illius non ſit perforata apertura quadam oblonga & in transverſum tendente.

Peritorum in arte iudicium aequum determinabit, quid praeſtitum fuerit a me in Caſu praeſenti, & quale pretium ſit ſtatuendum operae meae. Eorum criterio & hanc opellam ſcriptam ſubmitto, & aſſenſum obtinebo, me ſaltem eidem, quod natura producere nonnunquam ſolet, hunc quoque rariſſimum addidiſſe caſum, qui ſui ſimilem non adeo facile habere poterit. Ceterum epiphonematis loco ſint mihi egregia illa *Chriſt. Io.* LANGII verba, quae proſtant in Oper. Part. II. Cap. XXIV. §. 2. p. 163. *Peccant & antiqui, dum omni tempore vere deſcendere Vterum non credunt; peccant & recentiores, dum omnino prolapſum Vteri negant.*

(*Norimberga Halam miſſa, d.* 4. *Mart.* 1765.)

*OBSER-*

## OBSERVATIO XCIV.

# Dn. D. PHILIPP. BERNHARD. PETTMANN.

### De
### *Foetu in utero, ſine cranio & cerebro, vivente & ſe ſe agitante.*

Sine cranio & cerebro naſci infantes, novum non eſt: ſine cerebro autem, vitae motusque fonte, foetum in utero ſe ſe agitare, & novum & mirum mihi videtur.

En! certiſſimam eiusmodi caſus & brevem hiſtoriam. Ante hos ſex menſes, parturienti foeminae opem laturus, accerſor; advenienti mihi obſtetrix, ſatis perita, ſtatim retulit, infantem in praeternaturali in matrice ſitu poſitum pedibusque praevium eſſe, cuius rei exquirendae cauſſa, ipſe manu puerperam exploravi. Orificio uteri tunc non ſatis aperto, ut partus accelerari poſſet, manum per aliquot horae minuta quiete in illo continui. Hoc facto, ſemel iterumque pedes movebat infans, & hinc non ſolum indubia vitae ſuae dabat documenta, ſed etiam ſatis valida vi ſeſe movit agitavitque. Sine dubio hanc ob cauſſam vivum infantem, ruptis membranis, naſciturum eſſe mihi perſuaſi, qua ſpe vero poſtea prorſus excidi. Foetus enim, ſimulac utero excluderetur, ne minima quidem, & vitae, & motus, exhibuit indicia, ſed oculis ſemiclauſis mortuus iacuit immobilis. Puer ſeptem tunc menſium, nullo alio conformationis vitio praeditus erat, niſi quod cranio penitus, & cerebro fere, careret. Tenuis enim baſin cranii inveſtiebat membrana, ne veſtigio quidem cerebri, ſi parvam cerebelli excipias portionem, relicto. Mirum hinc videtur, qua cauſſa foetus in utero vivere moverique potuerit, cum in lucem editus,

ſtatim extingueretur? quaeſtio ſane ſatis digna, cui rimandae Phyſiologus operam navet.

Pauca hinc proferam, plura ſublimiori ingenio relinquendo. In cerebro elaborari ſpiritus, & per nervos ad muſculos ferri, vitam motumque membris praeſtare, omnes hodie conſentiunt. Cum vero foetus noſter, neque cerebrum, neque fluidum nerveum, in eodem ſecretum, habuerit, me non monente apparet, in exigua illa cerebelli portione annexaque medulla ſpinali, in hoc infante ſpiritus animales elaboratos fuiſſe, & vitae motusque cauſſam extitiſſe. Nec mirum etiam eſt, hunc foetum, utero excluſum, ſtatim vita fuiſſe privatum. Quoniam enim infans extra uterum ſine reſpiratione vivere nequit, patet exinde, hunc puellum, partu ad reſpirandum excitatum, illico ſuffocatum fuiſſe, admodumque probabile videtur, quod, quoniam ſub inſpiratione & exſpiratione liber ſanguinis motus, tum in encephalo, tum in pectore requiritur, in hoc infante, oborto primo inſpirationis niſu, indeque facta pulmonum expanſione, ſanguis ad caput propulſus ibidem libere progredi & diſtribui non potuerit, ſicque mors inevitabilis accelerata fuerit.

## *OBSERVATIO XCV.*

## Dn. D. PHILIPP. BERNHARD. PETTMANN.

### De
### *Scrofula interna ſubito ſuffocante.*

Foemina nobilis, ſexus & generis ſui ornamentum, habitus corporis & temperamenti ſanguinei, iam unius infantis mater, iterum uterum gerens, circa finem graviditatis graviſſimo dorſi dolore affligitur. In quovis maximi doloris inſultu, oculi, invita muliere, convulſi, hinc inde moventur, & ſpina dorſi.

dorſi, quaſi lancéa transfoſſa, immaniter dolet. Ego, tanquam obſtetricius Medicus accerſor, ut opem parturienti ferrem. Vteri orificium digito explorans, clauſum os tincae invenio, adeoque partum non inſtare praedixi. Remediis variis & enematibus emollientibus adhibitis & iniectis, Venaeſectio per duos dies & inſequentes noctes, quaternis vicibus fuit inſtituta. Quae cuncta vero levarunt quidem, non autem ſuſtulerunt malum. Hinc ſubito partus doloribus correpta, gemellos, & cito & feliciter peperit. Mane, poſt partum, de nullo amplius dolore conqueritur, ſtigmata rubra vero, erumpentibus Variolis ſimilia, in facie puerperae hinc inde notantur.

Febricula continua comitans, metum eiusmodi morbi augebat, cum eundem nondum perpeſſa fuerit puerpera. Maculae rubrae poſtea magis in facie prodeunt, manus pectusque obſident, & , ut brevi dicam, aegrota Variolis corripitur. Omnia tunc fauſta procedunt, lochia bene fluunt, exanthemata ſub modica febre per totum corpus efflorescunt, & ſine ullo medicamento aſſumto puerpera reconvaleſcit. Gemelli autem, eodem morbo, durante matris puerperio, affecti, ambo pereunt. Superato hoc malo, aegrota, licet poſt aliquod tempus nova febre peripnevmonica correpta fuerit, bene tamen convaluit.

Elapſo anno autem, cum iterum gravida eſſet haec foemina, collum eiusdem apparet tumidum, & aſthmate ſat moleſto, & interdum recurrente, affligitur. Venaeſectione hanc ob cauſſam ſaepius inſtituta, & medicamentis variis adhibitis, tamen ſemper in eodem ſtatu permanebat dirum mali genus. Hinc inſultus aſthmatici uterum ferenti iterum ſumme moleſti, cum ſuffocationis metu ſaepius recurrunt, & imminentem mortem miſerae praeſagiunt. Circa noni enim graviditatis menſis initium, mane repente expergefacta, aquam gelidam, conſuetum alias contra ſuffocationem remedium, poſcit, & faucibus quaſi conſtrictis, ſubito cum foetu in utero miſerrime periit.

Poſt

Poſt meridiem, ut morbi & repentinae mortis cauſſam inveſtigarem, cadaver diſſecui. Aperto pectore, pulmones magis lividi, ſine omni autem alia labe, apparebant, & inde ſuffocationis ſuſpicionem quidem movebant, non vero certitudinem demonſtrabant. Et dum poſtea medii ventris cavum ſollicite perſcrutarer, in eiusdem parte ſuperiori tumores duos inſolitos, ad pugni magnitudinem in pectoris cavitatem protuberantes, offendi. Vt igitur omnia rite luſtrarem, omni cura cutem cum muſculis colli removi, & coſtas ſuperiores cum claviculis & ſterno cultro abſtuli. Quo peracto, morbi praeteriti mortisque cauſſa manifeſto in conſpectum prodibant, ſiquidem glandula thyroidea, praeternaturaliter aucta, in duos quaſi lobos diviſa, ad ſpithamae longitudinem, & trium fere digitorum craſſitiem aſperae arteriae in utraque parte colli adiacens cavumque pectoris ſub utraque coſta ſuperiore penetrans, ita tracheam ſub ſterno compreſſerat, ut irruenti aëri omnis praecluderetur aditus. Manifeſto ergo inde patet, unde originem traxerit colli tumor, & ſaepius imminens in vivente ſuffocatio, hiante nempe adhuc, ſub mitiori malo, aſpera arteria, qua vero poſtea penitus compreſſa, reſpiratio ſublata mortem neceſſario intulit.

Tumida glandula undecim uncias pondere aequabat, & aſperae arteriae ad unum digitum ſibi invicem appreſſi circuli, in morte etiam contigui manebant. Foetus, quem utero exſecare ſtatim poſt mortem matris non licuit, maturo ſimilis erat, & faciem non oſſi ſacro, ut olim creditum fuit, ſed ſiniſtro matris lateri, habuit adverſam, eundemque, quem celeberr. D. Smellie, in ſuis *de Arte obſtetricia* Tabulis, depingi curavit, naturalem ſervavit ſitum. Cuncta haec demortuae Medicus ordinarius, Dn. D. *Io. Phil.* Burggrave, aeternum Francofurtenſium Medicorum decus, vidit, & mecum triſtiſſimam generoſae foeminae mortem acerbe tulit.

*OBSER-*

# OBSERVATIO XCVI.

## Dn. D. PHILIPP. BERNHARD. PETTMANN.

De

## *Salivatione ſpontanea, cum profundo linguae ulcere, mercurio ſublimato feliciter ſanata.*

Neminem, niſi Medicinae plane expertem, fugere poteſt, immortalem BOERHAAVIUM, prudentem mercurii ſublimati, in morbis deſperatis, uſum commendaſſe; quod & ſapienti conſilio factum fuiſſe, ſemper mihi perſuaſi. Sibi quidem relictus mercurius ſublimatus, eſt & manebit fortiſſimum venenum, brevi noſtrum corpus deſtruens; multa aquae, & ſufficienti lactis quantitate autem mixtus, non eſt venenum, ſed tanquam potentiſſimum diſſolvens conſiderari debet. Particulis corroſivis enim ſic maxime disiunctis, & lactis oleoſa parte obductis, eiusdem vis ſolida ſtimulans maximam partem aboletur, ingens reſolvendi potentia autem manet ſemper, moleculis licet vehiculo praedicto maxime diffuſis. Acidae enim minerales particulae, minimis mercurialibus moleculis ſemper maritatae, ſumma, qua pollent, ſubtilitate, maſſae ſanguineae globulis adhaerendo penetrant, eosque diſſolvunt. Mercurius ſublimatus vero, cum ſit vehementiſſimum ſal metallicum, ſalia univerſa vero effectum non edant, niſi ſoluta, maiori autem & nociva vi non agant, niſi ſint concentrata, me non monente clarum eſt, ſi maxima liquidi copia dilutus exhibeatur mercurius ſublimatus, ſine noxa illum dari & cum fructu interne uſurpari poſſe. Simili fere modo ſpiritus minerales acidi, e. g. nitri, ſalis, vitrioli, &c. per ſe venena, magna aquae copia autem temperata, ſaepius ſalutaris ſunt medicina.

Haec dum affirmo, illam, quae noſtra tempeſtate eſt, litem componere nolo, an nempe mercurius ſublimatus in curanda Lue venerea ſalivationi mercuriali praeferendus ſit? dies enim, & Medicinae mater, experientia, optime tandem monſtrabunt, quale pretium utrique medicamento ſtatuendum ſit. Id ſaltim nunc probare contendam, mercurium ſublimatum, dicto modo aſſumtum, non ſolum innocue dari, ſed etiam in quibusdam caſibus, ubi ſalivatio non cienda, maſſa humorum autem tranquilla magis poteſtate ſolvenda eſt, ſummo cum emolumento aegrotantium offerri poſſe. Aſſerti veritatem ſequens morbi conclamati demonſtrabit hiſtoria:

Obſtetrix quinquaginta annorum, bonae indolis, &, quantum mihi conſtat, ſemper caſtae vitae, ante quatuor, & quod excurrit, annos, parturienti militis uxori opem latura advocatur. Contagium venereum tunc minus metuens, libere parientis foeminae genitalia attrectat. Brevi poſt partum tempore, apex digiti annularis ſiniſtrae manus, cui antea vulnuſculum erat, tumet, inflammatur & maligne ſuppurat. Hinc varia adhibentur emplaſtra, iniectione balſamica ulcus mundatur, ſed trahitur in longum morbus, nec debitis remediis cedit.

Tunc temporis maculae in ſuperficie corporis aegrotae erumpunt, & exſiccatis decidunt ſquamis. Manuum volae & narium pinnae, ſcabioſis ulcuſculis obſidentur. Aegrota, an Veneri litaverit, omni modo examinatur, ſed ſanctiſſime affirmavit, ſe ſemper integrae fuiſſe vitae ſcelerisque puram. Morbus, in loco contagii, digito nempe, primum ſe manifeſtans, dictis fidem, etiamſi non omnem, adtulit. Salivationem mercurialem igitur aegrotae commendavi, quam vero, ob teneram valetudinem, & ſemper inquietum vitae genus, recuſavit. Praeterea in oeſtro venereo non acquiſitum venenum, facilius vinci & a me curari poſſe, mihi ipſi perſuaſi. Itaque decocta ex radicibus & lignis antivenereis, cum aliquot granis mercurii,

quo-

quotidie in uſum vocabantur; quo facto digiti tumor cum ulcere evanuit, & brevi temporis ſpatio ſymptomata venerea omnia diſparuere. Dum haec fiunt, ex improviſo foemina dolore lateris pungente, febricula continua comite, affligitur. Venaeſectione in latere affecto inſtituta, ſanguis inflammatus proſilit & de inflammatione interna teſtatur.

Primo igitur novi huius morbi inſultu medicamina priori morbo dicata, utpote huic minus congrua, ſtatim omittebantur, & pectoralibus in uſum vocatis, iterum aegra convaluit. Superato & hoc malo, nulloque ſymptomate venereo reliquo, medicamenta mercurialia non amplius uſurpabantur. Hoc eo magis tunc neceſſarium videbatur, cum de tuſſi & difficili ſpiritu, poſt morbum praegreſſum, ſubinde conqueſta fuerit aegrota. Interim per ſat longum tempus ſatis bene valuit, ſi tuſſiculam & reſpirationem moleſtam, interdum affligentem, excipias. Appropinquante autem anno aetatis quadrageſimo nono, iterum Ictero laborat, & de obtuſo capitis & artuum dolore interdum conqueritur.

Circa quinquageſimi aetatis anni initium menſes, antea ceſſare iam incipientes, fluere deſinunt. Et dum aegrotae vires fere deficiunt, ſputo frequenti, nauſea & moleſta in hypochondriis ſenſatione corripitur. Haec dum de viſcerum ſtatu minus integro teſtarentur, varia remedia aperientia adhibebantur; omnibus autem incaſſum tentatis, cuncta in peius ruebant. Namque miſera pallebat, contabeſcebat, & ſalivam in tanta quantitate & qualitate per diem & noctem reiiciebat, ac ſi mercurio ad excitandam ſalivationem uſa fuiſſet, de quo tamen tunc ne granulum quidem aſſumſerat. Nihilominus ſputum, cum ingrato in hypochondriis ſenſu, continuabat, & continua tuſſis, cum reſpiratione difficili, de funeſto viſcerum ſtatu certiorem me fecerunt.

Eo tempore aegra in parte linguae poſteriori & inferiori parvam foveam digito animadvertit, quae prius quaſi neglecta, mox ſummum periculum vitae adtulit. Siquidem continuo quaſi aucta, dum ſollicite contemplatur praedicta fovea, magnum calloſum lingua ulcus, & adeo profundum ſiſtit, ut eius cavum digitum admitteret illiusque in imis faucibus finis conſpici non poſſet. Inſuper deglutitio fit ſumme difficilis, & aegrota, ſputo continuante, ſemper magis debilitatur. In his rerum anguſtiis omni conſilio irrito, primum cogitare coepi, an non venerei quid, in corpore olim relictum, linguae ulceris fortaſſe fons & origo fuerit. Probe autem tunc ſimul perſpexi, ſi hoc eſſet, mercurium crudum & praeparatum dulcem tunc non indicari. Cum enim tota humorum maſſa, viſceribus corruptis, iam nimis diſſoluta fuerit, ſalivatio per mercurium aucta, aegrotae, viribus iam nimis exhauſtae, ſine dubio mortem adtuliſſet. De remedio igitur tunc cogitavi, quod ſalivam non moveret, maiori pondere humores non exagitaret & magis colliquaret, tranquilla vero, ſatis tamen efficaci poteſtate, dirum malum expugnaret. Mercurio ſublimato uti hinc animus fuit, nec obſtabat remedii, in conclamato fere malo, periculum, cum dubia ſalus certiſſimae morti, & anceps medicamentum ſemper nulli praeferendum fuerit. Frumenti ſpiritu autem, quo ſolvere ſublimatum mercurium docuit Illuſtris *van* SWIETEN, deglutitioni & pectori in hoc caſu inimico & contrario, illius loco aquam Plantaginis ſumſi. Mixturam igitur, ex eiusdem aquae unciis quatuor, Mercurii ſublimati granis duobus, & Syrupi Capillorum Veneris uncia una conſtantem, quotidie ad duo cochlearia in uſum vocavit aegrota, & multum aquae hordei decorticati, cum quarta parte lactis mixta, deſuper bibit, in prandio autem ciborum loco, ſola iuſcula farinacea & lacticinia aſſumſit. Quo facto, & ulcere mediante gargariſmate, cum melle Roſarum mixto, ſubinde abſterſo, ſalivatio pedetentim imminui, ulcus autem ſaneſcere coepit, & circa quar-

tam

tam ſeptimanam, ex orci faucibus quaſi erepta foemina, priſtinae valetudini reſtituta fuit.

(*Francofurto ad Moenum Halam miſſae*, *d.* 12. *Mart.* 1765.)

## *OBSERVATIO XCVII.*

## Dn. D. GODOFREDI GVILIELMI MÜLLERI.

### De

### *Conſtitutione Inteſtini coeci, ad Obſervat. LXI. Tomi I. Actor. novor. phyſico-medicorum.*

Ex quo Obſervatio iſta, de ſingulari Concreto oſſeo per anum eiecto, mihi contigit, optavi, me de veritate ſententiae meae, quod illud Concretum oſſeum in fundo globoſo inteſtini coeci fuerit prognatum & excultum, caſu dato per inſpectionem anatomicam certiſſime fieri convictum. Quem in finem ſaepius de vita, moribus & morbis Viri, ſeu corporis noſtri delicti, inquiſivi. Ex inopinato mihi relatum fuit, illum febre acuta periculoſe decumbere, omnia medicamenta averſari, eoque ſub morbo mox ipſam obiturum eſſe mortem; id quod etiam brevi poſt factum eſt. Ob varia impedimenta impoſſibile erat cadaveris integram ſuſcipere ſectionem, contentus ſaltem, quod permitteretur abdomen cultro anatomico incidere, inteſtinum coecum inquirere illudque feſtinanter & furtim, prope Ilei ingreſſum, cum portione Coli reſcindere & auferre, prout illud in Tabula adiecta XI. ante oculos hic ponitur.

Obſervatio, quam in Tomo I. novorum Actorum phyſico-medicorum pag. 241. communicavi, amplius de dicto concremento oſſeo tractat, idque depictum proponit in quatuor figuris. Formam ibi habet Coni irregularis cum tribus protube-

rantiis, duabus nimirum in baſi, una vero in apice, & duabus inciſuris, quarum una maior, baſin in medio profunde incidebat, altera minor protuberantiam ſiniſtri lateris in longitudinem dividebat.

Inquiramus nunc, an Conus iſte irregularis a fundo globoſo coeci partim ſecundum figurationem externam in Fig. I. *a a a*, partim ſecundum internam Fig. II. *d. e. f. g. h.* veram formam non acquiſiverit? Mollis enim ille naturae (convolutum ſcilicet abraſarum per morbum tunicarum inteſtinalium) ab hoc fundo, quem occupabat, concinnavit talem, quam & indureſcens & compactum retinuit formam & impreſſiones, ut ovum ovi ſimilitudinem.

Specialius ſi accurate conſideramus formam ſacci infimi Coeci Fig. II. *g*, hic figuram verticis (vid. Fig. I. *b*. Tom. I. cit.), & porro formam baſeos ibidem (Fig. I. & II. *a a.*) cum portionibus lateralibus *c c.* haecce figuram fornicis Fig. II. *d d.* exactiſſime adaequabunt. Quin imo ligamenta, fundum globoſum Coeci continentia, & in fornice *e e*, & in ſaccis *g h h*, inciſuras in Fig. I. *d d.* & II. *a b.* Tom. I. indicatas, conciliaverunt, ita ut inciſura maior & ligamento fornicis *e e* & minor alterius ſacci valvula connivente ſit inflicta & impreſſa, agente ſimul ligamento meſocolico Fig. I. *e f.* & prohibente, ne contentum & in clauſura detentum ſe extricare & emancipare poſſit.

Ceterum ſingularem attentionem meretur Rima iſta, in anteriore membrana valvulae Bauhini Fig. II. *n.* conſpicua. Per hanc enim liber & commodus in - & egreſſus ex ſacco Coeci in Ileon, & vice verſa, patet, & cum haec ſit contra naturalem ſtructuram, quaeritur, an forſan a pondere & niſu Concreti noſtri oſſei verſus hanc membranam haec rupta fuerit & illius excluſionem per Colon adiuverit? Quin imo, ſi a natura ita rima formata, an ingreſſus & diſpoſitio membranarum abraſarum in morbo dyſenterico per hanc non ſit facilitata?

*Ex-*

*Explicatio Figurarum Tabulae XI.*

Fig. I. repraeſentat Inteſtinum coecum cum parte Ilei & Coli ex Viro deſumtum, de quo Obſervatio LXI. Tom. I. novor. Actor. agit.

aaa††. Inteſtinum coecum, quod per plicam inſignem †† à colo diſtinguitur.

bb. Portio Coli.

c. Inteſtini Ilei ingreſſus in colon.

d. Proceſſus vermiformis, fundo Coeci adpoſitus, tortuoſus prope ingreſſum in Coecum.

ee. Plica magna, quae per ligamentum meſocolicum naſcitur.

f. Spatium triangulare, quo quaſi includuntur expanſiones ligamenti dicti.

Fig. II. Inteſtinum colon & coecum apertum, inciſis & reclinatis coeci portionibus.

a†† Portio Coli per membranaceam productionem ††, ex partibus vinculum valvulae Bauhini conſtituentibus compoſitam, a coeco diſtincti.

b. Inteſtinum Ileum, prope eius ingreſſum in Colon.

c. Proceſſus vermiformis cum meſenteriolo ſuo.

dd. Explicatae & reclinatae fornicis Coeci portiones, in quibus

ee. ſuperſtites portiones notabilis & validi ligamenti, ſuperiorem Coeci partem ceu fornicem continentis, diſciſſi.

ff. Eiusdem generis ligamentum, ſeu valvula connivens, ſaccum infimum a duobus lateralibus Coeci ſeparantem.

g. Saccus Coeci infimus.

h. h. Duo

h. h. Duo ſacci laterales, per parvam valvulam conniventem diſtincti.

i. Ingreſſus appendicis vermiformis c. in ſaccum alterum *b.* per notabile foramen parva valvula tectum.

k k. Ingreſſus Ilei, ſeu longitudinalis fere transverſa & utrinque in angulum acutum deſinens rima, quae per

l. membranam anteriorem in hoc ſubiecto duplo longiorem & latiorem, quam

m. membrana altera poſterior, dirigitur. In hac membrana

n. Rima ſingularis, alias inſueta & nondum obſervata, hic viſitur, cultello quaſi inciſa, per quam ſine ullo impedimento ex Ileo feces inteſtinum coecum ingredi potuere.

o o. Vincula valvulae Bauhini, ex duabus membranis *l. m.* conflata, *Tulpiana* dicta, quorum dextrum altius procedit ſiniſtro, &, ut dictum, productionem membranaceam †† ſimul efficit.

## OBSERVATIO XCVIII.

## Dn. D. GODOFREDI GVILIELMI MÜLLERI

### De

### *Raro Unguium morbo.*

Experitur, absque ullo praegreſſo morbo notabili, ſi excipias Colicam haemorrhoidalem, vexatus Vir 48. annorum, temperamenti ſanguineo - cholerici, ſimul & ſemel in apicibus manuum digitorum inflammationem ſubcutaneam, cum dolore acerrimo, ardore & pulſatione, tumore & rubore manifeſto circa radices unguium, & tandem collectione puris.

Ex-

Externa emollientia pus ibi collectum per radices, per latera & per extremitates unguium brevi poſt elicuerunt, cum inſequente totali ſeparatione partis corneae à corpore papilloſo ſubiecto. Nec cornea recrevit, ſed corpus papilloſum reticulam quaſi cutaneam obtinuit, quae valde ſenſilis recedit exſiccata, ab aëre non defenſa, & finditur in lamellas, ſenſu excitato moleſtiſſimo, & calloſis tuberculis exaſperatur. Idem paullo poſt & in unguibus pedum cum iisdem ſymptomatibus accidit, & cum partis corneae integra abolitione. Multa propterea adhibita fuerunt medicamenta interna & externa, & cum aeger eiusque cognati hoc malum a faſcino derivare voluerint, per artem magicam varia fuere attentata: omnia vero incaſſum! Ad levandum ſaltem ſenſum moleſtiſſimum varia etiam ſunt tentata, inter quae magis profuit butyrum recens, fruſto veſicae illitum leve, molle corpus papilloſum reddens & a fiſſuris defendens. Iam duravit morbus per 25. annos, ac dolentem ne publice incedere & officiis domeſticis fungi impedivit, aliis morbis, praeter fluxum haemorrhoidalem periodicum, ceterum expertem. Accidit abhinc elapſis decem annis, ut ope unguenti & emplaſtri, ſi fabula vera, ab Empirico dati, cornea pars unguium celeri incremento in integrum fuerit reſtituta; ſed hoc auxilium ad exiguum duravit tempus; obortis enim & generatis una ſaltem vice unguibus, de novo emoriuntur, & ulterius ad hos regenerandos ſpes omnis deficit, dum in priſtinum antiquum morem iterum degenerarunt.

Notatu dignum, quod, praeſente decremento unguium, incrementum capillorum ſingulare & inſuetum ad hunc diem uſque obſervatum fuerit.

(*Francofurto ad Moenum Halam miſſae d.* 12. *Martii*, 1765.)

# OBSERVATIO XCIX.

## Dn. D. IOANNIS FRIDERICI ZÜCKERT.

De

*Inſomniis, ut ſigno in Medicina, Obſervationes nonnullae, cum ſubiunctis de Onirocritica medica meditationibus quibusdam.*

### §. I.

Inſomnia (ἐνύπνια, ὀνείρατα) ſeu clarae vividaeque dormientis imaginationes, miris adeo modis & varietatibus in anima operantur, ut digna ab omni tempore Philoſophorum & Medicorum ſcrutinio iudicata ſint. Tot ſane & tantis ſingularibus phaenomenis ſeſe diſtinguunt, ut, qui ea omnia explorare eorumque cauſſas vult eruere, in latum diſcurrere cogatur campum, multis hinc inde tenebris adhuc obvolutum. Etſi enim Philoſophi diſtincte ſatis atque firmis rationibus, quomodo fiant inſomnia, quae ſit eorum natura, quibus producantur cauſſis, unanimi demonſtrarint conſenſu, multum tamen abeſt, ut conpletam ὀνειρολογίαν ſeu inſomniorum doctrinam, conſtruxerint. Reſtant adhuc obſcura varia, abſtruſa multa, quorum explicatio haud levem futuro forte aevo imponet laborem. Ab eo quidem tempore, quo Philoſophia ſanioribus certioribusque fundamentis ſuffulta eſt, & quo Medici coeperunt huic ſcientiae magis favere, in explicandis ſomniorum cauſſis maiorem hi ipſi navarunt operam, & inſomniorum Pathologiam valde amplificarunt. At enim vero, quod illam Medicinae partem attinet, quae ex inſomniis ſigna ſtatus corporis humani ſumere docet, haec ſane per longam ſeculorum ſeriem nullum fere augmentum cepit, quin potius adeo neglecta fuerit, ut, ſi magni nonnulli Viri eam conſervare non ſtuduerint, *Onirocriticam*

*ticam*, ſeu doctrinam de ſignis ex inſomniis ſumendis, ſuo amplius nomine vix cognoſceremus.

§. II.

Antiqui gentes omne ſtudium in eo poſuerunt, ut inſomniorum ſignificationem perſcrutarint. Hi Onirocriticae ſua dederunt primordia, ad quam *Oniromantia* quoque pertinet, primum ab Aegyptiis, tum a Chaldaeis, Graecis, & Arabibus celebrata, complexum regularum exhibens ex inſomniorum viſionibus praeſagiendi. Experientia enim eos docuit, quod anima in inſomniis ſaepiſſime futuros hominum eventus praevideat, atque vel bona vel mala praenunciet, aut ſomnianti ipſi, aut reipublicae, aut aliis hominibus eventura. Horum itaque temporum Philoſophi et Docti praecipuum ſibi fecerunt negotium, ſingulorum fere inſomniorum ſignificationes exponendi, ut etiam in praeſagio ex inſomniis ſatisfacerent curioſitati populorum, pro ſeculi more nimis credulorum, nimisque omnis generis divinationibus aſſuetorum. Permulti adhuc ad hunc uſque diem exſtant libri, Onirologiae, Onirocriticae, & Oniromantiae titulis inſcripti, quorum vero plurimi fabuloſis & ſuperſtitioſis impleti ſunt figmentis, atque ridiculas & confuſas omnium, quotquot unquam dantur, ſomniorum interpretationes continent. Interim huius ſcientiae utilitatem magnam in Medicina iam ſummus Medicorum Pater, divus ille cognovit HIPPOCRATES, qui egregios nobis reliquit Aphoriſmos de ſignis ex inſomniis, quibus paucos ex propriis obſervatis addiderunt GALENUS, veterumque Medicorum alii. Sed ex recentioribus exiguus illorum eſt numerus, qui *Onirocriticam medicam* ea, qua decet, ſagacitate ſunt proſequuti, firmisque fundamentis ſtabilire conati ſunt. Inter eos, qui hanc Semiotices partem rationaliter pertractarunt, illuſtris Academiae Naturae Curioſorum Praeſes, celeberrimus BÜCHNERUS inprimis eminet, qui in peculiari Diſſertatione, *de Inſomniis ut ſigno in Medicina*, perſpicue

ſpicue ſatis & egregie egit. Nec contemnendae, ſed laudibus etiam dignae ſunt, quas de hac materia *Georg. Wolfgang* WEDEL & *Io. Georg. a* BERGEN ediderunt Diſſertationes. Tum varias quoque in Scriptis medicis invenimus obſervationes de praeſagientibus potiſſimum inſomniis, notatu utique dignas.

§. III.

De Onirocriticae medicae utilitate & neceſſitate breviter hic acturus, ſingulas, quibus ſomnia cieri ſcimus, cauſſas enarrare nolo. Demonſtrabo tantum, inſomnia picturas ſaepe ſaepius eſſe mutationum in humano corpore contingentium; dari inſomnia tum pathognomica, tum prognoſtica in ſano & aegro homine, obſervationibus indubitatis, partim a magni nominis Medicis conſignatis, partim a me ipſo factis, confirmabo; meditationes tandem nonnullas iungam de utilitate & rationali exercitio huius, quae ex inſomniis ſtatum corporis humani iudicare docet, artis. Inſomniorum cauſſas ſi generaliter reſpiciamus, vel in ipſa anima, vel remotius in corpore illas haerere deprehendimus. Quae ex ſua natura absque ulla corporea cauſſa anima producit inſomnia, *naturalia*, minus tamen congruo ſignificatu, nominarunt Antiqui. Omnia enim inſomnia, exceptis ſic dictis ſupernaturalibus, de quibus mox ſermo erit, proxime per animae naturam actuantur, ideoque naturalia ſunt. Mallem ergo huic inſomniorum generi *phantasmatis* nomen, antiquis etiam celebre, imponere. Horum autem, quae ex ipſo quaſi animae fundo proveniunt, originem dant ideae & ſenſationes animae per diem fortiter impreſſae, & reproductiones rerum ſaepius fortiusque ſenſarum. Hinc quicquid anima cupit, ſibi in ſomno quaſi praeſens imaginationis ope repraeſentat. Hinc ideae atque meditationes, quibus interdiu repleta fuit anima, ſopitis ſomno externis ſenſibus, ulterius evolvuntur, per imaginationem varie combinantur, clarioreſque redduntur. Ex his rationibus ille dormiens, qui ſitit, bibere, & qui famem patitur,

patitur, edere ſibi videtur. Inde eruditi haud raro de theſium quarundam, quas vigilantes meditarunt, veritate certiores inſomnio facti ſunt. Timido obiectum, quod timet, ob oculos ſub ſomno verſari; militem ſaepius rixas, contentiones, pugnas agere; opificem de conſuetis diurnis laboribus ſomniare; amicos, qui communem ſortis partem ferunt, de alterutro ſomnia habere; venerem exercere eos, qui cogitationibus amatoriis nimis indulgent; quis eſt, qui ignoret?

## §. IV.

Secundum inſomniorum genus, ratione cauſſarum, ea comprehendit inſomnia, quae a corpore noſtro varie affecto excitantur. Notiſſimum eſt, quod, quicquid corpus in ſomno vehementer alterat, quandam de ſe animae exhibeat imaginationem, & inſomnium faciat. Quodcunque obiectum, corpus noſtrum afficiens, proprium ſine dubio nervis imprimit ſtimulum, quem eundem hi ad animam transferunt, ibique repraeſentationem huic ſtimulo adaequatam & proportionatam excitant, ut itaque tot fiant diverſae repraeſentationes, quot ſunt diverſa nervos concutientia corpora, ſecundum illud Philoſophorum: Animae repraeſentationes determinari pro poſitu corporis. Hinc penitus impoſſibile eſt, inſomnia, reſpectu repraeſentationis rerum, ad certa redigere genera, uti quidem Veteres vano ſtudio anniſi ſunt. Innumeris etiam modis animae repraeſentationes differunt, eaeque interdum quidem imaginem cauſſae aut obiecti, quod corpus affecit, clare ſatis atque diſerte ſiſtunt, utplurimum autem figuris aliis & picturis cum ſomnii cauſſa convenientibus, per idearum aſſociationem productis, adeo complicantur, ut veſtigia confuſarum idearum proſequi nemo valeat. Sufficit nobis, ut Veterum, & inprimis Graecorum, diſtinctionem retineamus, qui huius generis inſomnia, ſi ab externo quodam ſtimulo corporeo, partibus corporis quieſcentis foris impreſſo, oriuntur, *προκατάρτικα*; quae

quae vero ab interna quadam cauſſa, e. gr. a viſceribus laeſis, a ſanguine & humoribus diverſimode vitiatis, ſuſcitantur, προηγουμένα nuncuparunt.

## §. V.

Haec inſomnia ſic dicta προηγουμένα omnem Medici attentionem alliciunt, quum ſtatum corporis humani indicare poſſint. Status autem iſte vel naturalis eſt, vel praeternaturalis. Sequitur inde, ut inſomnia, ſtatum corporis praeſentem indicantia, vel ſanitatem ſignificent, vel de praeſenti morbo aut cauſſa quadam morbifica teſtentur. Varia quidem inſomnia, ſanitatem indicantia, Hippocrates & Galenus adduxerunt, ſed neſcio an infallibilia poſſint haberi, nec aequum ac iuſtum mihi videtur, ad ſingula ſanorum attendere inſomnia, niſi cum ſingularibus & notatu admodum dignis circumſtantiis ſint coniuncta, & animam adeo fortiter concuſſerint, ut e mente vix queant deleri. Plurima autem alia exiſtunt inſomnia, quae, unanimi Medicorum onirologorum conſenſu, cauſſam quandam morbificam, in corpore latentem, patefaciunt, aut de praeſenti quodam morbo aperte teſtantur. Sic primo loco notiſſima res eſt, hominem perfecte ſanum rariſſime inſomniis perturbari, niſi iis, quae ex ideis animae interdiu impreſſis, vel ab externa quadam cauſſa corporea excitantur. Si autem ſanus homo frequentius ſomniat, ſignum certe eſt cauſſae cuiusdam morbificae in corpore latentis, & quae iſte patitur inſomnia eatenus diagnoſin ſiſtunt, quatenus indicant, haerere aliquid praeternaturale in corpore humano.

Porro ex inſomniis abundantiam ſanguinis Medico iudicioſo facile cognoſcere licet. Praecipue familiaria plethoricis ſunt inſomnia de incendio, uſtione, rixis, contentionibus, pugnis; interdum necari, ſuffocari videntur eiusmodi ſubiecta; ſaepe etiam colores flavos & rutilos in ſomno vident. Novi Medicum quendam urbis cuiusdam imperialis haud incelebrem, qui conſtans quoddam inſomnium experitur, quoties ſanguis in illo abun-

abundat. Nimirum tunc caput ſibi detruncari ſomniat; ſeſe in lecto erigit, caput protendit, quo detruncato, corpus reclinat & ſanguinem rutilum copioſe profluentem videt. Hoc illi inſomnium Venaeſectionis inſtituendae ſuaſor perpetuus eſt.

Tertio nullus Medicorum neſcit, ex inſomniis ſigna quoque deſumi poſſe temperamentorum. Sanguineus laeta convivia, choreas, complexus, cantus, alia celebrat. Oberrationes nocturnas, vagationes per ſolitaria loca, ſuſcipit melancholicus, & caligines, tenebras, atros fumos, ſpectra, tetras ſpecies videt, triſtiaque omnia illi in ſomnio repraeſentantur. Aqua, balnea, navigationes, merſiones in aquam, onera gravantia & impedientia, aliaque ſimilia, phlegmaticorum conſtituunt inſomnia. Cholerici fere plethoricorum inſomniis, rapidioribus vero & magis confuſis minusque inter ſe cohaerentibus, perturbantur. Haec omnia temperamentorum quaſi propria inſomnia partim ex ipſa producuntur animae natura, eas facile reproducente ideas, quae illi fortiter inhaerent (§.III.), partim a diverſa ſanguinis & humorum dyſcraſia eorumque circulationis maiori aut minori impetu naſcuntur, ita ut plurima ſanguinei & cholerici inſomnia de ſanguine fervido & acri, in rapidiſſimum motum acto; phlegmatici autem de humorum abundantia & tardiori circulo; & melancholici de humorum ſpiſſitudine teſtentur. Hinc iam GALENUS aſſeruit, bile infeſtari illum, qui incendium aut caliginem, aut fumum, aut tenebras profundas per ſomnium videt. Et HIPPOCRATES praecepit, exceſſum humiditatis ſignificare, ſi quis in ſtagno, aut mari, aut in fluminibus natare videtur.

Ex hac etiam ratione eiusmodi inſomnia hydropicis, cachecticis, leucophlegmaticis admodum ſunt familiaria. Sic plures dantur morbi, quos peculiaria inſomnia comitantur. Generaliter de triſtibus anxiisque rebus agentia inſomnia illos ob tardum humorum circulum vexant, qui chronico laborant morbo. Pavores in inſomniis, in infantibus ceteroquin ſanis, ſigna ſunt

lum-

lumbricorum, aut dentitionis imminentis. Hypochondriaci atque hyſtericae pavore & terrore frequentius turbantur in inſomniis. Turbulentus, anxius imo talis ſaepe eſt febricitantium ſomnus, ut clauſis ſaltim per momentum oculis vix dici poſſit, quot obiectorum imagines menti obverſentur, quod dum fit placide adhuc & moderate, tempus ſomni meris transigitur inſomniis, iisque valde vehementibus.

Annotatu etiam dignum eſt, quod *Io. Georg. a* BERGEN narrat, exemplum de femina, quae, quoties concepit, quod tribus iam factum erat vicibus, toties mira experiebatur inſomnia creſcentium undique ſeſeque circumfluentium aquarum, e quibus non niſi ſub mille periculis & laboribus eluctari ſibi videbatur, quibus tamen extra graviditatis tempus vexabatur nunquam.

§. VI.

Hiſce adductis exemplis uberius confirmatur, quod §. IV. brevi ratiocinio demonſtratum eſt; nimirum inſomnia indicare ſtatum corporis praeſentem, adeoque ſigna ſaepiſſime conſtituere diagnoſtica vel morbi, vel cauſſae cuiusdam morboſae. Tranſeo nunc ad *inſomnia vatidica*, prognoſtica, praeſaga, σημαντικα, quae futuros rerum eventus praenunciant. Talia autem omnino dari inſomnia, multis teſtimoniis, a Viris omni ſuperſtitione & nimia credulitate expertibus exhibitis, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quomodo autem haec producantur, nondum ſatis patet. Nonnulla quidem ex peculiari facultate animae praeſagiendi explicari poſſunt. Alia olim a Deo hominibus inſpirata fuiſſe certum eſt. Verum enim vero plurima praeſagientia inſomnia eius ſunt naturae, ut ſtricte nullam determinare poſſimus cauſſam, quae proxime ea produxit, atque ut non diffitendum ſit, nobis nondum ſatis perſpectam & cognitam eſſe miram animae vim in inſomniis

prae-

praevidendi. Hinc forte eſt, cur Veteres mali praeſertim ominis inſomnia Diabolo tribuerint, atque diabolica ſomnia ſtatuerint. Quae autem a Deo olim, teſtante ſacra Scriptura, Iacobo, Ioſepho, Pharaoni, Danieli, Nebucadnezaro, Pilati uxori, aliisque conciliata erant inſomnia, Graecis ſic dicta θεόπεμπτα, noſtris temporibus non amplius videntur contingere. Ad minimum immediatam Dei revelationem, adhuc hodie hominibus conceſſam, merito in dubium vocamus. Ergo nec divina, nec diabolica inſomnia noſtrae contemplationi ſeſe offerunt; &, licet revera talia exiſterent, quis eſt, qui illorum notas quaſi characteriſticas poteſt demonſtrare?

## §. VII.

Conſiderans ergo inſomnia praeſagientia, eorum originem clare exponere nec volo, nec poſſum. Praeſtat enim in re captum humanum exſuperante ſuam profiteri ignorantiam, quam dubia aſſertione accuratam eruditi orbis incurrere cenſuram. Simpliciter occubabor in enarrandis exemplis huiusmodi inſomniorum. Mitto ea, quae multa Imperatorum fata, multas reipublicae futuras mutationes, urbium, amicorum, aliorumque hominum fata & ſortes praeſagierunt inſomnia, quorum magnum numerum afferunt Peucerus in Libro de *Divinationum generibus*, & Camerarius in *Sylloge memorabilium* &c. quem ego facile augere poſſem, ſi animus mihi eſſet, omnia hic exponere, quae univerſalem Oniromantiam ſpectant. Sed ut meo ſcopo ſatisfaciam, ea tantum in medium proferre conſultum duco, quae ad illuſtrandam Oniromantiam medicam ſuum Symbolum conferunt.

De ſomnio mortem praedicente & mortis ſimul genus indicante, varios habemus caſus. Oporinus, Baſileenſis Typographus, narrante Camerario, epidemica cephalalgia infeſtatus, tredecimo decubitus die, ſomno oppreſſus, diu ſupi-

nus iacuit; tandem, alte deductis ſuſpiriis, hanc edidit vocem: *Bene habet, ſi quis ita monetur.* Interrogatus ab adſtantibus, quid ſibi haec vellent, reſpondit, ſe ſupra lectum per ſomnium vidiſſe, horologium automatum horas ſignaſſe, quibus finitis pondus illud, quo moles impellitur, in pectus devolutum eum excitaſſet. Addidit, ſe quaſi dulcem concentum percepiſſe, quum pondus ipſum incredibili celeritate & pari ſtrepitu elabi viſum fuerit. Senſim inde irrito conatu haemorrhoidum, vomitus, urinae, alvi, vigeſimo die placidiſſime expiravit.

De ſomnio aegrotum amicum mortuum depingente vere vatidico, ut & de ſuffocatione cuiusdam in aqua eodem adhuc die contingente, quo ſomnium iſte de hoc eventu habuit, hiſtorias profert idem laudatus Camerarius.

Duos inſuper caſus, in *Ephemeridibus Naturae Curioſorum Dec. III. Ann. II. Obſ.* 36. *a Ioſepho* Lanzoni communicatos, invenimus, de ſomnio mortem praenunciante. Civis ſcilicet quidam poſt largam ſumtam coenam, & poſtquam frequentia cum amicis miſcuiſſet pocula, valde dormiens, ſe eſſe mortuum ſomniavit. Altero die poſt prandium corripiebatur apoplexia, & intra trium horarum ſpatium moriebatur. Altera viſio contigit plebeiae cuidam mulieri, quae una nocte militantem caſtris fratrem mortuum vidit. Aliquot elapſis diebus advenit miles alius, nuncius mortis, quae abripuit huius mulieris fratrem ea, qua ſomnium ipſa de eo habuit, nocte.

Varia huius generis exempla ex diverſis Auctoribus etiam collegit Burggravius in *Iatrice ominum lethique curioſa*, quorum vero plurima debitam non merere fidem videntur. Hiſce, quas ipſe collegi, obſervationes, addo. Mercator quidam, ab omni ſuperſtitione alienus, ſequens mihi retulit prognoſticum inſomnium. Quum quietus & placido animo, nullis de moribundis aut aegrotis curis turbato, ſe ſomno tradidiſſet, uxorem ſuam

vidit

vidit in ſomnio humi proſtratam, capite ad eius pedes, quos manubus arcte complexa erat; moribundam iacentem. Clamorem vehementem excitat ille, quo ſe ipſum & uxorem prope illum in lecto dormientem expergefacit. Uxor vehementer perturbata, ſuſpirans, narrat marito, non minori terrore concuſſo, ſe ſomnium habuiſſe, quod ipſa, gravi morbo, motus omnes & ſenſus opprimente, ſubito correpta, maritum & infantes magnos eiulatus edere & luctus agere audiverit. Nihil interim mali nec ex uxoris ſomnio, nec ex illo, quo ipſe eadem nocte excruciatus erat, ominabatur. At poſt aliquot dies, dum menſa cum uxore & infantibus ad ſumendum prandium accumbit, haec lethali apoplexia humi proſternebatur, & animam, cum omnibus in praegreſſo ſomnio depictis circumſtantiis, capite nimirum ad mariti pedes proiecto, eosque manubus anxie complectens, exhalabat. Alius Vir literatus, fide admodum dignus, mihi affirmavit, Patrem ſuum de morte mox ſubſequutura per ſomnium fuiſſe certiorem factum, eumque poſtquam uxori ſuae detexerit, brevi ſe moriturum, idque per ſomnium ſibi fuiſſe revelatum, poſt aliquot menſium ſpatium extinctum fuiſſe, & omnia ea eveniſſe, quae fatale iſtud ſomnium antea indicavit.

## §. VIII.

Praeter haec ſomnia, quae mortem indicarunt, alia fuerunt obſervata, quae morbum futurum praeſagierunt, aut remedia curandis quibusdam morbis apta revelarunt. Huc pertinere videntur inſomnia celebrium Medicorum, ARNOLDI de VILLANOVA & GESNERI Tigurini, quorum mox, ubi de recta Onirocriticae applicatione acturus ero, mentionem faciam. Huc quoque pertinet *Io. Chriſtoph.* BAUZMANNI hyſtericae paſſionis admirandum exemplum in virgine, omnem morbi viciſſitudinem ipſamque medendi rationem variis ſomniorum praedictionibus edocta, in *Appendice Ephemeridum Naturae Curioſorum ad*

*Ann. I. Dec. III.* fuſe enarratum. Medicis quibusdam, de remedio, curando atroci morbo apto, anxie cogitantibus, tale remedium ſomnio fuiſſe detectum, varia exhibent teſtimonia. Non autem hoc adeo mirum eſt. Scimus enim, animam cum ſeriis meditationibus ſeſe ſomno tradentem, ideas iamiam excitatas ad maiorem claritatis gradum redigere, & haud raro, ubi ea nullis obiectis externis diſturbatur, omnes ad rei meditandae pertinentes circumſtantias vi imaginationis atque ipſius iudicii adeo acriter perpendere & comparare, ut & difficillimae nonnunquam materiae evolvantur, quae interdiu, ob multas diſtractiones, adeo profunde & intenſe perpendi non ſemper poſſunt. Hinc evenit interdum, ut anima Medici docti & iudicioſi, ſi ſingula ad ſtatum aegroti pertinentia ſibi in ſomno, quieſcentibus externis ſenſibus, repraeſentat, ſi remediorum catalogum percurrit, unum vel alterum remedium morbo conveniens iudicet, quod eius mentem, dum vigilabat, fugit, & nihilominus fauſtum eventum in applicatione largitur. Hinc quoque fit, ut mortem aegrotorum deſperatorum Medici ſaepe in ſomnio praevideant, etſi nondum lethalia ſigna in hiſce aegrotis deprehenderint. Sed hoc utique admiratione dignum eſt, quod ipſis aegrotis ea per ſomnium ſint indicata remedia, quibus poſtmodum a morbo liberabantur. Sic fama fert, MELANCHTHONEM, fluxu oculi pericoloſo, nullis remediis cedente, iam diu laborantem, ſomnium habuiſſe, quo a PHILONE Medico iuberi videbatur, ut Euphraſia uteretur, cuius etiam uſu intra biduum curatus fuit. Plura huiusmodi inſomniorum exempla Tomo primo *Miſcellaneorum medico-phyſico-mathematicorum*, a ſupra laudato celeberrimo BÜCHNERO editorum, inſeruit *D. Chriſtian. Sigmund.* WOLFF.

## §. IX.

Ex hiſce ergo exemplis abunde eluceſcit, dari inſomnia vere praeſagientia, quae mortem, morbos, fata aliorum, pluresque

resque alios eventus futuros praenunciarunt. Quum itaque inſomnia ſaepiſſime ſigna ſatis conſpicua exiſtant ſtatus aegroti tum praeſentis, tum futuri, mirum certe cuivis videri debet, artem ſive ſcientiam onirocriticam ab omnibus temporibus plane fere fuiſſe neglectam. Qui enim poſt HIPPOCRATEM & GALENUM inſomniorum mentionem iniecerunt, eaque ut ſigna in Medicina conſiderarunt, nihil fere novi nec bene triti propoſuerunt, ſed, ſi paucos quoſdam iam citatos Viros excipias, ſimpliciter Hippocraticos Aphoriſmos ſuos fecerunt, nec eos novis obſervationibus & experientiis vel confirmare & extendere, vel corrigere atque a falſis vera ſeiungere cogitarunt. Quae etiam hinc inde paſſim prolatae ſunt inſomniorum praeſagientium obſervationes, adeo utplurimum ſunt imperfectae, ut curioſitatis magis, quam utilitatis gratia conſcriptae fuiſſe videantur.

In tota illa ſeculorum, quae ab HIPPOCRATE ad noſtros uſque dies excurrerunt, ſerie multos ſane & praeclaros numeramus Viros, iudicii, ingenii, & praeſtitorum excellentia immortales, qui, quae olim mere empirica fuit, medicam artem ad ſcientiam dogmaticam extulerunt; qui illam a ſordibus & fecibus repurgarunt, a figmentis, a falſis, plebeiis, ſuperſtitioſis opinionibus atque a praeconceptis praeiudiciis, quibus inquinata admodum erat, liberarunt; qui tot & tantis divinam hanc ſcientiam novis locupletati ſunt adminiculis; qui inprimis Semiologiam adeo reddiderunt perfectiorem, ut non ex pulſus ſolum, ex urinae, reſpirationis excretorum & retentorum variis conditionibus; ſed ex vultu etiam, artubus, naſo, fronte, oculis, lingua, praecordiis, ſigna certa conſtituerint ſtatus corporis humani praeſentis & futuri. Haec omnia ſi mecum perpendo, obſtupeſcit mens mea, quod onirocritica medica & perſpicaciſſimorum ingeniorum attentionem fugerit, haecque ſcientia adeo ſit neglecta, ut, uti non ſatis laudandus

 celeberr.

celeberr. BÜCHNERUS iam monuit, a plerisque Medicis, qui de rebus ad Semiologiam pertinentibus ſcripſerunt, vel parum, vel omnino nihil, de prognoſi ex inſomniis formanda expoſitum deprehendamus.

§. X.

Huius autem negligentiae duas potiſſimum rationes conſtituendas eſſe credo. Prima, eaque maxime ponderoſa, eſt, quod Onirocritica habeatur pro negotio Medico admodum indigno, ſuaque dignitate longe inferiore. Nonne ſuis honoribus, ſuae dignitati, officeret Medicus, ex inſomniis, quid indicent, quid portendant, exponens? Nonne plebi & illis, qui vulgi more ratiocinantur, nova tradet arma, quibus eius perſonam & ſcientiam adhuc magis invadere poſſunt? Ita exclamabunt multi. At his ego: Nihil certe infra Medici dignitatem eſt & eſſe debet, quod ad ſcientiae perfectionem confert; quod illum de ſtatu corporis praeſenti, vel de eventu morbi, certiorem facit; quod morborum, praeſertim abſtruſorum, diagnoſin faciliorem reddit, modo non ipſe iis mediis & adminiculis abutatur, quibus faciliori ſuae cognitioni ſuccurrit. Nullum unquam genuinum Medicum, cui ſalus & humani generis felicitas curae cordique eſt, urinam, ſi neceſſitas urget, inſpicere puduit, & ex eius varia conſtitutione praeſentia quaedam ſigna cognoſcere & aſſerere, vel futura praedicere. Nullus Medicorum erubeſcit, ſi de colore & conſiſtentia fecum alvinarum ex aegroto quaerit. Haec vero negotia, ubi cum examine ſordidarum atque recrementitiarum corporis humani partium occupatur Medicus, multo tamen videntur turpiora & contra dignitatem Medici eſſe, quam negotium onirocriticum. Omnes ſane rationales Medici magnum HIPPOCRATEM, quoad Politiam medicam in Praxi obſervandam, ſtudioſe imitabuntur in aeternum, mirabuntur eius dexteritatem, qua ſemper dignitatem artis cum laudabili omnibusque Medicis commendanda

ſuper-

ſuperbia conſervare atque tueri conatus eſt. Nihilo tamen minus hic ipſe haud turpe iudicavit, Onirocriticam exercere, quin potius magni hanc ſcientiam fecerit, illumque magnam ſcientiae partem noſſe faſſus ſit, qui ſomnia recte diiudicare novit. Ergo nec turpe, nec indignum eſt Medico, ex inſomniis iudicare, modo talia ſuo iudicio ſubmittat inſomnia, quae revera certi aliquid ſignificare poſſunt. Tunc autem omne meretur vituperium omnemque contemtionem, ſi omnia & ſingula velit interpretari inſomnia, absque ullo rationis & experientiae ſolido fundamento. Sic enim mendacii & fraudis ſe reum facit, uti abiecta illa Medicorum gens, quae in omnibus morbis ex inſpectione urinae ſingula ſymptomata, decurſum & eventum morbi, fraudulosis artificiis nimis audacter explicare conſuevit.

Sed alii cuidam mihi occurrendum eſt obiectioni, a Theologis praeſertim motae, ex incertitudine artis praeſagiendi ſumtae, quae omnino ſecunda ratio eſſe videtur, cur neglexerint Onirocriticam. Nimirum, quum, ipſo fatente Galeno, ex inſomniis corporis diſpoſitionem nos ex coniecturis tantum quibusdam deprehendamus, & non ſit boni viri, coniecturas pro veritatibus venditare, nefas iudicant & improbum, artem coniecturalem ex inſomniis praeſagiendi exercere, quae inſuper ſuperſtitionem alere poteſt. Citant, ad ulteriorem aſſerti confirmationem, Devteron. XVIII. *Non invenietur in te, qui obſervet ſomnia;* & Ierem. XXXVII, *Nolite audire ſomniatores.* Verum haec interdicta ſolummodo ſpectare inſanos & vulgares Oniromantos, quorum negotium antiquiſſimis temporibus fuit, lucri cauſſa omnia inſomnia ſine ullo diſcrimine interpretari, iisque mira, &, pro rei atque circumſtantiarum conditione, vel bona vel mala praeſagia affingere, certum omnino eſt, quod etiam eo clarius exinde patet, quod plura in ſacris litteris extent prohibita, ſolum abuſum & perverſum aut incongruum

uſum

uſum reſpicientia rerum & actionum, a Deo, ſi legitime uſurpentur & exerceantur, omnino approbata. Haec itaque dicteria nihil officiunt Onirocriticae tali, quae rationi & experientiae atque abſtractis ex ea ſolidis fundamentis innititur. Nam extra omne dubium eſt, inveniri neminem, qui *omnia* obſervet vel diiudicet *ſomnia*, hinc naturaliter ſequitur, abſurdum eſſe, *omnes* audire *ſomniatores*. Onirocritica non debet coniecturis explicari; hae enim interdum quidem ad veritatem ducunt, crebrius autem fallunt, & ſaepe ingenium magis declarant interpretum, quam vim conſenſumque naturae. Coniecturalis Onirocritica haud ſcientiae nomen meretur, eiusque exercitium in Medici dedecus cedit, non ſecus ac Uromantia olim adeo ſolennis, quae Medicorum magnam cohortem ſua labe contaminavit, ut eius ope ex lotio neſcio quos eventus ſtupendos in quocunque corporis ſtatu praeſagierint. Rationalis autem Onirocritica novum ſcientiae medicae addit ornamentum, & Medicum illam exercentem, novo magis exornat ſplendore.

§. XI.

Haud difficile erit intellectu, quem inſignem & egregium fructum in Medicina praeſtet praeſagium ex inſomniis. Primo enim maius inde incrementum, maiorem certitudinem, nanciſcitur ſcientia medica. Quid enim exoptatius evenire poteſt Medico, quam ſi ſignorum numerum, quibus morborum cauſſas & corporis latentes affectiones cognoſcit, quibus de morborum eventu praemonetur, ita augere poteſt, ut non conſenſu ſolum plurium ſignorum certior de ſtatu corporis fieri poſſit, ſed etiam id, quod uno vel altero ſigno non poteſt eruere, alio tamen certo criterio perſpiciat? Quis eſt qui ignoret, conſenſum plurium circumſtantiarum infallibile ſemper veritatis eſſe indicium? & nemo Practicorum negabit, eminenti quodam ſingulari ſigno cauſſam morbi interdum prae caeteris aliis dubiis ſignis ita ſibi patefactam fuiſſe, ut nullum amplius de vera

cauſſa

cauſſa ſuperfuerit dubium, quae, neglecto unico hoc ſigno, obſcura manſiſſet. Quum itaque ſigna quaedam nonnullis morbis propria & eſſentialia maximam in Medicina accendant lucem, ſecundus, isque profecto non exiguus ex inſomniorum diiudicatione redundabit fructus in Therapiam, ſi omnem adhiberemus operam ut repetitis obſervationibus talia indagaremus inſomnia, quae eorum morborum, quorum naturam & cauſſam explorare non poſſumus, certam & indubitatam diagnoſin exhibent. Sed hoc maxime iſtud, quod ardentius deſidero, momentum eſt. Communiter in iis aegrotantibus, qui morbis laborant deſperatis, complicatis, & ubi cauſſis abſconditis eam inſufficientiae artis noſtrae & morbo medendi impoſſibilitatis rationem damus, impoſſibile eſt, in interiora corporis ſenſibus penetrare, ibique ea revelare, quae nullo externo criterio cognoſcere poſſumus. At anima aegrotantis haud raro iſtud ſpeculum eſt, quo ad detegendum ſtatum corporis internum uti poſſemus, ſi illas, quas depingit, imagines attentius contemplari velimus. Nam ea inſomnia, quae nec ex animae natura naſcuntur, nec ab externo ſtimulo ſuſcitantur, ſed a cauſſa quadam interna morbifica producuntur, neceſſario ut effectus de hac cauſſa debent teſtari, quae & in remotiſſimis corporis humani receſſibus ſenſationes producit, quibus ad animam translatis, repraeſentationes huiusce cauſſae, nervos afficientis, oriuntur, ut hinc inſomnia formentur ſimilia & adaequata illi cauſſae, a qua ciebantur. Hinc §. V. breviter demonſtratum eſt, propria temperamentis, plethoricis, hydropicis, hyſtericis, aliisque eſſe inſomnia, quae, licet ea, qua fieri poterat, ſollertia nondum ſint explorata, aliquali tamen convenientia cum cauſſa ſua corpus mutante ſtatum corporis indicant. Vtinam igitur Medici non in his ſolum aegrotis, ſed in iis etiam, qui eiusmodi excruciantur morbis, quorum dubia admodum ſigna nihil diſtincti & manifeſti declarant, ſollertiſſimi eſſent inſomniorum perſcrutatores, ut illorum ope

latentem detegere poſſent cauſſam, & Pathologiam morborum obſcurorum clariorem certioremque reddere! Sed haud una in hunc finem vel altera ſufficit obſervatio; nihil enim haec determinare poteſt, niſi ſedulo repetita & cum omnibus aegroti circumſtantiis & relationibus, cum ſingulis in cadavere poſt mortem diſſecto repertis phaenomenis prudenter comparata fuerit.

Tertius tandem ſupereſt fructus, quem inſomnia attento Medico largiuntur, dum mortem, futurum morbum, decurſum & eventum morbi praeſagiunt. Veriſſimis nonnullis exemplis §. VII. & VIII. extra omnem dubitationem poſitum eſt, inſomnia nonnunquam futurum hominis ſtatum indicaſſe. Sapienter itaque erit a Medico actum, ſi non omnia promiſcue ſpernat ſomnia. Si enim attentum animum iis advertat inſomniis, quae mortem aut morbum ſatis clare & indubitate ſaepe, homini apparenter ſano praenunciant, poterit interdum malum, per ſomnium indicatum, niſi auxilium feratur, merito metuendum, prophylacticis nonnullis remediis declinare. Non enim mihi poſſum perſuadere, praeſagientia inſomnia abſolute illos, quos indicarunt, eventus poſt ſe trahere debere. Interdum feliciſſimo ſucceſſu illum, quem lethalia quaedam ſigna in variis morbis minantur, funeſtum eventum Medicus avertere poteſt. Sequitur ergo, ut, qui indicatum per inſomnia periculum, removendo quam citiſſime cauſſam, mox triſtes effectus producturam, diſcutere anniteretur, non ſemper fruſtraneum ſuſciperet laborem. Id exemplo facile poteſt illuſtrari. Palaeſtrita quidam, ſcribit Galenus, in ciſternam ſanguine plenam ſe mergi ſomniavit, adeo, ut vix eluctari poſſet; hinc ſanguinis exſuperantiam ratiocinati Medici, eo, quo abundabat, detracto, averterunt vitae periculum. Sic fortaſſis in Bibaculo, cuius hiſtoriam *Ioſephus* Lanzoni dedit, ut & in uxore Mercatoris §. VII. apoplexiam, quam in utroque non obſcure praegreſſa inſomnia ſignificarunt, avertere potuiſſet Medicus, his

ipſis

ipſis inſomniis cum habitu ſubiectorum apoplectico & ſtatu plethorico comparatis, commotus, ut venam ſecare curaſſet, ſanguinem exagitatum fervidum temperantibus & refrigerantibus compeſcuiſſet, aperientibus remediis obſtructiones reſeraſſet, analepticis atque roborantibus debilitatum genus nervoſum confortaſſet, omniaque ea adhibuiſſet, quae apoplexiae praeſervatio poſtulat.

## §. XII.

Quum itaque adeo eminentes & inſignes ſint fructus, quos ex inſomniorum praeſagio haurire poſſumus, omnibus medicae artis cultoribus Onirocriticam medicam maximopere commendatam velim. Divina haec ſcientia utique meretur, ut maiori proſequatur ſtudio. Neceſſe autem eſt, nonnulla adhuc de legitimo & rationali eius exercitio monere, quibus obſervatis cavebitur, ne introductione novae ſcientiae nova ſimul in Medicinam inferatur barbaries. Notari ergo ſequentia debent.

1) Abſurdum ſane foret, omnia & ſingula interpretari inſomnia. Multifaria enim ea, quae ab externo ſtimulo corporeo excitantur, nihil indicare & portendere poſſunt. Porro, quae fiunt in homine ebrio, quae ſtomachus multis aut duris & concoctu difficilibus cibis oneratus producit, quae in plethorico, ſub ſomno dorſo incumbente, naſcuntur, quae meditationum diurnarum continuationes ſunt, quae pluviali tempore, vel fervidis noctibus aeſtivis animam turbant, quae a medicamentis ſanguinem ac vitales ſpiritus turbulento motu exagitantibus excitantur, & ſimilia omnia, nihil plane aliud indicant, quam cauſſae cuiusdam tranſitoriae praeſentiam. Ceſſante enim ebrietate, & poſtquam cibi fuerint digeſti, ceſſant ſomnia, & ſic porro. Haec vero vix aut nunquam praeſagium aliquod futurae rei conſtituunt, &, ſi forte praeſagientia ſint, uti exempli cauſſa ea, quae a meditationibus diurnis ſunt producta, nihil tamen certi ſuppeditant, & ſaepe ſaepius fallunt, niſi cum

ipſa ratione & regulis concludendi logicis correſpondeant, uti in revelatione remediorum per inſomnium interdum fieri poteſt.

2) Quae autem inſomnia ex nullis cauſſarum modo allegatarum nata fuerunt, ſed absque ulla quadam conſpicua cauſſa vel praegreſſa vel praeſente fiunt, haec omnino ex corporis ſtatu interno originem habent, eiusque indices ſunt. Atque haec inſomnia Medico iudicioſo ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica ſtatus corporis exhibere poſſunt.

3) Hinc qui recte & prudenter ſomnia interpretari vult, ea debet reſpicere, quae praeceſſerunt; vid. no. 1. Si enim unicum ex his pro cauſſa inſomnii haberi poſſit, fallax eſt inſomnium, & nullum inde praeſagium ſumi poteſt. Sic recte monet celeberr. Büchnerus, praeeunte experientiſſ. Dn. D. Daniel, quod Medicus cavere debeat, ne a moralibus evenientia inſomnia pro talibus habeat, quae e corporis mutatione evenerunt. Fieri enim poteſt, ut ad mortem a Theologis praeparatus aeger ea, quae interdiu de ſalute aeterna, beatiſſimo coelitum ſtatu, & ſimilibus audivit, in inſomniis repetat; minime vero idcirco eiusmodi inſomnia ſimpliciter & ſolitarie tanquam praeſagitiones mortis aut aeternae conſequendae ſalutis ſunt accipienda. Sola ea, quae absque ulla quadam cauſſa conſpicua fiunt, ulteriori indagatione digna ſunt.

4) Ut vero ex his non merae formentur coniecturae, ſed ut praeſagia ex iis deſumta firmo ſtent fundamento, ab omni ſubreptionis vitio caveat Medicus, & temperamentum, aetatem, vitae genus, affectus praedominantes & mores in ſuo individuo attente conſideret, ne, quae hiſce accidentalibus circumſtantiis ſunt adſcribenda, vel cuidam cauſſae morbificae latenti praeſumtivae tribuat, vel cum inſomniis pathognomicis confundat. Nam propria dari temperamentorum inſomnia, iam dixi.

Iuvenes

Iuvenes ſaepiſſime laeta quaevis ſomniare; ſenes in ſomnio morbos timere, mortem videre, curis occupari; laſcivum voluptuoſa pati inſomnia; timidum terrificas habere viſiones, notiſſima res eſt. Quum ergo hae & ſimiles aliae circumſtantiae magnam inducant inſomniorum varietatem, manifeſtum eſt, in morbis etiam tales inſomniis intermiſceri debere ideas, quae cum ipſa morbi cauſſa nihil commune habent, adeoque inſomnia in variis individuis, uno eodemque laborantibus morbo, varias exhibere imagines & picturas, non ſecus ac ſymptomata morborum in variis hominibus pro temperamenti, aetatis, vitae generis, aliarumque circumſtantiarum ratione variant. Uti vero circumſpectus Medicus didicit, ſymptomata morborum accidentalia, i. e. quae a cauſſa morbi non ſtricte producuntur, ab eſſentialibus & pathognomicis, iis ſcilicet, quae certa morbi exiſtunt criteria, prudenter diſtinguere; ſic omne in Onirocritica medica verſatur punctum circa prudentem & ingenioſam explorationem inſomniorum pathognomicorum, eorumque diſtinctionem a viſionibus accidentalibus & picturis iis, quae a cauſſa morbi haud oriri poſſunt, ſed circumſtantiis accidentalibus ſuam originem debent.

5) Exinde naturaliter fluit, perperam illum inſomnia obſervare, qui ceteras negligit circumſtantias, atque unica & ſingulari contentus eſt obſervatione. Niſi enim cetera ſint paria, damnum potius quam utilitas efficitur. Certiori ſane fundamento nititur, qui convenientiam ſignorum attendit, ita ut non ex ſolis inſomniis, ſed ceteris etiam ſignis, quae ex pulſu, urina, vultu, habitu, ingeſtis, excretis, ſimilibusque deſumuntur, & conſideratione rerum & circumſtantiarum praegreſſarum, non neglectis cautelis antecedenti §. expoſitis, eo confidentius diagnoſin & prognoſin formare poſſit. Nam nimis praecipitanti concluſione hominem in ſummum vitae periculum coniicere poſſumus. Sic Galenus exemplum de phthiſico quodam adfert, qui, cum ſomniaſſet, ſe in ſuo ſanguine natare

& Medici poſtridie, ſomnium de redundantia ſanguinis interpretati, venam incidiſſent, cum ſanguine animam exhalavit. Nulla ſane praepoſteri huius auxilii ratio alia eſt, quam quod Medici, reliqua ſigna deſpicientes, ſolo inſomnio ſeducti fuerint, ut imprudenti Venaeſectione phthiſico, emaciato forte & ſanguine & viribus privato, necem intulerint. Hinc & paucae illae obſervationes medicae, quae hactenus de inſomniis conſignatae fuerunt, parum utilitatis afferunt, quum ſola tantum inſomnia ſint enarrata, & obſervatores reliquas notatu dignas circumſtantias ſicco tranſierint pede, ita ut obſervationes iſtae in ſimili caſu non tuto & ſecure poſſint applicari. Obſervationum itaque frequens reiteratio, uti generaliter in Medicina, ſic in iis ſpeciatim inſomniis, quae partim ut ſigna in Medicina iam nota ſunt, partim eorum morborum, ubi omnia cetera ſigna fallunt, pathognomonicorum criterium dare debent, admodum neceſſaria eſt: Veritatis enim & certitudinis lucem magnam accendit, ſi plurium obſervatorum confirmatione ſtabiliuntur vera & certa, falſa atque veroſimilia refutantur, & incompleta redduntur perfectiora magisque completa. His repetitis obſervationibus accuratae cadaverum ſectiones valde ſuccurrunt.

6) Prognoſis ex inſomniis duplex eſt: Vel enim ipſa inſomnia per ſe ſunt praeſaga, clare utplurimum & diſerte ſatis futurum eventum indicantia: Vel iudicioſus Medicus ex ſignis diagnoſticis, quae inſomnia exhibent, prognoſin ipſe format, dum ex his cauſſam latentem cognoſcit, & effectum mox appariturum praevidet. Sic vehementes puncturae & uſtiones in inſomniis, ſi cetera ſunt paria, ſubſequutae inflammationis, ſpaſmi, ulceris interdum fuerunt indices. *Conradum* GESNERUM, Medicum Tigurinum, a ſerpente ſe vulnerari ſomniaſſe traditur. Ipſe ſomnii interpres, ſe anthrace peſtilentiali correptum iri, dicens, paucis poſt diebus anthrace, in ſiniſtra mammilla quinto ante ſuum obitum die apparente, e vita ereptus

ptus eſt. Haec CAMERARIUS. Hic idem quoque Auctor ex FULGOSO narrat, *Arnoldo de* VILLANOVA, inſigni Medico, noctu in ſomniis viſum fuiſſe, quod a cato quodam nigri coloris in pede ſuo morſu ſauciaretur, indeque ſequenti ſtatim die erupit in eadem pedis regione malignum ulcus cancroſum. Huc quoque pertinet iſtud *Io. Georg. a* BERGEN praeſagium delirii febricitantium ex illorum inſomniis. Ita enim ſcribit: *Si obiectorum numerus tantus ſimul & ſemel videatur, ut iis rite conſiderandis mens impar ſit, ſed ab inſolita hac multitudine conturbetur & in tranſverſum agatur, inſomnium facile abit in delirium.* Sano homini, inſomniis minus adſueto, morbum futurum praeſagire poteſt Medicus, ſi contra morem ſolitum frequenter inſomniis illum perturbari obſervat; rationem §. V. iam expoſui. Denique morbi varii ex inſomniis, plethoram & ſpiſſitudinem humorum indicantibus, praeſagiri poſſunt.

(*Berolino Halam miſſa d. 5. April.* 1765.)

## *OBSERVATIO C.*

## Dn. D. IOANN. IACOB. HVBER.

### De

### *graviſſimis ex inconſiderato uſu Mercurii ſublimati obortis ſymptomatibus, in morbo ex dyſcraſia Scorbutica prognato.*

Receptus legitur apud praecipuos Medicos clinicos, claſſicos adeo, Mercurii ſublimati, Arſenici & Auripigmenti uſus internus, ad infringendos varios morbos, eos inprimis quoque, qui atrociorum nomine venire ſolent, aptus valde. Eſſe tamen ſimul cum grano ſalis moderandum illum uſum, ne indiſcriminatim adhibeantur iſta medicamenta, ſuapte cuivis artis

perito

perito & cauto alias Medico ipſa facilis prodit natura eorum, ſumme corrodens, ſimulque ſuadent exempla effectus funeſti loco ſalutaris exinde ſubſecuti. Singulare horum afferre, heic animus eſt, attentione eo ipſo dignius, quia nec mala fuiſſe videbatur aegroti diſpoſitio (quoad intelligere mihi ex eius narratione atque morbi exitu, datum erat); nec morbus, contra quem adhibebatur, rebellis, malaeve indolis, aut mitiorem eludens medelam; quae tamen praeferenda ſemper eſt, niſi gravius quid urgeat, morave damnum afferre poſſit. Immo ne quidem vitii quid ſubfuiſſe videbatur in remedii formula aut exhibendi modo. Non tamen ideo dicta haec eſſe volo, ac ſi everti inde deberet potens alias, & longa experimentorum ſerie ſtabilita ab his retro aliquot annis indoles mercurii ſublimati vere heroica ac ſalutaris valde in manu peritorum; ſed ut eam modo haberet vim animadverſio noſtra, opto, ne ſint ſecuri nimis alii, in ſummo veneno exhibendo, ne abripiantur effectu in venereis aeque, ac in diuturnioribus aliis morbis, valde ſubinde mirabili, neve indulgeant nimium blandae illi ac illecebroſae haud raro novitatis gratiae, vel & commodis ceteroquin remediis illis catholicis. Et inprimis quoque is mihi ſcopus eſt, quo deterreantur hoc exemplo cauti non ſatis, id eſt, periti minus artis ſalutaris miniſtri, Chirurgi ſcilicet atque alii, omnem non ſemper adhibentes prudentiam medicam, quum deſtituti ſint illa, a nimia iſta, anceps tale remedium heroicum adhibendi, liberalitate ac ſecuritate.

Diu quidem eſt, quod interne datum ſit ab audacioribus arſenicum, ſed id clanculum quaſi. Certe uſus eius in ſcholis Medicorum non erat receptus, alias neceſſe non putaſſet iam ante hos centum annos Helmontius *a*) uſum omnem internum arſenici, quantumvis fixi ac edulcorati, abhorrere, ac tam

*a*) Pharmacopol. §. 52. Oper. p. 375.

tam acriter inſurgere in eos, qui illo tum temporis impune uterentur: ne quid de aliis, de ASTRUCCIO *b*) inprimis, quoque dicam, uſum mercurii ſublimati corroſivi internum ut perniciosum ac lethalem adeo valde improbante. Manſit tamen eius fama, & reſuſcitata hinc inde eluxit laus, Panaceis propria. Et ipſe ego quoque, niſi omnia me fallunt, bene recordor, iam ante hos XL. annos, cum prima in Pharmacopolio patrio huius artis ponerem fundamenta, & felici ac commoda adhuc mihi copula iungerem eadem cum Medicina, ſummam iam tunc fuiſſe mercurium ſublimatum Circulatorum panaceam arcanam, qua diſpellere aegritudines quam plurimas, ne dicam omnes, conarentur, & ſervatos ſubinde aegrotorum aliquos excitarent.

Externus vero eius uſus ne quidem vetuſtioribus fuit ſuſpectus, ſed laudatus valde adhuc uſque, contra ulcera imprimis mali moris ac cancroſa: clyſmatibus adeo immiſcuit ſcopo eodem arſenicum ſeu auripigmentum SCRIBONIUS LARGUS *c*), ad arcendum nempe cancrum inteſtinorum, ac ex mente RHODII l. c. contra gangraenam eorum ſive ſphacelum exedentem, itemque ulcus calloſum. Quemadmodum ergo conſtat inter omnes de vere & ſumme venefica eius potentia; ita de ſalutari quoque res in ambiguo verſari vix amplius videtur, cautio modo adhibeatur omnis, in moderandis probe Auctorum de utendi & adhibendi modo ſententiis: ita enim arſenicum quoque, ad leges temperamenti humani redactum ac mitigatum, ad roboranda facere vincula vitalia, ſecus ac agere ordinario ſoleat, WEDELIUS *d*) iam innuit; quam tandem magis adhuc invaluiſſe & receptam adhuc vigere ſententiam, ſatis intelligitur ex nuperis gravibus Auctoribus. Sit tamen mo-

*b*) de Morb. Vener. p. 593. & 624. *c*) Compos. medicam. CXIV. *d*) Amoenit. Mat. med. p. 317.

modus in rebus, & iuſta adhibendi ratio bene ſervata. Obſervatio noſtra haec eſt:

Vir circiter XL. annorum, cohortis equeſtris agilis praefectus, temperamenti, uti videtur, ſat firmi, muneris certe ſui moribus vel ſuapte accommodati, vel conſuetudine tandem obſequentis, graviter cum decumberet heic, meam deſiderabat Menſe Septembr. ann. 1761. operam. Vidi eum, & non vidiſſe primo intuitu, tam ob morbi atrociam, optaſſem, quam & ob inimicam, a qua ſtabat aegrotus, partem. De doloribus conquerebatur acutiſſimis, omnes fere corporis partes acriter cruciantibus. Primas ii circa genua poſuere radices atque circa lumbos, ad univerſum dein pedem utrumque excurrebant, & mox artus quoque tenebant ſuperiores: vagi hi fuere, illi fixi admodum facti ab his retro duobus vel tribus diebus. Sed & alia quoque prodiere ſenſim ſymptomata, ut acrimoniae humorum corollaria: maculae nempe, per univerſum corpus conſperſae, ſcorbutum prodentes, cum interſperſa herpete, a genio ſcabiei vix paulum recedente. Carbunculos inſuper eiecit alma natura, ad frangendam morbi ſaevitatem, maculis illis interſperſos. Ceterum appetitus deficiebat, quod mirum non eſt; vires erant proſtratae, & pedum uſus plane nullus, ut ſurgere e lecto, & ne quidem manere placidum in eo, propter ſummam dolorum, quibus genua inprimis tenerentur, ſaevitiam, datum non eſſet aegroto. Veneream ſubeſſe labem mox ſuſpicabar, ( & quis idem ſuſpicatus non eſſet? ) tantam humorum dyſcraſiam generantem. At vero annuere id obſtinate recuſavit aeger, etiam medios inter dolores: turbulentum vitae ſuae genus accuſans, iniurias tempeſtatum ac multifarias muneris ſui moleſtias. Ultra inquirenti mihi in veram humorum perverſitatis cauſſam, inque curationis adhibitae adhuc methodum, regeſſit: ex Scorbuto laborare ſe ab his retro aliquot hebdomadibus, ſecundum ſententiam

Medici

Medici cuiusdam Paderbornenſis, cuius curae ſe commiſerat, cum in ea urbe decumberet, & monſtravit mihi formulam remedii quo uteretur. Ecce eam:

Rec. Mercurii ſublim. corroſ. gr. vj.
Spiritus frumenti ℥xij.

M. D. S. Mane & veſperi cochlear plenum ſumendum.

Iam vero verſari ſe in altera portione ſumenda, aiebat, inſumta priori. Diſſuaſi mox ulteriorem veneni uſum, & abſtinere aegrotum ab eo iuſſi, probe intelligens, ortam inde eſſe tragoediam. Cum vero deſiſtere ab eo nollet intra primos dies, auctos graviter percepit dolores pedum aeque ac manuum, omni podagrico, uti ipſe putabat aeger, longe atrociores. Poſt perceptam demum atrocitatem eorum ſummam, conſumta nempe altera quoque praeſcripti pharmaci Paderbornenſis portione, lubens tandem deſtitit ab ulteriori eius uſu, poſtquam ſcilicet grana xij. Mercur. ſublim. corros. intra hos retro XXIV. dies ingeſſerat per os.

Summam novae curationis ſuſcipiendae cum in ſopiendis doloribus, ut praecipuis morbi ſymptomatibus, verſari putarem, primam inde deſumſi indicationem, ſimul tamen enervare veneni malignitatem ſtudui, & reſtituere ſenſim functionem partium laeſarum ac ſopire nervos irritatos: quod corrigendo & imminuendo humorum acrimoniam atque eliminando eandem extra corpus aegroti per emunctoria quaecunque, blande excitata, praeſtare tentavi. Ea propter ante omnia anodynum exhibui remedium, ex aqv. Meliſſ. Syr. rub. idaei, croco, atque Laudano liquid. Sydenh. paratum, cui mox ſubiunxi decoctum Lignorum, ſudorifero-diureticum, per omne curationis ſtadium quam largiſſime ſumendum. Non tamen neglecta erat alvus, utpote quam liberam pulvere ſervavi purgante, ſubinde ſumendo. Diaetam ceterum iuſſi eſſe ſtrictam, tenuem,

leniter farinoſam, in principio ſat pinguem. Ita tandem, adhibitis his rite per duas vel tres hebdomades, melius ſenſim omnia procedere percepi; remittere dolores, ab interſperſa ſubinde potione illa anodyna, ac leniter narcotica; vires ita rediere, ut quarta hebdomade ſurgere e lecto inciperet aeger, & ſellae inſidere. Ciborum appetitus quoque red bat. Verbo, omnia fuere pacatiora, & inertem redditam eſſe veneni vim, ac natam inde humorum acrimoniam, laetus intellexi. Ad colophonem tandem curationi addendum, balnea praeſcripſi, e fluviali aqua paranda, cui herbae incoquerentur leniter aromaticae, atque ſapo. His moderate calidis mane ſingulis diebus per horae ſpatium utebatur aeger, magno ſacco, furfuribus triticeis pleno, inſidens. Diſploſos cum ſentiret is dolores, & ad frugem redire corpus atque ad priſtinas functiones, e domo rurſus exiit, atque ſumma tandem cum voluptate vegetus hinc diſceſſit, qui a plenaria paralyſi artuum, inprimis inferiorum, vix erat remotus.

Epicriſeos inſtar ſubiunxiſſe, non nocebit: nervis praecipue quoque atque capſulis articulatoriis, praeter cauſticam ſuam, erodentem ac inflammatoriam, qua imbutus eſt, potentiam, inimicum valde eſſe ac funeſtum ordinario mercurium ſublimatum corroſivum. Vidiſſe enim me olim, in patria, bene recordor, & probe cognoviſſe mulierem, triginta & aliquot annorum, quae ex improviſe aſſumto arſenico, paralyſi corripiebatur, omnem artuum inferiorum decurſum tenente. Senſus enim omnis atque motus pedum expers penitus, reliquam egit aetatem ſuam, haud mediocrem eandem. Ceterum ſat bene habebat, & ampliſſimis negotiis domeſticis, culinariis inprimis, coqua enim erat, hilaris vacabat.

Facile inſuper eſt ad intelligendum ex ſupra prolatis: magnam quoque eſſe vim mitigantium & anodynorum remediorum in tali curatione, quae non male ideo antidotis aliis ſunt annumeranda.

OB-

# OBSERVATIO CI.

## Dn. D. IOANN. IACOB. HVBER.

### *Singulares quaedam anatomicae Obſervationes.*

Quas hoc loco curioſis Lectoribus offerre placet obſervationes aliquot anatomicas, ex adverſariis, ſeu demonſtrationibus anatomicis, in illuſtris noſtri Collegii Carolini auditorio factis, deſumtae ſunt. Selegi e tribus corporis noſtri cavitatibus laudandas aliquas particulas, quibus ſtructura, a vulgari recedens, exhibeatur, vel frequens ab extraordinaria diſtinguatur ac firmetur.

#### *In Cerebro.*

Cerebrum, molliſſimam ac pulpoſam quaſi, quoad ſenſus ſcilicet hebetes noſtros, ſtructuram referens, re autem vera totum vaſculoſum, continua ſerie nervis miniſtrans, & ſpiritum roremve quemcunque ſubtiliſſimum penetrantiſſimum ac vi ſua potentiſſimum ſuppeditans oeconomiae corporis humani, ſuas quoque habet declinationes ac vitia, haud raro quam longiſſime a molli habitu ſuo remota. Ita Cadaver pueri 3. annorum, tabe conſumti, tumorem in cerebro aluit durum, glanduloſum quaſi, qui certe univerſo habitu ſuo, colore, ac duritie recedere non videbatur a vera glandularum conglobatarum colli, maxime vero qualem bronchiales infarctae referre ſolent, natura. Hac ipſa cum bronchialibus eiusdem cadaverculi ſimilitudine impediebar, quo minus ad cyſticos, quorum tamen vix diſcrepantem referebat indolem, ablegaretur tumores, ſteatomatoſos. Quem C. Bauhinus *a*) anno 1582. animadvertit tumorem, a noſtri indole vix puto recedentem, certe



*a*) Theatr. Anatom, L. III, C. 12.

nec loco, quem tenebat, nec duritie, ſcirrhoſum vocavit, & ita glanduloſae annumeraſſe videtur cerebri naturam. Nolit tamen quis ex hoc habitu glanduloſo argumentari, moneo, ac ſi ad glanduloſam cerebri ſtructuram cum Malpighio accedere mallem, quam ad vaſculoſam, cui inmiſcendi me liti animus non eſt: minime inſuper ignorans, quam ſint fallaciis haud raro involuta argumenta, a ſtatu partium corporis noſtri praeternaturali & vere morboſo ſumta. Quanquam nec alterum hoc negari queat, plus ſemel erutam quaſi & denudatam fuiſſe ex morboſa verum particularum indolem. Ita enim, ne aliis immorer, e longinquo petendis exemplis, ea ipſa adeo glandularum natura, habitus & praeſentia ipſa infarctu demum fiunt oculis patentiora, iis certe in locis, ubi dubitare fere de earum exiſtentia liceret, v. gr. in meſenterio, collo, circa bronchia, & arcum aortae, plexum choroiden, &c. At tumor noſter, qualem mox dixi, mediam medulloſam tenebat Cerebri ſubſtantiam hemiſphaerii ſiniſtri, corticem inter atque ventriculum ſui lateris magnum ſitus; & ipſum fere attingebat ventriculum, inſitumque ipſi plexum vaſculoſo-glanduloſum, choroiden. Magnitudine nucem avellanam, duritie vero mollem glandulam referebat, ſic tamen, ut detegi in illa quidquam glanduloſi, carnoſi aut rubentis non poſſet; & tamen ſuae involvi videbatur cuti. Nucleus, nam tenuis quaſi cortex aderat, ſubduriuſculus boni puris inſtar ſe habebat. Univerſum vero corpus ſubdurum erat, globoſum, coloris ex fuſco albeſcentis, omni pediculo deſtitutum. Ambitus eius medulloſus circumcirca ſubluteo colore ad dimidii digiti craſſitiem erat perfuſus. Proxime vero in lutea quaſi pulpa iacebat globus noſter. Sicuti univerſus cerebri habitus ſingulari praeditus eſt ſtructura, a reliquis corporis noſtri partibus valde recedente, ita quoque tumor iſte a carne omni, a vero pure, a cyſticis tumoribus, a glanduloſa aeque ac calculoſa multum diſcrepabat. Exemtus globulus atque per medium reſciſſus aequaliter, extima cuticula

cula tenui excepta, ſubdurus erat atque coloratus. In genere agnoſcendum & fatendum heic eſt, cum *I. B.* FANTONIO *b*), eſſe Cerebrum partem hominis, cuius obſcura adhuc ſtructura, obſcuriores morbi, obſcuriſſimae functiones, perpetim Philoſophorum atque Medicorum torquebunt ingenia.

De ſepimento illo cerebri, quod *lucidum* audit ſeu *pellucidum*, cuius ope interior profundior atque anterior hemisphaeriorum pars, ventriculis maioribus ſeu anterioribus interpoſita, in duas quoque diſſepitur, quid cadavera diverſae valde aetatis, feminae ſcilicet LXXII. annorum atque puellae XXVII. menſium obtulerint, dicere eo magis intererit, cum diſcrepantes valde ſint de ſimplici deque lamelloſo eius habitu, de cavitate, atque de contento eius ſententiae Anatomicorum. Solidius enim quidquam affirmari de ordinaria partium corporis humani ſtructura vix licet his, quae a diverſo aetatis ac perfectionis gradu ſuppeditantur, inter ſe tamen convenientia: Sit quamvis & in iis quoque particulis determinandis cautio omnis adhibenda, ubi pro diverſa functionum a diverſis vitae noſtrae periodis pendentium ratione, vel nullae ſunt, vel non evidentes, flaccidae, evaneſcentes, in alias mutatae, aut denuo prodeuntes. Feciſſe rei vel inconſtantiam & variabilitatem, vel ipſam particulae mollitiem, videtur, ut diſcrepare tantum Proſectores de ſepti illius vera natura videamus, vel potius, ut velut traducem acceperit alius ab alio deſcriptionem, non ſatis caute adhibita ulteriori inquiſitione, ex ipſis cadaverum inſpectionibus facta. Adeſſe, ſit quamvis mollis valde ac tenuis cerebri illa particula, GALENO *c*) iam & nemini non veterum Anatomicorum innotuit: illud autem varietatis vel obſcuritatis potius habere deſcriptiones videntur, ut in promptu non ſemper ſit eruere, quam-

*b*) In Scholio obſervation. anatom. medicarum XXXV.

*c*) Anatom. adminiſtration. L. 9. C. 3.

quamnam corporis calloſi, fornicis ſeu camerati corporis portiunculam intelligi velint. Quam itaque ſit facile, permiſcere particulas, non modo contiguas, ſed continuas adeo, nulla linea, nec prominentia ulla diſtinctas, nemo non intelliget; Nihil cum ſit aliud ſeptum noſtrum, niſi pars vere medulloſa *d*), uno ductu cum fornice atque cum corpore calloſo (huius enim pars eſt) continuata; ſola pelluciditate ſua apud eos certe, quibus latuit cavitas conſiderabilis, & a dictis particulis, maxime a fornice ſeu camerato corpore (de quo diſputavit iam Galenus *e*) probe diſtinguenda. Nemo temere in legendis anatomicis, aevo primis, ipſum corpus cameratum cum cameris, ita enim ventriculos Carpus *f*) inſignivit, confundet. In eo conſentire iam omnes videmus, quod diaphanam intellectam velint medullae portiunculam, anterioribus ventriculis interpoſitam, ſplendentem adeo & ſpecularem, quando luci opponitur. At omni iſta, quam diximus, particularum ambiguitate ac mollitie impediri illa magni Vesalii ſecandi cadavera & caute literis quoque ac iconibus tradendi aliis dexteritas non potuit, quo minus icone ſeptum quoque illud exprimeret *g*). Eſt quidem iuſto

*d*) Qua re Columbus *de re anatom. L. VIII. C. I. p.* 192. motus ſit, ut dicat: aliud nihil eſſe ſeptum illud, quam tenuem cerebri membranam, hoc loco duplicem, difficile eſt ad dicendum, niſi forte eadem contradicendi Vesalio cupiditate inductus fuerit, qua notare Galenum Vesalius ſtuduit.

*e*) *Loco citato L. IX. C.* 4. vid. inſuper Spigelium *de hum. corp. fabr. L. X. C.* 4. & *C.* Bauhinum *l. c. Cap.* 13.

*f*) *In* Mundin. *p.* 334. *b.* ubi cavernas quoque vocat illos, cellulas atque thalamos.

*g*) *In Epitome figura muſculor. quarta* inter G. & I. longum nimis refert; in magno dein Opere ſuo *de H. C. fabrica* 7. *Lib. fig.* 5. *X. X.* breviorem dedit; & forte quoad ipſum praeciſe locum melior fuiſſet figura ea, quam reieciſſe ſe, ait p. 760.

iuſto nimium poſteriora verſus locatum: bonam tamen agnoviſſe eam inſequentium Anatomicorum plurimos, inde in primis patet, quod mutuatam, uti & de ceteris fecere figuris Veſalianis, propagarunt quaſi, & alii tradiderunt. Suo dein loco (propius enim progrediendo in deſcriptione ad verum habitum eſt accedendum) figura exhibitum reliquit *Iul.* CASSERIUS *h*) ſat eleganti, ſpeculum a SPIGELIO vocatum. Subſiſtere in CASSERII figura poſſemus, eleganter & praeciſe cum naturam referat, & tanti vix ſit, profundius deſcendere in hiſtoriam anatomicam, ne in peiores, qualem verbi gratia HIGHMORUS *i*) fictam dedit, incidamus. At praeteriiſſe EUSTACHIUM, iniurium fere eſſet in aevum eius atque in Viri in re anatomica praecellentiam: locum certe, ſi non ipſum ſeptum, indicare voluiſſe videtur in *Tab. XVII. fig. III.* anguſto ſpatio illo priori, ventriculis anterioribus intercepto. Cum vero magis interſit Lectorum noſtrorum, auctorem excitaſſe, cuius copia pluribus ſit, conſulant ii *Th.* BARTHOLINI *k*) figuram, ſat belle naturam exprimentem. Haec ad figuras. A priorum dein ſententia receſſiſſe & dubitaſſe de ſimplicitate ſepti videtur civis meus, C. BAUHINUS, quando dicit *l*), *tenuis licet ſit, ſimplex tamen non eſt*, addit inſuper, *medio tuberculum quoddam inſtar lineae obtinet*; an illo & cavulum adeo aliquod intellectum velit, ſuſpicari vix licet, cum nec VESALIUS, a quo mutuata eſt figura, mentionem eius ullam facit. Primus autem, hiatus ope diremtum in duas partes tradidit *Fr.* SYLVIUS *m*), qui caſu incidiſſe ſe in veram hanc ſepti naturam ait. Brevia cum ſint verba eius,

*h*) Vid. apud SPIGELIUM de Hum. corp. fabr. L. X. C. 4. fig. I. E.
*i*) Corp. hum. diſquis. anat. p. 211.
*k*) Anatom. renov. p. 481. f. 3. G.
*l*) l. c. in fine Cap. XII. L. III. non cum COLUMBO mox laudato faciens, ſed eandem cum cerebro ſubſtantiam ſepto tribuens.
*m*) Diſputat. Medic. IV. §. XIII.

eius, ipſa apponam: *Corpus calloſum, ubi in ſeptum pellucidum incipit attenuari, hiatum habere, ipſum etiam ſeptum quamvis tenuiſſimum in partes duas nonnunquam dirimentem, cum admiratione, ante annum caſu obſervavimus, & ſpectatoribus noſtris demonſtravimus iam aliquoties.* Et cavitatem dein figura adeo exprimi curavit, VIEUSSENIUS *n*), parvam dicens illam anteriora tenentem, cui haud raro pellucidam ineſſe aquam, monuit. WINSLOVIUS dein non lamellam modo duplicem eleganter deſcripſit atque cavitatem eius *o*), ſed & inſuper tenuem adeſſe membranam lamellarum latera tegentem *p*), non tamen conſtantem aſſerit dehiſcentiam lamellarum, & ſerum, bene, non ſemper tribuit cavitati. Simpliciter vero recepta nondum videtur cavitas ſepti, cum ſilere alios illam videmus: ita DRACHIUS *q*), & CHESELDENIUS *r*), civem ſuum RIDLEYUM *s*), de ſtructura cerebri optime meritum, ſecuti non ſunt: qui tamen conſtanter duplicem vidiſſe ſe eius laminam aſſerit, & pluries aquam intercipientem. Oblongam dicit eam HEISTERUS *t*). Contra vero a formae (quae, ut quod res eſt dicam, eadem in omnibus non exhibetur cadaveribus) inconſtantia motus Illuſtris HALLERUS *u*) *anonymam caveam* vocare maluit, cautus in hac quoque re ac fidus Phyſiologus. Saepius quidem, non vero ſemper adeſſe cavum putat LIEUTAUD *vv*), parvae fabae excipiendae capax. SANTORINUS vero de induſtria adeo evertere omnem de cavitate illa doctrinam

*n*) Neurograph. Lib. I. C. XI. Tab. VI.
*o*) Expoſit. Anat. Tr. de la Tête §. 68.
*p*) ib. §. 90.
*q*) Antropol. nova Vol. II. p. 275. nihil de laminis quidem dicens.
*r*) The anatom. of the hum. Bod. qui p. 222. tenuem modo membranam dicit ſeptum lucidum.
*s*) The Anatom. of the Brain p. 120.
*t*) Compend. anat. §. 270.
*u*) Phyſiolog. prim. lin. §. 363.
*vv*) Eſſais anatomiq. p. 391.

nam & autopſiam conatur; ne rimulam quidem admittens, incautae Proſectorum tractationi eam unice tribuens *x*). Claſſicorum hos certe excitaſſe Auctores ſatis erit, tantum vero pertinere putabam ad illuſtrandam circa ſeptum illud diſcrepantiam: quo intelligatur propius, quid praeſtitum ſit circa laminas, & interſtitium harum, in quibus omnis hodie verſatur diſputatio: Situs cum ſit notiſſimus & conſtans. His jam ſubiungenda deſcriptio noſtra ſeu obſervatio.

Remota maxima hemisphaeriorum cerebri mole, laterali aeque ac altiori, ſolo calloſo corpore cum centro ovali ſervato, & uno primum lateralium ventriculorum ab extima parte ſui denudato, ſeptum illud, de quo ſermo eſt, ſtatim, levato paululum cauta manu calloſo corpore, in conſpectum prodit; figura utcunque rotundula, magnitudine pollicaris unguis, vix paululum retro priorem ventriculi arcuatum extenuatumque apicem incipiens; (ipſos enim ventriculorum anteriorum cornuatos limites exteriores aeque, poſteriores, ac anteriores, longius magis reperi protenſos, & in tenuiores deſinere apices animadverti, quam tradi alias ſolent:) & aperto altero quoque ventriculo manifeſte magis limitatum erat: primo intuitu iſto ſimplicem laminam medulloſam referens, ipſa ex pelluciditate ſua conceptam. Eſſe autem vere duas laminas, cauta manus docet, quando nempe ſolidiore, id eſt firmiore univerſi cerebri conſiſtentia, quam non omnia offerunt cadavera, adiuvatur Proſectoris dexteritas. Et tum demum, ſemota lamina una, (quod in utroque cadaverum noſtrorum, de quibus inprimis ſermonem heic eſſe ſupra monui, efficere licuit:) altera quoque facta eſt evidentior: ut dubitare vix liceret de tenuiſſima membranula, obducente laminarum externam aeque ac interiorem faciem, ad oculum quamvis demonſtrare eam auditorio, non phyſiologico, ſed chirurgico, inſervienti datum mihi non erat. Cavitatis autem demonſtratio manifeſta erat: ut ne quidem de figura eius difficultas re-



*x*) Obſervat. anat. Cap. III. §. VI.

maneret: nempe priora verſus acuminata erat, cito ſatis amplior facta in verticali directione ſua, verſus poſteriora autem vergens longius procedebat, antequam ad angulum confluerет anguſtiſſimum; perpendiculariter ampla erat, diametro vix ultra lineam lata. Hoc ex cadaverculo puellae duorum & quod excedit annorum. In cadavere feminae LXXII. annorum diſtinctae quoque aderant laminae & cavum, iis incluſum: magis autem recedere ab acuminata figura videbatur, rotundiori propius accedens. Nec forte derogari inde aliquid oeconomiae corporis noſtri poterit, ſi pro more aliarum cavitatum, aut ventriculorum cerebri, proprie ſic dictorum, vel acuminata ipſa quoque haec ſit ſubinde, vel & paulum obtuſior. In priori horum cadaverum ſero non onuſtum reperi cavum illud: denuo cum ventriculis cerebri commode comparandum, qui vix uti obſervari ordinario ſolent, ex malo demum cerebri habitu, per lymphae abundantiam contracto, aquam ſubinde continent.

*In thorace.*

Ipſas prius cavitates pectoris praeciſius determinare iuvabit, quam inſitarum illis particularum animadverſiones tradere: ne dubium relinquatur de ſitu partium, in hoc enim caute tradendo intereſſe magis arbitror, quam de fibrillula aliqua, de ramulo exili vaſculoſo variante ſollicitum nimis ſe oſtendere; quanquam & haec quoque Phyſiologo ſint ſcitu neceſſaria. De ſitu igitur partium deve directione ac proximitate, quoad licebit, prius conſtituendum. Receptam pectoris in duo cava, pleurae ſeu potius duarum pleurarum miniſterio ſeiunctionem, turbare nolo; mallem autem non ſolis pulmonibus, ſed reliquis etiam, quae in univerſo ſunt thorace, partibus ſuos aſſignare loculos, ne forte & aliis confuſa naſcatur partium inibi contentarum idea; & alii quoque, ſi velint, intelligant, qualem in demonſtrandis cadaveribus ſervare ſoleam rationem atque methodum.

Ita pectoris cavum cum abdominali primum comparandum dico, alia cum viſcera intra peritonaeum (nec vulgatiſſima ſunt negli-

negligenda) coërceat, muneris ratione a reliquis ſeparanda; alia extra illud; unumquodque ſuo loco, in ſingulari cavo, ut genitalia in pelvi, urinae inſervientia in hac eadem atque in celluloſo altiori loco ſita. Duas diſtinctas indicare & monſtrare ſoleo pleuras: poſſunt enim levi opera, certe in iunioribus, ubi nexus cum tendinoſa diaphragmatis atque pericardii parte laxior adhuc eſt, ſeiungi ab adſitis partibus, ut & in hoc quoque tertio cum peritonaeo commoda ſit comparatio. Utraque pleurarum ſuo proſpicit pectoris quaſi hemisphaerio, & tenuis hinc inde praeter nexus alios celluloſae ope concurrit cum compare ſua alterius lateris: unaquaeque, ſi figura quoque exprimenda ſit, globum quaſi refert, a media confluente parte compreſſum, ſurſum obtuſe confluentem, deorſum planiorem & ampliorem, anguſtis circumcirca limitibus compreſſum, & centrali parte ſua excavatum: verbo, laevem loborum pulmonis circumferentiam referentem. Nihil plane continetur ab unaquaque praeter pulmonem, nec ulli viſceri vaſive inveſtientem dat tunicam, quam pulmoni; arcuatum coſtae primae ſpatium illa coërcetur, coſtis ceterum interſtitiisque earum obtenta: uti & diaphragmati, pericardiique parti laterali; vaſa, nervos, viſcera quoque, vel tamen partes viſcerum, pone ſe linquens & excludens penitus a cavitate ſua. Illis autem in partibus, ubi confluit pleurarum biga, ante, pene, & ſupra pericardium, celluloſae tunicae miniſterio connectuntur inter ſe, laxius ordinario in iunioribus, in adultis in unam quaſi tunicam confluentes, mediaſtinum efficiunt, quod obliquam cordis inclinationem ſequitur, & cuius ope omnis praecluſa eſt cavitatum duarum magnarum thoracis connexio: ne laeſa, ſanguine, aquá aut pure infarcta una; altera quoque eodem inficiatur vitio. In hoc denique non recedit á peritonaei natura, quando poroſa quoque dicitur, tenui nempe rore indeſinenter irrigans parietes, ad procurandum commode, blanda illinitione ſua, liberum pulmonum motum, impediendamque ex attritu indeſinente noxam: quamdiu

diu nempe in viſcidum non abit exhalatio illa, nec in purulentum: hoc enim facto, connecti mox filamentorum primum ope animadvertimus cum pleura pulmones, & in functione ſua aliquantum turbari. Inviſibilis alias ros ille digitis adeo tractari poteſt, quando nempe ſumma hieme, conglaciatas laminas eximere licet, pleuram inter atque pulmonem ſitas, quas natare vidi, aquae immerſas: de quibus forte alio loco dicendi erit occaſio.

Mediaſtinum anticum, quod a medio ſterno deſcendendo unicam referre videtur laminam transparentem, quae tamen ipſa quoque facile in duas ſuas flatu ſeiungi pleuras poteſt, celluloſo habitu ſuo ſat amplum in altiori pectore facit loculamentum, thymo unicè dicatum. Eſt tamen viſcus hocce ipſo cavulo pectorali paulo amplius, &, in iunioribus certe, cum aetate enim evaneſcit *y*), ultra thoracem adſcendit, infimae glandulae thyroidi in collo annexum binis tenuibus lobulis ſuis altioribus: maxima autem pars corporis eius, levi manu vel cultelli ope in duo facile ſeiungendi, lobique inferiores, qui ſuperioribus longe ſunt ampliores, pericardio impoſiti, loculamento illo pectoris tertio continentur. Dicendum inſuper heic eſt, animadvertiſſe me lobulum praeter conſuetudinem alium, qui binis cornubus ſuperioribus erat interpoſitus, ſiniſtro tamen leviter annexus. Diſtinctum a reliquis vere fuiſſe lobulum, iſthmi inſtar ſe habentem, inde maxime conſtabat, quod pro eorum more flatu expandi ſine communicatione cum reliquis ulla potuerat, lacteusque humor exprimi.

Quartum pectoris cavum, mediaſtino poſtico limitatum, priori longius, omnem per pectoris longitudinem excurrit, cum contra prius ad ſextam, rarius ſeptimam coſtam, ubi in cartilaginem mox abit, ſubſiſtat; celluloſum aeque, ac dictum eſt de prio-

*y*) Penitus iam emaciatum reperi in cadaverculis trium annorum; tardius quoque exſuccum in aliis.

priori, pinguedine haud raro emollitum, & viam ſervans rectiorem; facilem ac tutum oeſophago tranſitum concedit, aſperae arteriae locum dat, aortae, venae cavae ſuperiori, azygo venae, ductuique thoracico; glandulae quoque bronchiales in eo continentur, lymphatica vaſa, ramulique ſanguiferorum vaſorum plures, bronchiales inprimis atque oeſophagi. Vaſa magna, quae cordi ſunt continua, nervique thoracem penetrantes, exceptis diaphragmaticis nervis, hi enim pericardii latus utrumque legunt, intra thoracem ſita, ſepimenti inſtar conſiderari poſſunt, cuius opera utrumque mediaſtinorum cavum propius terminatur, quorum anterius ſummo pectoris oſſe limitatum eſt, poſterius vertebrarum corporibus; utrumque ope arcuatae pericardii partis.

De pleura notandum inſuper: quod haud raro ultra primae coſtae marginem anteriorem adſcendere & ſaccum ibi formare ſoleat, ſubclaviae venae exteriori parte & ipſa primae coſtae curvatura interceptum, a quo obtuſe acuminata ſumma pulmonis pars recipitur.

Quintum haec inſequitur thoracis loculamentum, a pleuris denique excluſum craſſa ſua membrana, pericardio nempe unice circumſcriptum, cor continens, rore quoque, uti de duabus cavitatibus magnis dictum eſt, irrigatum; amplum, ad liberum cordi tutumque motum procurandum: Ex orientibus magnis vaſis, vix digitum latum a baſi cordis remotis, progredi videtur principio, reliqua parte vix paulum tenuiori. Ne autem fluctuando turbarentur reliquarum cavitatum pectoris contenta, nexu denique infima parte ſua firmatur, ſiniſtrorſum paulum inclinans, cum centrali parte diaphragmatis tendinoſa. Et ne inſuper praepediantur functiones vaſorum magnorum, cum ortum dent pericardio, falces provida natura vaſis, e corde exeuntibus, interpoſuit, verſus baſin cordis directas, & totidem puncta fixa pericardio efficientes, inter quae commode co-

arcta-

arctari, expandique vaſa poſſint, & meatus ſanguini concedi inde & ſervari liberrimus.

Praecipuae ſaccum earum conſtanter adſunt: craſſa inprimis illa, cavam venam & aortam interſepiens: Altera dein, aortae & pulmonali arteriae intercedens. De hac tamen dicendum, eam in recens natis canali arterioſo propiorem eſſe, & hunc, ut truncum pulmonalis arteriae praecipuum, ſeiungere ab aorta videri. Tertiam natura alteri arteriae pulmonali lateri adpoſuit, venam ibi pulmonalem ab arteria diiungentem. Haud tamen infrequenter illa evidens quoque eſt, arteriae pulmonali ſiniſtrae atque venae eiusdem lateris intercedens; & pone ſinum pulmonalem alia, utramque venam diſſepiens. Nec raro minores inſuper animadvertere mihi licuit duas: utramque magnae auriculae cordis dicatam: quarum una ad imam partem eiusdem abit; altera ad ſummam.

Rore hanc quoque cavitatem indigere ſuo & illinitione, cordis motui dicatam, in aperto eſt: valere autem heic quoque ſententiam, non tamen ita conſtanter, ut non ſaepius verum liquidum reperiatur in hacce cavitate, de ventriculis cerebri mox propoſitam, arbitror; ſint quamvis & hac de re opiniones aliae. Ubicunque de lubricandis modo partibus, indeſinenti, vel tamen vix remittenti motu munere ſuo defungentibus ſermo eſt, quales ſunt abdominalia viſcera, peritonaeo incluſa, pulmones pleurae, udae ibidem particulae illae, quamdiu nempe optime procedunt omnia, vix eſſe ſolent conſpicuae, certe in aquam non confluentes, praeterquam quod gelida hieme tenuiſſimam obſervari licet, de quo ſupra monui: ita quoque eandem ſervari in pericardii natura & functione rationem, credibile, certe probabile eſſet, etiamſi experientia edocti ea de re non eſſemus. At conſtat inſuper viſciditate vel ſubrubente colore peregrinum & morboſum quiddam, ab ulteriori corruptione vix gradu diverſum, prodi, quando evidens valde humor adeſt, & fluctuare quaſi cor in aqua pericardii videmus.

Sin-

Singularem his addam aquae illius obſervationem, quam in cadaverculo feci ſeptem menſium: Nempe turgebat valde pericardium, aqua, lympha & muco infarctum, & propius inſpecta aquae illius miſcela, mucoſam adeo fluctuare vidi in ea membranam, quae dimoveri a reliquo fluido facile potuit, eximi, & ſeorſum tractari. Magna autem erat humorum tantuli cadaverculi dyſcraſia: nam & cavum thoracis ſiniſtrum, univerſusque fere pulmo in eo contentus, ichore plena fuerunt. Integer autem remanſit pulmo dexter, bene conſtitutus: nec quidquam ſeri aut lymphae continebatur in cavitate dextra.

Rarum cum ſit, pleurae rorem ſub aquae ſpecie detegere, cava pectoris magna occupantem, addidiſſe heic non nocebit obſervatum verum, in puellula novem menſium hydropem pectoris, ex atrophia, qua halitum amiſerat, contractum. In utroque nempe cavo pectoris veram limpidam reperi aquam, aliquot cochlearia excedentem, qua pulmones quaſi compreſſi & iuſto contractiores flaccidioresque facti erant.

Rariores cum ſint veri polypi cordis, ac quidem putatum adhuc fuit a proſectoribus, recepti a Veteribus, plus nimium polypos accuſantibus, quando de mortis cauſa indicanda ageretur, vel ex ſectionum autopſia monſtranda contenderetur, veri & ſingularis polypi exemplum heic proponam. Aliquoties grumoſum & oblongam in carnem quaſi concretum reperi circa cor & vaſa eius magna ſanguinem in cadaveribus, cito ſatis cultro non ſubiectis, vel viſcido ex ſanguine diu iam ante obitum laborantibus: de quo ſatis teſtari ſolebant partium connexiones, viſcidarum aquarum congeſtiones & infarctus adeo viſcerum. Interdum etiam & balſamicus adeo ſanguis, optimus, mora congelari in polypoſam quaſi naturam poteſt poſt mortem demum: quod ex eo intelligitur, ſi radices non habent, ſed levi manu extrahi poſſunt. Et tales ſaepius occurrere, proſectores non facile negabunt. Polypus autem noſter in auricula cordis dextra haerebat, in ipſo fere angulo auriculari circa principium valvu-

lae mitralis, nempe cingulo cordis tendinoſo ac valvuloſo firmis radicibus annexus; ovum gallinaceum magnitudine aequans; non autem carneus erat, nec ruber, quam ſpeciem referre veri polypi alii ſolent, ſed ſteatomatis naturae accedens, durioris inſtar gelatinae; ac ſi ex pinguedinoſa ac lardoſa ſubſtantia conflatus eſſet, pallidiſſime luteus, membrana ſua, tenui eadem cinctus, & inde quaſi cyſticus factus tumor. Hunc animadverti in femina XL. aliquot annorum, tabe conſumta.

*In abdomine.*

De diaphragmate primum heic monendum habeo: in cadavere puellae X. circiter menſium inventum non ſimplex foramen, venae cavae tranſmittendae, tendinoſis fibris circumcirca munitum, ſed ſingularem plane habitum offerens. Fibris enim vere tendinoſis, quae irregularium, circulo ſeu foramini illo roborando factorum, ſoboles alias ſunt, ſepimentum aliquod efficiebatur: cuius ope, quod ſimplex ordinarie eſt foramen, ſeiungeretur in duo foramina, eaque non penitus verticaliter, ſi dorſo incumbens conſideraretur cadaver, nec horizontaliter diviſa, ſed aliquantum a ſiniſtro latere oblique dextrorſum deorſumque directis tendinibus. Foramine anteriori, quod ſimul ſiniſterius eſt ac maius, venae portarum truncus, e ramis ſuis hepaticis mox productus recipiebatur: foramen autem alterum, vis dexterius, minus, & aliquo modo poſterius, cavam venam tranſmittebat: ut demum mox ſupra tendinoſum ſepimentum illud ad ipſam vel magis in ipſa auriculae porta in unam bini dicti trunci confluerent venam cavam. Similem in modum, quod facile eſt ad concipiendum, diverſis & propriis ſuis foraminibus ſubſtantiam hepatis perfoderunt uterque venarum binarum truncus: heic magis paulo diſſitis quam in diaphragmate, ſit quamvis intercedens ſpatium fere nullum. A nemine cum adhuc obſervatum equidem legerim duplex noſtrum cavae foramen, texturae comparatio cum aliis locum non habet; neque cum ordinaria tendinoſarum fibrarum, quibus foramen cavae

ve-

venae muniri ſolet, conſtitutione: hoc tamen reticere de faſciculis tendinoſis, foramina, maxime autem illud cavam recipiens munientibus, nolo: conſtantem in omnibus non ſervare illos directionem, neque ita praeciſe, neque tam multiplicem in modum onuſtum eſſe archetypum, in uno eodemque cadavere, ac arbitrari videntur alii. Modo enim hos amare naturam vidi faſciculos, modo alios, ſaepius diverſos, quemadmodum reliquam quoque diaphragmatis texturam tendinoſam obſervare licet implicatam ac variabilem.

Et ne quidem in muſculoſo habitu ac directione fibrarum ſervare naturam eandem plane regulam videmus. Itaque & de hiſce aberrationibus non nihil proferre heic, argumenti ſeu obſervationis affinitate iubeor. Conſtanter quidem carneo firmatur faſciculo foramen oeſophageum, utrinque uno, varium autem haud raro in modum deſinere illos vidimus: ita in puella XV. menſium dexter horum faſciculorum, decuſſando alterum infra orificium, ante comparem hunc ſuum alterius lateris incedebat, & tenuis idem, deorſum primo oblique, ſiniſtrorſum dein vergens tendinoſus ibi factus erat, poſtquam aortae hiatum ſuperaverat; & talis ante muſculoſi cruris diaphragmatis ſiniſtri partem infimam, quae mox in tendinem ſuum abit, tendinoſus pergebat, qui alias ibi terminari & communi tendini cruris ſiniſtri immiſceri ſolet. Mox deinde ante muſculum pſoam carneis augeri a diaphragmatis ſiniſtri fibris infimis intimisque (ſi immittere illi eas nolumus) inſuper animadverti, qui tandem tenui expanſione ſua tendinoſa ſummam pſoae partem adibat, in eaque evaneſcebat intra arcum diaphragmatis tendinoſum ſiniſtrum. In utroque autem latere confuſas vidi infimas fibras diaphragmatis carneas cum carne muſculi quadrati lumborum: uti & tendinoſus limbus ille, quo infimi ac intimi diaphragmatis limites obducuntur, diſtinctus ſatis non eſſet. Neque tamen ita diſtincte limbus iſte in duos ſeiunctus erat arcus, altiori uno atque interiori, exteriori altero & inferiori, quales tradere nu-

perrime & Icone exprimere vidi Cel. ROEDERERUM z); neque tendines crurum (quae *appendicum* quoque nomine ac *capitum* nota ſunt) aeque longos exhibuit idem cadaverculum; cum ille cruris dextri ad inferiorem uſque deſcenderet tertiae vertebrae lumbalium partem cartilaginoſam, tendo autem ſiniſtri cruris brevior eſſet & exilior, vertebram ſecundam modo attingens. Ceterum uterque tendo ante inſertionem craſſiuſculus erat ac rotundus, ad inſertionem ſeu ortum potius demum expanſus & latior ac tenuior factus.

Ultra quidem progrediendum eſſet: ante tamen, quam deſerere ſeptum transverſum poſſim, de arteriolis, quae cruribus eius proſpiciunt, monendum habeo: proprium adeſſe aliquando ſurculum, ex ipſa aorta prodeuntem. Duo etiam vidi, unoquoque cruri ſui lateris proſpicientes. A phrenicis non omnes irrorari crurum partes appendicales, notum aliunde eſt, ſed a capſularibus ſaepius ſurculos illuc dimitti. Has autem arteriolas aorticas diſtinctiſſimas a reliquis, exiliſſimas haud raro quidem & tectas aortae trunco, & ideo forte a nemine, quod ſciam, animadverſas, vidi. Notabiles autem ideo ſunt aeſtimandae, quia ordinario adſunt, & haud infrequenter, maxime quando unica, quae tamen ipſa tum in duas mox findi phrenicarum in morem ſolet, non cruribus modo diaphragmatis, ſed proxime adſito ganglio ſemilunali unice dicatas. Aliquando etiam hos trunculos ganglio proſpicere, ſimulque ſurculos impertiri vidi plexui meſenterico ſuperiori. Paralelli ortus ſunt cum arteriis renalibus, ſitu autem obſcuriores. Ne autem confundantur cum trunculo alio, quem tamen rarius animadverti, diſtincto illo, anterius ex aorta & pene lateraliter exeunte, monendum eſt: hunc enim cavae

z) In Programmate, *Animadverſiones de arcubus tendineis muſculorum originibus* ſiſtente, Diſputationi *Steinianae* de *Signorum graviditatis aeſtimatione* ſubiuncto, p. IX. & X.

cavae ſe tunicae immittere vidi, viciniſque partibus membranoſis, in cadaverculo XIIX. menſium.

Eundem in modum prope arteriae meſentericae inferioris ortum dare aortam trunculos exiliſſimos, uti facile eſt ex functione eorum iudicare, nervoſo plexui meſenterico inferiori proprios, vicinam tunicam celluloſam ſimul irrigantes. Tenuiſſimae ſunt omnes, uretericis arteriolis ſimillimae.

Variare quam ſaepiſſime & multiplicem in modum vaſa renalia, capſularia, atque ſpermatica, notiſſimum eſt iis etiam proſectoribus, qui vix ſolent animum ludenti naturae advertere. Aliorum obſervationibus unicam heic addere, ſpermaticae arteriae ſingularem animus eſt: quae novi ſpeciminis inſuper loco eſſe poteſt, ordinem non ſervari a natura ita praeciſum in orientibus ac dirigentibus vaſis, ſed multis modis ſcopum attingere poſſe illam ſuum, contra quam diſputant quidam Phyſiologorum, qui Syſtematibus nimium indulgent, in iisque placere ſibi videntur. Hoc in genere ipſius magni Boerhaavii ſententia eſt, quando conſtantiſſima lege naturae ſub renalibus ſpermaticas oriri aſſeverat arterias *a*): innuens inſuper, rem magni forte momenti latere in conſtituto illo mechaniſmo poſſe, ac ſi diverſae eſſent indolis ſanguis, inferius paulum vel altius ex amplo aortae rivo dimiſſus. Mihi certe in puero X. dierum, praeter arteriolas alias, hoc inſuper ſingulare offerebatur: quod arteria phrenica dextra, vix paulo altior dimitteretur ex aorta ipſis emulgentibus, mox infra caeliacam, infraque meſentericam ſuperiorem, (ſiniſtra de more ex aorta prodibat, capſulae ſimul proſpiciens) in duos prope ortum ramos fiſſa. Minor horum capſulam atrabilariam ex parte adibat, indeque trans renem, in quo ſulcum cum ſocia vena relinquebat, deorſum ferebatur, ad inguen atque teſticulum ſui lateris delatus, veramque arteriam ſpermaticam efficiens. Cum alter ramus, ſeu trunculus, ſurſum mox ad viſcus



*a*) Inſtitution. medicar. §. 641. & in eum Praelect. academ.

ſcus ſuum, diaphragma properaret, totus illi inſumtus, praeter exiles ſurculos, in via capſulae conceſſos.

Non autem ſanguifera modo vaſa renum multiplices admittere variationes & veros naturae luſus, conſtat, ſed & de pelvi renali, ureterumque habitu plures exſtant obſervationes. De utroque horum aliquid dixiſſe non nocebit, aliaque ſubiungi huc pertinentia. Amplam, nempe, longam nimis, ſimplicem tamen, exhibuit mihi puella recens nata pelvim renalem, exitu e rene dextro duplici inſtructam: unus e medio rene exibat ureter, alter ex infimo, ſuam tamen directionem ſervabant uterque, & diſtincti bini incedebant, usque ante immiſſionem in veſicam, ubi demum in unum confluebant communem urinae ductum.

Duplicem dein femina XXXII. annorum & pelvim habuit, & ureterem in rene ſiniſtro duplicem: alter horum e ſummo fere rene exibat, alter ex infimo, prominente ad ureterum ortum pelvium utraque. Iſthmus nempe aderat renalis *b*), cuius ope in duas pelves ren erat ſeiunctus, craſſulus, eminens & utrique pelvi intercedens. Ceterum, uti dictum eſt de prioribus ureteribus, ita & hi quoque diſtincti & ſeiuncti incedentes, vix demum ante veſicam urinariam in unum confluebant.

Sed vitia quoque alere has partes prae viſceribus aliis ſua, in iunioribus etiam cadaverculis obſervabilia, ſedulae produnt inſpectiones. Illa, quae habitus viſceris & vaſorum admittere ſcimus diſcrimina, animadverti promiſcue ſolent in utroque latere. Morbis contra vexari renem ſiniſtrum longe ſaepius prae dextro, exemplis indicatur haud raris. Et ſuum huc conferre renalium vaſorum ſitum atque directionem, extra dubitationem poſi-

*b*) Non qualem delineavi in theatro anat. Göttingenſi (volupe mihi ſemper erit eam appellare meae qualiscunque eruditionis anatomicae officinam), cuius miniſterio in unum confluebant renum uterque. Icone expreſſum vide in Ill. Halleri Foetus bicipitis deſcriptione fig. IX.

poſitum videtur: ſiquidem longe ſaepius premi venam emulgentem ſiniſtram, ſicque turbari ſanguinis reditum, renemque eundem pluribus vitiis contrahendis eſſe obnoxium, facile inde intelligatur. Ita in puero ſex hebdomadum viſcida materie infarctam reperi pelvim renis ſiniſtri, in qua tamen, medium inter turbulentum mucum, verum ſabulum facile erat diſtinguere.

In puella quindecim hebdomadum ureter renis ſiniſtri praeter morem diſtentus erat, & urina plenus; & ipſa quoque pelvis renalis iuſto amplior. Ultra inquirens in cauſſam, infimum ureterem muco turgidum vidi, cuius tenacitate ureter a penetrandis veſicae tunicis praecluderetur, adeo ut tota exoneratio renis ſui interciperetur.

His ſubiungenda, quae ſingularia, huc quidem ſpectantia, morboſa eadem obtulit cadaver feminae triginta annorum. Ren dexter magnus valdopere erat, ſiniſter vero pinguedine, qua multum ſcatebat abdomen univerſum, obtectus, exiliſſimus, vix carneus, flaccidus, craſſa intus pelvi cinctus. Calculi in hac continebantur exiles, (quos ſervo) aurei coloris, plus duodecim. Maximus horum, oblongus idem, nucis avellanae magnitudinem fere aequans, ad medium iam deſcendit ureterem, ubi ad vaſa in margine pelvis oſſeae pervenerit iliaca. Ad hunc uſque locum diſtentus valde erat ureter e rene egrediens, reliquo autem decurſu ſuo nihil praeternaturale habuit. Sed invitati ſimilitudine vitii calculos quoque huc vocabimus, quos, bilis loco, felleam veſiculam occupaſſe in eodem cadavere vidimus, numero undecim, nucis itidem avellanae magnitudine, & his minores. Coloris hi erant ex nigro videſcentis, leves valde, fundum tamen petentes aquae mox immiſſi: quamprimum vero ſicci paulum redditi fuerint, aquae innatabant, ſeu magis ſupernatabant; facile inflammabiles, flammam, candelae admoti, concipientes.

Iuvat & hoc adiicere: ne nimium irritentur ureteres a vitiis adhuc dictis, proprio his proſpicere vaſorum apparatu natura

tura viſa eſt, ampliori adeo, quam ſimplex functio ac nutritio eorum exigeret. Lubricatione enim continua indigent, ne ab acrimonia urinae, aut viſciditate adeo, nec a calculis ſubinde irritentur nimium canales membranoſi, diſtenſionis capaces, diametrum tamen per omnem decurſum non aequalem ſervantes, ſed amplioribus hinc inde intervallis gaudentes. Plurimis ideo arteriolis, quas vel aortae ipſius, vel iliacae ſoboles eſſe vidi, vel ab hypogaſtrica, vel a ſpermatica dimiſſas *c*) irrigantur ureteres, & venulis quoque: quas modo emulgentis rivulos eſſe animadverti, modo ſpermaticae. Non vero eodem numero ſurculorum in unoquoque cadavere, adſint quamvis conſtantiſſime aliquot horum, perreptari ureteres obſervatur: in aliis cum ſint pauciores trunculi, in aliis plures. At vero hoc notatu dignum in hoc mechaniſmo mihi quidem videtur: quod eodem ex vaſculorum apparatu veros hinc inde plexus, duos aut plures, in decurſu ſinguli ureteris a rene ad veſicam uſque productos animadverti, haud diſſimiles glanduloſis iis, quoad iudicare ex aſpectu licet, quibus gaudere ſolet inteſtinum Ileon, iisque diſtingui a reliquis inteſtinis; nec forte a miniſterio lubricandarum urinae (quod iliacae faecibus praeſtant) viarum recedentes.

(*Caſſellis Halam miſſae d.* 20. *April.* 1765.)

OB-

*c*) Spermaticae ſoboles & Iliacae vidit quoque WINSLOVIUS *Expoſit. anatom. Tr. des art.* §. 221. & 229. Ex aorta prodeuntem obſervaſſe ſe ait BAGLIVIUS Diſſ. VIII. Oper. p. 615. Ab emulgente ſurculos (quos poros dicit) ad ureterem ſecedere obſcure innuit, & ſemel modo anno 1532. obſervatos laudat *Nic.* MASSA lib. Introductor. p. 32. b. Fuſe autem & optime de arteriis uretericis egit & figuris rem illuſtravit Ill. HALLERUS Icon. anat. Faſc. VIII. p. 39. Faſc. VI. p. 60. & 61. & in Commentar. in BOERHAAV. Vol. III. p. 31. & 229.

# OBSERVATIO CII.

## Dn. D. PETRI IMMANVEL HARTMANN.

### *Anatomes practicae Specimen, Obſervata quaedam in Puellae ſeptennis corpore complectens.*

Magnam omnino in cognoſcendis morborum ſedibus cauſſisque vim ineſſe in illa Anatomes parte, quae hominum, ex ſingularibus definitisque morbis demortuorum, cadavera incidit, fabricaeque humanae mutationes exinde factas naturalique ordini adverſas diligenter rimatur, vel ipſo *Anatomes practicae* ſive *pragmaticae* nomine, huic diſſectionum generi indito, nobiliſſimi artis noſtrae Profeſſores profeſſi ſunt, & partim ſingularibus ſcriptis demonſtrarunt *), partim integris huiusmodi obſervatorum anatomicorum ſelectorum voluminibus honeſtiſſimam exempli imitationem reliquis prodiderunt; quo nomine inprimis commemoranda ſunt immortalia illa opera *Theophili* BONETI **) &, qui hunc multis paraſangis poſt ſe reliquit, venerabilis illius ſenis omniumque Anatomicorum noſtra aetate viventium, tam annis, quam anatomico exercitio, ſenioris, *Ioannis Baptiſtae* MORGAGNI, Profeſſoris primarii Patavini ***).

No-

*) Citandi, verbi cauſſa, ſunt *Thomas* BARTHOLINUS, cuius *de Anatome practica, ex cadaveribus morboſis adornanda, conſilium* Hafniae cIↄcLXXIV. prodiit, & *Petrus* GERIKE, qui *Programma de Anatomiae, praeſertim practicae, vero uſu* Helmſtadii cIↄIↄCCXXXVI. in lucem emiſit.

**) Lucem vidit hoc Opus, *Sepulchretum ſive Anatomia practica* inſcriptum, duobus Tomis *Genevae* cIↄIↄCLXXIX. in fol. dein tertio Tomo auctum, *Lugduni* cIↄIↄCC.

***) Incomparabile hoc Opus *de Sedibus & cauſis morborum per Anatomen indagatis Libri quinque* inſcribitur, exiitque foras duobus Tomis *Venetiis* cIↄIↄCCLXI. in folio.

Noſtrarum exiſtimamus partium, tantorum Virorum veſtigiis inſiſtere, & particulatim, prout porro dabitur occaſio, aliquas Anatomes practicae ſymbolas in medium proferre.

Seligemus autem nunc commemorabile puellae cuiusdam ſeptennis, in ſumma familia natae, exemplum; in qua ab ipſis primis incunabulis per omnem reliquam vitam admodum varia eſt deprehenſa valetudo, mox levibus tantummodo motiunculis tentata, mox vero gravioribus tenacibusque morbis exagitata. Erat autem a natura in puella hac magna corporis teneritas mollitiesque, & multus, ut cum celeberrimo quondam viro, *Ioanne* IUNKERO, loquar, ignobilis mucus, plerorumque nobilium hoſpes; cui inſitae atque innatae corporis infirmitati augendae plurimum favebat ipſa educatio, quod ad ingenii cultum attinet, nullo quidem modo vituperabilis, &, ut a matre honeſtiſſima eminentique ſui ſexus ornamento exſpectari poterat, maxime ingenua & paene divina; at, ſi corporis curam ſpectaveris, ſeculi genio accomodata. Quippe, ut gratam proceritatem gracilitatemque conſequeretur, filiolam hanc optima mater thorace balaenato valentius adducto conſtrinxit, cibi modicum dedit, ſolamque aquam, non omnino in ea regione ex puritate commendabilem, permiſit bibendam; imitata veteres Romanas matres, quarum filias depinxit TERENTIUS *),

*quas*, inquiens, *matres ſtudent*
*Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient;*
*Si qua eſt habitior paullo, pugilem eſſe aiunt; deducunt cibum,*
*Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas.*

Verum enim vero ſeverior haec educationis vitaeque norma in contraria omnia dirigebatur, ſimul ac matris conſpectum effugere paullulum poterat haec puellula. Videris tunc iſtam cum famulis egregie comeſſari, immo tuburcinari, ob metum acceſ-

*) In *Evnucho*, Act. II. Scen. III.

acceſſurae matris, & largo cereviſiae potu crudioribusque cibis, lardo, petaſone, braſſica recenti & condita, paſtillis farinaceis tenacioribus, caſeo veteri & arido, idque genus aliis ad ſatietatem ita expleri, ut aliqua abdomini opus eſſet relaxatione, oporteretque rigidum thoracem nonnihil ſurſum trudi, aut eius ligulas remitti. Inter haec puella noſtra iam ex quinto aetatis anno frequentioribus ventris doloribus citaque alvo laboravit, ſenſimque ipſum abdomen intumuit induruitque. Ex quo ſollicita filiolaeque ſuae praemetuens mater ſuſpicata eſt, ſubeſſe quidquam verminoſae colluviei, in tubo cibario congeſtae, eoque nomine ſaepius datis, quae Medici dicunt, anthelminticis medicamentis hanc peſtem velut evertere eſt conata. Tantum vero abfuit, ut haec vel tantillo eſſent levamento, vermesque, a matre exſpectatos, unquam ex inteſtinis propellerent, ut potius in dies frequentiores dolorum profluviorumque alvinorum fierent acceſſiones, & tumor duritiesque abdominis ingraveſceret, tandemque, ne ulla calamitas ſit ſola, exeunte circiter ſexto, quem vixerat aegra haec, anno, frequens exonerandae veſicae ſtimulus ſuperveniret. Quae dum fierent, aegra mox obtuſo fuit ſtomacho, mox avido & excitato; ſub veſperam quoque paullo magis ſiticuloſa, ſine notabili tamen febre. Atque ſic tandem a mali pertinacia atque diuturnitate cachexia ſubrepſit, foedo pallore faciem aegrotantis puellulae ſuffundens.

Accidit vero, ut ineunte vere anni CIↃIↃCCXI. aegrota haec, ſeptem aetatis annos nondum penitus ſupergreſſa, ſubito acuta corriperetur febre, inteſtinis ſimul exquiſitiſſimo dolore, copioſiſſimo chyloſo profluvio, & intenſo ardoris ſenſu maxime infeſta. Vocatus mox in conſilium auxiliumque vicini cuiusdam oppiduli Pharmacopoeus, leniſſimis diapnoicis & antiphlogiſticis remediis atrocem oppugnavit morbum; ſed plane fruſtra. Tertio enim morbi die, accedente veſpera, aucto mirifice febrili aeſtu, inteſtinorum cruciatibus fere diſrupta aegra vehementer deliravit. Tum ego media nocte excitatus e ſomno

 acce-

accedo ad aegrotam, advectus circa horam ſeptimam matutinam, eandemque non deliram ſolum invenio, ſed & miſerrime a nervis convulſam. Arteriae celerrime pulſabant, ſed debili contractoque ictu. Frigidiſſimo ſudore madebat facies: abdomen vero, maxime turgidum & renitens, ſicciſſimo aeſtu velut ardebat. Lotii ratio reddi non poterat, quippe quod inſcienti effluebat, & ſimul ſpumoſis foetidiſſimisque alvinis permiſcebatur faecibus, quarum copioſiſſimae & fere continuae erant deiectiones. In his, (quod admodum mirum erat viſu,) reiectis excrementis ſubinde globuli nigricantes, nucis avellanae magnitudinem circiter referentes, inſignis duritiei atque ſiccitatis, una cum faeculenta ſpuma reiiciebantur: qui etiam clyſmatis admiſſionem, antea aliquoties tentatam, ſine dubio irritam fecerunt. Circa quarti huius diei meridiem, datis mitioribus antispaſticis remediis, defervefcebant nonnihil convulſiones, paullulumque ad ſe redibat aegrota. Verſus veſperam vero febrilis calor denuo mirifice auctus ecce! maximam puſtularum varioloſarum vim, inter perpetua aegrae puellae deliramenta, expulit, & inter haec quoque enorme alvi profluvium mitigari coepit. Subſecuta nocte media iterum nonnihil nimius deferbuit calor mentisque alienatio, tumque ſub diluculum ſatis placide aegra dormivit. Mane redii Helmſtadium, imperato antea aegrotae temperatiſſimo, quod nos dicimus, regimine & diapnoicorum atque antispaſticorum longe mitiſſimorum uſu. Atque hoc die ad quintam uſque poſt meridiem horam ſatis conſtantis animi nullisque ſpaſmis convulſa aegrota, placido ſomno ſubinde eſt relevata.

Tum vero ſubito omnia in peius ruere coeperunt, intenſiſſimusque acceſſit calor, vehementiſſimorum deliriorum comes, hora vix elapſa detepeſcens, funeſto que pallori lurido locum concedens. Quippe tunc inexhauſta rediit diarrhoea, collapſaeque in alveolos variolae ſphaceloſum contraxerunt nigrorem. Tum quoque nervi graviſſime convulſi ſunt, donec

hora

hora undecima nocturna adeo vis morbi ingraveſceret, ut aegrota haec in ſua reſolveretur initia, coeloque animam redderet coeleſtem.

Inter ea ego iterum Helmſtadio accitus iam demortuam inveni. Tot autem variolarum collapſarum & ſphacelo obſeſſarum deteſtabili lurore & tumida ſimulque admodum dura abdominis, praeſertim in regione epigaſtrica & lumbari ſiniſtra, diſtenſione ita deformatum erat cadaver, ut hanc puellam nunquam lectae, qua, dum viveret, eminebat, venuſtatis fuiſſe exiſtimaſſes. Dum autem ſcybalorum iſtorum duriorum, ſubinde ſpumoſa inter excrementa reiectorum, recordarer, & etiam nunc inſignem abdominis tumorem perſiſtere viderem, perſuaſi moeſtiſſimae matri, permitteret, abſconditas harum rerum cauſas diſſectione inveſtigari. Veniam dedit ea lege, ut, praeter abdomen, nulla ex reliquis cadaveris partibus cultro anatomico attentaretur.

Atque haec ego hactenus, quae ad morbi indolem eventumque pertinent, curatius expoſui, ut omnia facilius exactiusque cum iis, quae diſſectioni debentur, obſervatis conferri poſſent. Vndecim igitur a morte horis praeterlapſis aperui cadaver adſtantibus una iam ſupra dicto Pharmacopoeo & Chirurgo quodam. Diſſectis omnibus, quae inferiora viſcera complectuntur, integumentis, apparuit ſtatim omentum maxime emaciatum & velut exſuccum, atque adeo verſus ſuperiora retractum, aut potius a turgidis inteſtinis propulſum, ut vix ad eum, quo epigaſtrium umbilicali regioni committitur, locum pertingeret. Praeter haec ipſa vaſa epiploica, praeſertim in ſiniſtra parte, nigricante ſanguine quaſi infarta erant; venae tamen largius, ac arteriae. Hepatis magnitudo colorque, nec non durities, naturali conſtitutione non plane conveniens deprehendebatur. Quippe naturalem magnitudinem quarta minimum parte excedebat, &, longius in hypochondrium ſiniſtrum tenuiore ſuo lobo progreſſum, lienem fere attingebat; totum ve-

 ro,

ro, quantum erat, ex pallido liveſcebat. Tactu denique hepar iuſto durius erat. Revoluto iecinore, fellea cyſtis admodum magna atque turgida eſt viſa; qua inciſa ob ſpiſſitudinem fere guttatim exſtillavit nigerrima & incredibilis, dum guſtu exploraretur, amaritudinis bilis, liquidae pici parum abſimilis. Ventriculum admodum parvum atque compreſſum, & naturali ſuo ſitu, quem potiori ſui parte alias in epigaſtrio occupat, depulſum deprehendi; ſiquidem omnis fere in hypochondrio ſiniſtro iacebat, eoque loco, quo vaſa gaſtrica ſiniſtra cum eiusdem lateris epiploicis coëunt, leviter erat incenſus. Inciſo ventriculo, ſubfuſcus & ſoetens liquor, unius fere unciae pondere, effluebat.

Maximam vero ſecantis attentionem mereri videbatur univerſus inteſtinorum tractus, qui incredibili modo diſtenſus & turgidus, ad tactum inaequalis, & magna ſui parte globulis quaſi lapideis refertus erat. Ante omnia cum ea inteſtini coli pars, quae proxime ſub ventriculo, zonae in modum, in transverſum fertur, tum ea ilei inteſtini portio, quae inferiora iliaca & hypogaſtrica loca occupat, tanta ſcybalorum duriſſimorum copia deprehendebatur plena atque conferta, ut non ſolum omnis fere reliqua tenuium inteſtinorum particula, quae iſtis interiacet, velut compacta ſit atque compreſſa, verum etiam ipſa illa priora inteſtina, leviter agitata & inter ſe colliſa, haud obſcurum crepitum edidiſſe ſint obſervata. Singulis his inteſtinis interiectum meſenterium omni fere carebat pinguedine, gyrisque inteſtinalibus compreſſis ita intortum erat, ut etiam paſſim arctiſſime cum iisdem concretum ſit animadverſum. Praeter haec multis quoque locis ſideratum erat, paſſimque ſcirrhoſis glandulis ſcatebat: e quibus aliae adhuc ſcirrhoſam conſervarant duritiem, aliae vero, tanquam folliculi, atro & ſordidiſſimo tabo turgebant. Ab his parum abluſit pancreas; quippe quod magna ſui parte, eaque potiſſimum, quae a liene propius abeſt, ſcirrhoſum, & in diſtinctos lobulos exſuccos diviſum, latiori

vero parte, quae duodeno adhaeret, minus vitiatum deprehendebatur. In liene nihil viſum eſt a natura alienum.

Tum vero, ſeparatis his omnibus atque ex abdomine exemtis, quae peritonaei ſacco continentur, viſceribus, ad interiora perveni, quae externa celluloſa peritonaei tela teguntur, inquiſiturus. Vtriusque renis conſtitutio ſic ſatis naturalis erat, niſi quod ſiniſter paullo durior eſſet altero, evidentioribusque quaſi lobulis magis diſtinctus. Capſulae ſuprarenales, vulgo atrabilariae dictae, admodum parvae erant, fabricae caeteroquin indolisque conſuetae. Nec utero aliquid vitii, tam in magnitudine, quam in fabrica reperiundi, inhaeſit. Enim vero non aeque incorrupta veſicae urinariae inerat integritas. Protinus enim, primo ſub adſpectu, vitioſi habitus ſuſpicionem movit hoc, quod eadem adeo in ima pelvi lateret, ut ſolo tactu, neutiquam vero viſu, potuerit cognoſci. Circumſpecta igitur diſſectione erui & produxi totam veſicam, adhaerentibus urethra, inteſtino recto, uteroque. Tunc ego intellexi facile admiratusque ſum tantae parvitatis cauſſam. Ea nempe huius veſicae craſſitudo duritiesque erat, ut nec compreſſuris digitis cederet, nec flatu, per urethrae canalem fortius admiſſo, vel tantillum diſtendi expandique ſe pateretur. Mediam lineam, (Graeci διάμετρον vocant,) & quidem longiſſimam, transverſum ductam, circiter ſeſquipollex aequabat. Vniverſa autem huius viſceris compages velut occalluerat, & in duram albamque ſubſtantiam, quam non latino nomine dicunt, abierat, ſuaque craſſitudine ad ſextam pollicis partem accedebat. Quod tamen mireris, in tanta veſicae labe ureterum canalis integer manſerat, & libero patuloque oſculo utrinque in veſicae cavo hiabat. Interiores vero veſicae partes, eae praeſertim, quae cervici ſunt propiores, paſſim levi tantummodo incendio tactae ſunt viſae.

Supererant nunc accuratius inſpicienda, quae ſepoſueram antea, inteſtina, excutiendique illaetabiles ii hoſpites, qui, dum viveret adhuc aegrota, his partibus tot tamque atrocia intulerant

rant mala. Atque hunc univerſum tubum cibarium, mirifice, ut iam ſupra commemoravimus, tumidum atque expanſum, infinitis paene locis, potiſſimum tamen in ileo coloque, partim leviores, partim graviores & ſphacelo terminatae occupaverant inflammationes. Quum ergo ob ſphaceloſa haec loca minus bene commodeque inverti, hacque ratione a ſcybalis purgari poſſent inteſtina, ſimulque ego id vellem, ut in ſingulis inteſtinorum tractibus, quaecunque ibi deliteſcerent, ſeorſim cognoſcere poſſim, ad longitudinem tubum hunc per partes incidi, orſus a duodeno. In hoc parum admodum liquoris leviter ſpumoſi, ex rubro fuſci, & nonnihil tantummodo foetentis, inerat, nec interior huius inteſtini facies plurimum a naturali recedebat. Quum vero hoc in itinere incidens pergerem ad ieiunum, magis magisque augebatur praedictae huius ſpumoſae faecis copia; quae etiam, quo longius in tractu ſuo ieiunum incidendo perſecutus ſum, & nigroris, & foetoris eo maiora cepit incrementa. Interiorum huius inteſtini tunicarum conditio varia erat, hic naturali ſimillima, illic a ſphacelo diffluens; prout nimirum peſſimum hoc malum diverſas in tenui hoc inteſtino ſedes occupaverat. Dum inciſio haec uſque in ſiniſtrum latus penetrarat, omnesque anteriores & in umbilicali regione iacentes huius, aut, ſi mavis, ilei (quis enim in incerta re maxime diſceptet?) gyros aperuerat, ecce! iam in tenui hoc inteſtino, ſiniſtro hoc tractu, in conſpectum veniebat tantae illius expanſionis atque duritiei cauſſa, magna nimirum vis & infinita congeries duriſſimorum ſcybalorum fuſcorum & nigricantium, inconſtantis quidem, potiſſimum tamen globoſae formae; quae ſingula in interiectis interſtitiis, iisque, quibus inteſtini latera attingebant, locis, a liquore illo ſpumoſo & faeculento, ſuperiorum inteſtinorum inquilino, perluebantur. Atque haec etiam perfecte eadem omnium inteſtinorum craſſorum erat conditio, idem ſtatus, eadem obſtructio, idem percolationis negotium. Permiſi adſtanti Chirurgo foetidas has ſuaeque dominae quon-

dam

dam permoleſtas ſarcinas colligendas. Solus duriorum ſcybalorum ſelectorum apparatus erat quatuor librarum & trium unciarum pondo. Horum induratorum excrementorum globuli plures ex vinaceis quaſi compacti & conglutinati erant; quum tamen demortua puella ſaltem trimeſtri intervallo amplius vinariis uvis veſci non potuerit. Ceterum mundata haec inteſtina, praeter plurimas ſphaceloſas corruptiones, hinc inde minoribus glandulis ſcirrho induratis ſcatebant. Atque hic erat examinis noſtri anatomici finis.

## *OBSERVATIO CIII.*

# Dn. D. PETRI IMMANVEL HARTMANN.

De

## *Calculis in veſicula ſeminali repertis, aliisque notatis anatomicis.*

Morbi admodum implicati compoſitique, qui honeſtiſſimo cuidam Viro, & natalium ſplendore, & munerum dignitate maxime illuſtri, quindecim annis amplius valetudinis intulit infirmitatem, tandemque, novo caſu adverſo accedente, vitam, octogeſimum annum iam ſupergreſſam, exhauſit, quum exprimere iam ſuſceperim, intereſſe omnino arbitror ad inſtituti huius rationem, paucis antea exponere, quomodo in hoc viro a natura comparata fuerit corporis conſtitutio, & quaenam eidem a vario vivendi genere induci potuerint mutationes. Nobiliſſimo genere natus eſt noſter in vico quodam Saxoniae inferioris, ad Ducatum Brunovicenſem pertinente; cuius natalis loci ob aëris puritatem temperiemque magna erat opportunitas, ideo memoranda, quod locorum natura efficaciſſimam vim in incolarum corpora habere obſervatur. Proinde etiam puero firmum validumque fuit corpus; cuius quaſi connatae firmitudinis veſtigia nec ipſae infinitae ſenectutis aerumnae aegrotationesque tollere

prorſus potuerunt. Vitae victusque conſuetudo ſimplex fuit & duritiei patientiaeque adſueta moresque integerrimi, ut patriam noſtri domum veterum Germanorum domicilium exiſtimaſſes. Calidi iſti Chinenſium Turcarumque potus, quorum magna nunc ubivis eſt bibendi dulcedo, illinc penitus aberant, ſitisque hauſtu gelidae aquae, cereviſiae, vinique reſtinguebatur. Vix ephebus factus in numerum puerorum nobilium ex cohorte Ducis Saxoniae, ni fallor, Salfeldenſis eſt receptus, multusque fuit in venationibus equitationibusque, ut aulicae vitae eſſe ſolet conditio, hisque laboribus iam validiſſimum corporis iuvenilis robur magis magisque in dies confirmavit. Quippe tunc luculentius evoluta eſt connata corporis temperies cholerica, quam Medici vocant; corpusque toroſum, firmum, robuſtum, maiusculis vaſculis diſtinctum, habilem laboribus valetudinem effecit. Dehinc in aulis nonnullorum Ducum Saxonicorum, Erneſtina ſtirpe ortorum, varia munerum genera, dum viriles erant anni, honeſtiſſime percucurrit, atque his in officiis, prout diverſa eorundem erat ratio, mox mobilem, mox ſedentariam ſectatus eſt vitam. Nuperrime tandem in aulam tranſiit patrii ducis Guelpherbytani, perhonorifico in loco collocatus: quo in munere nihil facile deſideraveris, niſi quod paullo alienior eſſet a ſalutari corporis motu. Atque ita noſter, per omnem vitam, ſervata, quoad eius fieri potuit, eadem victus ratione, ſuperatis virilis aetatis terminis, vegetus firmusque ingraveſcentem attigit aetatem. Omni hoc, dum vixit, tempore, ſicuti ſaepenumero ipſe humaniſſimus ſenex mihi narravit, ſingula, quae in ſanum cadunt corpus, functionum genera expeditiſſima atque integerrima habuit: cibi nimirum appetentiam, alvi veſicaeque in reddendis, quae continent, excrementis obſequium, temperatumque, quod honeſtos decet, licitae Veneris deſiderium; unde quoque plurium librorum, ſago togaque illuſtrium, parens eſt factus. At ſeni circiter plus quam ſexagenario coepit eſſe corpus nonnihil debile atque invalidum,

quip-

quippe, ut deinde narrabimus, renum ſabulo & contracta exinde lotii emittendi difficultate ſaepius excruciato. Publici ergo muneris vacationem petiit: qua impetrata, ſe in villam ſuam, a parentibus acceptam, contulit, & per omne reliquum vitae tempus, inter varias valetudinis viciſſitudines ſenectutisque incommoda, ſectatus eſt requiem, dulce illud laborum lenimen.

His ita praemiſſis, ſeriem nunc & adfinitatem eorum morborum, qui firmam ceteroquin huius Viri valetudinem infeſtarunt, ſtrictim exponemus. Puero nullus, ſi variolas morbilloſque exceperis, gravioris naturae accidit morbus. Ex priori tamen iſto adfectu, qui in ſecundae dentitionis tempora inciderat, per ſemeſtre fere ſuperfuit ipſi oculorum lippitudo, crebriori dein aquae purae frigidaeque adſperſione tandem diſcuſſa. Iuvenilem poſt haec aetatem nulla morborum tetigit labes: nec viro quantulumcunque incommoda fuit valetudo, praeterquam quod quadragenarius leviſſima quadam febre, quae tertio quovis die circuitum habet, implicaretur; idoneorum remediorum uſu mox denuo reſtitutus. Vergente vero hac ipſa virili aetate, duo circiter ſupra quinquaginta annos nato ſenſim varia corporis obreperunt mala, peiorum ſubſecutorum initia & quaſi ſeminaria. Quippe tunc primo levioribus infrequentioribusque, dein, ſuccedentium annorum decurſu, gravioribus crebrioribusque rhevmatismis, varias corporis partes attingentibus, vexari coepit. Quorum dolorum ab initio facilis remedioque obſequens erat natura; epotis enim aliquot roob Sambuci, quod barbaro nomine Medici vocant, iuſculo quodam temperati, vaſculis, mox iterum ceſſabant: per aetatem vero frequentioresque reditus confirmatiores facti, articularis morbi indolem magis magisque induebant, coxendici inprimis dextrae maxime infeſti. Neque hoc malorum ſatis. Iſtis enim, quos diximus, doloribus, dum ſexageſimum annum ſenex nondum attigerat, motus illi ſanguinei, ad ani venas tendentes, quibus in Medicorum ſcholis haemorrhoidalium nomen eſt, itidem

non ſine acri circa os ſacrum doloris morſu haud raro interceſſerunt, & confecti conſumtique cibi detractionem ſimul frequentiſſime fecerunt impeditiorem. Quod ad cetera attinet, ea, ob naturale corporis robur, tam a natura inſitum, quam ab educatione ſimplicique vivendi genere acquiſitum, reliquas corporis functiones non evidenter admodum turbarunt, animique vigor & conſtantia non inſigni cum moleſtia domicilii ſui tulit infirmitates.

Verum enim vero, ſuperato vix ſexagenario anno, optimo ſeni magna & complicata morborum incubuit cohors; adeo ut in hoc viro ſenectutis initia omnis bonae valetudinis finis merito viderentur. Dicam ergo ſingula haec mala eo ordine, quo ipſorum fuerunt ſucceſſiones. Ex quo venerabilis noſter ſenex haemorrhoidales iſtos motus, quorum mentionem paullo antea fecimus, ſenſerat, Medici hac de re conſulti ſuaſu, venam, praecedente omni vitae ſpatio nunquam inciſam, bis terve quotannis ſecari ſibi curavit, emiſſis circiter per ſingulas inciſiones decem undecimve ſanguinis unciis; unde etiam ſatis bene valuit, motuumque iſtorum infrequentiam ſenſit atque remiſſionem. Haud ita vero multo poſt, ſub auctumnum, qua cauſa neſcio, ſubito priſtini illi dolores arthritici atque haemorrhoidales recruduerunt, novum ſed aeque illaetabilem nacti comitem, veſicae nimirum, ea, qua cervix eſt, parte, inſignem ſpaſmum; a quo maxima urinae orta eſt difficultas, ſaepenumero graviſſimos inter cruciatus vix lotii ſtillicidium ferens. Epotis varii generis medicamentis, quorum memoria aegroto, dum haec mihi narraret, prorſus aboleverat, variae multiplicesque dictorum malorum fuerunt viciſſitudines, mox perfectae fere remiſſiones, mox vero novae eaeque in dies ſemper graviores acceſſiones. Atque hic quaſi circuitus dolorum in ſecundum, tertium, quartumve a ſexageſimo annum aegrotantis inciderat, ſatis tamen adhuc, ſi ceteras corporis functiones ſpectes, vegeti atque valentis. Tum vero vergente quarto ſupra ſexageſimum

ſimum anno acerbiſſimus ille veſicae ſpaſmus, non ſine univerſae regionis lumbaris & ſacrae, quam Medici dicunt, aſperrimo & velut infixo dolore, rediit, effecitque, ut plurium dierum intervallo ne guttula quidem lotii e veſica emitteretur. Acceſſit ad haec febris continua ſatis intenſa, ſupra tres fere hebdomades progreſſa, ſub qua pungens ardensque regionis lumbaris, praecipue ſiniſtrae, dolor evidentiſſima cepit incrementa; acceſſit utriusque cruris ſtupor & alvus obſtinate clauſa; acceſſerunt paſſim intercurrentes colici iliacique inteſtinorum cruciatus, crebrioribus ructibus vomitibusque tantillum allevati; acceſſit denique circa alterius hebdomadis, dum haec duraverant mala, poſtremos dies plane ſingularis & fere intolerabilis dolor, mediam oſſis ſacri partem intrinſecus rodens & quaſi exedens. Tot tantisque malis poſtquam a vicini cuiusdam oppidi Medico, in conſilium vocato, remedia idonea erant propoſita, circa tertiae hebdomadis finem vis morbi cum ipſo illo multiplici dolore remittere coepit, lotiumque, quod hactenus crudum, limpidum, aquoſum, & ad haec parciori copia effluxerat, liberiori nunc fluxu purulentum, foetens, & incredibili ſabuli, hinc inde paullo grandioris, copia refertiſſimum prodibat. Haec rerum facies per trimeſtre adhuc manſit fere immutata, neque poſtea, per omnem ſenis noſtri vitam, lotium, licet ſabuli proventus deſineret, ad priſtinam conſuetamque rediit naturam.

Vix autem ineunte ſexageſimo ſexto aetatis anno venerandus ſenex noſter novas novorum malorum expertus eſt acceſſiones. Quippe poſtquam duarum fere hebdomadum ſpatio graviſſimos rhevmatiſmorum ſuſtinuerat recurſus, ſubito univerſa cutis non ſine maxima aegrotantis moleſtia impeditiſſimoque ſomno pruriit, moxque in copioſiſſima tubercula cruſtacea, ſicca, leviter ad marginem rubentia, paucisque diebus poſt in ſquamulas furfuraceas muſtelini coloris dehiſcentia, reſolvi coepit. Quae ſquamae, interiectis circiter octo novemve diebus, iterum furfuris inſtar deciduae, maximam macularum ex fuſco

lutearum vim reliquerunt, perpetuo deinde conſtantium, ingratoque cutim inficientium habitu atque colore. Ad quae inſuper notari maxime refert, quod inter mirificos iſtos ſcabioſos pruritus, ardores, roſionesque, cuti velut mordicus illatas, febricula ſubinde accederet, emiſſumque lotium, alias, ut ante diximus, turbidum purulentumque, tunc temporis clarum limpidumque eſſet, & omnes cruditatis, quae a Medicis dicitur, haberet notas, ſimulque parce, impedite, & potiſſimum guttatim emitteretur: quod vero porro, ſimul ac remiſſior fieret puſtularum iſtarum prurigo, ſquamulaeque decidere inciperent, liberior urinae efficeretur via, nullis anguſtata impedimentis. Atque tunc quoque lotium, priore iſta cruditate depoſita, denuo non ſolum commixti puris notas oſtendit, verum etiam, quod omnino adſpectu maxime erat mirum, admodum inſignem maſſae perfecte furfuraceae, eiusque, quae ex cute extergi poterat, ſimillimae copiam ex ſe ad matulae fundum dedit. Haec autem emiſſae urinae conditio atque indoles vitioſa ex hoc tempore per omnem reliquam ſenis noſtri vitam perduravit, & tum demum eiusdem generis, quod modo enarravimus, mutationem ſubiit, quoties ſtrigoſam illa ſcabiem, (quae etiam per periodos, primo annuas, dein ſemeſtres trimeſtresque, tum ultimis temporibus fere menſtruas, recurrere ſolebat,) miſer aegrotus noſter pateretur. Ex moleſtiſſimo autem hoc adfectu, ſub prima ſtatim ipſius initia, alia aeque moleſta oculis accidit offenſio, pruriginoſa nimirum lippitudo; quae non modo utriusque oculi palpebras mordaci colluvie inquinavit, easdemque ſcabras, rubentes, & vehementiſſime prurientes effecit, ſed etiam per omne, quod reliquum fuit, vitae tempus, adhibitis licet variis optimae alias efficacitatis remediis, obſtinate perſtitit, aciemque oculorum ita obtudit, ut & aegrotus minus commode iisdem uteretur, & paullo ſplendidius diurnum lumen aegre perferret.

Dum

Dum vero haec omnia optimo ſeni contingerent, ecce! nova quaedam periodicae iſtius ſcabiei acceſſio, quae in finem circiter ſexageſimi octavi anni huius aegrotantis incidebat, novum quoque malorum genus, tanquam comitem, ſecum adduxit. Inter pruriginoſa nimirum illa, quae antea deſcripſimus, tubercula, quoddam reliquis paullo grandius in oſſis ſacri regione, nonnihil dextrorſum, ad tertiam dicti oſſis vertebram ſpuriam reſedit, ibidemque, reliquis licet in ſquamulas abeuntibus & exſiccatis, ſub perpetuo ſaniei aquoſae ſtillicidio & ingratiſſimo pruritu, fixam poſuit ſedem, neque aliam dehinc ſubiit mutationem, niſi quod, fortiſſimo vino aduſto Gallico, linteis complicatis excepto, frequenter fotum, aliquam ſibi tenuiſſimam cruſtam induci pateretur, non admodum diu tamen perſiſtentem, ſed a collecta ſanie mox iterum reſolutam. Quod ulcus etiam naturale eundem habuit terminum, ad quem ipſe aegrotus miſerrimam totque malis vexatiſſimam vitam protraxit. Inter ea vero circa idem hoc tempus longe adhuc aegrius, ac antea, urina ire coepit, viſumque eſt lotii, quippe tantummodo ſubſtilli, iter ſenectute fere collapſum. Patuit vero mox ex ipſa urinae emiſſae materia, poſtquam denuo ſenex noſter per intervalla liberius mingere coepiſſet, tantae huius difficultatis, quanta nunquam antea acciderat, cauſſa. Mirae enim & fere incredibilis mixtionis in extruſa urina deprehendebatur ratio. Hic enim naturale lotium non ſolum pure furfuraceaque colluvie, id quod hactenus fieri ſolebat, ſed etiam ipſis illis faecibus, quarum conſuetum praeſcriptumque a natura per alvum eſt iter, permixtum videris atque turbatum. Qua de re ne forte aliquid dubitationis ſupereſſet, accidit ſaepenumero, ut etiam ſolidiorum ciborum recrementa, quae ventriculi atque inteſtinorum vi non ſubigi ſatis potuerant, verbi cauſſa, acini vinacei, foliola herbarum petroſelini, chaerophylli, aliarumque, ſubinde inter maximas urethrae tenſiones acresque dolores una cum lotio emingerentur. Omitto iam, tantam hoc in lotio tamque

into-

intolerabilem odoris foeditatem eſſe deprehenſam, ut procul tantummodo admota matula ſpectaturis teterrimam inhalaret mephitim. Taceo quoque, tam multiplicem diverſumque huic urinae fuiſſe colorem, ut omnino deſcribi non poſſit. Atque haec a natura prorſus aberrans mictio itidem cum reliquis iam commemoratis malis, hoc ex tempore, coniuncta perſtitit, donec eo abiret venerabilis ſenex, ubi nec mictione opus eſt, nec inutilium alvi ſarcinarum reiectione.

Saepe vero numero iisdem temporibus, praeſertim cum mane ex lecto ſurgeret ſenex noſter, haud minus admiranda excrementorum, tunc forte alvo deiectorum, fuit conditio. Quippe has ipſas faeces, quae per anum exierant, iam abunde ſatis dilutas lotio & quaſi ſolutas oſtendit adſpectus; a quibus ſimul procul eſſe oportebat emunctae naris homines, ne a deteſtabili earundem foetore peſſime haberentur. Quod ſi vero per aliquot iam horas aut in ſella ſederat aegrotus, aut ambulatiunculis leviſſime moverat corpus, levata alvus minus urinoſas edidit faeces tolerabiliorisque foetoris. Contra ea vero viciſſim a meridie urinae plus materiae faeculentae, plus impuri odoris, plusque in mingendo difficultatis addebatur: ut adeo horum vitiorum, urinae excrementorumque alvinorum naturam immutantium, ſemper alterna eſſet viciſſitudo. Eodem temporis tractu, praeſertim ex quo quartum ſupra ſeptuageſimum annum ſenex noſter exegerat, frequentiſſimi iſti dolores rhevmatici atque arthritici, de quibus antea diſputavimus, ingraveſcere coeperunt, tandemque, poſt varios in univerſo aegrotantis corpore circuitus vagosque progreſſus in dextra coxendice decubuerunt, eandemque tanta atrocitate enervem elumbemque reddiderunt, ut dehinc per omne, quod ſuperfuit, vitae ſpatium non niſi totus in baculum pronus hic ſenex deambularet. Atque tot tantisque calamitatibus valetudinisque offenſionibus cuiuslibet humani corporis vires, quantaequantae ſint, penitus exhauſtas facile putaſſes. Verum enim vero hic nondum malorum erat

finis

ſenis. Nuperrime enim, vergente circiter ſeptuageſimo ſeptimo aetatis anno, nova & in adeo gravi ſenectute, ut occiduam merito dixeris, plane ſingularis acceſſit adflictio, quae non modo corpus optimi ſenis, tot aerumnarum generibus iam ſatis exhauſtum, ſed ipſum quoque animum, integritatis divinique cultus ſtudioſiſſimum, maxime depreſſit, immo fere ſuppreſſit. Quippe, cum dicto hoc anno aliquoties maxima emittendi lotii difficultate laboraſſet, moleſtiſſima ſubinde ſupervenit colis tentigo, mox ſine omni voluptatis ſenſu, mox vero vel invitiſſimum ad Veneris illecebras adeo irritans, ut, licet voluptati nullam obſequelam faceret honeſtiſſimus ſenex, interdum tamen fortiſſimo cum impetu & non ſine aliquo vix ſatis definiendo dolore ſemen expelleretur. Exacto vero annuo circiter ſpatio ſua ſponte prorſus evanuit hic adfectus.

Hoc demum tempore, in regiones Brunovicenſes nuper ego delatus, venerabili huic ſeni quoque innotui; qui, dum forte per eos dies coxendicis doloribus vehementiſſime exagitaretur, conſilii cauſſa me ad ſe arceſſendum curavit. Tum, a me multa de atrociſſimo hoc morbo eiusque periodis & ſucceſſionibus rogatus, candide expoſuit haec omnia, quae in praeſenti vobiscum communicavi, lectores. A praeſcripto infuſi theeformis, ex herbis balſamicis & reſolventibus parati, uſu, datoque, dum cubitum iret, dimidio ſulphuris antimonialis aurati grano, lenitus eſt tunc dolor, atque ſic ſatis mediocriter, quoad per reliquas valetudinis rationes facere poterat, valuit aegrotus. Quo minus autem ſaepius in idem recideret malum, in tam elumbi infirmatoque corpore neque antea, neque nunc ulla potuit ſatis efficaciter impedire medicina. Accidit vero adverſiſſima forte fortuna, ſub initium circiter menſis Decembris anni cIↄIↄcclxii, ut, partim ob obtuſam oculorum aciem, partim ob ingreſſus imbecillitatem, inter deambulandum optimus hic ſenex in conclavi ſubito, fallente veſtigio, in terram decideret, dextrumque femoris os, in quod praeceps potiſſi-

mum illiſerat, proxime infra collum diffringeret. Protinus mecum artis ſuae peritiſſimus Helmſtadienſium Chirurgus, STUEBERUS, in eam villam, in qua degebat aegrotus, arceſſitus eſt, ut in tam inopinato caſu miſerum ſenem conſilio auxilioque, ex utraque medicina, tam ea, quae manibus medetur, quam quae medicamentis ſuccurrit, adiuvaremus. Explorata itaque praeſenti oſſis laeſione fractum os in ſua ſede remanſiſſe deprehendimus, fragmentorum vero aſpritudo, moto membro, vel ipſis auribus percipi potuit. Circumiacentium partium inſignis obſervabatur tumor, a leviſſimo motu vehementiſſime indoleſcens. Laeſa parte, ut artis eſt, deligata, ſuperiniectisque neceſſariis linteolis faſciisque, repoſitoque femore in valentius linteum, ſtramineis arundinibus firmatum, (Galli *les Fanons*, noſtrates *die Stroblade* dicunt,) quieti in lecto exquiſitae permiſſus eſt aegrotus, circumdatis ceterum extrinſecus fomentis, mitigando dolori, diſcutiendo tumori, levandaeque laeſi membri inflammationi accommodatis. Atque haec omnia inſequentibus hebdomadibus ita porro ſunt peracta, prout ipſius laeſae partis aut ſuper venientium ſymptomatum ratio requirere videbatur. Praeter haec quoque, quod ab initio ſtatim celer durusque arteriarum pulſus maioris inflammationis metum iniiceret, venam in brachio ſecari iuſſi.

Verum enim vero priſtina illa & recondita mala novo huic lethalem induxerunt naturam. Tametſi enim temperatiſſima, quam ordinaram, diaeta remediisque nimios ſanguinis motus compeſcentibus utebatur aeger, & ipſa quoque incendiaria febris una cum ipſo laeſae partis tumore decreſcebat, quid? quod diffractum femur ipſum, ſuperatis aliquot hebdomadibus, (quod in tanta corporis ſenilis imbecillitate humorumque vitalium impuritate merito mireris,) ſaneſcere calloque firmari incipiebat: ſexta tamen circiter hebdomade praeterlapſa novus isque inſuperabilis hoſtis optimum aggreſſus eſt ſenem, neque diſtitit antea, quam, longe adhuc truculentiore comite ſtipatus, ſollicitam

tam lucem raperet aegrotanti. Paucis: hecticus ille atque nervoſus ſenum languor, cui in Medicorum ſcholis maraſmo nomen eſt, inopinato acceſſit, & moderato quidem, ſemper tamen aeſtu ſanguinis contra naturam aucto ſenile corpus velut exuſſit. Quae cum fierent, funeſtum illud oſſis ſacri ulcus, cuius ſupra mentionem fecimus, quod eidem aeger per fracti femoris rationes perpetuo incumbere cogeretur omnique corporis careret motu, velut communis evaſit cloaca, ad quam omnis colluvies, alioquin per cibarium tubum veſicamve exterminanda, confluebat, & partim hac via, partim naturalibus illis, quae modo attigimus, itineribus foras exibat. Quod igitur mixto hoc eoque ſordidiſſimo tabo perpetuo madebat hoc ulcus, nec ob loci ſitum naturamque ſatis mundari poterat, celeriter gangraenam contraxit, vel efficaciſſimorum remediorum vires eludentem, & decima, dum fractum erat femur, hebdomade tandem ſummo, qui ſphaceli eſt, putrore infectam. Itaque tam ſenili debilitate, quam tot graviſſimis ſanitatis offenſionibus confecto huic viro, cum iam octoginta annos ſuperaſſet, *venit ſumma dies & ineluctabile fatum.*

Paucis vero diebus ante, quam commune hoc naturae debitum exſolveret, multa ex me de tot peſſimorum adfectuum, quibuscum ultimis vitae temporibus colluctatus erat, cauſſis curioſe ſciſcitanti venerabili huic ſeni auctor ſuaſorque fui, vellet ipſe, quamprimum mortale hoc corpus ab immortali anima derelictum eſſet, ſuperſtes cadaver accurata perveſtigari diſſectione; haud temere ratus, plurima hic Anatomici adnotatione digniſſima deprehenſum iri. Atque ſubridens: volo, inquit, ſimulque adſtantibus filiis, ut mihi ſectionem inſtituturo impedimentum obiicerent, ſerio interdixit. Sedecim igitur horis poſt, quam exanime relictum erat corpus, ad hoc opus me accinxi, adſumtis huius laboris adminiſtris, praedicto Helmſtadienſium Chirurgo, Stuebero, alioque, qui in vicino quodam oppido chirurgiam exercebat. Ita autem optime inveſtigatio-

nis atque diſſectionis modum ordinari poſſe arbitratus ſum, ſi primo in externam partium, a ſphacelo corruptarum, ulcerisque illius antiqui, ex quo nata erat ſideratio, conditionem inquirerem, dein vero interiora, remotis integumentis muſculisve, perveſtigarem. Data tamen atque praeſcripta mihi eſt lex a relictis venerandi ſenis liberis, ut, partim quod tot tantorumque malorum, quibus nunc optimus parens defunctus erat, ſedes ad abdominis viſcera potiſſimum pertinere videretur, partim ne publico funeri informe adeoque ineptum redderetur cadaver, inveſtigaturum cultellum in ſecando tantummodo intra inferiorum partium limites coërcerem, capite atque thorace intactis.

Ante omnia igitur, exterſa ad inferiores partes colluvie, lethalem illam ſiderationem attentis curioſisque oculis perluſtrandam ſumſimus. Atque hic profecto illaetabile nobis oblatum eſt ſpectaculum. Vniverſa illa regio, quae oſſa ſacrum coccygisque ſubiecta habet, & ad anum uſque exporrigitur, putre erat ulcus, coloris ex fuſco nigri, odorisque teterrimi & vere cadaveroſi, & quaquaverſum diametro circiter trium unciarum Rhenolandicarum, quas vocant, continebatur. Cui vicina loca, praeſertim a latere dextro, mira occupabat vis puſtularum turgidularum, varioque ichore, livido, cruento, flavo, ſubnigroque refertiſſimarum. Diſſectae cultello quaſi peſtem ſpirabant; adeo, ut etiam adſtanti alteri Chirurgo animi fere deliquium ſuperveniret. Exinde ſideratio ad ipſum anum, perinaeum, univerſum ſcrotum, inferiorem membri genitalis partem, & omnia carnoſa loca, quae transverſam manum circumiacent, pertingebat. Eminentes iſtas oſſis ſacri ſpinas, & inprimis illam, quam ex ſe ſecunda vertebra ſpuria profert, caries ita exederat, ut nihil fere, quod ibidem promineret, animadverteretur. Nec reliquae huic ſuperficiei huius oſſis poſteriori pepercerat carioſa exeſio, ſed eandem, praecipue ad dextrum latus, potiori parte in copioſiſſimas lamellas nigricantes, ſcabras,

bras, & a cultelli anatomici tactu facile deciduas, reſolverat. Ea parte, qua ceteroquin coccyx oſſi ſacro arctiſſime connectitur, ob interiectam cariem fluctuabant omnia, nec firma ſupererat cohaeſio. Quod autem adnotatu erat digniſſimum, eo, quod primae ſecundaeque ſacri oſſis ſpinae interiacet, intervallo fiſtulae, ichore pleniſſimae, erat oſtium, a quo dextrorſum, leviter inflexa & inclinata via, intra adipoſam tunicam, maximo medioque pſoae muſculo interpoſitam, fere ad femoris articulum transverſa ferebatur. Cuius fiſtuloſi ulceris ambitus fere uncialis erat, ut adeo ipſius diameter tertiam circiter unciae partem aequaret. Tantae quoque acrimoniae ichor, quo madebat fiſtula, deprehendebatur, ut immiſſum in eandem ſpecillum penitus nigreſceret. Ad ſiniſtrum oſſis coccygis marginem, in ſuprema, qua ſacrum os tangit, parte, aliud ſed longe minus obſervabatur ulcus, ad dimidiam unciam recta intus progreſſum.

Hinc igitur ad interiora, quae abdomine recondita latebant, exploranda progreſſi ſumus. Proinde communibus integumentis, muſculis abdominalibus atque peritonaeo, ut moris eſt, diſſectis, omentum ſtatim conſpeximus ante inteſtina fluctuans & paullo infra umbilicum productum; in quo nihil, quod a natura aberraret, deprehenſum eſt, niſi quod inferior ipſius tela, quae ab inteſtino colo oritur, ad illam partem, cui coecum inteſtinum ſubiacet, paſſim incenſis vaſculis diſtinguebatur. Quod tamen in tam decrepito tamque vehementiſſimis morbis exagitato ſene mireris, non omnis pinguedo hic aberat, ſed paſſim, licet parcius, per reticula celluloſa in omento adhuc collecta erat. Cuius rei cauſſam in ſatis vegeta ciborum appetentia, quae vel inter ipſos multiplices iſtos morborum cruciatus ſeni noſtro eſſe ſolebat, reponamne, nec ne? profecto neſcio. Revoluto ſupra ventriculum omento, omnes ii, quos naturalis ſitus conſpectui offerebat, inteſtinorum anfractus ſine labe eſſe videbantur, exceptis inteſtino coeco & ea zonae coli-

cae parte, quae ſiniſtrorſum vergit & demum ſub eiusdem lateris ſpuriis coſtis amplo flexu torquetur. Prius enim ad iſta loca, ex quibus vermiforme, quod vulgo Anatomici vocant, inteſtinulum prodit, leviter erat ſideratum, ipſamque hanc appendiculam materies putida, decolor, &, ut ob cultelli nigrorem ab inciſione inductum videbatur, admodum acris referſerat; guſtu enim quis exploraſſet? Coli vero dicta portio hinc inde, cum paullo citra flexum ſiniſtrum, tum binis locis ultra eundem adeo in ſe contorta atque contracta erat, ut vix calamum ſcriptorium diſſecta admitteret. Quae ſingulae contractae partes unciam longitudine ſuperabant. Alvinae faecis parum inerat, &, quicquid eius deprehendebatur, tabo quaſi dilutum erat atque ſolutum. Quo propius autem hinc ab ileo ſiniſtro & pelvi aberat colon, eo gravius a ſphacelo corruptum obſervabatur; donec, nunc rectum inteſtinum, praeter ſiderationis vitia, plura ad haec offerret Anatomici attentione digna. De quibus deinde plura diſſeremus. Idem incendium tetigerat quoque meſenterium ad easdem partes, quae praedictis vitioſis inteſtinorum locis proxime cohaerebant. Praecipua tamen ab incendio labes illata erat iſti meſenterii particulae, quae ante pſoam dextrum ad inteſtinum ileum protenditur. In pancreate, liene, & iecinore nihil a natura alienum viſum eſt, praeterquam quod ſingula haec viſcera ſanguine ſolito magis turgerent, & contra bilis veſicula flaccida, fere exſucca, ſuoque naturali liquore deſtituta eſſet. Quam in cauſſam inquirens non aliam inveni, niſi quod mucoſae, quae ad cervicem cyſtidis ſunt, cryptae inſigniter tumidae tactuque durae erant, adeoque allabentem bilem aditu intercluſiſſe videbantur.

Atque hic erat viſcerum, quae peritonaeum circumit, ſtatus. Ad ea igitur, quae teguntur eodem, & diriſſimorum illorum morborum, quos ſupra retulimus, ſedes fuiſſe videbantur, progreſſi ſumus; remoto quippe atque ſepoſito univerſo inteſtinorum praedictorumque viſcerum volumine, ſi infimam coli

 par-

partem rectumque exceperis inteſtinum, quae ſuo relicta ſunt loco, ne eorundem accuratiori examini officeremus. Tum protinus peritonaeum, ea inprimis parte, quae ad dextram lumbos veſtit, omnisque hinc ad pelvim protenditur, veſicaeque inſidet, decolor & paſſim nigricans conſpiciebatur, in poſteriori vero oſſique ſacro impoſita parte atro velut tabo diffluebat. Quibus omnibus circumſpecte ſeparatis primo in utriusque renis, deinde in veſicae conditionem curioſis inquiſivimus oculis; memores ſabuloſae illius atque purulentae mictionis, qua olim defunctus laboraverat ſenex. Adipis renalis parum hic utrobique aderat. Eodem tamen, quantuluscunque erat, remoto, dexter ren in ſuperficie anteriori & nonnihil inferiori, qua ad extremum marginem vergit, haud adeo procul ab ureteris egreſſu, veſiculam conſpectui offerebat turgidam & ſubflavi coloris, cortici renali inſidentem aut potius inſculptam: quippe cultro disſecta pus ſtillabat flavum, ſpiſſum, & velut caſeoſum putridique odoris; quod ad piſi fere maioris magnitudinem, ad quam etiam veſiculae diameter accedebat, corticalem renis exederat carnem, morboſo ceteroqui callo intrinſecus obductam. Atque eiusdem prorſus generis veſiculas, haud diſſimili pure plenas, paullo minori tamen ambitu circumſcriptas, quatuor numero, exterior, qui dextrorſum ſpectat, cortex occluſas habebat, diſſectione detectas. Reliquus vero ren a naturali fabrica non aberrabat. In ſiniſtro rene nihil id genus vitii aderat, pelvis vero & vicina ureteris pars, parum iuſto magis dilatata, fere eadem ſpiſſa caſeoſaque materie purulenta, quae veſiculis alterius renis inerat, ſcatere deprehendebatur. Propius nunc conceſſimus ad ea loca, in quibus ſumma erat corruptio: quae omnia quo conſpectiora haberemus, meliusque oſſeae pelvis & partium eadem comprehenſarum pateret facies, reſecuimus utrinque ureteres, pubisque ſeiunximus oſſa, &, quoad eius fieri poterat, anteriorem ſuperioremque veſicae urinariae partem circumvoluto exuimus peritonaeo. Cuius admodum profunda

&

& in ima fere pelvi deliteſcens ſedes, & praeter ea naturali multum durior ad tactum natura colorque paene nigerrimus, ut deteſtabilem omittam foetorem, gravioris vitii quidquam hic ſubeſſe luculenter indicabat, meque ad memoriam haud diſſimilium vitiorum, circa veſicam virgunculae cuiusdam, (quae & ſenis neptis erat,) nuper obſervatorum, & a me in praecedenti Obſervatione deſcriptorum, excitabat. Praeſens autem veſica, ad perpendiculum dimetita, vix duo pollices longa, & a latere ad latus non multum ſupra ſeſquipollicem lata erat, ipſiusque tunicae compactae tantam ubivis contraxerant craſſitudinem, ut, cum poſt diſſectionem menſurae iniretur ratio, tertiam pollicis partem magnitudine aequaret. Praeter haec omnem interiorem ſuperficiem tunicae nerveae atque villoſae tanta corruptione ſphacelus infecerat, ut, deletis omnibus, quas natura hic alias poſuit, rugis, omnia laevi & aequali ſqualore eſſent obducta & ubique nigritie infuſcata. Circa veſicae tamen collum, a dextro potiſſimum latere, plurimas quaſi ſcirrhoſas lentes accretas invenimus, tactu inſigniter duras & ex albo nigricantes: quae referendaene ſint in numerum folliculorum mucoſorum induratorum, an forſan ipſe mucus coactus & concretus in eiusmodi rotundas formas abierit, definire non ſumus auſi. Huius ſaltem generis concrementa, quae vulgo dicuntur, alii obſervarunt*). Omne autem veſicae cavum, quantulumcunque erat, velut ſentinam deprehendimus foediſſimae colluviei, in quam urina, alvinae faeces, ſanies, ſabulum, oſſicula carie pereſa, & quae non? confluxiſſe videbantur. Neque diu tam mirificae miſturae fons latuit atque ſcaturigo. Ecce! enim pone ſiniſtri ureteris oſtium, ad pollicis circiter quadrantem, ulcus patuit fiſtuloſum, ampli ſatis diametri, quippe quatuor fere lineas Pariſienſes aequantis, recta retrorſum per cellulo-

*) Confer. Perilluſtris Alberti de Haller *Elementa Phyſiologiae, Tom. VII. pag.* 327.

luloſam, quae hic interponitur, telam progreſſum, & recto demum inteſtino inſculptum; ut partim immerſo ſpecillo, partim ipſa comperimus ulceris diſſectione. Exinde etiam conſtitit, fiſtulae huius cavum callo eſſe obductum; eoque loco, qui praedicto inteſtino proximus erat, denuo in alium hiare ulceroſum canalem, paullo minoris diametri, itidem calloſum, & a dextro recti inteſtini latere ex ſacro oſſe, paullo declivi itinere, accedentem.

Binorum ergo iſtorum ulcerum ductum in ſecando ſequentes, primo in inteſtinum rectum penetravimus eo, quo praedictae fiſtulae oſtium patebat, loco, illudque eiusdem prorſus generis excrementis, quae nobis antea veſicae urinariae cavum obtulerat, parcius repletum deprehendimus. Caeterum & hic, tam interiori, quam exteriori ſuperficie, pernicioſa illa animadverſa eſt ſideratio, & magna quidem, ubi verſus anum abit hoc inteſtinum, maior ad ulceris introitum eiusque confinia, maxima denique in averſa parte, ubi multa celluloſa tela, interventu plurimarum glandularum conglobatarum diſtincta, ad ſacrum os coccygemque firmatur. Quem poſtremum ad locum tanta omnino peſtifer ſphacelus omnia infecerat corruptela, ut hic ſitarum partium nulla eſſet, quae ab undique diffuſo tabo recte diſtingueretur. Ad anum denique omnes haemorrhoideas venas maxima varicum, atro ſanguine refertiſſimarum, copia animadvertimus tumefactas. Tum porro alterum illud paullo anguſtius fiſtuloſum ulcus anatomico cultro, ad ductum ſpecilli canaliculati, diſſecuimus; unde conſtitit nobis, ipſius iter, per mediam celluloſam telam, & dextrum, qui quondam fuerat, ſecundae oſſis ſacri vertebrae ſpuriae proceſſum obliquum, ut Anatomici loquuntur, carie fere penitus exeſum, prope ad primum nervorum ſacrorum foramen, eſſe factum, illudque demum, vix ſuperato hoc oſſeo anfractu, in novum deſinere fiſtuloſum canalem; eundem nempe, quem extrinſecus, pone ſacrum os, patulum & hinc dextrorſum verſus fe-

moris dextri caput inclinantem ſupra iam deſcripſimus. Nunc vero hanc quoque fiſtulam accuratius inveſtigaturi, ductore canaliculato viam monſtrante, inciſoque glutaeo muſculo maximo, deprehendimus, ipſius iter ſola tela celluloſa, quae dicto medioque glutaeo interiacet, circumſcribi, nec eidem aliorſum patere aditum. Ceterum, quaecunque dextro hoc in latere poſita ſunt, oſſa muſculosque, praecipue ex his pſoam atque iliacum internum, caries ſphacelusque turpiſſimo livore atque nigrore usque ad pubis regionem plurimum infecerant, longe minus tactis iis, quae a ſiniſtra ſunt parte. Cum haec agerentur, fracti quondam femoris vicinitas permovit nos, ut, ſeparatis remotisque muſculis, qui circumvolvuntur, nudum illud oculis noſtris ſiſteremus. Atque tunc profecto admirati ſumus, quam eleganti firmoque callo in tam effoeto ſene bina femoris fragmenta denuo eſſent coalita atque conglutinata.

Supererant nunc eae laeſiones, quas forte antiqua iſta mala & nupera illa ſideratio genitalibus partibus intulerant, cultello detegendae. Primo igitur, quod & ſcrotum, & inferior penis pars perpeſſi incendii ſigna habebant, uti iam ſupra relatum eſt, has partes ſubiecimus diſſectioni. Verum enim vero inciſo ſcroto mox apparuit, in hoc ſolo incendium illud ſuam quondam occupaſſe ſedem, ipſis teſtibus intactis relictis; ſi vel hoc ſaltem exceperis, quod minimi iſii arterioſi ſurculi, qui epididymidem circumrepunt, in dextro teſte illis, qui ſiniſtri ſunt, ab impacto ſanguine turgidiores viderentur. Neque illa inflammatio, quae inferiorem penis partem occupabat, hic loci ultra praeputium penetrarat. Quum vero dehinc ad interiora converteremur, maiora & luculentiora peſſimae iſtius ſiderationis deprehendimus documenta. Quippe, teſticulis una cum deferente ductu per ſeiuncta pubis oſſa in pelvim revolutis, ceterisque dehinc genitalibus partibus veſicaque urinaria & inteſtino recto, ut artis eſt, ex abdomine exemtis, ſe-

minalia

minalia vaſa ad originem usque perſequi non potuimus, quod eadem vicinarum partium ſphacelus in conſenſum perfectae traxerat corruptionis. Nonnulla tamen circa dextrae arteriae ſpermaticae ortum obſervata dein cum lectoribus communicabimus. Proinde ſtatim inciſionem veſicae urinariae iam antea antica parte factam per univerſae urethrae tractum ad glandem usque proſecuti ſumus. In anteriori urethra, cis bulbum, & in ſuperiniectis corporibus cavernoſis maioribus, id quod ipſis apud Anatomicos nomen eſt, nihil in conſpectum venit, quod naturae non conveniret. Perleviſſimi enim incendii veſtigium, quod hae partes ex praeputio contraxerant, cur memorem? Verum enim vero circa urethrae bulbum, & proſtatam, & ſeminales veſiculas multa a naturali receſſerant conſtitutione, factamque hic a rodente ichore laeſionem luculentiſſime demonſtrabant. Ante enim propeque bulbum mucoſi cuiusdam ſinus, verſus glandem deſcendentis, oſtiolum eroſum calloſumque deprehendebatur, totoque ſuo tractu ab atro tabo adeo dilatatum (quippe eodem adhuc madebat) ut vel ipſum craſſius ſpecillum admitteret haud difficulter. Proſtatae porro glandulae omne fere dextrum latus extrinſecus a ſideratione nigricabat, carnemque, ſi quidem hoc nomine uti licet, habebat non ad ſpeciem, ſed vere ſcirrhoſam. Interiori vero parte, ubi urethrae naſcentis eſt initium, proſtataeque & veſicularum ſeminalium tubuli hiant, maximam vidimus corruptionem, dextro tamen lateri magis infeſtam. Scilicet ad illum colliculum, quem veru montanum caputve gallinaginis Anatomici appellant, tametſi ſiniſtra loca incendii non prorſus immunia obſervabantur, ſeminiferi tamen utriculi vaſisque deferentis commune oſtiolum facillime ab iis oſculis diſtingui poterat, per quae proſtatae liquor in urethram depluit. Contra ea vero in dextra valle tantum aberat, ut diſtincta eſſent praedictorum ductuum oſcula, ut potius eorum locum ovale quoddam foramen, margine calloſo obductum, tres circiter

Pariſienſes lineas longum, duasque latum, occuparet. Ad quam hoc ducebat foramen, ſeminalis veſicula dextra nimis abunde a contenta qualicunque colluvie turgida obſervabatur; adeo, ut ſupra mediam veſicae urinariae partem eſſet exporrecta. Ex inciſa ergo eadem collegimus multiplicis generis odorisque peſſimi materiam, eidem prorſus ſimillimam, quae, ut antea expoſuimus, lotii receptaculum referſerat. Sed, quod maxime fuit memorabile, in eadem colluvie tres ſimul reperimus lapillos diverſae figurae magnitudinisque, ſequenti dein capite accuratius deſcribendos; qui, quod maximae ſunt raritatis, & a diſſectoribus cadaverum humanorum inſolentiſſime obſervati, permoverunt quoque me, ut ipſorum in Obſervationis huius inſcriptione iniicerem mentionem. Ceterum univerſam internam huius ſeminalis veſiculae ſuperficiem itidem, uti vicina viſcera, ſphacelus ſummo infecerat nigrore, & quaſi in putridos fluctuantesque reſolverat villos. Siniſtrae veſiculae ratio nec magnitudine, nec aliis modis multum a natura aberravit; quandoquidem viſcidum illum flavumque ſeminalem liquorem hic deprehendimus, parumque tantummodo inflammationis, veſiculae interiora aggreſſae.

Poſtremo obſervando etiam notatum eſt, id quod benevolos lectores neſcire nolumus, dum potiſſimum examinandi fracti femoris cauſſa circumpoſitos diſſecaremus muſculos, cultellum ſaepenumero inter ipſas carnes ad duriora quaedam alliſiſſe loca, ut etiam ſecanti manui mora iniiceretur. Rei cauſſa curatius explorata, univerſum fere aortae arteriae ſyſtema plurimis locis magnaque ſui parte iuſto durius, immo paene oſſeum, eſt animadverſum, adeo, ut nullus paullo amplior ex hoc arteriarum genere ramus fuerit, cui non in aliqua ſui particula aliquid huius oſſeae indurationis accidiſſet. Adſervo adhuc, in huius obſervationis teſtimonium, partem aortae deſcendentis, ſub ipſius e diaphragmate exitum exſectae, una

cum

cum annexis arteriarum meſentericae ſuperioris, renalium, meſentericae inferioris, iliacarum, hypogaſtricarumque particulis, arteriolarumque ſpermaticarum initiis: in quibus omnibus ſingulisque mox in planas lamellas, mox velut in annulos cartilagineos oſſeosque, arteriarum ambitum circumſcribentes, tunicae árterioſae abierunt. Dextrae inprimis arteriolae ſeminalis oſculum velut inſculptum videtur óſſeae laminae, qua ad hunc locum aorta inſigniter riget. Atque haec ſunt, quae abdominis diſſectio in hoc cadavere nobis demonſtravit.

Sed refert adhuc inſtituti noſtri, repertos in dextra ſeminali veſicula calculos deſcribere accuratius, & in ipſorum origines, *qua mens noſtra tenus poterit pertingere verum*, exacta inquirere aeſtimatione. Otii nobis tantum non fuit, ut multo operoſoque negotio aliorum huius generis calculorum exempla, ex obſervatorum Medicorum monumentis digeſta, excuteremus: rarioris tamen infrequentiorisque obſervationis eosdem habemus, quod immortalis abſolutiſſimique operis *) auctor, venerabilisque ſenex, *Ioannes Baptiſta* MORGAGNUS, quoad quidem eius facere potuimus, a nobis diligentiſſime exquiſitus & perlectus, nullum eius generis exemplum litteris conſignavit. Quae nobis vero aliunde conſtant, haec ſunt. Videtur nempe huc referenda *Nicolai de* BLEGNY obſervatio, in *Zodiaci Gallici Menſe Martio, Obſerv. IV.* deſcripta; quae materiam ſpermaticam in vaſis cohibitam & in calculos induratam exhibet, adeo ut eiaculantia vaſa duriſſimis lapillis ſcaterent, plerisque fere rotundis, magnitudinis prope & formae piſorum, quae per quadraginta dierum ieiunia ſacris Romanenſibus addicti victui potiſſimum deſtinare ſolent. Alterum huius generis exemplum ex obſervatione D. SPARRII, Poliatri Francofurtenſis, retulit *Michael Bernhard* VALENTINI in *Epheme-*



*) In *Libris quinque de Sedibus & cauſſis morborum per Anatomen indagatis;* Venet, cIↃIↃCCLXI.

*rid. med. phyſic. Acad. nat. curioſor. Decur. II. Ann. VI. Obſervat. LXVIII.* Is enim praedictus vir in alterutra ſeminalium veſicularum calculum offendit, tam colore, quam forma atque magnitudine piſum referentem. Alios calculos, in ſcroto teſtibusque repertos, & paſſim ab obſervationum medicarum Scriptoribus adnotatos atque recenſos, lubens & ex inſtituto nunc omitto. Quod ad illos autem, quos ipſimet invenimus, attinet, tres ſunt numero, diſſimilis prorſus & vix definiendae formae atque figurae, diverſaeque magnitudinis ponderisque, ſed naturae, materiae, conſiſtentiaeque, ut vulgo dicitur, eiusdem, ſi ἑτερογενῆ excipias a calculoſa materie circumfuſa. Color quoque ſingulis idem, nempe heluus, ad ochrae colorem potiſſimum accedens, interſperſis maculis leviter nigricantibus. Ad tactum porro nonnihil aſperi & friabiles deprehenduntur. Maior reliquis fere cubus eſt, diametro duas lineas Pariſienſes complectens, ratione ponderis ad ſesquigranum adſurgens. Bini reliqui minores lapilli ſunt paſſularum maiorum acini, tenui involucro calculoſo circumducti, ideoque etiam priſtinam formam conſervant. Iam ſi quaeſiveris, quanam ratione hi calculi nati delatique ſint in ſeminalem veſiculam, id quidem haud adeo difficulter expediri poteſt. Sabuloſam enim & ex mucido viſcidam renum colluviem, coniunctam inſuper multiplici ulcerum ſaniei, partim aliunde adfluenti, partim circa ipſas ſeminis veſiculas natae, nucleumque firmiorem, cui ſe circumponat, ex alvinis faecibus per ulcera allabentibus nactam, in eiusmodi calculoſam compagem facile expediteque converti poſſe, quis non intelligit? Ipſumne vero ſemen, in veſicula collectum, ad lapillorum materiam augendam cogendamque aliquid contulerit, nec ne? definire non audemus. Neque ſine omni eſt diſceptatione, utrum hi calculi in urinaria veſica, an in ſeminali, prima habuerint incunabula? Per ſatis amplum enim veſiculae ſeminalis ulcus facilis erat deſcenſus averni.

# OBSERVATIO CIV.

## Dn. D. PETRI IMMANVEL. HARTMANN.

### De

### *Memorabili quadam Puellae ſexennis Spina ventoſa.*

Equidem maxime vereri inciperem, ne vulgari occuper argumento, dum de *Spina ventoſa*, morbo ceteroqui plurimorum eorundemque celeberrimorum Medicorum exercitationibus ſatis luculenter expoſito, in praeſenti ad lectores diſſerere inſtituo, niſi in ſingulari quodam exemplo obſervaſſe mihi viſus eſſem nonnulla, quae ad exquiſitiorem huiuſce morbi notitiam, facilioremque medendi methodum ſpicilegii pathologici atque therapeutici nomen omnino merentur. Tametſi enim iam ante decem hoſce annos, anno nimirum cIↄIↄccLIV, aliquam memorabilis huius exempli partem peculiari perſecutus ſum commentatione, tum temporis alieno nomine foras data *), funeſtus tamen, qui deinde accidit, eiusdem morbi exitus, atque varia, quae inter haec ſupervenerunt, ſymptomata plurimum adhuc me edocuerunt, quod ad illaetabile hoc morborum genus & declarandum magis, &, quoad eius fieri poteſt, ſanandum aut ſaltem levandum, inſigniter videbatur accom-

*) Nempe in *Diſſertatione de Remediis mercurialibus, Spinae ventoſae medicandae interdum idoneis:* quam ſub Praeſidio illuſtris *Andreae Eliae* BÜCHNERI, Academiae noſtrae Praeſidis longe celeberrimi meritiſſimique, publice defendit *Ioachimus* NIEMANN, Halae, cIↄIↄccLIV. Quippe quae Diſſertatio tribus circiter hebdomadibus ante conſcripta eſt, quam puella, de cuius morbo commentor, fato ſuo defungeretur.

commodatum. Per partes ergo iturus, cum univerſam ſingularis huius caſus hiſtoriam velut a prima origine perſequar, & varias, quae ipſi propoſitae ſunt, medicationes accurate enarrabo; tum, quae a morte miſerae huius & hoc morbo adflictae puellae in diſſecto & perveſtigato cadavere inprimis notatu digna fuerunt atque ſingularia, brevi exponam commemoratione.

Priorem ergo huius inſtituti partem abſoluturus, primo omnem graviſſimae huius Spinae ventoſae hiſtoriam cum lectoribus communicabo. Puella, temperamentum, quod per aetatis rationem aeſtimari poterat, ſanguineo-phlegmaticum nacta, parentes habebat non eadem valetudine fruentes: quippe pater ſano firmoque erat corpore, rariſſimeque aegrotarat, mater vero e contraria parte cum variis animi doloribus curisque conficiebatur, tum quoque tenui incommodaque erat ſanitate, & a perpetua, cui vacarat, vita ſedentaria (quum Sartoris eſſet filia, inter multiplices rei domeſticae anguſtias educata,) lentos, viſcidos cacochymicosque effecerat ſuccos vitales. Huius ergo imbecillis infirmaeque matris crudiori neque ſemper ſufficienti lacte nutrita haec puella, ſtatim a prima infantia, ne ſiti interdum nimis urgeretur, partim bibendae cereviſiae, mox frigidae, mox a fecibus, ut fieri ſolet, nondum ſatis depuratae, mox etiam a diuturniori mora aceſcenti, partim potui Coffee plerumque bis decocto, adeoque crudioribus terreſtribus particulis foeto, adſuevit. Inter haec maior pars victus in pulticulis conſtitit glutinoſis, e ſimplici farina confectis, & haud raro recoctis, aut in pane ſimilagineo, in decocto Coffee intrito. Neque dulciaria defuerunt, ab avia puellae praeſertim frequenter allata. Praeter ea cubile, in quo ipſa cum parentibus dormiebat, humile erat, & aëre humido atque vappido nimium ſcatebat. Ad haec acce-

cede-

cedebat, ob difficile lentumque matris ingenium, mundities atque ſordium abſterſio in infante hoc potiſſimum neglecta. His in anguſtis rebus dentitiones ſuperveniebant dolorificae, nocturnos inprimis vagitus longiores perpetuo efficientes, praeſentemque vermium colluviem ipſae feces alvinae, his animalculis ſubinde diſtinctae, ſatis luculenter teſtabantur. Vix deinde annum ſupergreſſa, ablataque uberibus, matrem morte amittit. Hinc ancillis commiſſa in longe plures maioresque, quam antea, diaetae incidit errores. Quippe minima mundanae huius puellae habita eſt cura, & ipſa a ſordibus paene riguit; inceſſus imbecillis tenerrimisque pedibus incurioſe permiſſus; frigidae, feculentae, acidiuſculae noctu large exhibitae potiones, ut vagitibus abſtineret; victus multiplex & ſine iuſto ordine, crudus, tenax, glutinoſus, dulciculus, & generatim maxima ex parte dyſpeptus. Inter has incongruas vivendi rationes iam ex eo tempore, quo ab uberibus removebatur haec puella, corpus parum alebatur, ſed cutis potius carnesque ſenſim ſenſimque deficere atque emacreſcere, venterque intumeſcere digitisque inſigniter reniti incipiebat. Facies erat pallida oculique naturali deſtituebantur vivacitate. Ad haec ſitis paene continuo urgebat, praecipue verſus noctem, ubi velut lenta acceſſione febricula corpus ſiccabat. Alvus plerumque erat anceps, mox adſtricta, mox vero, idque frequentius, diarrhoeis ſoluta. Lotium emittebatur parcius, parum coloratum, turbidum. Vbi vero inter has multiplices corporis imbecillitates ſesquiannum compleverat, miſera haec puella in ſiniſtro dextrae manus latere tumorem accipit durum, conſtantem, maxime rubicundum, eaque fixum parte, qua minimum metacarpi oſſiculum cum minimo committitur digito. Atque tunc omnium primus ad medicandum hoc malum arceſſitus eſt Chirurgus quidam, artis ſuae, ut fieri ſolet, vulgariter peritus: a quo dum interna vera huius mali cauſ-

ſa minus reſpicitur, &, malo conſilio, externe adfecto loco diſcutientia & emollientia adplicantur, protinus in altera manu eiusdem generis & prorſus eadem quoque in parte novus oritur tumor; qui, quum ab eodem ſolo Chirurgo pari tractaretur ratione, mox, ſicut & alter prior, in ſuppurationem abiit; unde dein ambo in ulcera, foetidiſſimo ichore madentia, degenerarunt. Inter ea ſupra ſecundum metatarſi oſſiculum dextri pedis, a ſimili tumore praegreſſo perverſeque tractato, ulcus exortum eſt, non minus, ac priora, foetens madensque. Celeri vero progreſſu intra duarum hebdomadum ſpatium omnia haec metatarſi oſſa ab exoſtoſi intumeſcere coeperunt, brevique poſt, a Chirurgo praedicto conſueta, quam diximus, methodo tractata, per quinque adhuc nova ulcera ichorem ſudarunt ſanioſum. Octo autem his ulceribus protinus, vix praeterlapſis novem diebus, quatuor nova ſe adiunxerunt in ſiniſtro pede, a ſimili tumore, ſingula tarſi metatarſique oſſicula inficiente, exorta. Verum enim vero his ulceribus non ſubſtitit malum, ſed miſeram hanc puellam porro aliis exedit locis. Quippe ea, qua primum prodierat, manu tandem magna ſeceſſit feſtuca minimi in metacarpo oſſiculi. Qua vix remota, haud longe ab olecrano in ulna duo patere coeperunt ulcera, in ſiniſtro vero circa eadem loca unum. Tam inſignem vero ulcerum foediſſimorum numerum poſtea in ſiniſtra demum ulna, itidem in olecrani regione, duo adhuc nova ulcera, & paullo inferius unum auxerunt. Poſtremo denique in dextra oſſis occipitis parte, haud ita longe a prima colli vertebra, maxime memorabile ulcus reliquorum clauſit agmen. Adeo vix trimeſtris temporis tractus miſerrimam puellam viginti duobus diſtinxerat ulceribus, ipſique Lazaro effecerat ſimilem.

At enim vero is, quem iam nominavimus, Chirurgus plane temerarius, quum medicationi ſuae parum cedere hunc mor-

morbum videret, ad hydrargyroſeos opem confugit, &, praemiſſis lignorum decoctis ſumme ſaturatis, tandem quatuor circiter menſibus poſt, quam coeperat hoc malum, mercurio dulci largius dato ita ſalivales aperuit ductus, ut miſerabilis infans animam paene exſpueret. Quod quum parens non ſine moerore videret, Medicum arceſſivit: a quo protinus, leniter laxante medicina, ſalivatio temperata eſt, remediisque analepticis victuque evpepto vires debilitatae puellae denuo nonnihil ſunt refocillatae. Interim nec huius Medici medendi methodus omnino efficaciter profuit, nec a continuis medicamentis laxantibus ullum coaluit ulcus. His ergo in anguſtiis per quatuor adhuc annos miſera haec puella miſerrimam vixit vitam, donec ad ſummam redigeretur tabem. Ad extremum ego arceſſitus, ſequentia ordinavi remedia: Recipe: Lapidum cancrorum præparatorum drachmas duas, mercurii dulcis optime praeparati drachmam unam, Sulphuris antimonii aurati ultimae praecipitationis ſemidrachmam; miſce, & exhibe ſingulas portiones duorum granorum pondere. Mane vero & tribus horis poſt prandium ad bibendum porrigi iuſſi infuſum Paracelsi correctum, e radicibus pimpinellae albae, ari, herbis pyrolae, ſaniculae, hederae terreſtris, & veronicae, floribus bellidis, centauriique minoris conſtans. Singulis denique octo diebus per pilulas balſamicas alvus puellae leniter ſoluta eſt. Quibus remediis internis ſolis intra quinque circiter hebdomadas ſua ſponte viginti ceſſerunt ulcera, & in albas firmasque cicatrices coaluerunt. Sed dum felix huiusmodi eventus ſpem aliquam inchoari iuberet, tantumque duo patula ſupereſſent ulcera, hectica febris medica arte plus valuit, aegrotamque, paene ſex annos natam, demum conſumſit.

Longum foret omnia, quae ex luculenta hac ſingularis Spinae ventoſae hiſtoria deduci poſſent, momenta pathologi-

ca atque therapeutica perſequi, neque tam amplos commentarios horum Actorum phyſico-medicorum inſtitutum commode perferret: quum iam ante nos plures celeberrimi Academiae noſtrae Sodales in huiusmodi ampliori dicti morbi inquiſitione atque pertractatione laborarunt. E quibus ſi unicum nominavero illuſtrem D. *Gottlieb Henricum* KANNEGIESSERVM, cuius de *Spina ventoſa* obſervatio in *Actorum horum Volumine decimo*, pag. 279. ſeq. exſtat, habebunt profecto lectores, quem perlegiſſe non poenitebit. Interim ſi & noſtram ſupra citatam, *de Remediis mercurialibus*, *Spinae ventoſae medicandae idoneis*, Diſſertationem adiecerint, facile intelligent, quae partim de diriſſimi huius mali origine, partim de medicina eidem proponenda ſentiamus.

Supereſt tantum, ut alteram quoque huius Obſervationis partem abſolvamus, &, quae in diſſecto huius puellae cadavere notabilia deprehendimus, ad lectores ſtrictim diſputemus. Inquiſivimus autem primo in utrasque extremitates, quae maximam ulcerum iniuriam perpeſſae erant, & ubivis teneriora carpi & metacarpi, itemque tarſi & metatarſi oſſa carie paene conſumta, partim prorſus in innumera atque multiplicis magnitudinis fruſtula diſciſſa atque diſperſa, partim prorſus in ichorem reſoluta animadvertimus. Maiora vero oſſa, verbi gratia, femoralia, &c. ſtupenda exoſtoſi tumebant, & hinc inde prorſus pereſa erant. E quibus ſingulare atque memorabile adhuc ſpecimen, dextrum nimirum femoris os, undique exeſis foraminibus diſtinctum, adſervo, quod forſan alio tempore accuratius ſum deſcripturus. Qui his ſingulis oſſibus circumiacebant, muſculi, putredinoſa colluvie & ſanguine ichoroſo plane conſumti & diſſoluti deprehendebantur. Secto porro abdomine, maxima ibi aderat ſeri luridi, putridi, atque ſumme foetentis copia; omentum erat tenue cum ipſo meſenterio, cuius

cuius ſingulae glandulae partim ſcirrho induruerant, partim ichore putredinoſo ſcatebant; hepar cum liene partim pallebat, partim vero hinc inde nigras habebat maculas, ambo vero peritonaeo adnata erant. Felleus folliculus bile carebat, parumque tantummodo ſeri ſublutei complectebatur. Renes itidem pallebant, & ultra modum parvi erant. Ventriculus atque inteſtina flatibus diſtenta erant, & paſſim incendii ſphaceloſi ſpecimina oſtendebant. Aperto denique thorace, pulmones undique pleurae adnati, & in dextro latere ſimul vomicis plurimis purulentis pleni reperti ſunt. Oſſis occipitis ulcus, prohibente puellae parente, anatomico cultro tangere non licuit, quod publico funeri haec diſſectio officere videretur.

## *OBSERVATIO CV.*

## Dn. D. PETRI IMMANVEL. HARTMANNI.

### *Sarcocirſoceles, per annulum abdominalem altius progreſſae maleque tractatae, funeſtus eventus.*

Notiſſimi exempli res eſt, & ab omnibus chirurgicarum Inſtitutionum Scriptoribus expoſita, Sarcocirſocelen, ſi tempeſtive ſatis res agatur, commoda tolli poſſe exſectione, vitioſumque teſticulum eſſe excidendum. Huc vero ante omnia pertinet illud *Hippocraticum:* ὁ καιρὸς ὀξὺς! Scilicet, referente graviſſimo medicinae efficacioris ſcriptore, *Ioanne Zacharia* PLATNERO *), protinus conſiderari & diligentius admoto digito explorari oportet arterias, ubi illae ex ſic dicto annulo



*) In *Inſtitutionibus Chirurgiae*, §. 856, *Edit. Lipſ. latin.* p. 542.

educuntur & ad teſticulum feruntur. Illae enim, ſi multum tument duraeque ſunt, chirurgia ſine pernicie adhiberi non poteſt, cum eae tuto, nec praecidi, nec devinciri, queant. Sunt quidem, qui vel in ipſo abdomine, inciſo annulo, ligandi exſcindendique funiculi ſpermatici auctores fuerunt, huiusque rei experimenta fecerunt *): verum votis nunquam reſpondit eventus, aegrosque, doloribus ſatis & incaſſum vexatos, mors rapuit rapietque lenta. Cuius rei hae fere videntur eſſe cauſſae. Quamprimum annuli abdominalis anguſtias ſuperat cirſocele, varicesque ipſius, phaſeolorum aut olivarum inſtar, retro peritonaeum, tam pſoae muſculo, quam ureteri decuſſatim ſubiacenti, nodis ſuis tumentibus incumbunt: tunc partim varia exinde lotio in itinere, ex renibus ad veſicam inſtituendo, obiiciuntur impedimenta, partim ipſe pſoas, dum agit, irritat & commovet nervos, vaſorum ſpermaticorum comites, a varicoſa diſtenſione iam maxime in dolorem proclives, hincque graviſſimos ſaepe numero in his viciniſque partibus excitat cruciatus. Ipſis vero vaſis ſpermaticis lymphaticisque venis paſſim intercurrentibus, ob auctam eorundem magnitudinem ſuperficiemque inaequalem, nodoſam, atque tortuoſam, eo maiori vi impetuque incumbit univerſum paene inteſtinorum volumen, praeſertim e dextro latere coecum inteſtinum, ex ſiniſtro vero flexus coli inferior, quem ſigmoideum vulgo vocant; quorum eo frequentiores vehementioresque in ramicem ſunt iniuriae, quo magis atque crebrius a retentis induratisque fecibus alvinis dicta haec inteſtina expanduntur. Huc accedit, quod eadem haec compreſſio lymphaticis quoque venis, in ſpermaticorum vaſculorum tractu recurrentibus, itidem officiat, lymphamque transeuntem

*) Conf. *Laur.* HEISTERI *Inſtitutiones chirurgicae, Part. II.* p. 790. *Edit. Amſtelod.* ann. cIↃIↃCCL. & *Georg.* HEUERMANNS *Chirurgiſche Operationen*, I. Band, pag. 644. ſeq.

euntem coërceat reprimatque, adeoque cirſocelen iam per ſe ſatis peſſimam hydropico tumore adhuc peiorem reddat. Ita ſenſim omnia, huic malo ſolennia, ingraveſcunt mala; quibus haud raro, ob dilatatum nimis a ramice tumente annulum, aut etiam a cataplasmatibus emollientibus & anodynis, licet incongrue, circa has partes applicatis emollitum, omenti inteſtinorumve prolapſus ſupervenit, plerumque miſerrimae vitae eo celeriorem daturus finem, quo magis hinc funiculus ſpermaticus varicoſus premitur, incendiumque harum partium, tanto ſub malo nunquam penitus exſtinctum, in gangraenam atque ſphacelum tendit, fatalem illum potentemque ſatis, *inviſam quam primum abrumpere lucem.*

Poſſemus hactenus adductis ſatis inſigni exemplorum apparatu facile fidem facere, ſi per otium huiusque Operis limites vacaret. Vnicum tamen alterumque attigiſſe liceat exemplum. Vir in media aetate virili conſtitutus, temperamenti ſanguineo-cholerici, Veneri gulaeque quondam deditus, nec in ipſo morbo, quoad eius facere poterat, iisdem abſtinens, ex levi teſticuli dextri colliſu, non ſine aliqua praeſentis ſimul venerei contagii ſuſpicione, concepit ſarcocelen, eamque per aliquot annos ſenſim increſcentem levi cum incommodo tulit, donec ad extremum omnia illa peſſima atque atrocia, exercitatis Chirurgis alioquin notiſſima, ſupervenirent ſymptomata, miſerrimoque viro, quem praedixeramus, luctuoſiſſimus eiulatuumque pleniſſimus contingeret vitae finis. Huic aliud, adiiciam exemplum. Iuvenis ruſticus, duodeviginti annorum, forte, cum poma legeret, ex arbore delapſus, gravi ad alius arboris vicinae truncum alliſu ſcrotum & inprimis ſiniſtram eius partem eidemque incluſum teſticulum adeo vehementer laeſit, ut nonſolum per horam fere exanimis iaceret, ſed poſtea quoque ex inſigni violatae partis incendio, cum intenſa ſatis febre compli-

plicato, laboraret. Advocatus vicini cuiusdam oppidi Chirurgus, ut aegroto opem ferret, plurimis, neſcio quibus, externis internisque remediis tandem repreſſit incendium, aegerque, ſopita quoque febre, perfecte convaluiſſe eſt viſus. Paullo poſt vero anguem in herba latere ipſe animadvertit aegrotus, laeſumque illum teſticulum, lapidis inſtar, induruiſſe ſenſit. Ad hunc ergo, ut aegroti parentibus optimum videbatur, probe expediteque emolliendum, intra ſeſquiannum in conſilium auxiliumque vocati ſunt carnifices, aniculae, bubulci, balneatores, fabri ferrarii, *ambubaiarum collegia, pharmacopolae*, & qui non? qui tandem, inter innumeros aegrotantis cruciatus, rem eo perduxerunt, ut enormis fieret ex minori ſcirrho ſarcocirſocele, in carcinomaticum tumorem tandem converſa, lentamque tabem pediſſequam habens; a qua cum animam ageret miſer, ego denique vocatus: *I nunc*, dixi, *immenſis urnam quatit Aeacus umbris.* Mortuus autem eſt altera ab adventu meo hora. Plura vero huius generis exempla una cum iis, quae demortuorum cadavera exhibuerunt, obſervatis collecta dederunt BONETVS & MORGAGNVS in illis immortalibus Anatomiae practicae operibus, quae Medicorum nemini, niſi ignariſſimo, eſſe poſſunt ignota.

(*Francofurto ad Oderam Halam miſſae d.* 12. *Iunii* 1765.)

APPEN-

# APPENDIX
AD
# TOMVM TERTIVM
# NOVORVM
# ACTORVM
# MEDICO-PHYSICORVM
ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOL-
DINO-CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM IN GERMANIA.

# CONTENTA APPENDICIS.

I. D. *Joann. Caroli Vilelmi* MOEHSEN Commentatio de Medicis equeſtri dignitate ornatis. Specimen I. pag. 1. ſeqq.

II. Generoſiſſ. D. *Julii Erneſti de* SCHÜTZ Oratio inauguralis de Terra miraculoſa Saxonica, an Steatites ſit? p. 91. ſeqq.

III. D. *Zachariae* VOGEL Commentatio de Sarcocele, eiusque origine, incrementis & curatione ſecundum leges artis inſtituenda. p. 115. ſeqq.

IV. D. *Joann. Frider. Caroli* GRIMM Hiſtoria Febris malignae, quae in urbe & agro Iſenacenſi annis MDCCLIX. MDCCLX. & MDCCLXI. epidemice graſſata fuit p. 143. ſeqq.

V. Eiusdem Hiſtoria Dyſenteriae malignae, quae auctumno annorum MDCCLX. & MDCCLXI. in urbe & agro Iſenacenſi epidemice graſſata fuit. p. 172. ſeqq.

VI. Eiusdem Hiſtoria Morbillorum, Iſenaci & in vicino agro anno MDCCLXII. maligne graſſantium p. 185. ſeqq.

VII. D.

VII. D. *Joann. Petri* EBERHARD Animadverſiones contra Legem motus, quod Summae virium in corporibus elaſticis poſt conflictum ſemper ſint aequales. p. 203. ſeqq.

VIII. Morbonae RITTERI Prodromus, Syllogen Medicorum nonnullorum, qui & de propriis morbis, & de viribus medicamentorum in iis diſſeruere ipſi, alphabetico ordine ſiſtens, cum quadruplici Indice. p. 213. ſeqq.

IX. D. *Joann. Frider. Caroli* GRIMM Synopſis methodica Stirpium agri Iſenacenſis p. 249. ſeqq.

X. D. *Chriſtoph.* MOLINARII Hiſtoria de iſchuria veſicali periculoſiſſima, ob Proſtatae fungoſitatem & abſceſſum enormem exorta &c. p. 365. ſeqq.

XI. Memoria D. *Joannis Hieronymi* KNIPHOF p. 397. ſeqq.

XII. Memoria D. *Joannis de* GORTER. p. 411. ſeqq.

XIII. Memoria D. *Joannis Friderici* WEISMANNI. p. 424. ſeqq.

XIV. Memoria D. *Joannis Gottlob* KRÜGERI. p. 430. ſeqq.

XV. D. *Chriſtoph. Jac.* TREW Apologia & Mantiſſa Obſervationis de Cedro Libani & Cedrorum Libani Hiſtoriae. p. 445. ſeqq.

D. IO.

# D. IO. CAR. VILELMI MOEHSEN

COLLEGII MEDICI IN TERRIS POTENTISS. BORVSSOR. REGIS SVPREMI,

VT ET

OLLEGII SANITATIS ET CAESAR. ACAD. NAT. CVR. IEMBRI, IVVENTVTIS GENEROSAE VTRIVSQVE SCHOLAE MILITARIS, QVARVM ALTERA *ECOLE MILITAIRE*, ALTERA *CADETTEN-CORPS* VOCATVR, ET GYMNASII REGII IOACHIMICI MEDICI ORDINARII,

# COMMENTATIO

DE

# MEDICIS

EQVESTRI DIGNITATE ORNATIS.

SPECIMEN I.

# PROOEMIVM.

In Imperiis, publicisque rebus iſtis, in quibus artes ac bonae litterae in pretio ſunt, & ubi magna ingenia, quae aemulatione ac honore imprimis excitantur, non deficiunt, ab antiquiſſimis inde temporibus mos invaluit, ut ii, qui praecipua prae reliquis meritorum fama fulgent, vel de republica bene meriti ſunt, certis quibusdam beneficiorum ſignis ornentur, & ab aliis diſtinguantur. Graecorum aeque ac Romanorum gens, e quo, aevo antiquiori, praeſtantiſſimorum ingeniorum coetus prodiit, ſatis intelligebat, quam parum artibus atque ſcientiis provehendis conſultum foret, ſi artis periti pariter ac rudes, docti ac indocti, eodem vitae genere ac meritis digni cenſerentur. Multo minus id moliebatur utraque gens, ut artes deſpectui haberentur, vel homines inconditae mentis, ac litterarum plane expertes, civibus dignioribus anteponerentur. Haud fugiebat

Reges, Principes, ac Magiſtratus eorum, quanta ſcientiis e praemiorum muneribus, tributisque honorum ac praerogativarum ſignis, incrementa enaſci queant. Quippe quibus latiorem in modum propagantur, quam ſi contemtu virorum eruditorum, inſtinctus generoſae cuiuscunque mentis in arte quadam excellendi, ſuffocatur, & ardor, aliis vel reipublicae inſerviendi, plane exſtinguitur. Quare patres patriae, pro candore, quo illam amplectebantur, gratoque in cives ſuos bene meritos animo, orbatis ſaepius indigentibus, e communi aerario ſuccurrebant, & praemia largiebantur. Alios, ut alimentorum cura ac ſollicitudine vacarent, nec otio carerent, quod augendis artibus impenderent, ſumtibus reipublicae alebant. Adhuc aliis, a rerum egeſtate haud afflictis, meritisque ſingularibus ita praeclaris, ut illorum memoria poſteris ſervanda eſſet, ſtatuas erigi, inſcriptionibus eosdem ornari, nummosque in illorum honorem cudi, iuſſerunt, neque raro in gemmis eorum imagines poſteritati commendatae cernuntur.

Iam antiquiſſimis temporibus inſigne iſtud commodum, quod e re medica in vitam civilem redundat, animos civium & procerum movit, ut luculentiſſima documenta monſtrant. Statuis enim, inſcriptionibus, atque nummis, in Medicorum honorem proditis, non caruit aetas, in quibus exponendis aliud commodius tempus operae meae ſervabo. Verum enim fateor, artem, quam exerceo, impenſe colo, ſemperque aeſtimabo, non ignorans, quae & quanta ad Medicum perficiendum pertineant. Avidius ergo ea, in horis ſubſecivis, legi & animadverti, quae in artis honorem, ex antiquiorum & recentiorum monumentis, memoriae prodita ſunt. Non deſunt quidem prave morati, qui male de hac nobiliſſima ſcientia ſentiunt, & contumelioſe contra Medicinam, Medicosque omnes verba faciunt, dum obſcurae tantum conditionis, humil-

humillimaeque ſortis homines medicinam facere & feciſſe garriunt. Silebunt vero, cum legent, nobiliſſimos ſaepiſſime viros, maiorum laude, propriaque virtute & doctrina commendatiſſimos, neque infimo, ſed ſummo genere editos, medicinam faciendo, ſcientiam utiliſſimam extuliſſe. Nec ingrata fuit ars Apollinea, dum ſibi deditos, eamque profitentes, non raro ad magnos honores evexit, & virtutis praemiis decoravit. Quod quidem graviſſimis teſtimoniis probari poteſt.

In praeſentia ſolo honore fruor, orbi erudito Commentationem praeſentem, *de Medicis equeſtri dignitate ornatis*, communicandi, quae docebit, quod non ſolum barbaries illa communis, ſcientias premens, certo quodam honoris genere, eruditis impertito, profligata fuerit (id quod praecipue eo loco, ubi de Equitibus auratis ſermo erit, uberius ſubiiciam) verum quoque nutu ac providentia Imperantium ſapientiſſimorum, recentiori aevo contigiſſe oſtendam, ut ardor ad amplificandas artes, honoris propoſiti cupiditate incenſus fuerit, dum viri meritis conſpicui, certis honorum beneficiis mactati fuerunt. Commentationem hanc, una cum aliis ad Hiſtoriam medicam pertinentibus Scriptis, iam abhinc ſpatio quindecim annorum delineavi, & in chartam conieci, plus tunc temporis otii nactus, quod Antiquitatum & Hiſtoriae litterariae ſtudio impendi poſſet; verum tamen operi colophonem non impoſui, donec a *Praeſide Perilluſtri* nunc admonitus, coeptum laborem redauſpicatus ſum. Aſt labor iſte, quem praxi medicae praeſenti tempore impendere cogor, me impedit, quo minus integram Commentationem iuſto temporis articulo, quo prelum opus ſubit, perfectam dare valeam, quapropter quod reliquum eſt operis adornandi, in aliud tempus differo. Ipſum argumentum, a dignitate equeſtri, apud Romanos, tanquam inſtituti origine, initium capit. Licet enim nonnulli ortum dignitatis equeſtris nimis longe petant, dum illam ab Ordine

equeſtri apud Aegyptios derivant, ac *Ioſephum* Ordinis equeſtris Pharaonitici Magiſtrum fuiſſe fingunt; alii quoque e loco apud TACITUM probare annituntur, dignitatem hanc antiquis Germanis originem debere; adeo levi tamen nituntur fundamento, ut temporis iacturam me feciſſe duxerim, ſi de illa re prolixe diſſerere vellem. Quemcunque fabuloſa longeque petita narratio de Ordinum equeſtrium inſtitutis delectat, in HONORATI *de* S. MARIA *Diſſertationibus hiſtorico-criticis, de Dignitate equeſtri*, praecipue in quinque prioribus huius argumenti Diſſertationibus, quod cupit, inveniet. Mei vero inſtituti non eſt, in prolixum hic excurrere campum earum rerum, quae praeter rei tractandae nervum & veritatem, ad ipſam Commentationem operis haud ſpectant, cuius argumenta, quantum fieri potuit, e fontibus genuinis optimae indolis petita, paucis adduxi. Eadem ex ratione, Lectoribus fretus, quos artis medicae hiſtoria non latet, Biographicis allegatis parce uſus ſum, brevibusque ſolummodo attigi ea, quae a Biographis vulgo notis neglecta ſunt. Dabam Berolini d. XI. Mart. MDCCLXV.

§. I.

## §. I.

Cum Iulius Caesar, ſuo iam tempore, medicae artis peritos, maximam partem Graecorum e gente natos, iure civitatis Romanae *a)* donaſſet, eo nimirum conſilio, ut maiorem numerum virorum hac in arte eruditorum Reipublicae Romanae acquireret; Augustus Imperator, generoſa mentis ſuae indole, gratoque in Medicum ſuum *Antonium* Musam animo *b)* ductus, poſtquam a gravi & periculoſo morbo ſe,

*a)* Suetonius in *Vita Iul. Caeſar. Lib. I. Cap.* 42. „Omnesque medicinam Romae profeſſos, & liberalium artium Doctores, quo „libentius & ipſi urbem incolerent, & caeteri appeterent, civi„tate donavit.

*b)* Dio Cassius *Lib. LIII.* „Antonius vero Muſa, quum nihil Au„guſtus eorum, quae maxime ad ſanationem opus erant, poſſet „facere, lavacris frigidis, frigidisque potionibus eum ſanitati „reſtituit: quam ob rem etiam pecunia ei ab Auguſto & Senatu „multa, uſusque annuli aurei (libertus enim erat) datus eſt, im„munitasque non ipſi modo, ſed omnibus eandem artem exer„centibus, in poſterum quoque tempus conceſſa,„ Idem Dio *Lib. XLVIII.* „Apud antiquos Romanos, non modo liberto, „ſed nec ingenuo quidem ulli, aureo annulo uti licebat, niſi Se„nator eſſet aut equeſtris ordinis.„

Quod Musa non libertus, ſed ingenuus fuerit, probavit Crellius *in Diſſ. de Antonio Muſa* §. *V. p.* 12.

Commentatores nonnulli, Scriptorum antiquiorum interpretes, rem ita, ad mentem Dionis, explicant, quod Augustus non tantum Medicos eo tempore viventes, ſed & omnes huic arti operam daturos, equeſtri dignitate donaverit. Vid. Coelius *Rhodiginus, Lect. antiqu. Lib. II. Cap.* 12. „Conceſſum „&

ſe, illius ope, liberatum ſentiebat, Equitum Romanorum numero eundem adſcripſit, tantum non iisdem praerogativis, quibus Equites Romani gaudebant, ornavit. Inter alia enim beneficia, quibus illum cumulavit, iure ac libertate potitus fuit, aureum geſtandi annulum *c*), iure, inquam, illo tempore ſolis Equitibus Romanis proprio. Dignitas haec tempore AUGUSTI ſplendida admodum, multoque honore inſignis fuit; id, quod PLINIUS in Libro infra adducto *d*) prolixe teſtatur, additque, ab Imperatore TIBERIO ſancitum fuiſſe: ne cui ius id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, patri avoque paterno, quadraginta Seſtertia cenſus fuiſſet; quae ſumma noſtro aere, calculo Gronoviano computanda, 12500. Imperialium, vel ex computatione Harduiniana, 40000. Livres numerum abſolvit; ex EISENSCHMIDII calculo, qui in computandis Seſtertiis aliam rationem iniit, ter decies mille, trecentes triginta ſeptem unciales, ſeu Thaleros numeramus. Ubi ſequentibus temporibus nonnulli, e gente Romanorum illuſtri, artem medicam exer-

„ & idem iuris non praeſentibus modo, ſed & futuris, qui ſe Medicos profiterentur.„ Hoc certum eſt, quod AUGUSTUS immunitates inſignes dederit, quae ſub Imperatoribus ſequentibus ſtabilitae non ſolum, verum & magnis incrementis ornatae fuerunt, adeo ut certus in civitatibus Medicorum numerus definiendus eſſet, ob nimiam eorum multitudinem, qui, captandi commodi ac immunitatis ergo, huic arti ſe ſe mancipaverant. Vid. B. BRISSONII *Antiqu. ſelect. Lib. 2. Cap. 3.* Magna cum cura & induſtria, privilegia & immunitates inſignes Medicis ab Imperatoribus tributa, recenſuit & explicavit *Henr.* LAMPE I. U. D. in Diſſ. hiſt. iurid. *de Honore, privilegiis & iuribus ſingularibus Medicorum.* Groeningae 1736. 4to mai. quae alphabetum cum dimidio excedit.

*c*) Vid. *Greg.* LONGUS de *Annulis ſignatoriis antiquorum, Cap. V, p. 32.* & SUETONIUS variis in locis.

*d*) PLINIUS *Hiſt. nat. Lib. XXXIII. Cap. 1. & 2.*

exercuerunt, Imperatorum gratiam ea re ſibi conciliarunt: quos inter, PLINIO teſte *e*), *Caſſii*, *Calpitani*, *Arruntii*, *Albutii*, & *Rubrii* fuerunt, quibus *Acilios*, nonnullosque alios, addendos exiſtimamus, ex diverſarum familiarum Romanae gentis, nummis, inſcriptionibus, aliisque monumentis explicandos, facile inde coniicitur, quod eadem dignitas tempore ſequenti ad plures pervenerit, quorum nomina numquam poſteris innotuerunt. Poterant eadem tanto facilius contingere, quanto magis conſtat, quod TIBERII & Imperatorum ſequentium aetate, multi Medicorum magnis opibus valerent, adeoque requiſitis omnibus, ad equeſtrem dignitatem, ex lege TIBERII exercendam, haud eſſent deſtituti. Ipſe PLINIUS loco allegato refert: Caſſiis, Calpitanis, Arruntiis, Albutiis, Rubriis CCL H-S. (i. e. ducena quinquagena) annua mercede fuiſſe apud principes; quae merces ſecundum computationem Harduinianam, ſummam 25000. Livres includit. Q. vero *Stertinius* (pergit PLINIUS,) imputavit principibus, quod H-S. quingenis annuis, ſeu 50000. Livres, contentus eſſet. Sexcena enim, ſeu 60000. Livres, ſibi quaeſtu urbis fuiſſe, numeratis domibus, oſtendebat. Par & fratri eius merces a CLAUDIO *Caeſare* infuſa, cenſusque quanquam exhauſti, operibus Neapoli exornata, heredi Seſtertium trecenties centena millia (i. e. tres milliones librarum monetae gallicae,) reliquere, quantum ad eam aetatem, Arruntius ſolus. PLINIUS eodem loco refert, quod *Crinas* Maſſilienſis, qui medicae arti & ſtudio mathematico operam navaverat, centies centena millia Seſtertium, ſeu millionem librarum gallicarum, reliquiſſet, muris patriae, moenibusque aliis non minori ſumma exſtructis.

## §. II.

In gratiam eorum, qui in antiquitatibus Romanis non ſatis verſati ſunt, & ſibi forte perſuadent, ordinem equeſtrem Romano-



*e*) PLINIUS *Lib. XXIX, Cap. I.*

manorum ſolummodo militarem, equiteſque peditibus oppoſitos fuiſſe; vel quibus abſona res eſſe videtur, quod illo tempore dignitas equeſtris Medicis tributa fuerit, neceſſe erit, ut in originem atque indolem dignitatis huius apud Romanos maiori cum ſtudio inquiramus. Cives Romani, gentilitio hoc atque nativitatis nomine mere conſpicui, in Patricios & Plebeios diſtinguebantur, poſtea vero reſpectu ordinis & dignitatis in republica, quidam Ordini Senatorio, alii equeſtri, alii plebeio adſcribebantur. Ordo Senatorius omni tempore praecipuus fuit, ad quem nemo, niſi Patricius eſſet, admittebatur, deinde vero etiam ex equeſtri atque plebeio ordine prognati, ad illum ea lege adſpirare poterant, ut a Cenſore e plebeiis electi, ingenui eſſent. Ordo equeſtris Senatorio ordini dignitate proximus fuit, tum plebeii, teſte Livio, Valerio Maximo, atque Martiale *f*) ſequebantur. Senatores ex equeſtri potiſſimum ordine electi fuerunt, quorum liberi equites nati manebant, donec ipſi in Senatum legerentur. *Caius Gracchus*, *Tiberii Gracchi* frater, nec multo poſt *Livius Druſus*, Tribunus plebis, anno ante Chriſtum natum circiter 121. ordinem equeſtrem cum Senatorio coniungere decreverunt; & ut tanto maior eſſet illa dignitas, qua quis ſimul in Senatu ſententiam ferre poſſet, primum lege, deinde plebiſcito ſtatutum ſanciverunt. Iisdem equitibus, utut a Cenſoribus in Senatum haud lecti eſſent, nihilo tamen minus, quod Magiſtratus honore fruebantur, Senatui intereſſe, & ſuffragia ferre licebat, ipſisque Senatoribus hi, tanquam dignitate maiores, praeferebantur. Tradunt quoque, *M. Livium* promulgaſſe legem, ne Iudicia ſoli Senatorum ordini tantummodo competerent, ſed ut aequa lance, inter utrumque ordinem dividerentur: quae nimirum lex diu ſancta & incorrupta viguit

*f*) Livius Lib. XXV. Cap. 36. Valer. Max. Lib. III. Cap. 7. Martialis Lib. VIII. Epigr. XV.

guit g). Imperatorum tempore ſoli equites Romani diverſis provinciis, tanquam Praeſides, praefecti erant; Cappadocia enim, Aegyptus *h*), aliaeque plures provinciae ab equitibus Romanis regebantur, quas inter Aegyptus hoc iure praecipuo gaudebat, ut nemo Ordinis Senatorii, ſed ſola equeſtri dignitate pollens, Praeſidis nomine ad illam accederet. Horum Praeſidum decreta tanta autoritate a Divo AUGUSTO munita fuerunt, ut aeque valerent, ac ſi Romae a Magiſtratu, Regibus, Conſulibus, ac Praetoribus lata fuiſſent; cumque Imperatores ius populo dicerent, conſtitutum fuit, ut Equites in cognoſcendis cauſis, Senatoribus conſilio adeſſent, eorumque arbitrio iura litibus finiendis applicarentur, ex quibus omnibus ſummam dignitatem ordinis equeſtris apud Romanos, ſimul & honorem *Antonio* MUSÆ habitum, aeſtimare licet. Uti vero ſingula dignitatum genera, nimis largiter & indiſtincte effuſa, vileſcunt, ſic idem quoque fatum Romanis Equitibus contigit. CAIUS enim CALIGULA non ſolum numerum Equitum nimium conſtituit *i*), verum quoque GALBA libertum ſuum, *Icelum k*), atque VITELLIUS *Aſiaticum*, libertum ſuum, equeſtri dignitate, ac iure aureum geſtandi annulum, donavit; unde PLINIUS l. c. in haec verba exclamat: *Ita ſeparatur ordo ab ingenuis, i. e. a Senatu & populo Romano; communicatus eſt cum ſervitiis. Senſim conſtitutum, ut quicunque libertus annulo donaretur, abiecto veteri nomine, equeſtre nomen aſſumeret.* Tandem haec dignitas adeo eviluit, ut temporibus SEPTIMII SEVERI *l*) militibus gregariis au-



g) *Alexander ab* ALEXANDRO Genial. dier. cum notis *Tiraquelli* Lib. II. Cap. 29.

*h*) *Corn.* TACITUS Lib. XII. & VII. SUETONIUS in Veſpaſiano.

*i*) *Plinius* Lib. XXXIII. Cap. 2. Sect. 8.

*k*) TACITUS in Hiſtor. Lib. I. & II. & SUETONIUS in Galba & Vitellio.

*l*) HERODIANUS Lib. III. & de Heliogabalo Lib. V.

reos annulos geſtare liceret, & HELIOGABALUS tam Senatui, quam equeſtri ordini homines e ſcena praefecit.

## §. III.

Licet medicae artis periti, tam inter Romanos, quam alios populos, ſequenti tempore variis dignitatibus & honoribus mactati fuerint, quibus quodammodo ſupra dignitatem equeſtrem eminuere; ſiquidem penes Romanos, Senatorum, Praefectorum urbium aeque ac provinciarum, Proconſulum & Quaeſtorum munere ſaepius fungebantur; adeo tamen multa de his eruditi *m)* iamiam memoriae prodiderunt, ut ſingula hoc loco enarrare velle, prolixi operis inſtitutum foret, meo muneri longe adverſum, quod, de Medicis equeſtri dignitate ornatis, in me ſuſcepi.

## §. IV.

Anteaquam vero de Medicis, equeſtri dignitate apud Chriſtianos ornatis, diſſeramus, de *Equitibus*, eorumque inſignibus nonnulla praemittenda erunt. Equites vel nativitatis origine, vel principis mandato deſignati, intelliguntur. *Equites nati*, tenore legum antiquiorum Germanorum verae ac genuinae nobilitatis originem tueri debent, ita, ut a paterno, aeque ac materno ſtipite, quatuor generationes nobiles allegare queant *n)*, ſi Equitis titulo inſigniri velint. Reliqua pars Equitum,

*m)* Vid. *Henr.* LAMPE, Diſſ. cit. p. 97. usque p. 130. *Dan.* VINCK, *Amoenitates philologico-medicae.* Trai. ad Rhen. 1730. 8vo per totum fere librum. C. WOLLII, Diſſ. hiſtorico-critica *de Honoribus Medicorum apud Veteres.* Lipſ. 1732. *Io. Iac.* BAIERI, Oratio *de Honorificis Medicorum appellationibus*, quae tertia eſt in Faſciculo Orat. varii argumenti. Norimb. 1727. 4to. *Io.* BEVEROVICII *Encomium Medicinae.* Roterod. 1644. 8vo.

*n)* Vid. SCHWEDERI *Introductio in Ius Publicum.* Stuttgard. 1711. p. 318.

tum, vel *torquatorum*, vel *auratorum*, vel *cruciferorum* nomine venit, qui quippe poſteriores plerumque *religioſi* dicuntur. *Equites torquati*, equitibus ſecularibus annumerantur, externo quodam dignitatis ſigno, vel catena conſpicui, ad exemplum Equitum aurei Velleris, Ordinis del' Annunciada, Ordinis Elephantini, aliorumque. *Aurati equites* ad claſſem equitum ſecularium aeque referuntur; hi actu ſolenni, & occaſione naſcente ſingulari, ictibus quibusdam enſe datis, ad iſtam dignitatem evehuntur, Ordinisque ſui ſigno nullo gaudent. Temporibus antiquis, ſolis Equitibus aureis calcaribus uti, armaque ſua auro induere licebat. Inde nominis, quod ſortiti ſunt, ratio petenda; nec minus illa, cur non pauci Scriptorum germanicorum, Equites auratos, *calcarium aureorum equites* appellitent, quod nimirum in actu ſolenni, dum ictus enſe acciperent, ſimul aureis calcaribus induebantur. Alio quoque tempore nobiles perſonae ab equitibus armis & equeſtri dignitate ornabantur, ut tanto maiori cum honore bello, pugnis, & ludis equeſtribus intereſſe poſſent. Iſtius generis equites ab aliis equitibus, praedicto more deſignati, *milites*, ut quidam putant, non equites dicebantur; ſed largius de his infra commemorabimur. Idem nomen & illis equitibus tribui ſolet, qui pontificalibus ſive epiſcopalibus inſignibus, exemplo militum Sti Petri, nitent. *Equites cruciferi*, ſeu *religioſi*, a cruce, quam gerunt, nomen acceperunt, originemque ſuam praecipue ſanctis expeditionibus cruciatis, ſeu itineribus in Terram ſanctam, debent. Nonnulli initia horum Ordinum latius extendunt, eademque a temporibus Magni Imperatoris CONSTANTINI repetunt. Erant olim ordines iſti, fraternae ſocietatis vinculo, genere quodam Ordinis eccleſiaſtici inclyti, ad tuendam religionem chriſtianam, & promovenda virtutum chriſtianarum ſtudia ſanciti. Diverſis quoque Ordinibus antiquioribus cura aegrotorum, praecipui officii loco, demandata fuit, ad exemplum inſtituti Ordi-

nis Iohannitici o), cuius equites eam ob cauſam & *Hoſpitales* dicuntur, itemque Equitum Ordinis Teutonici Hoſpitalium, Sanctae Mariae Hieroſolymitanae cognomine inſignitorum. Eiusdem generis fuit olim Ordo Sti Lazari, & Ordo ille a Sto Coſmo & Damiano, Protectoribus artis medicae atque chirurgicae, ita dictus. Immo & noſtro adhucdum aevo, curam aegrotorum praecipuum officium Ordinis Sti Spiritus in Saxia eſſe conſtat, cuius Ordinis ſedes Romae, opimis reditibus dotata, viget. Sequenti aevo, eodemque recentiori, diverſi Ordines ſigno crucis inſigniti, a magnis Principibus inſtituti fuerunt, in quos vel perſonae illuſtres, amicorum nomine adoptabantur, vel aulae bellique miniſtri, tanquam praemio virtutis ac fidei praeſtitae, in ſignum regii favoris huic ordini adſcribebantur, vel quoque alii, tanquam ſignis ac praerogativis, reſpectu ceterorum ſuae conditionis, ad excitanda nova merita, ſimili mactabantur honore.

## §. V.

Cum *Ordo Sti Iohannis Hoſpitaliorum in Hieruſalem*, nunc communiter *Equitum Melitenſium* dictus, procul dubio e numero antiquiſſimorum Ordinum eorumque maxime ſit, qui prae ceteris fulgent, merito quoque primo loco mentionem illius facere convenit. Tenore Statutorum Ordinis, ſive Fraternitatis, tria Fratrum genera huius Ordinis dantur. Diſtinguuntur in *Equites*, *Presbyteros* ſeu *Capellanos*, & *Servientes*, prouti Scriptores, qui hiſtoriam huius Ordinis tradiderunt, infra adducendi, prolixius indicabunt. Ex Ordine Medicorum *Michael* SAVONAROLA *p*) Equitibus huius Ordinis honorifice adſcriptus, eius-

*o*) Vid. VERTOT, *Hiſtoire des Chevaliers Hoſpitaliers de St. Jean de Jeruſalem. Tom. I. p. 15. 16.*

*p*) Vid. Hiſtoria almi Ferrariae Gymnaſii a *Ferrante* edita. Tom. II. p. 17. BAYLE Dictionnaire, ſub voc. *Savonarola.*

eiusdemque ſigno, ob generis ſui nobilitatem & merita, ornatus fuit, Principum Eſtenſium Archiater, in Academiis, Patavina & Ferrarienſi, Profeſſoris munere functus. Monendum duxi, Equites ex Hiſpanica & Italica natione non adeo difficilem habere aditum, quam ex Germanica natione. Nam e Statutis Ordinis equeſtris Sti Iohannis patet, quod Italicae & Hispanicae nationis Equitibus, quatuor generationes nobiles a latere paterno, totidemque a materno, ſuffecerint, quibus digni cenſebantur, ut ad equeſtrem dignitatem adſpirare poſſent. Natio Germanica e contrario, ſe ipſam onere iſto gravavit, vel potius legem ſibi impoſuit, ut generationes XVI. eidem probandae eſſent, priusquam aliquis pari potiatur honore. Multos quidem Ordinis S. Iohannis Melitenſis Equites, ex Medicorum celebrium familiis adducere poſſem, ut *Florium* ROVERELLAM, celeberrimi Medici, *Laurentii Roverellae*, Pontificis Maximi Nicolai V. Archiatri, & intimi cubicularii, fratrem; nec minus *Antonium* TEBALDUM, Equitem eiusdem Ordinis, Archiatri Pontificis Calixti III. *Simonis Tebaldi*, nepotem, duosque alios equites Hieroſolymitanos, pronepotes celeberrimi Medici, Ambroſii Cavenaghii, Protophyſici & Decurionis Mediolanenſis, & plures alios. Quia vero non ipſi Medici fuerunt, eos praetermitto, licet ob generis nobilitatem Medicorum Ordini aliqualem ſplendorem addant.

*Presbyteri* ſeu *Capellani* Ordinis, equitum more, crucem gerunt, neque dubito, *Petrum* ARLENSEM *de Scudalupis*, medice doctum, horum equitum numero accenſendum eſſe. Eſt mihi illius imago aeri affabre inciſa, quam Thomas de Leu excudit. In eadem imagine, cruce Ordinis Melitenſis ornatus apparet. Ex inſcriptione vero imaginis, praeter nomen ante allatum, & litteras M. B. O. nil plane de Ordine ac *Petri Arlenſis* dignitate conſtat: Nulla in Biographis eruditorum de vita eius mentio facta; & quamvis rara illa libri, quem ſcripſit de Sympathia ſeptem metallorum, & ſelectiorum lapidum ad planetas,

netas, ſolaque genuina editio opera filii ſui, Mantuae Carpetanorum in fol. prodierit, fruſtraneo tamen labore, in Nic. Antonii Bibliotheca Hiſpana illum quaeſivi. In rubro antedicti ſui operis, *Petrus* ARLENSIS, Presbyteri Hieroſolymitani nomine effertur *q*), qui titulus illam dignitatem concernit, qua tunc temporis enituit; ad ſacrum vero Ordinem paulo tardius illum acceſſiſſe, ex eo coniicitur, quod antea in matrimonio vixit. Cum officium equitum e primo huius Ordinis inſtituto, aegrotorum ſcilicet in hoſpitiis ſuſcipiendorum curam concernens, Medicorum muneri haud adverſetur, cuius officii mentio §. III. facta eſt, mirum aliquem habere minime poteſt, cur Medicis, huius Ordinis Fratrum Servientium numero adſcriptis, indultum fuerit, crucem, more reliquorum ita dictorum Fratrum Servientium, geſtare. Crux iſta, ſi BONANNO fides habenda eſt, formam ſolitam crucis Melitenſis prae ſe fert, aureae nimirum, coloreque albo intermixtae ac interlitae; aſt apicibus binis ſuperioribus ſeu potius integra parte ſuperiore ſignum omnino caret, ita ut utrumque modo latus, una cum parte inferiore perfectum, ſex apicibus finiatur. BONANNUS quidem *r*) deſcriptionem crucis Fratrum Servientium ſupra adductam dedit; verum illam cum cruce Donatorum confundit. In Statutis Ordinis, quorum copiam nobis VERTOT *Tom. IV.* fecit, crucis huius truncatae non niſi reſpectu Donatorum mentio facta eſt, ipſe cum OSTERHAUSIO l. cit. teſtatur, crucem linteam, minoris nimirum formae quam Equitum, Fratrum Servientium palliis infixam fuiſſe; cui aſſerto praedictus OSTERHAUSEN addit, quod Fratres Servientes aurea cruce non fulgeant. Presbyteri, ſeu Capellani, & Fratres Servientes, teſte VERTOT *Tom. IV.* in Statutis probare debent, ſe e legitimo ac honeſto

*q*) Vid. MORHOFII Polyhiſtor, Tom. I. Lib. I. Cap. XI. §. II.

*r*) Vid. BONANNI Deſignatio Ord. Equeſtr. Eccleſiaſticorum & Secularium. n. 61.

honeſto matrimonio natos eſſe, parentesque habuiſſe non opifices, nec vilioris opificii munere unquam functos. Fratres vero Servientes ipſi, a ſuſpicione cuiuscunque facti levioris ac ignominioſi, liberi eſſe debent. Neque dubitandum, quin huius generis Medicorum, cruce, tanquam ſigno Ordinis notatorum, magnus numerus adduci queat, cum Ordo ipſe poſt adeo longum temporis intervallum, iamiam floruit, ac omni tempore tribus Medicis *s*) cura Hoſpitalis vel Noſocomii, Italis Infirmeria, Ordinis demandata fuit. Alius vero e Medicis, integrae navium turmae, quando triremes, mare petentes, ſolvebant, iungebatur *t*); quippe quae conſuetudo hodierno quoque tempore viget. In Statutis Ordinis vero ſancitum legitur, ut officia Ordinis ſemper Fratribus Ordini adſcriptis conferenda ſint.

## §. VI.

*Equites Sti Sepulchri Hieroſolymitani* aeque ac *Equites Ord. Sti Iohannis* antiquiſſimis Ordinum inſtitutis accenſentur, qui, cum numerus eorum creviſſet, etiam in Italiam tranſiere, ſede Peruſiae electa. Poſtea vero maximam partem a Pontifice Innocentio VIII. Ordini Sti Iohannis MCCCCLXXXIV. admixti fuere. Duodecim vero annis elapſis Alexander VI. *tt*) Magiſterium Ordinis ſibi vindicavit, & Guardiano ſive Patrum Superiori, Ordinis Franciſcani, ſeu Fratrum minorum ſtrictioris obſervantiae, quibus cuſtodia Sti Sepulchri demandata eſt, tanquam ſummi Pontificis Vicario ad Sti Sepulchri monumentum,

*s*) C. *von Oſterhauſen* Statuta & Ritus Equit. Ord. St. Ioh. in Hieruſalem. Francof. 1644. p. 26. & 78.

*t*) *von* OSTERHAUSEN Tit. XII. de Officiis Fratrum, & VERTOT l. c. Tom. IV. dans les Statuts. p. 172.

*tt*) SPENERI Opus heraldicum Tom. I. p. 334.

tum, poteſtatem ac libertatem dedit, nonnullos peregrinantium, pietate, religione ac meritis conſpicuos, in Ordinem iſtum adoptandi, Equitumque dignitate inveſtiendi. Huius generis Equites, finitis ſingulis diverſorum ſolennium ambagibus, quas *Franciſcus* MENENIUS *u*) prolixe refert, poſtremo loco aurea catena donantur, cum appenſa cruce, in collo eorum ſuſpenſa. Crux iſta rubri coloris eſt, cuius quatuor anguli aliam minoris formae crucem rubram continent, quae ſingulae cruces, quinque vulnerum Chriſti in memoriam proditae, eiusdem indolis ſunt ac patibulatae, Germanis *Krücken-Creutz* dictae. Equites hoc ſigno conſpicui, matrimonii vinculo ſe alligare poſſunt, & una cum reliquis votis conſuetis, coniugalis caſtitatis fidem promittunt. Illorum in numero fuit inclytus ille *Iohannes Weslingius* ſeu VESLINGIUS, Mindeno-Weſtphalus *x*). Hic, poſtquam diu Palaeſtinam ac Terram Aegyptiacam inhabitaſſet, munere deinceps Profeſſoris in Academia Patavina functus fuit. *Bernhardus van den* BROECK *y*), Medicus Batavus, praxi ſua, quam Enckhuſiae mutuavit, admodum celebris, pro more tunc temporis ſolito nomen ſuum mutans, ac PALUDANUS dictus, poſtquam lata in Europae, Aſiae ac Africae Terris, itinerum ſpatia emenſus eſſet, ſacri Sepulchri Ordinem equeſtrem nactus fuit. Recentiori adhuc aevo, Ruſſiae Imperatoris Noſocomio campeſtri, quondam Medicus praefectus,

*u*) Vid. *Deliciae equeſtrium ſ. militarium Ordinum, & eorundem Origines, Statuta, Symbola, & inſignia, iconibus additis genuinis.* Colon. Agrippinae 1613. p. 39. ſeqq. In fine huius libri tabulas adiecit, quibus Philippus II. Rex Hiſpaniae in Summum Ordinis Magiſtrum, eiusque ſucceſſores ab equitibus Hieroſolymitanis, praeſertim Belgis ibidem nominatis, anno 1558. in Eccleſia Hochſtratana, ditionis Brabantiae, ſunt electi.

*x*) IMPERIALIS *Muſeum hiſt.* Lib. I. p. 208.

*y*) IOECHERI *Lexicon erudit. univ.* ſub nomine *Paludanus.*

ctus, D. *Michael* SCHENDO *van der* BECK *z*), origine Macedo, equeſtri hoc ordine inſignitus innotuit.

## §. VII.

Ad Equitum Sti Sepulchri Hieroſolymitani fere normam, *Equites Stae Catharinae in monte Sinai a*) creari ſolent, in quo eiusdem Virginis corpus ſervatur, ideo reliquis e Terra ſancta ortis Equitibus illos adiungere placet. Hic Ordo anno 1063. a Perſonis nobilibus, in cuſtodiam ſepulchri Sanctae Catharinae inſtitutus fuit, & ſanctis eo tendentibus viatoribus in tutelam dabatur, ut ſimul hoſpitii iure fruerentur. Inſuper & equites voto coniugalis caſtitatis ſeſe obſtringunt. Numerus eorum quondam valde magnus fuit; Magiſtrum Ordinis ſui ipſi elegerunt; multas praefecturas terrasque poſſederunt. Equites in amictu albo, mediam rubei coloris rotam, gladio transfixo, inſignium loco, in ſiniſtro pectoris latere gerunt. Ex quo vero tempore, una cum iactura Palaeſtinae & Graeciae, bonis quoque ſuis hic Ordo orbatus fuit, nunquam iſte ad ſtatum priſtinum redire, neque ad electionem ſupremi ſui Ordinis Magiſtri adſpirare potuit. Hinc accidit, ut Abbates inter Monachos S. Baſilii, quibus cuſtodia corporis ſanctae Virginis demandata eſt, quorumque ad legis normam Ordo praedictus inſtitutus fuit, indulgentibus Pontificibus, iure uſi ſint, viatores quosdam religioſos in equites Ordinis de Sepulchro S. Catharinae creandi. De hoc genere equitum procul dubio celebris ille *Leonhardus*

 THUR-

z) Vid. Perilluſtr. BÜCHNERI *Hiſtoria Academ. Nat. Curioſor.* p. 497. ubi rubrae Hieroſolymitanae Crucis Eques audit, quod genus Equitum ad ſacri Sepulchri Ordinem equeſtrem unice referendum puto. Vid. BONANNI *Deſignatio Ordin. equeſtr. tam eccleſiaſt. quam ſecular.* n. 105. vel Edit. germ. p. 115.

a) *Franc.* MENENII Deliciae equeſtr. ſ. milit. Ord. iam cit. pag. 49. BONANNI l. c. n. XXI.

THURNEISSER *zum Thurn* fuit, inter Archiatros Electoris Brandenburgici *Iohannis Georgii*, primo & praecipuo loco nominandus, qui in orbe erudito, Scriptis ſuis, &, quod aiunt, artis alchymiſticae ſcientia valde inclaruit. Autores quidem biographici *b*) nullam dignitatis ſuae equeſtris mentionem faciunt; poſſideo tamen, una cum aliis ipſius iconibus, imaginem ligno expreſſam, cui verba inſcripta: *Effigies genuina Nobiliſſimi, Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri, Domini Leonhardi Thurnheuſeri, Equitis de monte Sinai, Philoſophi celeberrimi*, leguntur. Ima in parte imaginis, *Iacobus Colerus* iun. Berol. March. Med. Stud. poſt illius mortem, ordine prolixo, verſus in eius laudem conceptos addidit. Ceterum evictae veritatis aſſertum eſt, quod Imperator *Rudolphus* II. Thurneiſerum, qui patrui ſui, Archiducis *Ferdinandi*, gratiam iam antea meruerat, multumque penes illum valuerat, nobilitatis inſignibus donaverit *c*): pari modo certo quoque conſtat, de itineribus diverſis in longum latumque ab eodem ſuſceptis, praecipue de illis, quae anno 1560. in Scotiam & in Inſulas Arcadicas, anno 1561. in Hiſpaniam & Luſitaniam, porro in regiones Barbarorum, Aethiopiam, Terram Aegyptiacam, Arabiam, Syriam, Palaeſtinam, Candiam, Graeciam, Hungariam, & anno 1568. in Bohemiam ſuſceperit; unde in Germaniam 1571. redux, ut ante narratum, Electori Brandenburgico officia ſua locavit *d*). His ubi in itineribus conſtitutus fuit, & praecipue cum in Palaeſtina moraretur, dubio prorſus vacat, eum Ordinem equeſtrem neglexiſſe, quem, quo tanto maiori autoritate conſpicuus eſſet, ſuisque promiſſis alchymiſticis tanto graviorem fidem adderet, ſibi procul dubio conciliare ſtuduit.

§. VIII.

*b*) e. g. KESTNERUS in Lex. Biogr. Med. IOECHERI Lexicon erud. univ. MANGETI Bibliotheca Script. medic.

*c*) M. DIETERICI *Berliniſche Kloſter- und Schul-Hiſtorie* p. 133.

*d*) Acta Med. Berol. Dec. II. Vol. I. in Praef. & IOECHER in Lib. cit.

## §. VIII.

*Ordo Equitum Crucis cum Stella rubra*, quem nonnulli inſtitutum *Helenae*, matris Imperatoris *Conſtantini Magni* eſſe ducunt, ſine dubio eiusdem originis, cum Ordinibus S. Iohannis, Teutonico, Templariorum, ſingulisque iis Ordinibus cenſetur, quorum mentio §. III. facta, & de quibus dictum fuit, quod tam armis, quam curae aegrotorum in Palaeſtina vacaverint. Hi pari modo, ac ceterorum ordinum Equites, creſcentibus Turcarum viribus, in Europa fixam ſibi ſedem pararunt. E vetuſtiſſimis rerum monumentis conſtat, hunc Ordinem Bohemiae primum innotuiſſe, in cuius regni pago quodam, *Pontizke* dicto, villam ruſticam acquiſivit, & Xenodochium pauperum cum Noſocomio, in favorem hominum decrepitae aetatis & infirmae valetudinis, inſtituit, cui deinceps plura huius generis inſtituta, anno 1238. a Pontifice Gregorio IX. & anno 1251. ab Innocentio IV. confirmata, acceſſerunt, quo facto vitam quoque militarem penitus deſeruere, & praecepta Divi Auguſtini ſecuti, ad huius inſtituti normam, vitae ſuae rationem compoſuere, & amictum nigrum, inſtar Miniſtrorum eccleſiae, elegere. Antiquioribus temporibus, Equitum in pectore ſiniſtro ſola Crux rubra Melitenſis cernebatur; ſed Magiſter Ordinis, *Albertus de Sterneberg*, fratribus Stellam rubram ſexangularem e ſuis inſignibus gentilitiis addidit, ut illam rubra ſub Cruce geſtarent. Idem inſtitutum a Pontifice Innocentio IV. in Bulla confirmatoria deinceps robur ſuum nactum fuit; unde quoque ratio petenda eſt, cur *Equites Crucigeri cum Stella rubra*, dicti fuerint. Magiſter Ordinis Superior, ſ. Generalis, Pragae in templo & Xenodochio Sti Spiritus reſidet, cui Imperator Leopoldus anno 1697. locum inter Antiſtites ſacrorum Ordinum provincialium eccleſiaſticos, ſeu Praelatos Bohemiae, aſſignavit. Fratres huius Ordinis, per Bohemiam, Sileſiam, Moraviam, Poloniam, & Lithuaniam, ſedes ſibi paravere latiſſi-

mas *e*). Magiſter Ordinis Wratislaviae, titulo Magiſtri Supremi ac Viſitatoris Generalis per Sileſiam atque Poloniam gaudet, & Magiſtrum Generalem Ordinis proxime ſequitur, reſidetque in pio inſtituto Ducali Sti Matthiae Wratislaviae, cuius nimirum Xenodochii ſacri Antiſtes Infulatus audit. Ipſum vero inſtitutum viduae Ducis *Henrici Pii*, *Annae*, originem ſuam debet, quae opimis reditibus idem dotavit; parochialis eidem adhaeret aedes, cum ſplendida bibliotheca.

Cur adeo prolixam huius Ordinis deſcriptionem praemittere in animum induxerim, cauſa fuit nonnullorum error, qui Equites huius Ordinis cum Ordine Sti Conſtantini, vel Melitenſi, vel Equitum Ordinis Teutonici confundunt. Praecipuam vero huic commentationi anſam praebuit Doctor *Ioh.* SCHEFFLERUS. Iſte fuit Imperatoris Ferdinandi III. ac Ducis Olsna-Würtebergenſis Archiater, qui, poſtmodum religionis Romano-Catholicae dogmata profeſſus, Ordinis Teutonici Eques fuiſſe fertur, uti e Tomo V. Theatri mundi apparet *f*). Hoc aſſertum faciliorem fidem invenire potuiſſet, ſi tempore inſtituti Ordinis Teutonici vixiſſet, quo forte non tam documentorum probandae nobilitatis, quam veri officii, & adimplendi muneris equeſtris ratio habebatur, cuius Ordinis Teutonici vota praeſtanda curam aegrotorum praecipue reſpiciebant, ad quam gerendam iuſtis SCHEFFLERUS requiſitis haud fuit deſtitutus. Verum tamen celebrem Ludolfiani Operis continuati Autorem non latere debebat, quod SCHEFFLERUS, ex lege Statutorum, dignis ad adipiſcendum Ordinem Teutonicum meritis caruerit. Licet autem SCHEFFLERUS in Biographis medicis non reperiatur, dum multa Scripta myſtica, & ad Theologiam polemicam ſpe-

*e*) GRYPHIUS *im kurtzen Entwurff der geiſtl. und weltl. Ritter-Orden*, in Praefat. Edit. de ann. 1709. BÜSCHINGS *Erdbeſchreibung, in dem Capitel von Bœhmen und Schleſien.*

*f*) Vid. *Ioh.* LUDOLFFS *Schaubühne der Welt.* V. Th. p. 365.

ſpectantia, tecto ſub nomine edidit, Opera vero medica plane nulla ab eodem elaborata in lucem prodiere; de eo tamen certior factus ſum *g*), quod poſt mutatam religionem ſuam, in praedictum coenobium S. Matthiae, Wratislavienſe, ſeſe receperit, Ordini Crucigerorum cum Stella rubra nomen dederit, & ſacris ſacerdotalibus initiatus fuerit, quo facto, Epiſcopalis Conſiliarii munere indutus, anno 1677. diem obiit ſupremum.

## §. IX.

Inſigne documentum pietatis & amoris erga proximum, & quodammodo ad ſera usque tempora ſervati inſtituti laude digniſſimi, exhibet *Ordo Sti Spiritus in Saxia*, Romae vigens, de quo paulo prolixiorem dicendi campum ingrediemur. Hic fere unicus ille Ordo habetur, qui ſecundum primas inſtituti regulas, hodierno adhuc tempore celebratur. Nam, uti ex ante dictis patet, cura aegrotorum, omni tempore, praecipuis Ordinum equeſtrium antiquiſſimorum officiis annumerabatur, eorumque ad exemplum Ordo Sti Spiritus in Saxia anno 1204. à Pontifice Innocentio III. Romae ſancitus fuit, ab initio & origine non adeo late patens. Prope templum Stae Mariae Xenodochium pauperum Romae ſitum erat, ab *Ibna*, Rege Saxonum plagae orientalis, in uſum viatorum religioſorum ſuae gentis, una cum templo aedificatum, unde ea urbis pars, quam Saxones incolebant, *Saxia*, & ipſum templum, nomen *Stae Mariae in Saxia* ſeu *Saſſia* ſortitum fuit. Ad alendos vero pauperes huius Xenodochii, e bonis ſuis cameralibus, Rex certos quosdam reditus annuos, a ſucceſſoribus ſuis aliisque multis piis legatis adauctos, deſtinaverat. Cum tempore Pontificis ante

*g*) Arnolds *Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie* P. III. p. 93. Lucae *Schleſiſche Chronik* p. 447. Scultetus de Hymnop. Sileſ. pag. 8. Wetzels *geiſtl. Lieder-Dichter*, & *Unſchuldige Nachrichten.* 1713. p. 858. *und* 1727.

ante dicti, Guido, Wilhelmi Comitis vel Dynaſtae Montis-peſſulani filius, Ordinem Hoſpitalem, ſub Sti Spiritus nomine, ad normam Ordinum in Terra ſancta contractorum vel fundatorum, una cum aedificiis curae aegrotorum inſervientibus, in Montispeſſulana civitate inſtituerat; Papa Guidonem, confirmato iam inſtituto, una cum ſex Hoſpitalibus Romam evocabat, tradebatque illi ſpartam Praeſidis in Xenodochio Stae Mariae, poſtea Sti Spiritus nomine inſignito; hodie vero Archinoſocomium vel Archihoſpitale Sti Spiritus dicitur. Integram eandemque abſolutiſſimam huius Ordinis hiſtoriam cum Helyotus *b*) nobis tradiderit, Lectorem ad eundem remitto. De hoſpitali aedificio ipſo, quod a Pontifice Sixto IV. illo cum ſplendore adornatum eſt, quo tempore praeſente adhuc fulget, quaedam praemittere placet. Inter res alias memoratu dignas, latum vaſtumque triclinium hae aedes continent, cuius ſpatium Lectorum numerus millenarius explere poteſt. Alio quodam in loco ſpatioſo, ducenta ſtrata poſita ſunt, ſingula aeſtivo tempore occupata. Sacerdotes & perſonae nobiles conclavia ſeparata inhabitant, quorum in unoquoque quatuor lecti poſiti reperiuntur, cibumque e vaſis argenteis capiunt. Adhuc unum in hoc aedificio atrium transverſim ſitum, occurrit, vulneratorum receptaculum. Inſunt illi quoque camerae peculiares, quibus includuntur mente capti, morbo contagioſo afflicti, numerusque morbis laborantium fere continuo millenarius eſt, quos hoc Xenodochium fovet. In certo quodam domicilio poſticae partis Xenodochii, quadraginta nutrices habitant, ad ſervandos infantes expoſitos, lacteque nutriendos, ibidem receptae, quoniam haec infantum proiectitiorum cura praecipuum, pro averruncandis infanticidiis, Fratrum Ordinis munus habetur; infantes vero expoſiti, machinis ſingu-

*b*) Helyot *Geſchichte der geiſtl. und weltl. Ritter-Orden* Tom. II. p. 235. ſeqq. & p. 256.

ſingulari arte effictis immiſſi, in Xenodochium utplurimum nocturno tempore, velut torquendo, trahuntur. Praeterea in ipſa civitate, & adiacentibus pagis, bis mille adhuc numerantur nutrices, quarum curae ac nutricio parvuli committuntur. Adhuc alius aedibus ineſt locus, quingentorum puerorum turba ſcatens; pueri iſti trimuli vel quadrimuli illuc deferuntur, manentque ibidem, donec in certo quodam opificii genere, vel alia quacunque arte eruditi, ad illum ſtatum pervenerunt, ut manuum ſuarum opera ſe ipſi alere poſſint. Sunt & alio in loco puellae quingentae, quae ibidem educantur, donec illam attigerunt aetatem, ut nubere valeant; nubentes, vel vitam religioſam eligentes, e Xenodochio quinquaginta thaleros Romanos, ſive, ut KEYSSLERO placet *i*), centum (*Scudi*) pro dote accipiunt. Cum plurimi Pontificum, inter quos Innocentii III. & Sixti IV. mentio iam facta, praecipue quoque Eugenius IV. Leo X. Paulus III. Pius IV. Pius V. & fere ſinguli papali dignitate florentes illorum ſucceſſores, merita ſibi vendicant, quod Xenodochium hoc, piis fundationibus & legatis iam antea ornatiſſimum, ſplendidis ex parte aedificiis, fontibus, picturis, eiusque generis variis ornamentis, donaverint; partim quoque pinguibus reditibus iſtud ditaverint: adeo mira res non eſt, cur annui huius pii Corporis reditus Summam 100000. thalerorum Romanorum, quos *Scudi* vocant, longe ſuperent. Naſcuntur illi reditus e fructibus nonnullorum principatuum, urbium, vicorum atque pagorum Xenodochio ſubiectorum, ut & ex trapeza ſive argentaria, quam aedes iſtae continent. Immo copioſiores adhuc futuri eſſent illi reditus, niſi aliqua eorum pars in aliorum Xenodochiorum utilitatem converteretur. Palatium Commendatoris, Praeceptoris ſub nomine vulgo noti, mira venuſtate nitet. Huic vaſtae aedes adiacent, quas Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum numerus centenarius, una cum

*i*) *Neueſte Reiſen* Tom. II. p. 31

cum miniſtrorum Xenodochii numero haud exiguo, inhabitat, praeter multos alios medicae arti & chirurgiae addictos, qui illuc quotidie confluunt, quo ſeſe in Medicina, Chirurgia & Pharmacia fructuoſius exercere valeant. Ut vero iuvenes, qui in doctrina medica, & reliquis huius doctrinae partibus ſeſe exercere ſtudent, tanto magis in ſingulis proficiant, ipſaque cura aegrotorum, a peritiſſimis inter Medicos geratur, ordo Inſtituti iubet, ut quatuor doctiſſimorum Medicorum, adhibitis binis Chirurgis, multa experientia edoctis, ſeligantur. Siquidem illo in caſu, quo munera Medicorum vel Chirurgorum Hoſpitali addictorum vacant, publicum examen inſtituitur, ad quod unusquisque e Medicis ac Chirurgis, tale munus ambiens, admittitur, praecipuumque tunc temporis Antiſtitis Commendatoris officium eſt, id agere, ut doctiſſimo, & in examine praeſtantiori, haec ſparta demandetur. Cum egregio huic inſtituto nulla adhuc Bibliotheca eſſet, celebris Archiater & Cubicularius intimus Pontificis, *Io Maria* LANCISIUS, Medicinae practicae Profeſſor primarius in Archilyceo Romano, anno 1676. & nonnullis hunc ſequentibus annis, munere Medici aſſiſtentis hoc in Xenodochio functus, integram ſuam ſplendidam Bibliothecam, dum adhuc in vivis eſſet, una cum ſingulis Codicibus MSCtis, omnique inſtrumentorum anatomicorum, chirurgicorum, phyſicorum & mathematicorum apparatu, huic Corpori legavit, ſolennique Oratione, praeſentibus multis Purpuratis & Sedis Romanae eccleſiae Proceribus, de *recta Medicorum Studiorum ratione inſtituenda*, d. 25. Aprilis 1714. recitata, eidem tradidit *k*). Secundo die feriarum Pentecoſtalium eiusdem anni, haec

*k*) Vid. la Bibliotheca Lanciſiana, overo diſtinto Ragguaglio della publica Libreria, eretta l'anno 1714. nel Sacro Pontificio Archioſpedale di S. Spirito di Roma, dall' Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Monſig. *Gio. Maria* LANCISI, Cameriere ſegreto, e Medico di N. Sig. Papa Clemente XI. deſcritto dall' Abate *Criſtoforo* CARSUGHI, Dot-

haec Bibliotheca, praeſente Pontifice Clemente XI. viginti Purpuratis, magnoque Antiſtitum numero, maxima cum pompa aperta fuit. Primi anteibant Sacri Ordines; Equites, Conſervatores, Principes ſanctae ſedis, & Patricii Romani Pontificem comitabantur, cui ſolenne eſt, hoc die cum magno comitatu Archinoſocomium inviſere. In ornamentum quoque huius Bibliothecae, LANCISIUS bina buſta, ex candido marmore, Papae nimirum Innocentio XI. & Clementi XI. dicata, elaboranda, ac in veſtibulo atrii collocanda curavit. Haec buſta admodum altis nituntur fulcris marmoreis, quorum alterum herbeo colore, maculisque nigris ſine ordine ſparſis, (*Verde anticho*), alterum colore flavo ſtramineo (*Gallo anticho*) notatum, in memoriam muneris Archiatri & Cubicularii intimi, quo penes utrumque Pontificem LANCISIUS functus, gratiaeque, qua apud illos olim valuiſſet. Dono quoque dedit Statuam marmoream horologio imponendam, imaginem Fortitudinis ſiſtentem. Addidit inſuper quasdam reliquias Sancti Pantaleonis Medici, quem LANCISIUS, tanquam ſtudiorum ſuorum Protectorem, ſingulari cultu proſequebatur, buſto argenteo reconditas. Ad conſervandam Bibliothecam & comparandos novos libros, LANCISIUS reditus, e centum locis Montium Camerae Apoſtolicae non vacabilium, pro fundo, poſt mortem eius prodeuntes, legavit, illo nimirum nomine ac titulo, quo ad LANCISIUM pertinebant, & in ipſo inſtituto, ac Diplomate Pontificis, (*Breve* dicto) efferuntur. Praeterea, ante obitum ſuum, CXX. Scudi in honorarium Bibliothecarii, XXX. Scudi pro Cuſtode, illius Adiutore, & decem pro quibusdam minutis expenſis, per an-

d 2 ni

Dottore di Teologia e d'ambe le Leggi, Bibliotecario della medeſima. Con una Orazione recitata: de Recto uſu bibliothecae, e coll' aggiunta d'alcune Poeſie dello ſteſſo autore fra gl' Arcadi, detto Egialo Paſtore. Dedicato all' Emmo e Rmmo Sig. Card. Franc. Maria Caſini. In Roma 1718. 4to.

ni tempus ſolvendis, aſſignavit. Adhuc LX. Scudi ad alimentum Bibliothecario aedium Sti Spiritus quotannis ſolvi iuſſit: quippe qui ſimul Canonici Sti Spiritus titulo gaudet. Ut ex hoc inſtituto maius commodum in doctrinam medicam redundaret, Lancisius ſequenti tempore Academiam philoſophico-medicam ſancivit, quae in atrio Bibliothecae congregatur. Ne ſpatium in Xenodochio nimis contraheretur, Commendatoris munere tunc temporis in illo fulgens, *Georgius Spinola* Archiepiſcopus Caeſareanus, Referendarius utriusque ſignaturae Papalis, &c. quatuor conclavia, in ſuperiore contignatione aedium Praeceptoris Noſocomii Sti Spiritus ſita, a domicilio ſuo, pro atrio & veſtibulo condendo, ſeiunxit. Cum vero deinceps praedictus Archiepiſcopus, Nuncii nomine, Vindobonam mittebatur, ſucceſſor eius in praefectura, *Sinibaldus Doria*, Archiepiſcopus Patracenſis, operi exſtruendo colophonem addidit, Papa Clemens XI. qui ipſe conficiendo & adornando atrio Bibliothecae, haud exiguos ſumtus impendit, donoque dedit, hoc inſtitutum non tantum peculiari Diplomate confirmavit, ſed & omnibus ac ſingulis, qui illud inſtitutum quocunque modo violaturi eſſent, vel minimam ſchedam, qualicunque ſub obtentu, e Bibliotheca ſubducere auderent, excommunicationis maioris poenam minatus eſt, a qua nemo, niſi in ipſo mortis articulo conſtitutus, a ſolo Pontifice Romano, tunc temporis exiſtente, liberari poteſt. E biographia Lancisii patet *l*), quod verum a Lancisio, alendae Bibliothecae & honorando Bibliothecario deſtinatum Legatum, in Summam 12000. Scudi excurrat, additurque aliud Legatum, nimirum 60000. Scudi, Archinoſocomio in Saxia ab illo donatum, ad exſtruendas aedes, in quibus virorum ac foeminarum decrepitae aetatis, numerus ſexagenarius nutriendus eſſet. Quod-ſi

*l*) Vid. Ioecheri Lexicon erud. univerſ. *Lanciſius*, & ibi citati Giornali litterati, & Niceron Memoires.

ſi mihi propoſuiſſem, hac occaſione de Medicis Bibliothecarum fundatoribus & amplificatoribus nonnulla ſubiicere, numeroſa illorum copia adducenda foret; ubi vero iamiam in enarrando Lancisii inſtituto, aeque ac in deſcribendo Ordine Sti Spiritus in Saxia, tanto prolixior fui, quanto magis hanc terrae partem earum rerum notitia fugit; inſuper & ante adductus liber *Chriſtophori* Carsughi raro occurrit, filum diſſertationis huius argumenti abrumpam, ac ad Ordinis ipſius conſtitutiones, habitum, ac hodiernam conditionem revertar. Ordinis fratres omnes aequali amictu induti incedunt; in latere ſiniſtro tam veſtis atrae, quam pallii, crucem habent albam linteam, duodecim apicibus diſtinctam, ſimilem iſti, quae Patriarchalis vocatur. Secundum primum inſtitutum Fratres Ordinis laici erant; quibus Clerici quidam ſeculares adiungebantur, tam ut egentibus, quam aegrotis ſacra miniſtrarent. Nunc vero in numero Fratrum Ordinis Romae, ſolummodo Canonici regulares, Sacerdotes, & Laici inveniuntur, qui Praeceptori magno ſeu Commendatori ſubiecti ſunt. Siquidem tempore praeterito Ordo ille, cum ſeparatis praefecturis ſive Commendis gauderet, pro vero Ordine equeſtri habebatur, licet Fratres Ordinis nunquam arma geſſiſſe legamus; equites tamen olim & cruce & gladio ornatos fuiſſe, bonaque Ordinis adminiſtraſſe, imo in Gallia equites quosdam huius Ordinis uxores duxiſſe, Helyotius l. c. refert. Summe ibi mixtus ex equitibus, iuſtitiae, gratiae, obedientiae, miniſtrantibus; porro ex clericis regularibus, religioſis & laicis, Ordo conſtabat, ſemper in lite inter ſe verſantibus, usque dum 1700. Rex Galliae ſancivit, Ordinem mere religioſum & regularem eſſe & manere, nec equeſtris Ordinis in Gallia iura habere, cum iam antea 1689. & 1690. mandatis conſilii Status, Magiſtro Ordinis la Coſte, nec nomen magiſtri Ordinis ſupremi in Gallia, nec crucem, nec gladium gerere, una cum ita dictis equitibus, ſed absque effectu, prohibitum erat. Religioſi Ordinis nunc vi-

tae monaſticae nomen dant, & votum ſolenne nuncupant; laici vero ſolo voto caſtitatis, paupertatis, & obſequii, quin & officiorum aegrotis atque pauperibus praeſtandorum, adſtringuntur. Multa in Italia, Germania & Polonia huius Ordinis monaſteria & noſocomia, imo & monialibus referta clauſtra, reperiuntur. In Gallia, uti diximus, Ordo varia perpeſſus eſt fata, & plerumque Commendatori, in Saxia Romae reſidenti, ſubiectus fuit. Poſſidet adhuc noſocomia & monaſteria, ſub Sti Spiritus nomine clara. Nunc de dignitate Praeceptoris Sti Spiritus in Saxia, Romae degentis, commemorabo, quod hoc munus omni tempore Antiſtiti ſeu Praelato proprium fuerit, ob nativitatis originem illuſtri; quid quod & ipſe Papa, virum meritis eximium, huic ſpartae nunquam non praeficere ſolet. Ex quo tempore Cardinalis, *Petrus Barbo*, ordini quidem Medicorum, ut aiunt *m*), non vero Canonicorum Sti Spiritus, adſcriptus, poſtea Pontificis nomine clarus, Paulus II. dictus, a Papa Eugenio IV, cognato ſuo, Commendatoris ſeu Praeceptoris munus impetravit; raro aliquis ex ipſo Ordine Sti Spiritus ad illam dignitatem pervenit. Praeceptor ſeu Commendatarius proprio nomine, Ordinis Magiſter generalis audit; dum in decretis apoſtolicis modo Commendator, modo Praeceptor, modo Magiſter generalis Ordinis Sti Spiritus appellatur. Prior Archinoſocomii Romani, ſecundum in Ordine tenet locum, & Vicarius Ordinis generalis ſalutatur. A Comite Guidone, Montepeſſulano, ad praeſens usque tempus aliquot ultra ſeptuaginta Praeceptores ſeu Commendatores numerantur, quo in numero Pontificum unus, ſeptem vel octo Cardinales, bini Archi-

*m*) Vid. Vinckii Amoenitates philol. medicae, pag. 422. Barbonem Medicum fuiſſe, quoque ex Tiraquello *de Nobilitate cap. 31.* in loco de ſummis Pontificibus Medicis, patet. Nam Paulus II. ut tradit Platina in Vita eius, aegrotantes curiales inviſebat, adhibitisque etiam medicamentis curabat.

Archiepiſcopi, & duodecim Epiſcopi reperiuntur. Ab anno 1515. amictus violaceus cum Mozetta & pallio, ad exemplum Antiſtitum ſeu Praelatorum, Praeceptori ſeu Commendatori a Pontifice indultus fuit. Commendator in clavi fiſſura tunicae crucem auream, albo colore encauſtam, duodecim apicibus notatam, gerit. Poſt inſignem modo recenſitam dignitatem Praeceptorum ſeu Magiſtrorum generalium, Romae reſidentium, Medicae Facultati gloria tanto maior ex eo naſcitur, quod, quantum mihi innotuit, praeter praedictum *Petrum* BARBONEM, ad minimum par Medicorum illuſtrem hanc dignitatem obtinuerit. Hi fuere *Michael* MERCATUS *n*), Italus, Miniatenſis, qui non tantum Hetruſcae atque Romanae nobilitatis particeps factus, ſed & a Sixto V. Protonotarii apoſtolici munere ornatus, Cardinalem Hippolytum Aldobrandinum, Sedis Apoſtolicae Nuncium, in Poloniam comitatus eſt, ut in hoc negotio eidem aſſiſteret. Qua occaſione non tantum in pacis negotio, inter Regem Poloniae Sigismundum III. & Archiducem Maximilianum geſto, officio ſuo egregie fungebatur, ſed & adeo Cardinali Aldobrandino ſeſe commendabat, ut ille, cum, Clementis VIII. ſub nomine, ſolium pontificale conſcenderet, in rebus ſumme arduis ipſius conſilio uteretur, eundemque haud diu poſt illud tempus, Magnum Praeceptorem ſeu Commendatorem Sti Spiritus in Saxia deſignaret: verum antequam ſplendidiſſimi huius muneris poſſeſſionem adiret, anno 1593. diem obiit ſupremum, qui certe, ſi vixiſſet, ad dignitates multo ſplendidiores evectus fuiſſet. Alter, *Iulius de* ANGELIS *o*), eſt e gente quadam nobili, Lucana in Dioeceſi oriundus, cui purpuratorum aliqui, epiſcoporum & antiſtitum originem ſuam de-

*n*) Vid. *Proſperi* MANDOSII Theatrum, in quo Max. Chriſt. Orbis Pontif. Archiatr. exhib. Romae 1696. p. 165. 166. MANGETI Biblioth. Script. med. Tom. III. p. 308.

*o*) MANDOSIUS l. c. p. 135. 136.

debent; hic per annos multos in Piſana, dein Romana Academia, publice & cum laude medicinam docuit. Tandem ſummi Pontificis Clementis VIII. Archiater factus, ab eodem Sti Spiritus in Saxia Praeceptoris magni munere donatus eſt, uti ex ſepulcrali inſcriptione, in Aracoelitano templo Romae inciſa, & apud MANDOSIUM l. c. legenda, patet.

## §. X.

*Ordo Sti Chriſti* antiquiſſimorum atque ditiſſimorum Ordinum e numero celebris eſt, cuius Protectorem & ſupremum Magiſtrum, ab anno 1550. Luſitaniae Regem eſſe conſtat. Rex Dionyſius anno 1317. Ordinem fundavit, & largiſſimos reditus ex Templariorum bonis, Fiſco addictis, conſtituit. Ordinis Fratres in Commendatores, Crucigeros maiores, Equites & Presbyteros diſtinguuntur. Clauſtra quoque exiſtunt, quae Monachos Ordini addictos alunt, qui S. Baſilii regulas ſequuntur. Quod ceteroquin Equites facultate gaudeant, uxores ducendi, nota res eſt. Ordinis inſigne eſt crux rubra, in extremitatibus lata, Italis *Patente* vocata, quae alia candida vel argentea ſecatur, eamque Equites in atro *p*), vel potius, ad mentem HELYOTI *q*), in longo & albo amictu, vel pallio, gerunt. BONANNUS l. c. rubram crucem auro eſſe incluſam, & albo in amictu geſtari, refert. Gerunt praeterea equites in pectore auream crucem, albo colore, encauſto pictam, triplice torque collo appenſam, vel etiam ligamine ſerico, quod quidem HELYOT, MENENIUS, BONANNUS, GRYPHIUS, & alii ſilent. RAMMELSBERGIUS *r*) quidem huius crucis meminit, ſed pro more, absque autoris nomine. Crucem vero non ſolum in

*p*) Vid. MENENIUS l. c. pag. 114.

*q*) Tom. VI. p. 87.

*r*) *I. W.* RAMMELSBERG, *Beſchreibung aller geiſtl. und weltlichen Orden*, *X. Stück* pag. 95.

in amictu acu pictam, ſed & aliam collo, ligamine ſerico appenſam, geſtari, ex nummo in honorem Perilluſtris GARELLI a Veſtnero cuſo, video. Nec minus ex icone *Io. Curvi* SEMMEDO patet, eum crucem, in forma nummi torque appenſam, geſtaſſe. Ordinis enim huius ſigno & celebris ille ac doctus Archiater Sac. Caeſ. Maieſtatis, *Pius Nicolaus* GARELLUS, nituit *s*), pariter & *Io. Curvus* SEMMEDO *t*), qui ſe Ordinis Chriſti Equitem auratum, Sancti officii familiarem, & Domus Regiae Medicum in Portugallia dixit. Porro quoque D. *Andr. Iacob. de* FACKH *u*), Philoſ. & Med. Doctor, Regii in Luſitania Ordinis Chriſti Eques, Proto-Medicus, & Archiater Caeſareus. Praeter hos ſingulos alii adhuc Medici, ad numerum quinque, ex teſtimoniis *x*), celebri Ophthalmico, *Ioh. Taylor*, datis, his in oris inclaruerunt. Hi fuere D. *Emanuel dos* REYS & SOUSA, D. *Ioh. de* ALBONESCA, D. *Benedictus* GOMES *dos* SANTOS, D. *Amarius* RO-

GEIRA

*s*) Vid. BRÜCKMANNI Epiſtol. itiner. Centur. I. Epiſt. XXI. de duobus nummis, celeberrimi huius Medici in honorem cuſis. Prolixius in Commentatione: *de Nummis in Medicorum honorem & memoriam cuſis*, agam.

*t*) Vid. RATHLEF *Jetzlebendes Gelehrtes Europa*, Tom. VIII. p. 382. Poſſideo in iconophylacio meo Medicorum locupletiſſimo, duas icones *Ioannis Curvi* SEMMEDO, aeri inciſas, quarum altera 1689. a Iohanne Valck, & altera 1716. a M. Doſſier excuſa eſt. In poſteriore Ordinis ſigno notato, hanc inſcriptionem legimus: *Ioanno Curvo Semmedo, Cavalleyro profeſſo da Ordem de Chriſto, Familiardo S. Officio, & Medico da Caza Real; Natural de Montforte; naſcido em Oprimeiro de Dezembrode, mil ſeiscentos & trinta, & cinco deidade devitenta & hum annos.*

*u*) Vid. BRÜCKMANNI Epiſtol. itiner. Cent. I. Epiſt. XXI. & XXII.

*x*) *Sammlungen und Urtheile der vornehmſten Akademien von Europa über den beglückten Fortgang derer Operationen des Herrn Jo. Taylor.* Franckf. am Mayn 1751. 8v. p. 33. 34. 35. 42. 61.

GEIRA *da* COSTA, D. *Emanuel* MONTEIRO *de* FONSECA, qui ſinguli Profeſſores atque Lectores in Facultate Medica Academiae Conimbricenſis extitere. Inſuper & me legiſſe memini, quod anno 1599. tempore peſtis, Lisbonae, par Medicorum celebrium Ordinis Chriſti Equitum nomine ornatum fuerit *y*), quod nimirum viri iſti durante peſtis tempore in civitate manſerunt, & aegrotos curarunt, quorum vero nomina non innotuerunt. Addimus his *Iacobum de* LARGE *z*), natione Gallum, & Facultatis Medicae Pariſinae Doctorem, qui circa annum 1666. apud Mariam Franciſcam Eliſabetham, Nemorenſem, Luſitaniae Reginam, & Alphonſi IV. coniugem, Archiatri munus implevit, & Eques Ordinis Chriſti creatus eſt. Non ita pridem quoque *Chriſtophorus* MEIGHAN, Medicinae Doctor, Eques Ordinis Chriſti, & Academiae regiae Scientiarum Rothomagenſis Membrum, natione, ut puto, Anglus, Tractatu de Fontibus medicatis de Barreges, Londini MDCCLXIV. iterum edito *zz*), inclaruit.

## §. XI.

Ordinibus ſecularibus antiquis equitum, in Gallia *Ordo Sti Michaelis* accenſendus erit, Amboiſiae a Ludovico XI. anno 1469, ipſis Calendis menſis Auguſti, inſtitutus. Tempore fundationis, placuit autori, numerum 36. equitum ſtabilire, qui ſolummodo huic Ordini adſcriberentur. Hi tempore primo inſtituti Ordinis pro ſigno gerebant nummum memorialem, cui imago erat impreſſa Sancti Michaelis cum Dracone pugnantis. Signum iſtud ex aurea catena pendebat, conchis aureis ornata,

*y*) Vid. *Caſp. Cald. de* HEREDIA Tribunal magico-medicum Tom. I. pag. 514.

*z*) Vid. MATTHIAE Conſpectum Hiſtoriae Medicorum chronologicum, p. 735. §. 944.

*zz*) Vid. Journal des Scavans 1765. p. 396.

ornata, & aureis nodis connexa. Splendidus admodum erat hic Ordo, & multum habebat ponderis, qui, referente Bussiero *a*), tunc tantae dignitatis cenſebatur, ut cum Ordine aurei Velleris ac Periſcelidis aequo honore coleretur. Ludovicus XI. cum florere inciperet Ordo, quindecim modo equites creavit, quorum in numero regni ſui Duces potentiſſimi, Comites, atque Miniſtrorum principes fuere, eorumque nomina in Scriptis Helyoti, Menenii, aliisque libris Ordinum hiſtoriam tradentibus, inveniuntur. Conferebatur quoque poſtea Regibus atque Principibus magnis extraneis, in ſingulare amicitiae & honoris ſignum, ipſeque Imperator Carolus V. quovis feſto die Sti Michaelis eodem indutus fuit *b*), quemadmodum e contrario Galliae Rex Franciſcus I. aurei Velleris inſignibus cinctus apparebat, eo die, quo feſtum Sti Andreae celebrabatur. Cum idem Franciſcus I. Magnae Britanniae Regi Henrico VIII. Ordinem Sti Michaelis miſiſſet, hic ſtatim grati animi teſtificandi cauſa, Equitibus Ordinis aureae Periscelidis eundem Franciſcum viciſſim adſcripſit *c*). Autoritas atque praerogativa Ordinis temporibus Henrici II. Galliae Regis non minor fuit, quippe qui nova ornamenta eidem non ſolum addidit, ſed & Ordinis miniſtros lauto amictu multo ſplendidiores reddidit. Aſt, licet Carolus IX. adhuc anno 1572. ante diem Sti Michaelis veſpertino tempore, celebri cum pompa, in ſolio regio ornatu ſplendido ſedens, Ordinis ſolennia faceret, & Regum Hiſpaniae, Daniae ac Sueciae, tanquam ſociorum illius Ordinis, regnorum arma, ſub alio regio ſolio, e panno ſerico auroque textili effiсto, una cum inſignibus Ordinis Sti Michaelis decorata, in altum expandi iuſſiſſet, tamen Franciſci II. Caroli IX. & Henrici



*a*) Bussier Hiſtoriae Francicae Lib. XIII. p. XXIV.

*b*) Vid. Sandoval Hiſt. Caroli V. Lib. III. §. XIX.

*c*) Vid. Ashmole Inſtitution, Loix & Ceremonies du tres noble Ordre de la Jarretiere, in fine.

rici III. aevo, Ordinis huius autoritas magnam iacturam facere ac deminui incipiebat, illa ex ratione, quod numerus equitum nimium in modum augeretur, unde dignitas & eminentia, quae Ordinis equitibus alioquin adhaeret, valde minuebatur, imo evileſcebat.

Cum Henricus III. *d*), Rex Galliae ac Poloniae, anno 1578. Ordinem Sti Spiritus ſanciret, Ordo quidem Sti Michaelis nihilominus retinebatur & valuit, dignitasque Cancellarii Ordinis Sti Michaelis, cum dignitate Cancellarii Ordinis Sti Spiritus miſcebatur. Verum tamen Ordo Sti Michaelis priſtinum ſuum ſplendorem nanciſci non poterat. Quapropter Rex Ludovicus XIV. anno 1665. omnes equites abrogabat, centum ſolummodo ſervatis, quem numerum ſanctum eſſe volebat, ſanciebatque ne unquam excederetur. Horum in numero ſex equites eccleſiaſtici eſſe debebant, vel Abbatiarum veri poſſeſſores, vel aliorum munerum eccleſiae ſplendidiorum antiſtites, vel Templis cathedralibus, vel Collegiis ſacris adſcripti; ſex alios equites togatos e Collegiorum civilium numero, ſplendida munera magiſtratuum gerentes, ſeligi iubebat. Reliqui equites LXXXVIII. equites gladii, ſeu Chevaliers d'Epée, dicebantur. Tenore Statutorum, quae eo tempore Ordini dabantur, aeque in eccleſiaſticis ac ſecularibus equitibus requirebatur, ut tribus generationibus a latere paterno illuſtres, ac decennali munere functi eſſent, quibus requiſitis accenſebatur, ut religionem catholicam profiterentur, cum alio tempore & evangelicae religioni addicti *e*) ad illum ordinem admitterentur, cuius veritatis exempla in *Claudio* SALMASIO, item in praefecto claſſis

*d*) Vid. Recueil de diverſes pieces, ſervant a l'hiſtoire de Henri III. Roi de France & Pologne, dans le Journal du regne de Henri III. p. 34. HELYOT l. c. Tom. VIII. p. 445.

*e*) Hiſtoire de l'Edit de Nantes Tom. III. Liv. III. pag. 180. Liv. IV. pag. 257.

claſſis maritimae *Michaele* RUYTERO, multisque aliis occurrunt. Quo maior autoritas illius Ordinis eſſet, lege decretum fuit, ut equites Sti Spiritus veſpera, actum equeſtris nobilitatis ſolennem praecedente, Ordine Sti Michaelis induerentur; hinc & duplici Ordinis catena arma illorum gentilitia cinguntur. Equites Ordinis Sti Spiritus in latere, Ordinis ſui crucis adverſo, ſignum Ordinis Sti Michaelis oſtendunt. Verum ac genuinum Ordinis Sti Michaelis ſignum HELYOTUS, aliique Ordinum Scriptores parum accurate tradunt, ac diverſimode explicant; comperta tamen fide aſſerere valeo, quod Equites praeſenti tempore illuſtres, aurea cruce octangulari, Melitenſi ſimili, encauſti operis margine albo notata, induantur. In intervallo quatuor angulorum interiorum crucis, lilium aureum floret. In media & orbiculari parte crucis, candido colore opere encauſto parata, effigies Archangeli Michaelis cum Dracone pugnantis, apparet. In octo apicibus crucis, octo globuli aurei cernuntur, ipſa vero crux a ligamento nigro, macerato, quod collum cingit, demiſſa, pectori ſuperimpendet; more quidem Statutis Ludovici XIV. adverſo, quibus ſancitum fuit, ut crux ab atro & lato ligamento pendens, ad modum praecinctorii gereretur.

Occaſione illa, qua in Novis publicis Ultraiectinis gallici idiomatis, die XXIII. menſis Maii, anni MDCCLX. & die XXVI. menſis Ianuar. anni MDCCLXII. binorum Capitulorum Ordinis mentio facta eſt, de cruce Ordinis, ſupra memorata, deſcriptio ſimul traditur, ſigno crucis ex aſſe reſpondens, in figura aenea nitide expreſſa, conſpicuo, quae imaginem celeberis *Georgii Mareſchalli*, autore Daullé, viro artis ſuae peritiſſimo, refert; de quo *Mareſchallo* infra mihi locus dicendi erit. Nonnullis in libris, qui Ordinum hiſtoriam tradiderunt, exempli cauſſa in Commentatione Rammelsbergiana *f*), locus occurrit,



*f*) RAMMELSBERG l. c. p. 28.

currit, ubi aſſeritur, quod Equites hanc crucem ligamento rubro, ad manus latitudinem extenſo, alligatam, ab humero dextro ad laevum usque femur demiſſam, gerant; inſuper & in ſiniſtra pectoris parte, crux aurea & magna, in tunica, acu picti operis, quadrangularis, apicibus obtuſis notata, fingitur, cuius in extremitate ſuperiori ac inferiori littera P. ad latus dextrum vero & ſiniſtrum littera F. auro contexta, appareat. In media parte crucis ſcutum aureum, mediae formae, haerere dicitur, cui Angelus Michael cum Dracone aeque ac Ordinis ſigno intextus, inſideat, manu ſiniſtra ſcutum caeruleum litteris aureis L. R. notatum, dextraque manu enſem tenens; in angulis vero acu pictae crucis fulmina aurea quod appareant, contenditur. Cum a Rammelsbergio nulla Autorum teſtimonia adducantur, affirmare haud valeo, quo veritatis fulcro haec commemoratio nitatur, quam certe falſam eſſe credo, eiusdemque fidei cum Helyoti ſententia, qua contendit, Ordinum Capitula, abhinc longo tempore, non amplius celebrari, ac Equites ſolummodo connivendo crucem ligamento coeruleo appenſam, & in clavi fiſſura tunicali haerentem, ſecum ferre.

Recentiori aevo, diverſa Ordinum capitula celebrata ſunt: nimirum anno MDCCLVIII. quarto Decembris die, Cordigerorum in conventu, cui actui ſolenni Marchio de Puyſieux, Status Miniſter, Eques Ordinum regiorum, pallio & monili Ordinum indutus, Regis nomine praeſidebat; nec non alio tempore eiusdem generis actus ſolennis habebatur, die VIII. menſis Maii, anno MDCCLX. in Magno Conventu Fratrum Obſervantiae religioſae, quo in actu Dux de Fleury unus ex Paribus Regni (*Pair*), Ordinumque regiorum Eques, pari modo, Regis ſub nomine, praeſidium tenebat, & equites ſolenniter creabat. Deſignavit equitum aliquis ex Ordine Sti Michaelis, Perrotinus de Barmond, fundum peculiarem, ad cudendam monetam auream magnam, quae Regi a Secretario Ordinis, quoties-

tiescunque ſolennia celebrantur, traditur. Tali modo, Vir celeberrimus, Illuſtris Dominus *Io. Baptiſta* BOYER, Regis Conſiliarius, Medicus in Supremo Senatu, ac in Generali Praefectura Pariſienſi, Decanus Facultatis Medicae Pariſinae, Militarium Regni Noſocomiorum Inſpector, Librorum Cenſor regius, Societatis Londinenſis Socius, Eques & Secretarius huius Ordinis, praedictam monetam Regi, tanquam Ordinis Miniſtro generali, die XXX. Iun. anni MDCCLX. obtulit, quippe qui honor & alio tempore, nimirum die II. Ian. MDCCLXV. celeberrimo BOYERIO contigit, id quod ſupra adductae litterae Batavae d. XVIII. Iul. MDCCLX. & IV. Ian. MDCCLXV. teſtantur.

§. XII.

Cum Ordo Sti Michaelis perſaepe viris doctis & varios ob artes inſigni fama praeclaris, tribueretur, levis admodum erit cauſſa, quae mirum aliquem habere poſſit, cur, antiquioribus aeque ac recentioribus temporibus, non pauci Medicorum illius muneris participes facti ſint. Inter antiquiſſimos huius Ordinis equites, locum ſibi merito vendicat *Antonius Muſa* BRASSAVOLA g), vir valde eruditus, & medica, quam profeſſus eſt, arte celebris, quem multi Pontificum, Imperator Carolus V, Henricus VIII. Angliae Rex, multique inſuper alii Reges ac Principes titulo Archiatri donaverunt, Rex vero Franciſcus I. cognomine *Muſa* illum decoravit, vel in memoriam *Antonii Muſae*, quo cum aequo potitus honore, vel, referente ac ſentiente BORSETTIO l. c. ac ſi ſcientiarum autor extitiſſet; cum omnibus in ſcientiis valde verſatum & eruditum illum fuiſſe, conſtet. Diverſis enim in Academiis BRASSAVOLA, triduo opere

g) Vid. BARUFFALDI Commentario iſtoricho erudito all' inſcrizione di Antonio Muſa Braſſavola &c. Ferrariae 1704. 4to & Hiſtoriae Almae Ferrariae Gymnaſii per *Ferrantem* BOSSETI, Pars II. pag. 133.

opere continuo, theſes de quocunque variarum ſcientiarum argumento defendit. Idem ille Rex magnus, doctrinae & artium Cenſor iuſtus, BRASSAVOLAM Archiatri titulo & munere donavit, ut & ordine equeſtri Sti Michaelis, qui tempore ante nominato maxima adhuc autoritate fulgebat. Monumentum, quod Ferrariae in honorem BRASSAVOLAE exſtructum cernitur, ſingula honoris officia, aeque ac titulos, quibus honoratus fuit, iuſto numero explicat. Inſignis praerogativa atque honor, quibus Franciſcus I. BRASSAVOLAM ornavit, dum Ordinis munere illum donaret, quo ipſe tanquam Ordinis Magiſter generalis fulgebat, & quo Imperator Carolus V. item Angliae Rex Henricus VIII. velut ornamento eodem tempore induebantur, cuiusque nonniſi magni Principes & Regni miniſtri participes fiebant, luculentum teſtimonium perhibent, quanto in pretio huic Principi fuerint viri virtutis atque doctrinae praeſtantia inſignes: niſi iam de regio, quo viros doctos amplecti ſolebat, favore, multa documenta in monumentis hiſtoriae litterariae reperiantur. Quantumvis & Carolus V. cum Franciſco I. continua fere in lite verſaretur, uterque tamen in eo conveniebat, quod eruditos, interque eos praecipue Medicos, gratia ſua dignos exiſtimaret; cuius veritatis unicum modo exemplum, maiori e numero, adducere lubet. Cum par iſtud Principum, praeſente Pontifice Paulo III. Nizzae, urbe in Provincia Gallica, MDXXXIII. inducias decennales pactum eſſet, ſinguli que Principes congreſſum ſolennem in Aquis mortuis celebrarent, ibidemque amice convivarentur, *Andreas* CIBBO, Peruſinus, illuſtri familia natus, prudentia, morum elegantia, ac eruditione omnibus carus, Archiater Pontificis Pauli III. unicus ex omnibus Miniſtris, in eminentiore dignitate conſtitutis, fuit, qui convivio horum Principum intererat, & augendo conſortio adhibebatur *b*). Patebit quoque e ſequentibus,

*b*) *Caeſar* CRISPOLTUS in Perugia Auguſta, Lib. III. pag. 335. *Proſp.* MANDOSIUS l. c. p. 25.

tibus, Imperantes binos antedictos, plurimam equitum auratorum partem denominaſſe.

Facile ceteroquin fidem invenit, illo quoque tempore, quo Ordinis ſplendor minuebatur, multos e Medicis illi adſcriptos fuiſſe, quorum nomina parum innotuerunt. Verum notatu digniſſimum factum cenſeri meretur, quod Rex Ludovicus XIV, reſtituto hoc Ordine, annoque MDCLXV. in meliorem ſtatum redacto, novisque legibus adornato, mox circiter anno MDCLXIX. vel MDCLXX. clarum illum Medicum & Antiquarium, *Iohannem Baptiſtam* CAPPONIUM *i*), Medicinae Profeſſorem Bononienſem, in hunc Ordinem ſuſceperit, poſtquam ipſe nummum Othonis aeneum Aegyptium, una cum erudito Commentario, in quo nummum ſuum protulit & interpretatus eſt, Regi Chriſtianiſſimo obtuliſſet. *Antonius* DEIDIER, Conſiliarius Regius, olim Profeſſor in Facultate Montepeſſulana, Membrum Societatis Londinenſis, & Medicus regius in triremibus Maſſilienſibus, nomine Equitis Ordinis Sti Michaelis aeque clarus fuit, id quod e rubro diverſorum ſcriptorum ab illo editorum apparet, e. c. in titulo Anatomiae illius explicatae, in Conſultationibus ipſius medicis, aliisque ab illo & haeredibus in lucem miſſis operibus. Scriptores biographici Medicorum pauca de illo referunt, quin & Vir eruditus, ELOY, conterraneus eius, in Lexico hiſtorico-medico, plane nihil de illius vita tradit, ſed modo Diſſertationis alicuius, anno MDCCXXIII. de Morbis venereis impreſſae, mentionem iniicit, cum tamen longe maior numerus operum doctorum ſub nomine illius innotuerit, in quibus Italus ille, qui Lexicon Eloycum, Neapoli MDCCLXI. prelo mandatum, ſua civitate donavit, varia recenſet. DEIDIERUS iamiam ſeculo praeterito vixerit,

*i*) de CAPPONIO vid. *Proſperi* PARISII Rariora Magnae Graeciae Numismata, 1683. in fol. in Praef. *Chriſt. Arnoldi* p. 9.

xerit, neceſſe eſt; eius enim Phyſiologia, tribus Diſſertationibus comprehenſa, iam anno MDCCVIII. in urbe Montepeſſulana prelum evaſit. Conſultationes eius & Obſervationes medicinales, anno MDCCLIV. illo iam mortuo, Pariſiis evulgatae ſunt. Praeterea de eodem comperi, quod in an. MDCCXX. quo peſtis in urbe Maſſilia dire ſaeviebat, una cum Cancellario Academiae Montepeſſulanae, illuſtri *Franciſco* CHICOYNOVIO poſtmodum anno MDCCLII. demortuo, quo tempore Status Conſiliarius, Archiater, & Inſpector Generalis Mineralium in regno aquarum audiebat, nec non VI. aliis Medicis Montepeſſulanis, iuſſu Ducis regentis, ad locum antedictum, in auxilium aegrotorum miſſus fuerit. Hac ſparta tam bene fungebatur, officiorum ingenua praeſtatione, ut Epiſcopus Maſſilienſis, qui, velut Paſtor bonus, urbem non deſeruerat, ſed aegrotos, ſummis in anguſtiis conſtitutos, integerrima ope iuverat, publicis litteris *k*) eundem, una cum CHICOYNOVIO & BOUTILLIO, valde extolleret collaudaretque. Diverſae DEIDIERII exſtant Diſſertationes breves, ac peculiares litterae ac obſervationes, quae tempore peſtis, & haud ita multo poſt, in lucem prodierunt, plurimam partem Tractatui, de Cauſis morborum, & peſtem ſanandi modo, anno MDCCXLIV. iubente Rege evulgato, inſertae ſunt. Editor illius operis, tempore, quo typis illud mandatum fuit, ſimul excudendam non curavit Orationem a DEIDIERO de Peſtis contagio in Academia Montepeſſulana olim habitam; quae vero nunc in tertia parte Conſultationum ipſius legitur. Illuſtris CHICOYNOVIUS Maſſiliae, & poſtmodum in Oratione Montepeſſulana, publice defenderat, peſtem illam non magis fuiſſe contagioſam, quam de febribus acutis, morbo miliari, variolis, aliisque morborum generibus malignis contenditur, ſed ſolam cauſſam mortiferam peiorem in effectu terroris metusque latere. Verum experientia docuit, quam

*k*) *Breslauer Samml, XIV. Verſuch*, p. 523.

quam damnoſi eventus haec ſententia fuerit *l*), & quantum oriri malum potuiſſet, dum Magiſtratus ad ſententiae illius tenorem rationes ſuas componeret, eodemque placito tanquam norma rerum diſponendarum uteretur. Celeberrimus ASTRUC, illo tempore Profeſſor in Academia Montepeſſulana, publico ſtatim examini Diſſertationem ſubmittebat, qua defendit, peſtem omnino eſſe mortiferam, aërisque particulis noxiis, quibus ille ſcateat, corporibus ſeſe inſinuare *m*). Cum anno MDCCXXV. DEIDIERUM ordo Orationis ſolennis tangeret, hic admodum circumſpecte utramque ſententiam refellit, adeo ut adverſarii illius inſtituti ſui rationem fere nullam animadverterent, ex qua de argumento, in illos directo, coniicere poſſent: Quam ſuſpicionem eo avertebat, quod alios viros doctos nominaret, qui eandem cum CHICOYNOVIO & ASTRUCIO ſententiam foverant; contendebatque, non quidem aëris qualitate corpora venenari, ſed per contactum immediatum veſtimentorum, a contagio peſtis infectorum, malum iſtud diſſeminari. Huic diſſenſui de contagio peſtis inter Medicos naſcenti, Illuſtriſſimus Franciae Cancellarius DAGUESSEAU providum hoc & bene ponderatum iudicium addidit: peſtem non quidem eſſe contagioſam, plebi eſſe perſuadendum, ſed tamen magiſtratibus in rebus diſponendis ordinem eligendum eſſe, qui contrariam ſententiam foveat, quo omnis contagio arceatur.

Cum in Scriptis biographicis medicis, de *Antonio* DEIDIERO nihil plane conſignatum reperiatur, huic themati de curriculo vitae ipſius, modo paulo prolixiori, immoror, ſuſpicans nimirum, quod, deleta peſte Maſſilienſi, mox Ordinem Sti Mi-

f 2 chaelis

*l*) Vid. ANTRECHAUT Relation de la Peſte, dont la ville de Toulon fut affligée en 1721. a Paris 1756. p. 360. 361. *Breslauer Samml. XV. und XVI. Verſuch.* p. 374.

*m*) Journal des Scavans 1756. Fevr. p. 333.

chaelis, in praemium praeſtitae ab ipſo operae, adeptus fuerit, cuius muneris alii quoque multi participes facti ſunt, de quorum zelo ſingulari, in adimplendis officiis, conſtitit, & quorum numero ante nominatus d'ANTRECHAUT *n*), Telonenſis Conſul primus, pari mactatus honore, cum ſtipendio annuo ad dies vitae mille librarum, adſcribi meruit. Cura Ducis regentis paterna, ad extinguendum iſtud malum ſuſcepta, ne in maius exitium vergeret, cauſa fuit, quod Medicis atque Chirurgis, durante peſtis intervallo, lauta ſtipendia deſignarentur, ad excitandam eorum operam, in defungendo ſanandi munere. Inter alios Chirurgi Telonenſes, ab aula hunc in locum miſſi, menſtruam mercedem quingentarum librarum monetae Gallicae accipiebant *o*), ſinguli vero Medici Maſſilienſes auctoramento donabantur, quod annuum illis ſtipendium quadringentarum librarum ad vitae tempus promittebat, eiusdemque civitatis Chirurgis, modo proportionato, annuum tale beneficium decernebatur. Seligebatur quoque par Medicorum, quod Telonium mitteretur e Facultate Pariſina, Doctores MOINE & BAILY, quibus, praeter Summam quinque millium librarum, unicuique pro abſolvendo itinere ſeorſim deſtinatam, menſtruum adhuc ſalarium, nimirum decem millium librarum, quamdiu in loco peſtis commorabantur, ſolutum fuit, quo tempore finito, auctoramento annui ſtipendii mille & ducentarum librarum, ad dies vitae honorati fuerunt *p*). Malo hoc quam feliciſſime eruncato ſtipendia, inſuper beneficia, Ordines equeſtres, aliaque honoris ſigna, in bene meritos conferebantur, de quibus ſubinde diſſerendi mihi locus erit.

Quod illuſtris Dominus *Iohannes Baptiſta* BOYER, Conſiliarius, Medicus in Supremo Senatu, &c. variis Diſſertationibus ſcrip-

*n*) Vid. d'ANTRECHAUT l. c. p. 291. p. 379. 380.
*o*) Vid. d'ANTRECHAUT l. c. p. 287.
*p*) Vid. *Breslauer Samml. XV. und XVI. Verſuch* p. 45. p. 601.

ſcriptisque eruditis clarus, Eques huius Ordinis, eiusque ſecretis praefectus ſit, iam antea aſſerui. Num vero Ritus & inſigniora ſaluberrimi Medicorum Pariſienſium Ordinis decreta, quae ſecunda vice anno MDCCXVI. Lutetiae in lucem prodierunt, ac autorem ſuum *Io. Bapt.* BOYERIUM profitentur, huic Viro eruditiſſimo originem ſuam debeant, certo affirmare non poſſum. Libri huius copia noſtris in oris nulla plane datur, & licet liber ſub titulo: *la France litteraire*, Pariſiis editus, de facti certitudine ſpem aliquam promittere poſſet, ſatis tamen conſtat, quod in iſto libro, maximus eruditorum nominum numerus indice accurato atque integro operum, ab illis editorum, deſtitutus ſit. Praecipue illum defectum, Medicorum in numero recenſito, obſervavi; &, quod maxime miror, de celeberrimo BOYERIO neque nomen notatum, nec aliud quicquam de illo conſignatum reperitur. Prouti in Facultate medica Pariſienſi mos ille obtinuit, ut in honorem Decani de munere ſuo decedentis, nummus memorialis, cum illius effigie cudatur; idem honor quoque anno MDCCLVI. BOYERIO illuſtri & doctiſſimo contigit. In altera parte huius monumenti imago eius nitide efficta, ad pectoris ambitum usque expreſſa, directo in laevum latus vultu, cernitur, cum ornamento crucis Ordinis Sti Michaelis, a ligamento collum cingente pendentis, inſcriptaeque huic monumento leguntur litterae: *I. B. Boyer Reg. St. Mich. Ord. Eq. F. M. P. Dec.* In parte inferiori: *I. Du Viv.* 1765. quae litterae ita explicandae: *Ioh. Bapt. Boyer, Regii Sti Michaelis Ordinis Eques, Facultatis Medicae Pariſinae Decanus. Io. du Vivier* nomen monetarii illius celebris, a quo diverſa huius formae opera prodierunt, indicat. Alterum latus arma, vel inſignia ipſius gentilitia habet, nimirum taurum ac ſtellam alte nitentem, in campo coeruleo. Clypeus armorum, cum Ordinis catena & cruce Ordinis Sti Michaelis inde demiſſa, in conſpectum datus; integer vero ornatus corona comitiva tegitur, cuius generis coronam in num-

 mis

mis compluribus Decanorum Facultatis Medicae Pariſienſis me vidiſſe memini; e.c. in monumento A. DOUTE, Decani in annis MDCCXVII. & MDCCXVIII. Utrumque latus armorum BOYERII laureolas tenet, ſub quibus par ſceptrorum, pulvinari incumbens, cum ſerto ſtellato, tanquam ſignis dignitatum academicarum, apparet. In ordinis Capitulo, anno MDCCLVIII. celebrato, quoque Dn. *Claudius* BOURDIER *de la* MOULIERE, Doctor Regius Facultatis Medicae Pariſinae, ac Dn. *Caſpar Cochin* DUPUY, eiusdem Facultatis Doctor regens, Regis Conſiliarius, Medicus primarius rei nauticae, & in arce maritima Rupifortenſi Anatomes ac Chirurgiae Profeſſor regius, una cum aliis nonnullis Ordini Medicorum non adſcriptis, Equitum Ordinis dignitatem conſecuti fuerunt. Cum feſtum Ordinis ſolenne anno MDCCLX. celebraretur, Dn. *Richardus de* HAUTESIERCK, primus exercituum Medicus, ſalubris Conſilii regii Socius, nec non militarium regni noſocomiorum Inſpector ac Proto-Medicus, Regiae Scientiarum Academiae Goettingenſis Socius, in equeſtrem hunc Ordinem adoptatus fuit, cuius Formulae medicamentorum Noſodochiis militaribus applicatae, Caſſelis anno MDCCLXI editae, in Germania innotuerunt. Non dubito, quin & alii complures e docto Medicorum cœtu, præter ante nominatos, dignitatis equeſtris participes facti ſint. Quodſi enim Codicem medicamentorum Pariſienſium inſpicio, qui anno MDCCLVIII. in lucem mittebatur, in praemiſſo Operi catalogo Doctorum regentium Facultatis Medicae Pariſienſis, nomina diverſorum membrorum mihi occurrunt, quibus vocabulum Eques, additum reperitur. Eorum in numero ſunt Viri celeberrimi: *Franc.* POUSSE, *Michael Ludovicus* VERNAGE, Cenſor regius, *Nic. le* ROY *de St. Aignan*, *Lud. Maria* POUSSE, Cenſor regius, *Car. Franc.* THEROULDE *de* VALLUM, *Io. Franc. Clemens* MORAND, Reg. Soc. Lugd. Socius, Regii Medicorum Nancianorum Collegii Socius honorarius, *Claudius Franc.* GRANDOLAS, Potentiſſimi Stanislai, Poloniarum Regis, Lotharingiae &

Ba-

Barenſis Ducis, Conſiliarius & Medicus, nec non Anatomes & artis obſtetriciae in gratiam matronarum p. t. Profeſſor, *Petrus Abraham* PAION *de* MONCEL, *Theophilus de* BORDEU, Noſocomii regii & militaris Boregienſis Medicus deſignatus. Cum nominibus *Cochin* DUPUY & BOURDIERII *de la* MOULIERE, hoc in Indice notatis, vox, Eques, adiecta reperiatur, & iam antea innotuerit, quod anno MDCCLVIII. Ordinis Sti Michaelis honore mactati fuerint, ambiguus haereo, num ad Ordinem, de quo nobis ſermo eſt, referendi, an potius vox, Eques, pro *Ecuyer* ſeu *Armiger* nominibus addita ſit, cuius verbi vis ex *Henrici* SPELMANNI Gloſſario, vel ex P. DANIELIS Hiſtoria militiae Gallicae petenda. Forte etiam acquiſitae nobilitatis ſignum eſſe poteſt, eo magis, quod in Gallia haud raro contingit, ut viri bene de republica meriti nobilitentur, quo honore digniſſimus ille Archiater FAGONIUS, illiusque celebris ſucceſſor CHIRACIUS, ut & CHICOYNOVIUS nuper demortuus, aliique plures enituerunt. Imo clarius hoc apparet ex diplomatibus variis nobilitatis, quae *de* VAUX Iudici ſuo funereo Chirurgorum Pariſienſium adiecit, in quibus expreſſis verbis nobilitati, cum nominibus & honoribus nobilium & armigerorum, *de Nobles & d'Ecuyers*, ſalutantur & decorantur.

## §. XIII.

Poſteaquam in Gallia a temporibus Franciſci I. doctrinae medicae, ceterarumque ſcientiarum, quae illi adhaerent, utilitas cognita atque perſpecta fuit, imprimis quoque Chirurgiae ſtudium praecipuis doctrinae partibus accenſetur, praeceptisque ſolidioribus imbuuntur, qui huic arti operam navant. Complures docti viri, hanc artem profeſſi, inclaruerunt, ampliſſimis non tantum muneribus & honorum titulis conſpicui, ſed & nobilitatis gradum quoque cum beneficio Ordinis Sti Michaelis conſecuti. Nulla adeo amplius cauſſa ſupereſt, quae

mirum

mirum aliquem teneat, cur Chirurgia hoc in regno prae reliquis maturiorem ſplendorem nacta fuerit. Quodſi Indicem Chirurgorum Gallicorum *q*), praeſenti adhuc tempore clariſſimorum, & in hoc artis genere verſatiſſimorum, quos membris Academiae chirurgicae Pariſinae adſcriptos eſſe novimus, luſtrare lubeat; ſtatim in fronte huius Indicis nobis occurrit celeberrimus Academiae Chirurgorum Praeſes, *Germanus de la* MARTINIERE, Armiger, Regis a Conſiliis, eiusdem Chirurgus primarius, Eques Ordinis Sti Michaelis, Chirurgus regni praecipuus, Academiae Regiae Holmienſis Socius. Sequitur hunc modo celeberrimus *Salvator* MORAND, Armiger, Membrum Acad. Reg. Scientiarum Pariſ. Soc. Reg. Londin. & Academiarum Rothomagenſis, Petropolitanae, Bononienſis & Florentinae, Cenſor regius, Inſpector Noſocomiorum militarium generalis, & Chirurgorum Praefectus in Noſocomio regio militum invalidorum. Fuit quoque Secretarius perpetuus Academiae Chirurgicae Pariſinae, quo munere cum ſe abdicaret, in eius locum Dominus LOUIS, variis editis ſcriptis inclytus, ſucceſſit. Porro ad eandem Ordinis dignitatem adſcenderunt celeberrimus PIBRAC, Armiger, Eques Ordinis Sti Michaelis, Chirurgorum Praefectus in Schola regia militari, & denique clariſſimus PARCHET, Armiger, Eques Ordinis Sti Michaelis, Regis a Conſiliis, & Chirurgus primarius Regis utriusque Siciliae. Viginti & aliquot anni erunt, quo intervallo ante hoc tempus, celeberrimus ille *Georgius* MARESCHALLUS eodem honore fruebatur. Praeſidum ille primus exſtitit in noviter Chirurgorum Academia erecta, Conſiliarius regius erat, eiusdemque inter Chirurgos primus, Dynaſta de Bievre, aliarumque terrarum, de quo iam antea mentio facta eſt. Cum vero, quantum memini, & ex monumentis hiſtoriae litterariae gallicae patet, primus

*q*) Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie a Paris 1757. 4to mai. Tom. III, in Praef.

mus ille inter Chirurgos fuit, ad quos Ordo hic gratioſe pervenit, breviſſime quaedam de vitae eius fatis tradam, iisdemque nonnullas obſervationes, illuc ſpectantes, ſubiiciam. Patrem ille habuit, militum in exercitu gallico ordines ducentem, tantumque filius apud Regem Ludovicum XIV. gratia valuit, ut anno MDCCVII. nobilitatis genere illum donaret. In Diplomate nobilitatis, verba inſerta legebantur: „Regi aequum fuiſ„ſe viſum, ut documenta in illum favoris ſui talia ederet, qui„bus & poſteri eius aliquando frui queant, dum illum tanto „magis ſupra vulgus extollere niteretur, quo maiori virtute „ipſe artis ſuae peritos ſuperaſſet. Fatis ceſſit anno MDCCXXXVI, celebrisque *Salvator* MORAND integram vitae eius deſcriptionem edidit, in qua eius merita digno cum encomio recenſentur. Ex hoc vitae eius monumento apparet, quod Rex quoque Ludovicus XV. feliciſſime nunc imperium tenens, gratia ſua prorſus ſingulari ac intimiori fide *Georgium Mareſchallum* dignum iudicaverit, Ordinisque Sti Michaelis anno MDCCXXIII. participem fecerit. Non vero unicum hoc ſignum dici meretur, quo probari poſſit, Potentiſſimum Regem Galliae, magnam illam à maioribus acceptam animam, ac mentis generoſiſſimae virtutem, iure hereditatis ſibi vindicare, dum nullam occaſionem negligit, qua illorum ardorem augere valeat, qui, ſolida rerum cognitione, facultate pollent, miſeris & afflictis ſuis ſubditis ſalutarem aliquam operam praeſtandi. Notabile huius aſſerti adducam exemplum. In tertia parte Operum Academiae Regiae Chirurgicae, ibidemque in vita demortui *Nic. Puzos*, celebris Chirurgi, olim Directoris Academiae chirurgicae, Cenſoris regii librorum, atque Demonſtratoris in arte obſtetricia, me legiſſe memini, cum a Rege nobilitatus eſſet, Diplomati haec inſerta eſſe verba: „Regem „ex ea ratione, quod ars, cui augendae Nic. Puzos ingenium „ſuum mutuaverit, ſocietati civili adeo ſalutaris ac ponderoſa „eſſet, rem cenſuiſſe cura ſua haud indignam, quin operam

„illius titulo aliquo honoris remuneraretur, ad ſtimulum ad-„dendum omnibus iis, qui veſtigia ipſius premere audeant.„ Unde provida, quae mentem huius Monarchae, cura alit, felicitatis ſuae gentis, ac praecipue ſuorum civium, quorum augeſcere numerum vult, in aprico eſt; nam in arte obſtetricandi praecipue *Puzos*, & ingenio & arte multum valuit. Indubiae enim veritatis aſſertum eſt, quod exploratae artis obſtetricatores reipublicae multum prodeſſe queant, cum illorum opera ac arte, in magnis urbibus, quotannis aliquoties centum tam infantes, quam parturientes ſerventur, idque tanto maiori cum fructu, quo ipſi non ſolum manus operi admovent, ſed & praeceptis ſalutiferis, artisque exercitio alios inſtruunt, adeoque & poſteritatis rationem habent. Aeque res hic ſe habet, ac generatim de omni illo ſcientiarum genere ſtatuendum eſt, quod in conſervationem & augmentum generis humani tendit. Levamen & auxilium iſtae artes afferunt miſero & morboſo, quo mortales ſaepe excruciantur, ſtatui, maioremque utilitatem praeſtant Medici reipublicae, in conſervandis & augendis ſubditis, quam ii, qui eiusmodi artes colunt, quae in generis humani exitium & detrimentum excogitatae ſunt. Quilibet enim humani generis amicus, & de ſalute eius ſollicitus, memoriam inventoris boni & certi remedii, in ſalutem humani generis detecti, vel inſtrumenti chirurgici utiliſſimi & proficui, ſemper ſingulari pietatis & gratitudinis cultu proſequetur, eamque beatam & ſanctam eſſe volet ſenſus & adfectio, qualem nulla contemplatio tormentorum bellicorum, e. g. Schuwalowiorum, Coehornianorum, aliarumque ad necandum perdendumque genus humanum inventarum & effictarum machinarum, unquam in eodem excitare poteſt. Si vero praemia & honores artibus & inventis ſtatuenda ſunt, ſane iis potius debentur, qui in ſalutem & augmentum, quam qui in exitium & interitum generis humani animum & ſtudia

ſua

ſua impendunt, ac artes deleterias, pernicioſiores, novis inventis, reddere conantur.

Cum hac occaſione merita Facultatis medicae, ſecundum verum eorum pretium diiudicare, & ſecundum eorum influxum in felicitatem humani generis & Statuum comparare velimus, Medicus, qui artis & eruditionis virtute valet, utique tali honore dignus cenſetur, quo a turba hominum communi, diſtinguitur. Nam non ſolum dexteritate & ſcientia ſua ſingulorum membrorum, de republica optime meritorum, perſaepe morbos tollere, ac tales viros reipublicae reſtituere, illique eos velut de novo donare poteſt, ſed & honor illi tanto magis debetur, quo acutiori mentis indagine, ſedulitate maiori, atque experientia praeditus eſt, quae conatus ſuos iuvare, & utiles reddere poſſit, in ſanandis illis morborum generibus, quibus plurima pars, vel recens natorum, vel iuvenum, in florentiſſima adhuc aetate conſtitutorum, ſecundum notas mortalitatis leges concidit, dum arte ſua numerum annuum inſignem morti adeo eripere valet. Eximia illa utilitas, quam Medicina praeſtat, Imperantium oculos tanto impenſius ferire deberet, quanto ſolidiori artis cognitione Medicus inſtructus, non tantum remediis ſalutaribus a morbo graſſante, provinciis & civitatibus afflictis, medelam afferre; ſed & ſagaciori conſilio, ac bene diſpoſito rerum tractandarum ordine, eventus periculoſos omnes avertere ac prohibere novit, quo minus malum contagione propagetur. Tali enim arte ac opera multa millia manuum laborioſorum opificum, alioquin periturorum, in emolumentum reipublicae ſervantur. Quantopere, quaeſo, magnorum Principum ſplendor & potentia, quae non ſolum copiarum numero, ſed praecipue militum validorum & bene exercitatorum turba, nititur, morbis epidemicis decreſceret ac minueretur, niſi Medici, experientia & ingenio, notitiam diverſitatis morborum, alioquin contagioſorum, ſibi acquiſiviſſent, dum hi remedia tam medica, quam politica invenerunt,

nerunt, quibus non ſolum eos arcere, ſed &, morbis irruentibus iamiam ac ſaevientibus, ab illis infectos ſanare, & ulteriorem mali ſaevientis progreſſum compeſcere vel ſuffocare didicerunt.

Quodſi Scriptorum hiſtoriae antiquioris heroicae opera evolvimus, fide digniſſimi ſaepe numero contigiſſe referunt; ut & maximi heroes in medio armorum feliciſſimorum curſu, morbis tunc temporis ſic dictis divinis, i. e. adhuc obſcuris atque ignotis, impediti, non tantum ab expeditionibus glorioſis deſiſtere coacti, ſed quoque interdum flore militum exercitatorum morbis deleto, adeo ad incitas redacti fuerint, ut a victis pacem petere cogerentur. Artis vero explicata magis cognitione, noſtris temporibus militum ſanitas provide conſervatur, & morborum, olim in caſtris epidemicorum, cauſſae & origines omni cura arcentur *). Verum revocat me propoſiti ratio, a quo parumper digreſſus ſum, quo artis ignaris contemtoribus, & dignitatum, a magnis Principibus, Medicis impertitarum invidis, merita ſcientiae ſalutaris paululum apertius explanem.

## §. XIV.

Licet *Ordo Sti Ludovici* militarium Ordinum in numero proprie computetur, tamen, quod & huius Ordinis membrum inter Medicos exſtiterit, legimus. Conſtat, Ordinis Sti Ludovici, anno MDCXCIII. inſtituti, autorem fuiſſe Ludovicum XIV. Ordinem invenerat rex, quo praefectos exercituum, qui pugnis atque obſidionibus nomen ſuum clarum reddiderant, gratiae ſuae ſigno quodam donaret; illo modo animi fortitudo, virtus, & officiorum militarium merita eminentiora, unicam dabant cauſam, qua quis hoc Ordine dignus cenſeretur. Adoptatur etiam in illum nemo, niſi religioni catholicae addictus,

*) conf. G. G. L. (Godofr. Guil. de Leibniz) *Relatio de novo antidyſenterico Americano* &c. Ephem. Acad. Cæſ. N. C. Dec. III. a. III. 1696. Append. n. I. inſerta p 5. Hanov. & Guelferb. a. eodem. 8v. ſigillatim recuſa p. 7. Trew.

ctus, vel rei militaris praefectus, ſive terra, ſive mari decennali iſto munere functus ſit. Solennia, quae fiunt tempore receptionis, Helyotus tradidit *r*). Ordo crucem habet auream, albedine encauſtam, octangularem, ſparſis & in quatuor angulis haerentibus liliis; in medio circulus, cuius ad unum latus, in ſcuto rubro, tenui margine coeruleo circumducto, imago Sti Ludovici apparet, regio pallio ac cataphracta ornata; dextra manu laureolam, ſiniſtra vero coronam e ſpinis contextam, clavosque paſſionis tenens. Circumſcripta imagini verba, litteris aureis notata, ſequentia leguntur: *Ludovicus Magnus inſtituit MDCXCIII.* Altero in latere circuli, enſis denudatus flammeus cernitur, cuius in apice ſertum laurearum, ligamento candido adſtrictum, litterisque circumductis verba leguntur: *Bellicae virtutis praemium.* Cum Ordinis membra, excepto Magiſtro Ordinis generali, ipſo nimirum rege, octo Equites crucigeros, maiores viginti quatuor praefectos, ſeu Commendatores, cum indefinito Equitum numero, complectantur, ornatus ſingulorum ita diſtinguitur, ut Equites maiores crucem praedictam cum ligamento ruberrimi coloris, quatuor digitorum latitudinis, ad modum faſciae militaris, ab humero dextro ad laevum usque femur demiſſam, gerant. Diſtinguuntur etiam ſtella quadam acu picta, tunicae pallioque affixa, cuius nulla, neque ab Helyoto, neque ab aliis Ordinum equeſtrium Scriptoribus, exacta deſcriptio iniicitur; ſuſpicor ideo, eandem hanc eſſe ſtellam, quam deſcribendo Ordinem Sti Michaelis, e libro Rammelsbergii attuli, quod tamen cum limitatione ſcuti cum Archangelo, illuc non pertinentis, ſtatuendum eſſe duco. Praefecti ſolummodo ligamen rubrum cum cruce demiſſa, ſine ſtella, in tunica, ad faſciae militaris modum, geſtant. Equitibus crucem nonniſi in pectore, a tenui ligamento ruberrimi coloris pendentem, ſecum ferre licet, ligamentum ſeu taeniam nonnulli in formam laxioris nodi ſeu

 cocar-

*r*) Tom. VIII. p. 502. Mercure hiſtorique de l'an 1693. pag. 430. p. 540. 657.

cocardae colligunt. Magno huius Ordinis auctori non obiici poteſt, quod olim a BUSSIERO *s*) regi Ludovico XI. inſtituti Ordinis Sti Michaelis cauſa, exprobratum fuit. Quoniam enim Ordo Sti Michaelis nullos fructus vel reditus largitur, ait; Regem, quia Ordini plurimus honor adiunctus ſit, potuiſſe parare ſocios, & conſervare, dareque facinoribus maximis praemia, eaque omnia levi impenſa. Ordo enim Sti Ludovici ſtatim ab initio magno proventu dotatus fuit, e quo Archicancellario 6000, octo praefectorum cuivis 4000, reliquis ſedecim praefectis unicuique 3000, viginti quatuor equitibus prioribus, & quidem ſingulis 2000, viginti quatuor aliis 1800; adhuc quadraginta equitibus aliis iisdemque ſingulis, 1000, triginta duobus equitibus, cuivis nimirum 800 librae ſolvuntur. Tempore recentiori numerus praefectorum usque ad triginta quatuor, & equitum maioris crucis ad undecim usque crevit; praeſenti vero tempore Rex gratioſiſſimus, ad excitandos milites, poſt expeditionem bellicam factam anno MDCCXXXV. e qualibet legione par militum, quorum virtus in bello prae aliis valuit, ſigno Ordinis donavit. Rex Ludovicus XIV. qui ad promovendas artes multum pecuniae inſumſit, non tantum celeberrimum *Ioſephum Pitton de* TOURNEFORT, Doctorem Medicae Facultatis Pariſinae, titulo Conſiliarii regii inſignivit, verum & iſte Membris Academiae Regiae Scientiarum adſcriptus, Profeſſor Botanicae artis in horto regio, nec non Lector atque Profeſſor in Collegio regio fuit. Plura de illius vitae curriculo hic fruſtra adducuntur, cum Medicis aeque, ac ſingulis viris doctis, nomen eius non obſcurum ſit. Quod vero beneficio Ordinis Sti Ludovici a rege mactatus ſit, e figura aenea, a quodam E. Desrochers Lutetiae Pariſiorum excuſa, liquet, Iconophylacio meo medico inſerta, in quo TOURNEFORT amictu orientali, ſeu potius more Turcarum veſtitus, magna cum barba

*s*) BUSSIER. Hiſtor. Franc. L. XIII. p. 24.

barba & tunica talari, pontico vellere ſubdititio duplicata, ſuperindutus, ſignoque Ordinis pectori impendente, apparet. Subter effigiem eius titulus, & ſubinde verba ſequentia inciſa leguntur: *Louis XIV. le fit Chevalier de St. Louis, en conſideration de ſes grands voyages; il revint dans cet habillement*, i. e. *Ludovicus XIV. hunc ob lata itinerum ſpatia, quae emenſus eſt, Equitem Sti Ludovici creavit; ex illis redux, hoc veſtitu indutus iterum apparuit.* Ex quo facile colligitur, illum iam ante ultimum verſus Orientem ſuſceptum iter, vel illo durante, ad hanc dignitatem perveniſſe. Tournefortius e gente, quod conſtat, antiqua ac vere nobili ortus fuit; variis ſuis periculoſis lateque diffuſis itineribus, quibus montes Pyraeneos Alpesque transcenderat, porro peregrinationibus, quibus in Hiſpaniam, Luſitaniam, Britanniam, ac Batavorum rempublicam contenderat, maxime vero itineribus in Graeciam, Aſiam ac Africam ab ipſo conſignatis, magna quaevis expertus fuit, variisque ſeſe periculis obiecit, quorum moleſtiam multi, per decennale tempus militiae adſcripti, ignorant. Interim tacere nequeo, me nihil plane, neque in vita eius, quam celeberrimus Fontenelle tradidit, neque in Annalibus Niceronis, nec denique in monumentis hiſtoriae litterariae a Lamberto editis, offendiſſe, quo conſtare poſſit, quod Tournefort Ordinis Sti Ludovici membrum exſtiterit. Celeberrimum quidem rerum naturalium ſcrutatorem ac Phyſicum, *Antonium Ferchaud de* Reaumur, Ordinis Sti Ludovici Praefectum fuiſſe, conſtat; verum tamen non ignota res eſt, quod idem Medicae Facultati non adſcriptus fuerit.

## §. XV.

*Ordines Beatae Mariae virginis a Monte Carmel*, atque *Ordo Sti Lazari* Hieroſolymitani, in Gallia, ab anno MDCVIII. coadunati fuere; uterque vero habet Ordinis Magiſtrum generalem: quippe quod munus illuſtre coronae ſive principatui neutiquam

tiquam adhaeret, ad exemplum eiusdem dignitatis munerisque honorifici, quod Rex ipſe, reſpectu Ordinis Sti Spiritus, Sti Ludovici ac Sti Michaelis, tuetur. Nam reges Galliae magiſterium generale ab Equitibus Montis Carmel & Sti Lazari, ſaepius ſibi oblatum, recuſarunt. Noſtris vero temporibus Rex clementiſſimus, Ludovicus XV. imperium feliciſſime tenens, Nepotem ſuum, Sereniſſimum Ducem Bituricenſem, Magiſtrum Ordinis ſupremum deſignavit. Accenſentur illi Ordines militaribus & hoſpitalibus, praecipue vero *Ordo Sti Lazari* inter antiquiſſimos huius generis Ordines terrae ſanctae numeratur, qui non tantum arma contra infideles, ſed & curam aegrotorum atque leproſorum praecipue geſſit, de qua re videndus eſt Helyotus *t*), externum illorum cultum cum ſignis Ordinum tradens, immo probatur ab illo autore, Ordinis Statutum certum olim fuiſſe, quo iubente non tantum leproſi in illum Ordinem adoptarentur, ſed Ordinis Magiſtri generalis dignitas in Equitem leproſum caderet. Huius legis ratio haec eſſe videtur, ut tanto maior zelus induſtriaque, in ſuſcipiendis, alendis atque curandis leproſis, in tali Ordinis Praefecto excitaretur, cum antiquioribus temporibus lepra in terrae ſanctae aeque ac Europae partibus, ſolitus morbus erat, qui ſanctos viatores praecipue infeſtabat, exercitium urgebat, ac in ſanctis migrationibus late ſaeviebat. Ex his Statutis ſeculi genius, deſiderium flagrans, providaque cura illorum elucet, qui primi huius Ordinis conditores & Evergetae exſtiterunt, dum cupiebant, ut cura aegrotorum, & praecipue illorum, quos Elephantiaſis, tunc temporis ſolito frequentior, occuparet, Fratrum Equitumque praecipua cura eſſet, cavebantque, ne larga Xenodochiorum munera, & proventus inde redundantes, alium in finem atque utilitatem diſpenderentur. Verum, pia licet haec & cauta inſtituti ratio priorum Equitum fuerit, quin illa poſtea

*t*) Helyot Tom. I. Cap. XXXII. LIV. Ashmole l. cit. in Praefat.

poſtea negligeretur, averti tamen haud potuit. Mos iſte eligendi Ordinis Magiſtros generales leproſos, ſolummodo ad annum usque MCCLIII. ſervatus fuit. Quoniam enim Equites, hoc temporis articulo, Syriacam terram mittere cogebantur, & leproſorum tota, quantacunque in Xenodochiis tenebatur turba, ab infidelibus necata fuiſſet, Papa Innocentius II. Ordinem ab hoc onere liberabat. Poſſidebat Ordo in Gallia inſignem Xenodochiorum & Noſocomiorum numerum, quibus piis corporibus ſingulis, pia quoque & larga ſtipendia pro dote adhaerebant; mutabantur vero poſtmodo, Pontificum & Regum conſenſu, maximam partem in Prioratus ſive in Praeturas atque Praefecturas ſive Commendas, opimis reditibus ornatas. Quo tempore Papa Innocentius VIII. anno circiter MCCCCXC. plurimam partem bonorum equeſtrium Ordinis Sti Lazari Ordinisque Melitenſis in plerisque terris coniungebat, Reges Galliae patrocinium huius Ordinis, pro tuendis iuribus, conſervandisque fructibus e dote corporis naſcentibus, in ſe ſuſceperunt, eique Ordini ſuum conſtituebant Magiſtrum generalem, & licet inde a Seculo XV. Leprae morbus fere nullus ſentiretur, quippe cuius loco lues venerea ingruebat, pio tamen Regum Galliae inſtituto mandatum fuit, ut, ſi forte leproſi homines exſiſterent, ſumtibus Ordinis illi in Xenodochiis alerentur. Poſteaquam hi ambo Ordines, Beatae Mariae Virginis de Monte Carmel, atque Ordo Sti Lazari, anno MDCVIII. in unum Ordinem redigebantur, ſimul ſtatutum fuit, ut Equites ſeculares horum Ordinum connubio ſe alligare poſſent, recipiendique non niſi trium generationum paternarum ac maternarum, vel, quod aliis placet, quatuor ab utroque latere nobilitatis teſtimonia edere deberent. Poſſunt & Equites ſic dicti gratiae, indultu Ordinis magiſtri generalis, adſciſci, quibus nobilitatem generis ſui probare non eſt neceſſe; aegre tamen huic modo Equites nominandi, recentioribus temporibus indulgetur. Adſcribuntur quoque huic Ordini Capellani, ſive Per-

Perſonae eccleſiaſticae, ac Fratres cultui religioſo operam navantes. In Gallia pro tempore Equites ſeculares crucem auream octangularem, in uno latere amarantino colore tinctam, gerunt, cuius media in parte effigies Sanctae Virginis encauſta cernitur; inverſo in latere crux viridi colore adſperſa, effigiem Sti Lazari media parte complectitur. Singulis extremitatibus globulus aureus innititur, & anguli loco cuilibet intermedio lilium aureum inſeritur. Crux pendet a ligamento amarantini coloris; fratres vero miniſterio ſacro vacantes, loco crucis, monetam prae ſe ferunt iisdem coloribus imaginibusque ornatam, quae a catena aurea, ſine ligamento demittitur. Equitibus Sti Lazari in Sabaudia, crux viridis pro ornamento eſt, in quo Ducatu Sti Mauritii ac Sti Lazari Ordo in unum conflatus eſt; ipſe vero Dux Sabaudiae illiusque ſucceſſores, mandato ac indultu Pontificis Gregorii XIII. Ordinis Magiſtri generales per Italiam atque Hiſpaniam audiunt. De primo inſtituto Ordinis Sti Lazari quaedam §. IV. ſubieci, certusque redditus ſum, quod Dux Aurelianenſis regens, liberatis peſtis periculo urbibus Maſſilia, Telone Martio, aliisque locis Galliae auſtralis, ubi quondam peſtis ſaeviverat, nonnullos Medicorum Ordinis ſigno, tanquam munere benefico, donari iuſſerit; ſed fatear neceſſe eſt, nomina talium, qui hoc ornamento inter Medicos enituerunt, ad hoc usque tempus me plane fugere. Quod enim ad celebrem illum in orbo erudito virum, multaque fama haud obſcurum, *Carolum Mariam de la* CONDAMINE, attinet, qui ſe Equitem Ordinis militaris Sti Lazari profitetur, & regiae Societatis Pariſinae, cui iam anno MDCCXXX, cum annuo ſtipendio, in uſum Chymiae adſcriptus fuit, ſimul quoque Academiarum Londinenſis, Berolinenſis, Petropolitanae, Bononienſis, Cortoneae, ac Nanceienſis membrum eſt, ſummis quidem in arte ſalutari meritis fulget, dum praecipue variolarum inſitionem variis Commentationibus aliisque ſcriptis defenſum & propagatum ivit; adeo ut ordini Medicorum nomen

men eius admodum honorificum videretur; ſed an Medici Doctoris gradum ſive titulum aſſumſerit, minime contendere poſſum.

§. XVI.

Morbus contagioſus §. XIII. allegatus, qui anno MDCCXX. & MDCCXXI. Galliam dire terrebat, anſam praebuit inſtituendi novi Ordinis, vel potius diſtribuendi muneris in ſignum honoris, quod ad modum crucis equeſtris gerebatur. Hic *Ordo Sti Rochi* dicitur, quo Dux Aurelianenſis illos donavit, qui peſtis tempore, ingenua fidaque ſua opera, ſingulari meritorum laude inclaruerunt. Praecipue Chirurgis tribuebatur, qui in urbibus a malo peſtifero venenatis, ſeſe includi paſſi erant, ac aegrotorum curam cum vitae ſuae praecipuo diſcrimine, ſuſceperant. *Sanctus Rochus*, gallicae originis, Dynaſta quondam in Montepeſſulano, aliisque in locis, tanquam Sanctus tutelaris contra peſtem colitur, dum iſtud ma um non ipſe ſolummodo in Italia eſt perpeſſus, verum quoque purpuratorum numerum haud exiguum, aliosque ab eodem malo vexatos, ſigno crucis liberavit. Diem obiit ſupremum anno MCCCXXVII. carceri incluſus, in urbe quadam a Montepeſſulano haud procul diſſita, quae dominio ipſius quondam ſubiecta, donationis vero titulo in aliquem e cognatis ſuis delata fuerat. Mira ſua virtute poſt mortem, praecipue anno MCCCCXIV. Conſtantiae inclaruit. Cum enim Concilium in illo loco haberetur, ac peſtis ſeſe inſinuaret, dire admodum ſaeviens, nullum ſupererat auxilium, niſi quod Sancti huius invocatione impetrabatur, dum in illius honorem ſolennis pompa fieret. Quod Venetiis anno MDLXXVI. una cum Virgine Deipara, Aloyſio Mocenigo, Principe Veneto regnante, precibus ſuis interpoſitis, aequo modo malum peſtiferum profligaverit, ex inſcriptione *u*) patet in *Scuolo di S. Rocco in Seſtiero di S. Paolo* adornata.



*u*) Keysslers *Neueſte Reiſen*, T. II. p. 815. 817. 818.

nata. Haec Schola Sti Rochi cum Schola Sti Marci eodem in loco, una e praecipuis eſt, quae egregiis ac ſplendidis pictu-ris a Tintoretto, Antonio Zanchi, Pietro Negri, aliisque arti-ſtis praeclaris, effictis, nitent. Scholae iſtae ſunt aediculae, ac aedificiorum genera, certis fratrum congregationibus atque ſo-cietatibus opificum dicatae, ſacro illorum cultui, coetibusque, negotiorum aliorum cauſa illuc convocandis, deſtinatae. Pe-ſtis illo tempore furens, CCCC. circiter e fratrum Societate Sti Rochi perdidit, cuius rei veritatem inſcriptio adducta teſta-tur. Prope ſcholam aedes exſtructa, huic Sancto conſecrata, cernitur, non tantum ſplendidis iconibus, ſed & operibus cae-latis marmoreis fulgens. Sanctum Rochum hoc in templo ſe-pultum iacere, traditur. Memoria Sancti Rochi, die XVI. menſis Auguſti, ſolenni inſtituto, ab eccleſia celebratur. Uti Archangelus Michael totius regni Galliae patronus audit, ſic San-ctus Rochus regiam Domum & Galliae reginam tuetur, & ſu-perba eccleſia parochialis Lutetiae Pariſiorum nomen eius ge-rit. Licet illius oſſa Venetiis ſerventur, pars tamen aliqua cor-poris ipſius in Gallia forte remanſit. Litterae enim publicae indicabant, quod menſe Februario huius anni, reliquiae quae-dam huius Sancti, deſiderante id regina, ab Archiepiſcopo Are-latenſi, Lutetiam miſſae ſint, celebrique cum pompa, e ſacra ſede parochiali Beatae Mariae Virginis in Sacellum (*du grand Commun*) magni Conventús, delatae, ſolennique munere cum cantico in laudem Dei celebrato, introductae fuerint. Expo-ſitis deinde in cultum omnium fidelium reliquiis, poſtero die Reginam, & Iuventutis regiae Principem cum coniuge ſua, rei divinae religioſoque cultui interfuiſſe referunt, multo ritu ſo-lenni a perſonis eccleſiaſticis & Regis Eleemoſynario, in exci-piendis illis antea obſervato. Vnde patet, quanto in pretio Sanctus iſte adhuc illo in loco habeatur, & cur nomine Sti Ro-chi Ordo inſignitus fuerit. Crux ordinis a coccineo ligamen-to demittitur, inſcriptaeque eidem uno in latere leguntur lit-

terae:

terae: *Ludovicus XV. inſtituit;* in altero vero verba: *Propter fugatam peſtem Maſſilienſem;* qui vero crucem gerebant, Equites Sti Rochi dicebantur. Facile coniicitur, crucem rubram encauſtam fuiſſe, quoniam e vitis Sanctorum conſtat, quod Sanctus Rochus cruce rubra notatus in lucem editus ſit, debitoque naturae ſoluto, Sanctus ille eodem ſigno dignoſci potuerit. Haec ſunt, quae de Ordine adducto, eiusque cruce cognoſcere mihi licuit. Quantus vero Equitum numerus tunc temporis ſigno crucis honoratus fuerit, aeque me latet, ac illa veritas, num tempore quoque ſequenti ſignorum Ordinis diſtributio nonnulla facta ſit. Hiſtoriam huius Ordinis, e vita celebris ocularii, *Iacobi* DAVIEL *x*) depromptam teneo, qui una cum aliis Chirurgiae practicis, annuum honorarium, veniamque geſtandae crucis Ordinis, impetravit; quippe qui unus e praecipuis inter Chirurgos fuit, quorum fida opera, Maſſiliae peſtifero morbo laborantibus, CHICONOVIO, ante dicto *Antonio* DEIDIERO, ac Medico VERGUE totum opus dirigentibus, utilis fuit. De *Iacobo* DAVIEL, Membro Academiae chirurgicae Pariſienſis, Societatis Londinenſis, Holmienſis atque Divionenſis, annoque MDCCLXII. die XXX. Sept. demortuo, conſtat, quod nova quadam methodo, cataractam per extractionem tollendi, innotuerit; cuius memoria, gratitudinis monumento quodam a claro pictore Divionenſi, de Voge, cui medelam in hoc malo feliciſſimo eventu tulerat, praeſtito, poſteris ſervata fuit *y*). Exſtat illud in diagraphica & ingenioſa delineatione operis allegorici, quae ob gratitudinis notam, animique candorem ingenuum, auctoris in honorem utique cedit.



*x*) Eloge, ou Abregé hiſtorique de la vie de Mr. DAVIEL, par Mr. APPLES, in Actis Helveticis Vol. V. p. 174.

*y*) *Bibliotheck der ſchönen Wiſſenſchaften VI. Band,* p. 380. 381.

## §. XVII.

*Ordo Periſcelidis* e numero Ordinum rariorum antiquiorumque adducitur, cuius ſplendor ab ortus ſui principio ad hoc usque tempus viguit. Quantum enim mihi ex hiſtoriarum monumentis innotuit, nullus unquam fuit Ordo, cuius Equitum numerus ſemel ſancitus, ac dignitas, tanta cum religione ſervata fuerit, quanta huic Ordini ſervando contigit, cuius honoris ſigno, omni tempore, magni ſolummodo Reges ac Principes extranei, civium vero e gente, primae nobilitatis equites, potiti ſunt, tenore Statutorum, ipſisque ibidem adductis verbis ſic ſonantibus: *Nemo deligetur in Ordinem, niſi qui nomine, armis & ſanguine generoſus, & Eques irreprehenſus exiſtat. Generoſus autem armis & ſanguine is intelligitur, qui, praeter patrem ac matrem, avos & proavos quoque ſanguinis generoſi habuerit.* Cuius Legis tenori nullo quoque non tempore ſtrictum obſequium praeſtitum fuit. In Anglia enim peculiare Collegium feciale ſeu heraldicum inſtitutum eſſe novimus, a quo nomina familiarum, ordine genealogico diſpoſita, notantur. Fabuloſae de Ordinis Periſcelidis principio narrationes, a diverſis Scriptoribus proditae, haud quidem ignorantur; verum & iſtas non parvum Anglicorum Scriptorum numerum refelliſſe, conſtat. E victae tamen veritatis aſſertum omni tempore manebit, Ordinem hunc a magno illo Rege Eduardo III. qui Galliam Scotiamque ſuae poteſtati ſubiecit, ac Iohannem Galliae, & Davidem Scotiae regem, captivos in Angliam duxit, anno MCCCL. inſtitutum fuiſſe. Numerus equitum a Rege definitus, ad viginti ſex equites usque creandos, extenſus fuit, ipſo Rege, tanquam Ordinis Magiſtro generali, ſimul computato. Conſueto Ordinis ſigno, faſcia nimirum crurali coerulea, ſiniſtro pedi quotidie adſtringenda, Equites ex praecepto legis utuntur, cui, feſtivo ſolennique tempore, ſymbolum aureis litteris, acu picto opere, gemmisque pretioſis exornatum, his verbis

bis additur: *Honny ſoit, qui mal y penſe.* Subligaculum iſtud fibula aurea clauditur. Praeterea ligamentum latum coeruleum, laevae humerorum parti ſuperinductum, in equite nitet, cuius ab infima parte ſignum Ordinis Sti Georgii pendet, effigiem eius illum in modum ſiſtens, quali vermem nociferum (Draconem puto) trucidaſſe, fingitur. Imago Sancti Georgii encauſto opere elaborata, auro ac gemmis diſtincta cernitur. In ſiniſtra pectoris parte ſtella argentea, acu texta, fulget, in medio habens crucem, periſcelide tanquam circulo circumdatam, praedictoque ſymbolo inſcripto ornatam. Quandocunque Ordinis ſolennia, vel dies feſtivi maiores celebrantur, laxiori veſte ſuperinduti, & alte demiſſa toga incedunt equites, mitram in capite eminentiorem ſericam, ac atro colore notatam, gerentes; ſignum Ordinis pendet a catena equeſtri ex roſis rubei & albi coloris, encauſto opere pictis, contexta, quae laminis aureis, in ſubligarium formam fictis, coniunctae ſunt. In ſigno Ordinis circumſcriptum ante enarratum ſymbolum legitur. Ex iis, quae ab ASHMOLE, *Vito*, MIEGE, aliiſque notata ſunt, patet, quod a tempore inſtituti Ordinis octo Imperatores, Regum numerus ultra trigeſimum, multi Electorum ac Principum extraneorum, membris huius Ordinis accenſi fuerint.

His de ſumma Ordinis dignitate praemiſſis, mirum quemcunque facile tenebit, quae cauſa anſam dederit commemorationi Ordinis hic adducti, ſiquidem in re litteraria Anglorum non rite verſatis, res videbitur omni fide indigna, quod Viri originis adeo ſplendidae dignitatiſque eminentioris, in numero Medicorum eſſe queant. Verum in Anglia longe diverſa litterarum ac artium ratio obtinet. Multi enim inter viros illuſtres vero ſibi ornamento non tantum eſſe putant, quando ipſi bonas artes callent, easdem promovere, ac viros vere eruditos pretio ſuo aeſtimare norunt, ſuoque favore dignantur; ſed & honori ſibi ducunt, academicis honorum titulis inſigniri, quos,

qui

qui in Anglia in litteras vere incumbunt, non aeque facile, ac in Germania aliisque in terris fieri ſolet, conſequuntur. Hinc res adeo miranda non eſt, quod in regionibus iſtis, ubi artes ac bonae litterae tanto in pretio ſunt, magna ingenia naſcantur. Mentis etenim generoſa indole praeditos, ac vere doctos homines, ambitio quaedam honéſta quaſi excitat inceditque, ut magis elucere cupiant; hinc & in navanda ſcientiis opera earumque uſu, quam late fieri poteſt, omni tempore progrediuntur, dummodo meritorum ſuorum, operaeque digna mercede ac praemiis vel honoris, vel fortunarum ſe ornari ſentiant. Ex adverſo viri eruditi, ingeniorum felicitate praediti, ſortis ſuae contemtu, nulloque inter doctos ac indoctos diſcrimine notato, quando vel cum indignioribus atque indoctioribus, eruditionis famam male captantibus, non tantum aequo, ſed quodammodo leviori pretio aeſtimantur, concidunt; ſolertiae & ingenii virtutes, ac naturae dona, ipſis tributa, morte quaſi deleta cenſentur; dum irritam ſe impendiſſe operam vident, artium & ſcientiarum ſtudium aegre proſequuntur, non niſi ingratam ac ignominioſam laboris ſui mercedem exſpectantes. Haud exiguum famae incrementum Collegio Medicorum Londinenſium exinde naſcitur, quando in Indice Sociorum anno MDCCXLVI. impreſſo, nomina Ducum *de Richmond* & *de Montague* reperiuntur, qui, ſalutari arte, multisque aliis ſcientiis probe imbuti, honores doctorales adepti ſunt, & more aliorum Medicorum huic Collegio nomina ſua dederunt. Verum ob dignitatis ſuae illuſtris ſplendorem, Praeſidem tunc temporis inclytum Doctorem, *Henricum Plumptre*, ordine ſtatim ſecuti ſunt. Cum iſtud par Ducum magnam Collegio Medicorum famae celebritatem addiderit, inſignemque ſuum favorem non minus quam cultum, quo medicam Facultatem proſequeretur, oſtenderit, cenſura quadam me dignum fore arbitror, ſi illos huic Commentationi inſerere dubitaſſem magis, quam iſto conatu promerui, quo eorum nomina hic addu-

adducere placuit. *Carolus Lenox* Dux *de Richmond* & Lenox, Comes Marchiae & Darnlejae, Baro de Settrington & Metthuen, qui illaeſam omni tempore fidem Regibus e ſtirpe Hannoverana oriundis ſervavit, e ſanguine regio Stuartorum, quod conſtat, prodiit. Pater illius, eiusdem nominis, Regis cubicularius, & Eques Ordinis Periſcelidis fuit, diemque obiit ſupremum anno MDCCXXIII. Idem filius erat Regis Angliae, Caroli II. Sereniſſimaeque Ducis de Portsmouth, quae, cum hoc titulo nondum potita eſſet, Virginis illuſtris de Querouailles efferebatur nomine. Superſtitem hunc filium ſuum, tunc temporis Marchiae Comitem dictum, ſed, poſt mortem patris Ducis, tituli paterni bonorumque opimos reditus largientium haeredem reliquit. Quibus fortunis praedictae aviae ſuae haereditas, Ducatus Albiniacenſis in Gallia, accrevit, ex quo per annum 80000. libras gallicas accipiebat, una cum 30000. aureis, numeratae pecuniae ſumma. Denique & poſt obitum Soceri ſui, Comitis Vilelmi Cadogani, Baronis ab Oackley, legatum 80000. librarum monetae Anglicae, huic opum farragini additum fuit. Virtute dignitatis ducalis, Duci noſtro *Richmondo*, votum cum ſede in ſuperiori regni Magnae Britanniae Curia competebat. Inſuper quoque membrum fuit in Senatu ſanctiorum Conſiliorum, Summus Stabuli regni Magiſter, Locum tenens generalis Satellitum Regis, corporisque cuſtodum equeſtrium Praefectus, Archiſeneſchallus in civitate Ciceſtria, atque Ordinum Periſcelidis & de Balneo Eques; priori Ordine anno MDCCXXVI. d. VI. Iunii inſignitus, & anno MDCCXXVIII. d. XVII. Iulii ſolenni more donatus fuit. Abſente quondam Rege Georgio II. titulo Procerum imperii regentium gaudens, partim ubi exercitum in Germaniam Rex duceret, partim illo tempore, quo Rex, provincias ſuas germanicas viſendi cauſa, in itinere conſtitutus eſſet, ſex diverſis temporum intervallis, imperio regni una functus fuit; titulum vero Doctoris Medicinae in Academia Cantabrigienſi acquiſivit eodem

tempore, quo Dux de Newcaſtle Cancellarii munere ac dignitate, eodem in loco more ſolenni ornabatur, multique adhuc Viri illuſtres gradum Doctorum Iuris conſequebantur. An forte arctum iſtud vinculum cognationis, quo Dux *Richmondus* magno illi ac celebri Baronetto *Ioanni Sloane*, Regis Archiatro, iunctus (de quo poſthaec plura nobis dicenda erunt) cauſa fuerit amoris atque cultus ſui, medicae Facultati exhibiti, argumentum a ſuſpicione non plane alienum eſſe videtur, quoniam Carolus Cadogan, Baro de Reading, frater atque unicus haeres maſculus Comitis Vilelmi Cadogan, Baronis ab Oackly, Soceri Ducis, Ioannis Sloane filiam matrimonio ſibi iunxerat, & filio ex hoc thoro nato nomen *Caroli Sloane Cadogan*, in honorem & memoriam Soceri, dederat. Huius facti veritas aſſertum noſtrum admodum probabile reddit.

Dux *Iohannes de Montague*, Marchio de Monthermer, Comes de Montague, Vice-Comes de Monthermer, Baro Montague de Brugton, Par Magnae Britanniae, ſanctioris Conſilii Membrum, Rei tormentariae ut & Veſtiarii Regis Praefectus generalis, Primae turmae Satellitum regiorum Praefectus, Ordinis Periſcelidis Eques, Magiſter generalis Ordinis de Balneo, & Membrum Societatis regiae Scientiarum, anno MDCXC. natus fuit. Erat iſte filius unicus Ducis Rudolphi de Montague, qui in Senatu ſanctioris Conſilii Membrum, & praeter dignitates ſupra recenſitas, Duci noſtro anno mortis ſuae MDCCXLIX. adhuc adhaerentes, vario munere illuſtri functus fuit. Itidem iſte quinquies iterata vice, Rege abſente, Procerum regni imperantium numero interfuit. Perſuaſum mihi fuit, illum in Academia Oxonienſi Doctoris Medicinae titulum adeptum fuiſſe; aſt annum, quo hoc contigit, comperire non potui. Quod Sociis Collegii medici Londinenſis nomen dederit, antea commemoravimus. Hic ultimus ſuae ſtirpis ſurculus exſtitit maſculini ſexus, & cum fato fungeretur, quinquies centies mille librarum anglicanarum pretio valuit maſſa bonorum

ipſius

ipſius immobilium; ad numeratam vero quod attinet pecuniam, gemmas & ornatum, ducentarum & quinquaginta millium librarum Anglicanarum pretium huic ſtatuitur. Ex dictis igitur patet, animos generoſos, nec genere, nec ordine, nec opibus, ab artium & ſcientiarum cultu & admiratione abalienari poſſe.

## §. XVIII.

Quodſi forte aliquis contendat, Equites Ordinis Periſcelidis, §. praecedenti adductos, medicae Facultati nullam honoris famam parere poſſe, quia non artis exercitio inclaruiſſent; de Miniſtris tamen quibusdam Ordinis, tanquam veris Medicis, honoris naſcentis argumentum ab Ordine Medicorum peti poſſe, nemo negabit; quorum mentionem hoc loco iniicere, themati Diſſertationis praeſentis congruum inſtitutum eſſe duxi. Praecipuis enim Ordinis miniſtris, tenore Statutorum, peculiare ſignum externum Ordinis ac honoris decernitur; ſeculares vero Ordinis miniſtri nulli deſignantur, niſi equeſtri ex Ordine, vel verae nobilitatis genere nati. Ordinis Praeſul, Cancellarius, Secretarius ſive Regiſtrator, Ordinis Praeco, qui Rex principalis armorum Angliae vocatur, proprio nomine *Garter* dictus, & Ianitor, ſub Ordinis miniſtrorum praecipuorum nomine & titulo fulgent. Epiſcopus Wintonienſis omni tempore Ordinis Praeſul eſt. Cancellarius Ordinis, ſtatuente Eduardo III. Britannorum Rege, Epiſcopus Salisburiae nominatus fuit, cui perpetuum iſtud munus eſſe debebat. Verum a principio Ordinis inſtituti, ſolummodo ſex Epiſcopis, ſerie haud interrupta ſibi ſuccedentibus, haec dignitas tributa fuit, quo temporis intervallo praeterlapſo, diverſae aliae perſonae ſeculares, nulla amplius Epiſcoporum Salisburienſium habita ratione, honore iſto ac dignitate mactabantur, ad imperium usque Regis Caroli II. qui dignitatem illam denuo in Epiſcopos Salisburiae contulit. Regiſtrator ſive Secretarius Ordinis, ſimul quoque Cano-

nicus, vel Decanus Vindeſorienſis audit; Praeconem ſive Garterum Rex deſignat, qui ſingulari quodam ritu ſolenni huic muneri praeficitur *z*). Nobilitate minori hic pari modo, ac Ianitor, conſpicuus eſſe debet, utpote qui ſimul ſummae Curiae Ianitor eſt, & atrae virgae inſignia gerit, praeſentique tempore aeque ac praeco, utplurimum equeſtri dignitate, cum ſingulari honoris titulo, *Sir*, pollet. Quod ad externa honorum ſigna miniſtrorum Ordinis attinet, quibus illo tempore nitent, quando dies feſti ſive Solennia Ordinis celebrantur, Praeſes Ordinis atque Cancellarius, coeruleo pallio ex ſerico attalico, cum bombycino albo duplicato, induuntur, cuius dextrum in pectore latus crucem Ordinis, faſcia crurali cinctam, oſtendit. Cancellarius Ordinis inſuper adhuc monetam auream, faſcia crurali cinctam, a collo pendentem gerit, cuius in parte media roſa cernitur. Secretarius, Praeco & Ianitor, unusquisque horum, eiusdem generis pallio tegitur, ac Praeſes & Cancellarius, illo nimirum cum diſcrimine, quod in latere laevo pectoris ſcutum Ordinis absque Periſcelide habeatur. Praeconis in pectore moneta aurea, faſcia crurali involuta, collo pendens fulget, cuius monetae ſcutum diviſum Inſignia Ordinis & Regni Britannici impreſſa gerit, quae aurea corona regia in ſuperiori parte teguntur. Feſtis diebus Ordinis, & quando Solennia fiunt, argenteum auroque obductum baculum manu tenet, cuius in extremitate ſuperiori & inferiori, Ordinis ac regni inſignia nitent.

Medicis illis, qui Praeſulum Ordinis munere functi ſunt, praecipue *Iohannes* WATSON, feliciſſimus Medicinae Practicus, annumeratur, qui per XX. annos ſtudio medico vacans, anno MDLXXV. menſe Iulii gradum Doctoris in Academia Oxonienſi acquiſivit *a*), cum iam antea anno MDXLII. artium Magiſter crea-

*z*) MIEGE *Geiſt- und weltlicher Staat von Groß-Britannien und Irrland, p. 264. Leipzig 1718. 4to.*

*a*) Vid. IOECHERI Lexicon eruditorum. MATTHIAE Conſpectus Hiſtoriae

creatus eſſet. Sacris dein Ordinibus initiatus, varia quoque beneficia, quae iisdem adhaerebant, obtinuit; donec Eliſabetha Regina *b*) illi curam eccleſiae Wintonienſis cum dignitate epiſcopali demandaret, ad quod munus obeundum menſe Septembri MDLXXX. conſecrationis ritu ſolenni inductus fuit. E marmore ſepulcrali conſtat, illum iam antea Praebendae alumnum, deinde vero & Decanum huius eccleſiae fuiſſe. Eodem in marmore pater prudentiſſimus, vir optimus, praecipue erga inopes miſericors, vocatur. Obiit MDLXXXIII. anno aetatis LXIII. & epiſcopatus quarto. Praeſulum Ordinis in numero vigeſimus quartus, Epiſcoporum Wintonienſium vero ſexageſimus tertius fuit. Quodſi Epiſcopi Salisburienſes, tenore Statutorum Regis Eduardi III. Cancellariatus dignitate perpetua inveſtiti, tales manſiſſent, *Iohannes* COLDWEL horum quoque numero adſcribendus foret. Educatus erat in Collegio S. Iohannis Cantabrigienſi; eadem Academia gradum Doctoris illi tribuit; tempore vero Eliſabethae Reginae e Roffenſi vel Rocheſtrienſi Decano, anno MDXCI. Epiſcopus Salisburienſis factus eſt. GODWINUS *c*) aſſerit, primum hunc fuiſſe omnium Epiſcoporum Salisburienſium, qui uxorem duxit. In catalogo Secretariorum ſive Regiſtratorum huius Ordinis, Coldwellus quidam, Canonicus Vindeſorienſis mihi occurrit; verum, dum anni ibi nulla exſtat memoria, & de praedicto *Iohanne* COLDWELL mihi non innotuit, quod olim Canonicus Vindeſorienſis fuerit; exploratae veritatis tanquam aſſertum defende-

i 3 re

ſtoriae Medicorum chronologicus p. 375. Tradita ab utroque, ſine dubio ex A. Wood Athenis Oxonienſibus petita ſunt; hactenus in mea vero poteſtate non fuit, Scriptum tale, noſtris in oris admodum rarum, omni licet adhibita opera, inveſtigandi.

*b*) GODWYNI de Praeſulibus Angliae Commentarius. Londini 1616. 4to p. 301.

*c*) l. c. p. 411.

re nequeo, quod & ille huc referendus ſit. *Eliam* ASHMOLE *d*), autorem hiſtoriae Ordinis Periſcelidis non ignotae, ob eruditionem in arte chymica acquiſitam, Doctorem Medicinae Oxonienſem creatum fuiſſe, ex illius vitae deſcriptione patet. Cum ante allegatam hiſtoriam Ordinis ſcripſit, titulo Præconis inſignitus: a nonnullis Scriptoribus, alias fide dignis *e*), Praeconis nomine Periſcelidum Ordinis aſſeritur. Verum, quamvis haec dignitas illi tanquam peritiſſimo repetita vice oblata fuerit, tamen illam recuſavit, & quidem primo loco eandem ſocero ſuo, Sir Wilhelm Dugdale, reliquit, ſecunda vero vice affinem ſuum commendatitiis litteris eodem honoris titulo donari, rogavit. Liber eius ante recenſitus magnam illi famam peperit, & Rex Daniae, Chriſtianus, ut & Magnus Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus, in ſignum favoris ſui aureas ipſi catenas dono dederunt, cum nummis memorialibus aureis, huic ornamento appenſis; quale genus ornamenti, tunc temporis ſignum honoris & gratiae prorſus ſingularis magnorum Principum cenſebatur in iis, qui illo notati incedebant. Rex quoque Carolus II. libertatem illi dedit, certis diebus feſtis eodem ornamento palam utendi. Fuit vero ASHMOLE, proprio ſi illum titulo efferre velim, Praeco Vindeſorienſis; & quisquis de hoc munere, ut & in genere de dignitate Collegii Heraldici in Anglia, cognitionem aliquam haurire cupit, is in ſcripto allegato *Viti* MIEGII *f*) quod quaerit, inveniet; in quo & de eminentiori dignitate ac praerogativis, ipſisque rituum ſolennibus, quae Heraldorum Periſcelidis creationem comitantur, varia traduntur. Verum, licet ASHMOLE huc non referendus ſit, in libro tamen ante adducto eruditi Doctoris MATTHIAE, *Henricus St. Georgius*, Eques, Principalis Rex armorum, vel Heraldus Ordinis Periſcelidis, mihi notatus occurrit,

*d*) *Brittiſche Biographie IV. Theil. p. 735. ſeqq.*
*e*) e. g. HELYOT l. c. Tom. VIII. Edit. germ. p. 357.
*f*) l. c. p. 263.

currit, qui Oxoniae anno MDCXLIII. Medicinae Doctor creatus eſt. Brevis haec relatio ex Athenis Oxonienſibus, ut opinor, deprompta eſt, neque plura de *Henrici St. Georgii* ſcientia medica aſſerere valeo.

## §. XIX.

Poſt equites Periſcelidis, in Magna Britannia, *Baronetti* ex illo Equitum numero ſunt, qui ordine ſecundi a prioribus habentur, adeo ut Equites ex illo naſcentes, vi inſtituti, Equites de Balneo & reliquos Equites auratos & armigeros dignitate antecedant, Barones vero regni proxime ſequantur. Priusquam vero de dignitate Baronettorum plura proferam, rationem reddendam eſſe arbitror, quae me moverit, ut *Equites Baronettos* hoc loco inter Ordines equeſtres Angliae, qui externo honoris & dignitatis ſigno fulgent, recenſeam. Difficile enim mihi viſum eſt, debitum illis locum adſignare. Licet enim Equites Baronetti, Ordinis Magiſtro generali, Statutis ac Ordinis capitulo, & externo honoris ſigno, careant, equitibus tamen auratis Angliae iuſto titulo immiſceri nequeunt, quoniam honor iſte Baronettis non tantum Diplomate datur, ſed & ipſa dignitas, in eosdem collata, haereditatis iure etiam filiis primogenitis, in linea recta maſcula deſcendente, tribuitur. Praeterea Baronettorum dignitas, inter Nobilitatem maiorem minoremque Angliae media quaſi eſſe cenſetur, ut ex ſequentibus patebit. Cum itaque, ex prima inſtituti lege, Equitibus de Balneo priores eſſe debent, & Baronetti Scotiae, qui eadem dignitate cum Baronettis Angliae gaudent, ut infra monſtrabimus, inter Equites cruciferos referendi ſunt; igitur hunc Ordinem huic loco, poſt Equites Periſcelidis inſerui. Ea autem Baronettorum conditio, quae eos ſupra nobilitatem minorem evehit, me cogit, ut de nobilitatis Angliae gradibus & differentiis, non adeo ubivis cognitis, quaedam praemittere debeam.

Nobi-

Nobiles in magna Britannia g) in Nobiles *maiores* vel *nominatos*, immediate per Diplomata regia, aut ad Comitia ſummonitorios, & in *minores* vel *innominatos*, mediate e facultate regia transmiſſoria, idque vel Diplomatibus, vel nudis ceremoniis, diſtinguuntur. Nobiles maiores, Proceres, vel Pares regni ſunt. Eorum dignitas eſt perpetua, & in titulis & feudis haereditaria. Titulo, ſplendore & dignitate, quidem nobiles maiores inter ſe differunt; nam Ducum, Marchionum, Comitum, Burggraviorum ſive Vicecomitum, & Baronum nomine diſtinguuntur; ſed in ſummis regni Comitiis, quae Parlamentum vocant, ſedem nomine tantummodo Baroniarum tenent, adeo ut vel maximus Dux in Parlamento ſedens, quamvis pro gradus eminentia collocetur, Baroniae ſolum ratione locum obtineat, neque ulla alia ratione, Archiepiſcopis & Epiſcopis Magnae Britanniae ibidem ſedere concedatur, niſi quod Epiſcopatibus Baronatus & Baroniae alicuius coniunctam poſſeſſionem & dignitatem habeant. Quilibet Dux ſimul titulum Marchionatus, Comitatus, Vicecomitatus, & Baroniae gerit; Marchio vero titulum Comitatus, Vicecomitatus & Baroniae; Comites ſimul Vicecomitatus & Baroniae. Baro titulo *Lord* ſalutatur, qui etiam indiſtincte cuivis Pari regni convenit. Dignitas Paris regni, vel nobilis maioris, poſt mortem patris in filium natu maximum transfertur, ſive delabitur. Superſtite vero adhuc patre, filii natu maximi Ducum, ſecundum conſuetudinem, titulo, vel Marchionis, vel Comitis, ex patris titulo deſumto, inſigniuntur; & Marchionum vel Comitum filii natu maximi, eodem modo vel Vicecomites, vel Barones vocan-

g) *Roberti* Gloveri, Fecialis olim celeberrimi, & in Collegio Heraldico Angliae, nomine Sommerſet dicti, Opus rarum a *Th.* Milles absque utriusque nomine editum, ſub titulo: *Nobilitas politica vel civilis* &c. Quo tandem & apud Anglos qui ſint nobilium gradus, & quæ ad nobilitatis faſtigia evehendi ratio, oſtenditur. Londini 1608. fol. p. 42. ſeqq. p. 51. ſeqq. p. 158.

cantur, & Domini ſive *Lords* ſalutantur, ſed tantum ex indulgentia conſuetudinis, & ſanguinis gratia, cum ſecundum leges neque inter Comites, neque inter Barones vel Pares regni referri poſſunt, ſed armigeri tantum ſunt habendi, neque ullum in comitiis regni ſuffragium vendicare ſibi poſſunt, quamdiu parentes vivunt, niſi Rex filium Paris cuiusdam, natu maximum, vel haeredem, tam ſapientia & conſilio, quam aetate provectum viderit, quemque maximis Parlamenti Comitiis adeſſe dignum perſpexerit, & ad id honoris faſtigium adſciſcit. Regis enim gratia & praerogativa adeo indeterminata eſt, ut, quos velit, ad honores provehere & in Parlamentum admittere poſſit. Tituli & iura Procerum, in defectu ſtirpis deſcendentis, fratribus minoribus proxime ſuccedentibus, haereditatis iure conferuntur, & notum eſt, quod deficientibus maſculis, ad ſequiorem ſexum haereditate devolvantur, niſi in primis Diplomatibus verbis diſertis aliter cautum fuerit. Filii quoque ſecundogeniti Ducum Marchionumque vocantur, ex gentis quadam humanitate & manſuetudine, *Lords*, uerbis iſtis: *My Lord*, ſed praefixis ad nomina eorum in baptiſmate data, vel etiam ad cognomina familiae propria, ex reſpectu parentum eorum, qui in tam eminenti dignitate conſtituti ſunt: ſed Barones *b*) regni non ſunt, neque Pares, neque Proceres, quoniam ex hac ſola ratione nullum habent ius loci & voti in ſuprema Curia. Filii natu minores Comitum, Vicecomitum & Baronum, inter nobiles quidem referuntur, ſed titulum *Lord* non gerunt, tamen ſecundogeniti Ducum, Vicecomites, & ſecundogeniti Marchionum, Barones praecedunt. Barones vero ex ordine nobilitatis hucusque ſtabilito, docente Gloverio, ſtatim Vicecomitum primogeniti, & Comitum ſecundogeniti ſequuntur, tunc Baro-

*b*) Seldenus de Titulis honorum. Francof. 1696. 4t. Tom. II. p. 520.

Baronum primogeniti, Milites Banneretti regii, Vicecomitum ſecundogeniti & Baronum ſecundogeniti locum obtinent. Nobiles vero inferiores ſive innominati, ſunt Equites aurati, armigeri, ſive *Esquire* dicti, & generoſi alii qui *Gentlemans* vocantur.

Equites Periſcelidis, praeſenti tempore, ſemper maiori ex ordine nobilium ſeligi, ex Catalogis eorum patet.

Haecce omnia praemittere placuit, ut eo melius, quae ſit Baronettorum dignitas, dilucide explicari poſſit. Tenore enim inſtituti, Baronetti quaedam cum nobilium ordine maiori, & quaedam cum Ordinibus equeſtribus, communia habent. Nam, ſecundum Diplomatis verba, proxime dignitate Barones ſequuntur, ac haereditate filiis ſuis titulum & honores Baronetti relinquunt, ſed pari modo, ac Equites, hac dignitate nullum in domo ſuprema, Curiae regni, locum occupant, & inter Pares regni, ſive nobiles maiores, minime referuntur; nec decedente Baronetto ſine prole maſcula, dignitas fratribus eius accreſcit, ſed exſtinguitur. Omnibus aliis equitibus, exceptis iis, qui Ordine Periſcelidis ornati ſunt, Baronettos praecedere, in initio §. iamiam monuimus; etiam prae omnibus militibus, ſive equitibus Bannerettis, locum occupant, iis Bannerettis ſolum exceptis, qui Rege in exercitu praeſente, & ſub regiis vexillis, in aperto vel manifeſto bello, a Rege ipſo equites Banneretti creantur. Banneretti vero, ſive Equites vexilliferi, quorum dignitas inſtar equitum auratorum non haereditaria eſt, a quibusdam ſaepe cum Baronettis confunduntur. Illi ob res bene in bello geſtas, copiis praeſentibus, ſub vexillo equeſtri creantur. Conceſſum illis eſt, militaris virtutis ergo, quadrato vexillo, perinde ac Baronibus, uti, unde Banneretti etiam Equites vexillarii, ſive vexilliferi dicuntur. Nemini enim alias, in Magnae Britanniae regnis, ius portandi inſignia ſua in vexillo quadrato licitum eſt, in quacunque ſit dignitate conſtitutus, exceptis iis, quibus hoc ex officio & munere bellico, ut Coneſtablio,

ſtablio, Admirali & Marſchallo, competit, praeterquam Baronibus, & iis qui Baronibus ſuperiores dignitate exiſtunt. Erecta vero Baronettorum dignitate, mox graviſſimae lites inter filios Vicecomitum & Baronum minores, & novos Equites Baronettos, ratione loci principis, exortae ſunt. Ordine enim huc usque conſueto, illi ſtatim poſt Equites Baronettos, a rege ipſo in bello, praeſente exercitu, creatos, locum primarium obtinebant, quem nunc Baronettis concedere iniquum iudicabant. Conditor itaque, ne florem nobilitatis nova dignitate laederet, alia lege *i*) eorum iura ſarta tectaque cavebat. In Diplomatibus regiis, quorum formulam Seldenus l. c. huius generis ſolito ſcribendi genere conceptam, tradidit, (ex qua brevibus ea, quae ad praerogativam huius dignitatis attinent, hic referre lubet,) legimus: Equitibus Baronettis Regem conceſſiſſe, ut nomini ipſorum & haeredum maſculorum ſuorum, in ſermone anglicano, & omnibus ſcriptis anglicanis, praeponatur honoris ſignum anglicum, *Sir*, & uxoribus eorum honorifica appellatio, *Lady*. Sanciebat quoque conditor dignitatis, ut Baronetti eorumque nati, aliqua inſignium ſuorum parte vel ſcuto, in campo argenteo, manum ſanguineam, ſive inſignia Provinciae Ultoniae regni Hiberniae adiicere poſſent, & Baronettis proximus locus a vexillo in regis exercitu, cum aliis praerogativis nonnullis, quae ad funera eorum attinent, concedebatur. Rex enim Angliae Iacobus I. qui hanc dignitatem circa annum MDCXI. ſuaſu celebris illius Equitis, Roberti Cottonis *k*), inſtituit, exhauſto aerario publico, ſumma pecuniae inopia laborabat, pro alendo exercitu, quo terram Ultoniae, in Hibernia, ſuae poteſtati ſubmittere poſſet. Imponebat igitur cuique, qui dignitatem Equitis Baronetti cuperet, ut triginta pe-

 dites

*i*) Seldenus l. c. Tom. II. p. 681. ſqq.

*k*) *Brittiſche Biographie* in vita Cottonis. Tom. V. Edit. germ. p. 588. Seldenus l. c. Pars II. Cap. V. p. 582.

dites in Hibernia per tres annos aleret, & ipſis quotidie octo denarios, nummorum Sterlingicorum, monetae anglicanae, daret, integrum vero unius anni ſtipendium Camerae regiae Receptorum ſolveret, ſimulac eius Litterae patentes ſignatae eſſent, & tota ſtatim ſolvenda ſumma, cum reliquis ſumtibus, libras circiter 1200. nummorum Sterlingicorum aequabat. In inſtructionibus ita dictis Commiſſariorum legimus, ſolutionem in publicum opus fuiſſe motivam cauſam iſtius dignitatis, & in Diplomatibus Baronettorum explicatur *l*), Regem viros, familia, patrimonio, cenſu, & morum probitate ſpectatos, elegiſſe, qui ipſi auxilium & ſubſidium ſatis amplum, generoſo & liberali animo, dediſſent, pro defenſione regni Hiberniae, & praecipue pro ſecuritate ſic dictae Plantationis Provinciae Ultoniae. Nam in recipiendis requirebatur, ut eſſent viri egregiae qualitatis, ſufficientium opum, & bonae famae, iſtoque honore digni, progeniti ad minimum ex avo paterno, qui arma geſtaſſet, & haberet certos proventus annuos mille librarum Sterlingicorum ex agris per haereditatem acquiſitis, vel agros antiqui cenſus, qui, rationibus ſubductis, aequivaleant mille libris nummorum Sterlingicorum, per annum certorum redituum. Rex Iacobus, hac dignitate condita, ſtatim aerarium ſuum ſumma centies mille librarum nummorum Sterlingicorum locupletabat. Promittebat quoque Rex, quod nec ipſe, nec haeredes vel ſucceſſores ſui, creaturi eſſent aliquem alium gradum, ordinem, nomen, titulum, ſive dignitatem, qui eſſet, vel eſſe poſſet ſub illo gradu, vel infra gradum, dignitatem, ſive ſtatum Baronum regni ſui, & qui eſſet, vel eſſe poſſet ſuperior gradu ac dignitate, vel aequalis gradui & dignitati Baronettorum. Licet vero promiſiſſet, ſe numerum ducentorum Baronettorum ſolummodo completurum, & ſi ex his aliqui ex vita diſcederent, absque haeredibus maſculis, ſe non alios creaturum, quo eorum numerus diminueretur & in minorem redigeretur;

*l*) Seldenus ibid. p. 586.

retur; haec clauſula tamen ſequenti tempore non obſervata eſt, ut ex Catalogo Baronettorum apparet, quem *Vitus* MIEGE *m*) exhibet: numerus enim huc usque creatorum, in Anglia, 900. iam excederet, niſi ultra 300. ſine maſcula prole, & cum iis dignitas Baronetti exſtincta eſſet. Eodem ex Catalogo MIEGII diſcimus, varios Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones Angliae, nec non multos ex ordine maiori nobilium Scotiae & Hiberniae, dignitatem Baronetti ſibi & familiae ſuae procuraſſe, luculento teſtimonio, maiores nobilium, acquiſitione huius dignitatis, aliquam praerogativam quaeſiviſſe.

Equites Baronettos in Anglia externo quodam honoris ſigno ſuae dignitatis gaudere, nullibi lego. Equites vero Baronettos Scotiae, quos idem Rex Iacobus ſextus Scotiae, & in Anglia primus, eadem conditione inſtituit, quo reditus, exinde provenientes, in uſum Coloniarum novae Scotiae verteret, ſi narratis fides habenda, referente MIEGIO *n*), ligamento ſerico, coloris arauſiaci, in collo cinguntur, cui coerulea crux, quae a Sto Andrea nomen habet, ſcuto argenteo impreſſa, adhaeret; huiusque in parte ſuperiore inſignia Scotiae, corona imperiali tecta, cernuntur. Integro ſcuto circumſcripta leguntur verba: *Fax mentis boneſtae gloria.* Nomina eorum apud eundem MIEGIUM *o*) legimus, & numerus ducentos excedit. Baronettos etiam in regno Hiberniae, dudum iam ante inſtitutum Ordinem Regis Iacobi, floruiſſe apud SPELMANNUM *p*) invenimus, qui octo eorum ex antiquis Scriptoribus profert, & qui de illis plura recenſens conferri meretur.



*m*) Tom. I. Cap. XVI. pag. 513.

*n*) Tom. II. Cap. XIV. pag. 245.

*o*) Tom. I. pag. 245.

*p*) Henr. SPELMANN in Gloſſario archaiologico, ſub voce: *Baronettus.* Lond. edit. ann. 1664. pag. 73.

## §. XX.

Inter Medicos Baronettorum dignitate illuſtres, celeberrimus *Iohannes* SLOANE prae ceteris omnibus inclaruit. Quodſi diverſos huius honorum titulos ac dignitates, fortunas, relictumque poſt fata bonorum numerum inſignem, commemorare; ſi pari modo praeclari eius Muſei, pretium quinquaginta millium librarum longe excedentis, praeſentique tempore maximam inclyti Muſei Britannici partem exhibentis, mentionem iniicere animus eſſet, ſumma prolixitate hoc loco utendum foret. Sed haec ſilentio praetereo, cum a vitae eius ſcriptoribus *q*) longe lateque recenſita ſunt. Id modo adducam, quod anno MDCCLIII. tanquam Eques Baronettus, Archiatrorum Regis primus, Regiae Scientiarum Academiae, Collegiique medici regii Praeſes, anno fere aetatis ſuae centeſimo, ſeu, quod alii contendunt, nonageſimo tertio, nulla maſcula prole relicta, fato functus fuerit. Filiae eius duae, quarum natu maior Domini Stanleii vidua, natu minor autem ante dicti Comitis Cadogani coniux, haeredes fuerunt. Exequiae illi habitae fuere Chelſeae, ubi, inſigni cum pompa & ſplendido comitatu, corpus demortui in tumulum genti ſuae proprium delatum fuit; ſyrmata panni funebris a ſex Viris illuſtribus, duobus nimirum Baronibus, a famigeratiſſimo praefecto militum Ogletorpio, & a tribus Equitibus ducebantur. Ortus fuit *Iohannes* SLOANE ex antiqua gente Scotiae, quae ſedem ſibi fixam in Regno Hiberniae, eiusdemque civitate Kittelagh dicta, elegerat. Dignitatem Baronetti anno MDCCXVI. a Rege Georgio Imo impetravit, cui deinceps munus Archiatri annexum fuit. Quando in Commentariis Goettingenſibus aſſeritur, eum hac dignitate non po-

*q*) De Vita eius vid. Comment. Soc. Reg. Scient. Gœtting. T. IV. Part. ult. p. 147. Journal Britannique par Mr. MATY, Tom. X. p. 232. Comment. de rebus in Scient. nat. & Med. geſtis, Volum. II. p. 367.

potius ſuae familiae, quam toti Medicorum Ordini, honores ac inauditam eo usque intuliſſe nobilitatis famam tanto maiorem, quod ante illum nunquam in Britannia Medico contigiſſet, ut Baronettus creatus fuerit; notandum mihi venit, quod iam Angliae Rex Carolus II. Archiatrum ſuum, *Eduardum* GRAWES, antea in Collegio Mertonienſi, Oxoniae, Profeſſorem Medicinae primarium, Regisque Caroli I. in itinere Medicum, hac dignitate ornaverit. Quantumvis nomen illius in praedicto Baronettorum Catalogo Miegiano haud notatum reperiatur, dubio tamen prorſus vacat, illum hanc obtinuiſſe dignitatem: *Thomas* enim SMITH, in Vitis quorundam eruditiſſimorum ac illuſtrium virorum *r*), hunc *Eduardum* GRAWES, Collegii omnium animarum, & celeberrimi Collegii Medicorum Londinenſium Socium, Medicum Sereniſſimi Regis Caroli ordinarium, & dignitate Baronetti illuſtrem, appellitat, cuius elegantiſſima exſtat Oratio, in Collegio Londinenſi anno MDCLXI. die Harvaei memoriae dicato, habita, & IOECHERUS in Lexico biographico eruditorum univerſali, in delineata *Eduardi* GRAWES vita, eiusdem dignitatis Baronetti, mentionem facit; cuius aſſerti veritatem, ex *Antonii* WOOD Athenis Oxonienſibus, & WARDII Vitis Profeſſorum Collegii Greshamenſis, in Anglia editis, tanquam genuinis e fontibus hauſtam probat. His igitur teſtimoniis omnis rei ambiguitas aufertur. Praeter Iohannem Sloane recentiori aevo *Eduardus* HULSE, Medicinae Doctor, Medicus Regis, & Collegii Regii Medicorum Londinenſium Socius, pari modo dignitatem Equitis Baronetti adeptus fuit, cuius dignitatis titulo in Catalogo nominum Sociorum Collegii Regii Medicorum Londinenſium *s*) effertur. Nuperrime adhuc, & quidem in anno praeterito, Menſe Auguſto, *Vilelmus* DUNCAN de MA-

*r*) Londini. 1707. 4to. in Vita Ioh. Grawii p. 34.

*s*) Vid. Pharmacop. Colleg. Reg. Med. Lond. anno 1746. edit.

Marybone *t*), Medicinae Doctor, unus ex Archiatris Regiis, a Rege feliciter nunc regnante pari dignitate donabatur. Neque diffitebor, quod plures alii, tam ante tempus praedictum hoc nomine ac dignitate inclaruerint, quam & praeſenti aevo aequo honore fruantur, quorum forte nomina notitiam meam fugiunt. Baronem *Iohannem Ottonem de* Hellwig, Conſiliarium & Archiatrum Regis Daniae, Electoris Palatini & Ducis Saxo-Gothani Conſiliarium intimum, Profeſſorem Medicinae honorarium Academiae Heidelbergenſis, MDCXCVIII. mortuum, qui ſuis in Indiam Orientalem ſuſceptis itineribus, ſcriptisque variis in lucem miſſis, inclaruit, huic Equitum numero fortaſſis accenſere poſſumus. Teſtatur enim vitae ipſius curriculum *u*), quod Rex Angliae Carolus II. Baronis titulo eundem ornaverit. Cum nec in Anglia notus, neque ius & conditionem indigenarum Angliae obtinuit, dignitatem Baronis in Anglia uſitatam adipiſci non poterat; ſin vero & viris illuſtribus exterarum gentium Baronetti dignitas tribuitur, haec forte illa fuit, quam a Rege impetravit; ſiquidem in adducto vitae eius curriculo aſſeritur, quod a Rege quoque Eques Britannus creatus ſit. De celebri *Iohanne* Sloanio, qui ex omnium ſententia medicae Facultati multum famae paravit, duplex modo adhuc argumentum afferre lubet, quod in collectionibus meis hiſtorico-litterario-medicis ſervatur. Unum petitur ab eius imagine, in folio maiori, a pictore T. Murray delineata, & a I. Fabro anno MDCCXXVIII. aenea figura atroque colore expreſſa; alterum conſiſtit in numiſmate, a Daſſiero filio, latum temporis ſpatium in Anglia emenſo, olim excuſo, binas uncias & quartam unciae partem argentei ponderis continente. Hoc numiſma in altero latere faciem Sloanii, dextrorſum ſpectantem, & multa arte effictam, ſiſtit, corporis habitus veſtimento lar-

*t*) The Gentlemans Magazine for Auguſt. 1764. p. 399.

*u*) Vid. Eius Arcana maiora. Francof. 1712. in Praef. & Motschmanni Erford. litter. Vol. I. p. 137.

largiori, & caput amplo cucullo nocturno tegitur, inſcriptaque imagini verba ſequentia leguntur: *Hans Sloane, Eques Baronettus;* inferiori deinde in parte *A. Daſſier. F.* Inverſo in latere ſuperius encarpis, inferius decuſſatis ramis, e quercu arbore cum fructibus ornato adhaerentibus, legitur: *Praeſes Societatis Regiae Londinenſis MDCCXLIV.*

## §. XXI.

Omnes fere Scriptores *x*), qui de Equitum creatione & inauguratione memoriae aliquid prodidere, notant, uſitatum antiquo tempore fuiſſe ſolennitatem, cum Equites crearentur, ut Candidatis armigeris, balnei uſu, barbaeque tonſura, veſpera, vel nocte actum ſolennem creationis praecedente, opus fuerit; ritus, qui in Gallia, Hiſpania, Italia, & ſpeciatim in Anglia, valde obtinuerunt. Eadem ſolennitas in Regno Angliae iam dudum ante tempora Henrici IV. viguit, ac licet huic Regi, ipſa inſtitutio atque diſpoſitio equeſtris amictus *Equitum de Balneo* tribuatur; Autores tamen magnae famae *y*) teſtimoniis haud reiiciendis probarunt, quod iam tempore Henrici II. Iohannis I. illorumque ſucceſſorum, *Equites de Balneo* creati fuerint, quorum veſtitus, iusiurandum, caeteraeque in actu creationis uſitatae ſolennitates, cum iis omnibus conveniunt, quae tem-

*x*) E. gr. SELDENUS de Tit. honor. Part. II. Cap. IV. §. VIII. & varii ibi cit. Hiſtorici Hiſpani. *Du* FRESNE in Gloſſario, voce *Miles*, Tom. II. p. 538. ſeqq. P. DANIEL Hiſt. de la Milice Franc. Tom. I. p. 99. *Franc.* REDI in Annotat. ad Baccho in Toſcana Operum Tom. III. pag. 205. ſeqq. MENENIUS l. c. p. 10. ſeqq.

*y*) *Petrus* BLESENSIS Epiſt. 94. *Ioh.* SALISBURIENSIS de Nugis curialium. Lib. VI. X. SELDENUS lib. cit. Part. II. Cap. V. §. 35. *I. C.* DITHMARI Comment. de Honoratiſſimo Ordine militari de Balneo. Francof. ad Viadr. 1729. fol. pag. 12. ſeqq.

tempore Regis Henrici IV. anno MCCCXCIX. cognitae fuere. Iſtae quoque ſolennitates in recentioribus huius Ordinis Statutis de anno MDCCXXV. definitae, & maximam partem ſervatae ſunt. Tradunt & illi Autores, qui de antiquitatibus aeque ac ritu Ordinis ſolide elaborata ſcripta reliquerunt, quod iam aevo antiquiori Equites rubro ligamento, humeris ſuperſtrato, & ſtella ſerica coerulea acu picta, e qua tres coronae aureae nitebant, diſtincti fuerint. Equitum numerus alio tempore non certus, ſed pro lubitu definitus fuit, acciditque ſaepenumero, ut in ſolenni Equitum creatione triginta, quadraginta, quandoque & quinquaginta Equites uno actu crearentur, qui ex minori aeque ac maiori nobilium ordine hunc in numerum ſuſcipiebantur. Ex Equitibus de Balneo huc referendis, locum ſibi merito vendicat *Iohannes* STAVELIUS z), de quo commemoratur, quod Oxoniae anno MDCXLII. d. XVI. Ian. Magiſtri artium, eodemque anno d. nimirum XXXI. Ian. Medicinae Doctoris gradum conſequutus fuerit. Fuit e gente Staveliorum a Seculo undecimo in Sommerſetia inclyta. De eruditione eius in arte medica plura fortaſſis adducere poſſem ex *Antonii* WOODII Athenis Oxonienſibus, ſi huius libri copia mihi facta eſſet; in quo vitae Stavelianae curriculum contineri aiunt. Adeoque certo affirmare nequeo, num Doctoris titulo ob acquiſitam eruditionem in arte medica, an modo honoris cauſa, potitus fuerit. Interea de illo conſtat, quod Regi Carolo I. in lite infelici cum regni Angliae Curia ſuprema, tam fida officia praeſtiterit, ut & ſuis ipſius ſumtibus, in huius auxilium, copias paraſſe tradatur: quae vero fides Regi praeſtita, cum Proceres, qui a Regis partibus ſteterant, ſuccubuerunt, illum non tantum maxima opum ſuarum parte, verum & libertate ipſaque vita fere privaſſet. Nihilo tamen ſecius fidus Regi Socius man-

z) MATTHIAE Conſpect. chronolog. hiſtor. med. p. 632. *Allgemeines Hiſtoriſches Lexicon* cum praef. BUDDEI, voce: *Stawel.*

manſit, obiitque anno MDCLXI. d. XXI. Febr. cum iam ſexageſimum ſecundum aetatis ſuae annum attigiſſet, annoque mortis ſuae articulum praecedente, ea fortuna adhuc delectatus fuit, ut Regem Angliae Carolum II. ſolium regium conſcendere videret. Filius illius, Rudolphus Stavelius, qui patris exemplo, quacunque occaſione naſcente, ſingularem parti regiae fidem ſervaverat, ea gaudebat felicitate, ut a Rege Carolo II. anno MDCLXXXI. d. x. Ian. titulo Baronis Stavelii de Somerton ac Paris Angliae honoraretur. Quo anno antedictus *Iohannes* STAVELIUS Eques factus ſit, affirmare haud valeo, cum diverſi hoc nomine ac praenomine inſigniti, Equitum in Indice reperiantur. Dubio interim prorſus vacat, tempore Caroli I. ſceptrum imperii tenentis, haec accidiſſe. Reſtauravit Ordinem de Balneo Rex Georgius I. anno MDCCXXV. eumque ſplendidiorem reddidit, eiusque Statuta adauxit, in quibus inter alia ſancitum fuit, ut Ordo iſte, Rege & uno Principum ex Regis filiis, qui Dux Cumberlandiae tempore praeſenti adhuc audit, non computato, triginta quinque Equites, & Magiſtrum Ordinis generalem contineret, ea nimirum lege, ut idem numerus Equitum nullo unquam tempore adaugeretur. Praeter diverſas ſolennitates, veſtimentorum ac rituum genera, in Statutis definita, Ordinis inſigne, laeva in parte veſtis conſpicuum, tribus coronis regiis, in area aurea explicatur, cum emblemate huius Ordinis, circulo coloris rubri inſcripto; e circulo, tanquam ex centro, ſplendor, ſeu octo radii argentei prodeunt, qui ſeſe extendunt. Inſuper & Equites taenia rubra induuntur, quae oblique ab humero dextro ad latus ſiniſtrum deflectit, cuique inſigne huius Ordinis affixum eſt, quod a ſiniſtro latere pendet. Vetuſtiſſimum Ordinis emblema eſt: *Tria iuncta in uno.* Quae verba rubro circulo, ut notavimus, inſcripta ſunt. Ad Equitum Ordinis dignitatem adſpirare poſſunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, & etiam infra dignitatem Parium Regni, ex generoſa ſtirpe prognati. Nam eodem tem-

pore, quo Ordo reſtaurabatur, ſcilicet anno MDCCXXV. & Equitum numerus certus conſtituebatur, multi e Baronettis, eorumque filii natu maiores, aliique ex inferiore nobilium ordine, in illum adoptabantur. Primus Magiſter Ordinis generalis, §. XVII. iam nominatus, Dux *Iohannes de Montague*, conſtitutus fuit, eademque cauſa, quae eius mentionem loco ſuperiori facere me impulit, & hoc loco illum non negligere merito ſuadet. Eodem tempore Dux *Carolus Lenox* inter Equites Ordinis de Balneo primus Eques, ſtatim poſt Ordinis magiſtrum generalem, receptus eſt. Vi Statutorum ſeptem quoque Ordinis miniſtri adhibendi ſunt: nimirum Decanus, Genealogiſta, Rex armorum, Regiſtrator, Secretarius, generoſus Apparitor, & Tabularius, quorum amictus & ſigna honoris externa, in dictis Statutis definiuntur. Quoniam vero non apparet, num & Medici, horum in numero huc referendi, reperiantur, evitandae omnis prolixitatis gratia, de iſtis plane tacebo.

Licet, hanc Commentationem elaboraturus, Equeſtres Ordines ſecundum originis & inſtituti antiquitatem, recenſendi animus fuerit, tamen, occaſione Ordinis Sti Michaëlis, reliquos ſimul Ordines gallicos, aetate minores, conſignavi; neque primum, quem elegi, ordinem, in commemoratione illos ſequentium, commode ſervare potui. Cum iam de Ordinibus anglicis tractandi materia pro argumento ſit, praeter Ordinem Periſcelidis & Equitum de Balneo, Equites Baronettos in praecedente §. memini. Quae vero de Anglorum Equitibus auratis, Baccalaureis & Armigeris dicenda ſunt, inferius debito loco tradam.

## §. XXII.

Cum Ordinum equeſtrium ſplendor in aulis Principum, ſecundum §. IV. quam maxime fulget; in *Suecia* vero varii Ordines equeſtres antiquo tempore floruerunt, qui tempore ſequenti ſenſim evanuerant: eadem haec cauſa Regem Sueciae

beatiſſimae memoriae, Fridericum primum, praecipue movit, ut ſuaſu Sereniſſimi eius in Regno Succeſſoris, nunc vero quam feliciſſime regnantis Regis Friderici Adolphi, & Auguſtiſſimae eius Coniugis, Louiſae Ulricae, anno MDCCXLVIII. tres Ordines equeſtres denuo inſtituerentur.

Primus inter hos, nimirum *Ordo Seraphinorum*, ſolis Regibus atque Principibus, in ſignum amicitiae & cultus, ut & Supremis Coronae ac belli Miniſtris, quo a ceteris diſtingui poſſint, in praemium fidei & integritatis, ac in honoris ſignum datur. *Ordo militaris Gladii* iis, qui bello inclaruerunt, pro ſingulari virtutis ſigno & praemio tribuitur. Cum Rex Sueciae, Adolphus Fridericus, pariter ac Auguſtiſſima thori regii ſocia, optimarum artium ſtudio, & omnibus regio ſolio digniſſimis ſcientiis ornati ſunt, nec non haud pauci ex ſapientiſſimis Regni Senatoribus palmam eruditiſſimis viris praeripiunt; inde aliter fieri non potuit, quam ut artes & ſcientiae, in Regno Sueciae, ſummo in pretio habeantur. Summi itaque imperantes, ob praeclaram & ſingularem in omni ſcientiarum & artium genere, cognitionem, non ſolum ingeniorum vires, in quacunque eruditionis parte, aeſtimare poſſunt, ſed ſimul, ob propenſum erga bene meritos ſubditos animum, non ſatis laudandum, etiam eos iuſtis praemiis condecorari cogitarunt. Ex tam generoſa regiae magnanimitatis altitudine factum eſt, ut eo tempore & tertium nobile Ordinis equeſtris genus ſancirent, *de Stella polari* dictum, illis quoque Viris tribuendum, qui nobilitatis quidem genere haud conſpicui, meritis tamen ſingularibus inclaruere. Meretur itaque hic Ordo, tanquam verum regiae gratiae & indolis ſignum, feliciſſimumque iudicium Patriae Patris munificentiſſimi, in Eruditos ac Subditos bene meritos, ut tanto magis hoc loco adducatur. Signum Ordinis eſt alba & in extremitatibus fiſſa crux, regia ſub corona nitens. Sub cruce globulus coeruleus, affixa cum Stella ſeptentrionali quinquangulari, ſuperaddita inſcriptione: *Neſcit occaſum.* Inſtitu-

tionis ex lege, numerus Equitum huius Ordinis viginti quatuor maior haud eſſe debebat; deinde vero in numerum vigeſimum octavum usque, & maiorem excrevit, Praefectis Ordinis ſive Commendatoribus haud computatis, quorum numerus ad viginti duo usque extenſus fuit. Praefecti crucem ab atro ligamento pendentem ſupra deſcriptam in collo gerunt, ſtellamque acu pictam in pectoris una parte, Equites vero ſolam crucem cum ligamento nigro, collo circumdatam, pro ornamento habent. Rex Sueciae ſingulis tribus Ordinibus omni tempore tanquam Supremus Magiſter praeſidet. Rex Fridericus cum Ordines Gladii & Stellae polaris inauguraret, ad augendum Ordinum ſplendorem, convocato Regni Senatu, ſe ipſum d. xxv. Aprilis MDCCXLVIII. binorum Ordinum ſignis omni dignitate & ſplendore ornavit; Sereniſſimo deinde Succeſſori in Regno, eiusque Filio, Principi Guſtavo, aequo modo tribuit, nec non Ordinum Commendatores & Equites ſolenni ritu creavit. Singuli Equites origine Sueci, anteaquam Ordine Seraphino potiantur, Ordinibus Gladii & Stellae polaris iamiam induti eſſe debent; e contrario omnes quoque Equites Ordinis Seraphini, Suecorum e gente prognati, reliquorum binorum ſimul Praefecti ſive Commendatores audiunt. Prima dies, feſtivis inſtituti Ordinis Seraphinorum ſolennitatibus dicata, d. xxviii. Aprilis eiusdem anni, tanquam dies natalis regius indictus quidem fuit; ſed cum eadem dies ſimul Dominica cum die miſcebatur, die vigeſimo nono dicti menſis, Holmiae magna cum pompa inſtituti Ordinis ſolennia fiebant; & Seraphini Ordinis Commendatores & Equites denominati, omni apparatu regiae magnificentiae in hunc Ordinem cooptabantur.

Cum inter Suecos nativos non exigua pars eorum fuit, qui in arte medica inclaruerunt, conſtat, & nonnullos ex horum numero, Ordine Stellae ſeptentrionalis prae caeteris ornatos fuiſſe. Celeberrimus ille Archiater, *Carolus* LINNAEUS, Pro-

Profeſſor Medicinae Vpſalienſis, Membrum Academiarum famoſiſſimarum, atque Societatum doctiſſimarum in omnibus Europae partibus, qui non tantum opera, quam ſtudio Hiſtoriae naturalis Regni Suecici impendit, ſed & in genere de arte Botanica optime meruit, & cuius nomen in ſingulis terrae partibus celebratur, anno MDCCLIII. die XXVIII. menſis Aprilis, tanquam Ordinis die, hoc munere inſignitus fuit. Neque minus Perilluſtris & celeberrimus *Nicolaus* ROSEN, Medicinae Doctor, antea Profeſſor Anatomiae & Medicinae Vpſalienſis, nunc vero Sereniſſimi ac Potentiſſimi Suecorum Regis Archiater, non ſolum anno huius Seculi quinquageſimo ſexto, a Sereniſſimo Rege ſuo, in nobilium Imperii Ordinem ſuſceptus, eodemque anno ab Illuſtriſſimis Regni Ordinibus Archiater Imperii Suecici, & Regiorum Archiatrorum Comes, conſtitutus eſt, ſed in honoris complementum, & virtutis praemium *a)* anno Seculi quinquageſimo octavo, Eques Ordinis Stellae polaris creatus eſt. Cum Vir Perilluſtris & generoſiſſimus, iam vera meritorum laude conſpicuus, nec elogio, vel titulo, neque inſignibus nobilitatis acquiſitae hactenus uteretur *b)*, honos iſte ipſi nuper denuo confirmatus eſt, adeo ut Sereniſſimo Regi ipſi, ornamentum & nominis & inſignium eligere placuerit. Appellatur is itaque nunc ROSEN a ROSENSTEIN. Inſignia vero, quibus utitur, haec ſunt: Lapis ad monumenti ſimilitudinem formatus, coronam regiam ferens, roſaque ſpinoſa in quovis latere comitatus. Occaſionem huic emblemati praebuit lapis, iuſſu Sereniſſimae Sueciae Reginae, Louiſae Vlricae, ad fontem Soterium Locka poſitus, quo poſteri doceantur, illum huic fonti contigiſſe honorem, ut Rex, qui diu ac vehementer cepha-

*a)* Vid. Götting. Gel. Anzeigen 1758. n. 37. BOERNERS *Nachricht, von ietzlebenden berühmten Aerzten. III. Band. p. 769. 780.*

*b)* Vid. Comment. de Reb. in Scient. nat. & Medic. geſtis Vol. X. P. IV. p. 723.

cephalalgia laboraverat, aquae huius & ſedimenti uſu ſanatus fuiſſet.

Cum doctos in hac Commentatione Medicos recenſendo, nonnunquam & de Nummis, in illorum honorem cuſis, quaedam ſubieci, duplex me ratio movet, cur nummum tacere nequeam, in honorem celeberrimi Domini Linnaei, cum Signo Ordinis Stellae polaris, excuſum; eam nimirum ob cauſam, quod partim dignitas equeſtris huic Viro tributa, magnaque illius in Regnum Suecicum merita, huic inſtituto anſam dederint; partim quod eadem ipſa moneta inſigni raritate ſua notanda venit, cum exiguus ſaltem numerus ſpecierum argentearum aeque ac aerearum, typo disrupto, parari potuerit. Nonnullis abhinc annis de nanciſcendo hoc nummo multum laboravi, ut collectionem meam numiſmaticam tanto abſolutiorem redderem. Haec collectio, tempore praeſenti, centum & quinquaginta Nummis medicis recentioris aevi numeroſior eſt; illos tantum nummos intelligo, qui Medicorum imagines exhibent, exceptis inſuper illis, in quibus nudum nomen Medicorum legitur, vel ſingularia fata medica, morbi, aliaque notantur; a quibus adhuc ſeparo nummos antiquos, quos ad illuſtrandam Hiſtoriam medicam ſervo. Magnus quidam Praefectus ac Comes, ex ſingulari gratia & favore erga me, hunc celeberrimi Linnaei nummum in patria ſua ſumma quidem opera quaeſivit; aſt ob inſignem illius raritatem, omni licet lapide moto, idem haberi non potuit, donec celebris ille, nec minus ſolide eruditus Chymicus, *C. F. Meyer*, Sedinenſis, cui ego huius ſcrutinii ſpartam detuleram, ac qui per intervallum biennale, Carlscronae atque Vpſaliae moratus eſt, & in poſteriore loco magni Linnaei, clariſſimique Aurivillii praeceptis ſalutaribus erudiebatur, unum adhuc exemplar huius nummi invenit, meaeque collectioni addidit. Inclytus iſte ac doctiſſimus Academiae Regiae Scientiarum Suecicae Secretarius, ac Eques Stellae polaris, Dominus *Petrus* Wargentin, cuius eruditae

Diſ-

Diſſertationes ſcriptis dictae Academiae, in toto terrarum orbe celebratae, ſingulari ornamento ſunt, clariſſimo *Meyero* & mihi adeo favebat, ut unicum ſuum, quod tantum poſſidebat, exemplar, ipſi daret, cuius facti ex inſtituto meminiſſe iuvat, quo benignum Suecorum eruditorum animum digna eademque publica laude praedicandi, gratique mei animi monumentum addendi, occaſio mihi naſcatur. Latus iſtud, quod imaginem in praeſtantiſſimo hoc & tam belle excuſo nummo oſtendit, effigiem celeberrimi Linnaei, ad pectoris partem usque abſolutam, cum cruce equeſtri a pectore demiſſa, repraeſentat, hisce verbis inſcriptam: *C. Linnaeus Equ. Aur. Archiat. & Pr. Vpſ.* Inferiori in parte litterae *D. F.* conſpiciuntur. In dorſo tres coronae regiae, illo modo poſitae, in conſpectum dantur, quo in ipſis Regni Suecici inſignibus fulgent, eo tamen diſcrimine, ut in prima eaque ſuperiori corona, diverſa animalia, ut aquila, leo, balaena; in ſecunda ſuperiori, plantae varii generis, & in tertia inferiori corona, mineralia ac foſſilia ſimul oculis occurrant. Tres iſtae coronae deſuper radiis illuſtrantur, cui emblemati unicum additur verbum: Illuſtrat. Nummus praeclarae mentis & artis opus eſt, ipſeque luſus allegoricus iis, quos magna Archiatri Linnaei merita, tam in explicando naturae regno ampliſſimo, quam in peculiari Hiſtoriae naturalis Suecicae argumento, haud plane fugiunt, non niſi inventum ab acutiſſimo ingenio natum apparet, cuius auctor doctus ille Conſiliarius, *Carolus Reinhardus* Berch, rerum antiquarum in cognitione verſatiſſimus interpres, fuiſſe dicitur. Nummi typos, politiſſima arte, diſcipulus praeclari Hedlingeri, celebris David Fehrmann, perfecit, qui iam anno MDCCXLVI. alium nummum ſimilis magnitudinis, docti huius Viri gratia, compoſuit, qui orbi erudito magis innotuit, cum in Koehleri *Deliciis numiſmaticis Tom. XVIII. p.* 25. aeque ac in *Muſeo Mazzuchelliano Tom. II. p.* 348. *Tab. CLXXXVI. No. IV.* aeri inciſus reperiatur, & uterque

locus illius deſcriptionem largiatur. Anteaquam huic §. de Medicis in Regno Sueciae equeſtri dignitate ornatis, colophonem imponam, omittere non valeo, quod & in Regnis ſeptentrionalibus clarorum Medicorum poſteris ſingularis honor habitus, iidemque ſaepius equeſtri Ordine potiti ſint. E catalogo enim Equitum Ordinis Suecici, *Guſtavus Adolphus* Baro *de* HIAERNE, item Legatus *Thuro Guſtavus* RUDBECK tanquam Praefectus Ordinis gladiati *c*) orbi innotuerunt; imo horum prior, non ita pridem, ni fallor MDCCLXIII. magno Ordine Seraphinorum condecoratus eſt. Iam diu quoque ante haec tempora, in numero Equitum, Ordinis Dannebrogici *d*) aliquem invenimus *Caſparum* BARTHOLINUM, nepotem talium virorum, quorum nomen nequidem tiro rei litterariae medicae facile ignorat.

*c*) Vid. *Genealog. Archivar.* 1764. p. 24. p. 33.

*d*) Vid. *Genealog. Archivar.* 1734. p. 450.

Ora-

# ORATIO INAUGURALIS
pro
ingreſſu in Collegium illuſtre
Naturae Curioſorum in Germania,
qua ſimul penſum ſolvitur
de

# TERRA MIRACULOSA SAXONICA AN STEATITES SIT?

per

IULIUM ERNESTUM de SCHÜTZ
Equitem & Academicum Curioſum
dictum
PHILOMETOREM,
Haereditar. in Erdmannsdorff &c. Regio-Electoralium Saxonicarum Praefecturarum, Auguſtoburgi & Frankenbergae, Capitaneum praepoſitum.

§. I.

Praeripit Saxonia Electoralis multis aliis regionibus palmam quam feliciſſime, & inter plurima alia benigniſſimae matris, Naturae, dona, magna aeris vi, in omni genere, abunde eminet & affatim ſatisfacit. Ne tamen aliquis ſententiam noſtram in dubitationem adducat, vos omnes compello rerum Mineralium & officinarum metallorum peritos, & teſtes conſtituo locupletiſſimos certiſſimosque: Annon incredibilem, cum terrarum Saxonicarum varietatem adſpicitis, laetitiam exinde capere ſoleatis? Annon tam innumeri & variando delectantes, nobilium ignobiliumque lapidum theſauri & marmorum apparatus, quem quidem in Italia Plinius, ob veſanam luxuriam, quae ſuo tempore inde orta eſt, praecipuam morum inſaniam ſalutavit, vos in iucundam admirationem rapere poſſint? Non dubito fore. Quodſi vero dubitetis, ad illos, qui in pingendi arte clare excellunt, aut eius ſubtilitatem exercent, provocabo. Illi ſunt, qui teſtimonia perhibent publica, ubicunque in terris Saxonicis varie reperta pigmenta, ad imagines aliasque picturas effingendas pulchre idonea, offendunt. Alia quidem adhuc ſatis firma adſunt demonſtrationum argumenta; ſed ad ſpecialiora quaedam progredior teſtimonia. Margae & Lithomargae divitias, quis quaeſo eſt, rerum naturalium amator, qui neſciat? Si enim opus illud ſplendidiſſimum Excellentiſſimi Profeſſoris Lipſienſis, Dn. D. Ludwigii, evolvimus, inſignes ille & magnificas collectiones, quae Dresdae in Muſeo Regio cuſtodiuntur, exactius deſcripſit & aere depingi curavit, ut uno conſpectu quam mirabilia & admirabilia lapidum, terrarum & aliorum mineralium genera, ibidem comprehendamus. Tranſeo auſus & conamina, quae quidam Frenzelius, Lapidum

dum apud Chemnicenſes Inſpector diligentiſſimus, nutu & iuſſu Regio in variis terrarum generibus eruendis, ſudavit & auxit, ut in poſterum etiam perſcrutatione & deſcriptione aliqua practica haud immerito digna habeantur.

§. II.

Excitavit tamen nulla inter terras Saxonicas, avidis rerum naturalium collectoribus, maiorem admirationem atque cupiditatem, quam illa, absque dubitatione, propter verſicolores maculas ſic dicta, *Terra miraculoſa Saxonica;* cuius varii colores, ſi CARDANUM *a)* ſequimur, ex mente ARISTOTELIS & THEOPHRASTI, ab exhalatione metallorum & caloris varietate ſunt: nam modo ſub ea metallica inveniuntur & terra exhalatione tingitur: modo nihil; & haec a ſolo calore. Verum, quae ab exhalatione tingitur, quaſi ſplendet: quae ſolo calore, non ſplendet, & colorem habet obſcurum, aut ferreum, aut nigrum. Primus vero auctor, qui rara & varia huius terrae ſtrata, forte & felici fortuna in Saxonia reperit, fuit *Chriſtianus* RICHTER, Schneebergenſis Regius Gemmarum Inſpector; quippe qui parvis ex illa tabulis, diverſa magnitudine paratis, minus tamen lucide expolitis, colores, ſtudio in lucem editos, in quadam deſcriptione publici iuris fecit, & exactis ſculpturis gemmarumque Amethyſti, Smaragdi, Sapphiri, aliarumque nominibus, depinxit & inſignivit. Quam deinde, huius terrae miraculoſae collectionem, Regia mineralium Domus Dresdae, mortuo auctore & inventore, gratioſiſſime & clementiſſime excepit: ipſa vero brevior deſcriptio, additis illuminatis imaginibus, ſub titulo: *Saxoniae Electoralis Miraculoſa Terra,* in lucem publice prodiit.

§. III.

*a)* De Subtilitate Libr. II. de Element.

§. III.

Localis miraculoſae huius terrae patria, cum per longa temporis ſpatia obſcura iaceret, nec a ſagaciſſimis naturae conſultis reperiunda eſſet, vel tantum minimam eiusdem particulam, magno pretio venundandi occaſio daretur: O! ſane quantis exultarunt gaudiis, quibus incederunt laetitiis, cum viſcera terrae luſtrantes illam reperirent & manifeſtarent? Equidem hominibus invidioſis, & qui id, quod in foecundo naturae gremio per inexplebile ſtudium & indefeſſum laborem acquiritur, occultant aut diſſimulant, album calculum ſemper addere nequeo, quamquam ſimilem interdum ob cauſam non mediocrem in animo meo voluptatem capio: quando non raro viliora occulta magni aeſtumantur, & quae quotidie cernimus, contemnuntur, nec obſervatione digna habentur; vileſcunt enim, quae omnibus cognita ſunt, etſi pretioſa ſint: ut hinc etiam Cicero *b*) ſapienter ſcripſerit: *Conſuetudine oculorum aſſveſcunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas ſemper vident.* Attamen laudandi ſunt Naturae Curioſi, indefeſſam operam navantes, quo ex abditis & occultis terrarum latebris Terram miraculoſam Saxonicam emerent, & in obſcura eius patriae loca inveſtigarent ſolertius. Quoties autem cunque plures Eruditorum opiniones de eius origine & natali loco in animo perpendimus, toties etiam cunque variis eosdem conjecturis aberraſſe ſentimus; multum enim Phyſici inter ſe certant, & adhuc, ut vulgo fari ſolent, ſub iudice lis eſt, cuiusnam praecipue auctoris ſententia veritati propior ſit? Qua tamen in re ne unius tantum parti inhaereamus, Lectorem benevolum inprimis ad Librum, quem §. I. excitavimus, deinde ad alia in hoc genere erudite elaborata ſcripta relegabo. Ita Auctor magnificus loco citato *c*), titulo Lithomargae, eloquitur:

„ No-

*b*) De Natura Deorum Lib. II. c. 39.

*c*) Terrae Muſei Regii Dresdenſis deſcriptae, a D. *C. G.* Ludwig Lipſiae ex officina Gleditſchii. A. O. R. M.DCC.XLIX.

„Nobis nunc in fine tractationis de terris dubiis conſtitutis, ul-
„timae imprimis glebae, pauca tantum de terra miraculoſa
„Saxoniae dicta differendi commodam praebent occaſionem.
„De hac terra peculiarem *Chriſtianus* RICHTERUS, (Saxoniae
„Electoralis Miraculoſa Terra, *oder des weltberühmten Churſach-*
„*ſens bewundernswürdige Erde, wie ſelbige durch Gottes Gnade und*
„*verliehenen Bergwercks-Verſtand auch unermüdeten Fleiß entdecket*
„*worden. Schneeberg* 1732. 4*to*.) edidit libellum, & omnes in eo
„delineatas & vivis coloribus depictas glebas, ſimul cum aliis,
„nitide praeparatis & politis, in Regium Muſeum depoſuit,
„quae non ultimum inter collectas terras merentur locum.
„Ipſae tamen hae glebae cum ſola tantum colorum diverſitate
„ſeſe commendent, ampliorem noſtram deſcriptionem exigere
„vix videntur, inprimis cum ante nominatus auctor eas iam
„ſtudioſe ſatis deſcripſerit, & varios gemmarum colores ipſis
„attribuerit.“ Quo vero eo melius pateſcat, quamnam de his terrarum opinionem fovent, ipſa eius in Praefatione expoſita verba proferre liceat: „*Es iſt dieſe Erde eine Generation von der*
„*gemeinen Erde, die ebenfalls, durch die Influenz der unterirdiſchen*
„*ſubtilen mineraliſchen Waſſer, vermittelſt des unterirrdiſchen Feuers*
„*coaguliret und generiret wird, auch ſich als eine Mutter zeiget, wor-*
„*aus endlich ein compactes Weſen, entweder ein Marmor, oder Edel-*
„*geſtein, mit der Zeit zu hoffen, maßen die Illumination, und die in*
„*natura vorhandene Stücke ſolches theils zeigen, theils der Edelgeſteine*
„*und Marmor Kläre und deutliche Farben an den Tag legen.*“ Nos vero hiſce momentis in omnibus aſſentiri non poſſumus; ſola namque haec in Lithomargas induratio ſatis clare nondum oſtendit, quousque marmoream, ne dicam gemmarum duritiem, tractu temporis, & cooperantibus ſubterraneis cauſis, hae terrae acquirere poſſint? Licet enim alia ſubterranea Saxoniae loca non contemnendum lapidum pretioſorum, qui omnes in Regio aſſervantur Muſeo, apparatum prodiderint, & his adhuc temporibus oſtendant, qui ſane ulteriorem exigit naturae inda-

daga-

dagatorum disquiſitionem; num tamen haec ipſa miraculoſa dicta terra, eodem, ut alii, modo ſit comparata, ut praedicatas de ea ſubire queat mutationes, me quidem, cum res ipſa experientia uberiori comprobata non ſit, ignorare profiteor. Sufficiet itaque, ut pro operis noſtri ratione, in ſimplici huius terrae, quam dedimus, enumeratione acquieſcamus.

Ad hiſtoriam huius terrae quod ſpectat, primus quidem, qui eam invenit, locum, in quo reperiatur, ſtudioſe celavit; ulterior tamen naturae curioſorum disquiſitio illum detexit. Multi vero erroneam habuerunt opinionem, hanc terrarum ſpeciem in marmoris potiſſimum lapicidinis, in Praefecturis, Zwickavienſi & Wieſenburgenſi, ſitis, Wildenfeldenſi, Kalckgrunenſi, Schoenavienſi, nec non ad pagos Chausdorff & Planitz deprehendi, atque ad marmora ſic dicta ſerpentina polienda commode adhiberi poſſe.

## §. IV.

Si Muſei illius Richteriani, Lipſienſis, auctorem conſulo, ille hanc noſtram terram miraculoſam non niſi in eo tractu, quo marmora fodiuntur, nempe Wildenfeldenſi, ſitam & abſconditam eſſe narrat: Verum tamen vero SCHULZIUS quidam, Medicinae Baccalaureus & Practicus in regia Vrbe Dresdenſi haud incelebris, & qui iam dudum editis ſcriptis, naturam excutientibus, clarus eſt, paulo accuratius Terrae noſtrae locum natalem inveſtigavit & perſcrutatus eſt *d*), haec in verba erumpens: „Qui terram miraculoſam primus in medium protulit auctor, „eius ſolum natale ita celaverat, ut neque vivente illo, neque „diu poſt mortem eius in apricum poni potuerit; usque tan„dem aliquot abhinc annis circa Planitium, prope Zwickaviam, „in

*d*) *Neue Geſellſchafftliche Erzählungen für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungs-Wiſſenſchafft, &c. Zweyter Theil,* p. 266.

„in praedio iudiciali per quaedam ſtrata terrae, vel magis in ve-„nis, reperiretur.“ Cui ſententiae id pace auctoris ſubiiciam, hanc noſtram terram non in ſtratis (*Flötzen*) ſed potius in anguſtis venis, in terrarum planitiem ſe extendentibus, cognito loco progredi, quemadmodum FRENZELIUM ſupra laudatum in teſtimonium provocare poſſum, qui mihi praeſenti regionem & venas has ad oculos demonſtravit.

## §. V.

Quanquam igitur arbitrio b. RICHTERI Schneebergenſis, id indulgendum largiar, ut rem a ſe primo detectam, arbitrario etiam nomine inſigniret, & materiam noſtram ſubſtratam, *Terrae* titulo ornaret: potiore tamen iure eandem ad lapidum claſſem referendam eſſe arbitror. Phyſicorum enim principia ſubtilius introſpicientes, invenimus, quod omnes una ſimulque datae, relatae & determinatae notiones primae & ſecundae, de Terrarum & Lapidum differentiis, ita comparatae ſint, ut non poſſint non diſcrimen aliquod ſpecificum, quod utraque concreta diſtinguit, pati. Plura rationum momenta in ſequentibus dabimus, ut hanc noſtram confirmemus ſententiam: antea vero RICHTERI deſcriptionem ſententiamque, propriis conceptam verbis, ſed ex germano idiomate in latinum translatam, communem faciamus oportet, quo poſtea exinde oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant.

Iam quidem Auctoris inſtituti ratio poſtularet, ut de origine & generatione huius miraculoſae terrae prolixiorem paulo & magis fundatam notitiam traderet; verum tamen, cum ſe ipſum nec eruditum, nec Phyſicum eſſe, liberius profiteatur, veniam hac ex cauſa benevolum lectorem eidem conceſſurum eſſe ſperat. Interim pro iudicii ſui modulo, in hiſce ſymbolas ſuas colligit: Hanc quidem Terram ex terra univerſali primigenita oriri, colorum vero productionem pari ratione & modo fieri, ſicuti in lapidibus nobilioribus ſive gemmis, aliisque

me-

metallis naſci ſolent. Quippe quae omnia concreta ſubterranea, ex ſententia PLATONIS, per animam mundi, & mentem divinam, vel per certam & communem aliquam virtutem vivificam & ſpiritualem, ex aſtris coeleſtibus ortam, in mundo, & ſingulis eiusdem partibus, divina vi perfici, & ad uniformem effectum ortumque novorum colorum in materiam & formam influere & gigni credidit, ad ſimilitudinem, quam Profeſſor ille Anglus, *Thomas* NICOLS, in Opella ſua *de Lapidibus pretioſis, p. m.* 5. 6. & 7. curioſius propoſuit: cui tamen terrae noſtrae a miraculo nominatae, ipſae aquae ſubterraneae calorque ſubterraneus, non parum conferunt. Vt taceam, QUERCETANUM originem tam multorum colorum energiae ſalis ammoniaci, tanquam natura ſpirituoſiſſimi & vivificantis ſalis, tribuiſſe. Pariter alios ſtatuere, omnes & ſingulos colores ex duobus coloribus naturalibus, albo nimirum & nigro, oriundos eſſe, ſive ex luce & tenebris, quam in rem exemplum Iridis allegant, in qua, ex varia lucis & tenebrarum commixtione, quamplurim colores producerentur. *Robertus* BOYLEUS ſcripſit: omnes colores externum eſſe ornamentum, quod Deus creaturis pro diſtinctione indidiſſet, & quod ii colores ex ſpecifico cuiuslibet ſemine generarentur, & exinde forma externa exiret, & quod ſal ammoniacum ceu naturae optimae balſamum, plurimum tribueret. Atque ad hanc ſententiam auctor terrae miraculoſae, ex intellectu a Deo eidem conceſſo, accedit, & ſicuti eandem terram ſtudioſius obſervavit, ita plenarie exiſtimat, tam ſituationem montanam, quam tempeſtatum rationem, variaque imbrium & pluviarum genera, in eius naſcentiam & originem conſentire.

## §. VI.

His quidem ipſis, quae RICHTERUS noſter Schneebergenſis hactenus peroravit, & in maiorem adhuc campum extendit, valorem nullo modo demtum eſſe volumus, ſed potius conce-

damus licet, ut ſuo quisque ſenſu abundet: attamen vero, priusquam terram noſtram miraculoſam, argumentorum pondere convicti, inter lapides numeramus, neceſſe erit, ut ſomnia eorum, qui ſibi, terras & lapides non niſi ſynonyma eſſe, imaginantur, diſcutiamus. Haec enim doctrina falſa & erronea eſt, neque, ut exiſtimo, ullo rationis ſenſu ferenda, niſi omnia & ſingula concreta naturalia & creaturas ipſas confundere velis atque permiſcere. Si enim iſta hypotheſis tam abſolute accipienda eſſet, merito ſane huc usque allegata verba, ex RICHTERO translata, nulla eſſent, aut a noſtro ſcopo longe aliena. Aptant profecto iſti novatores quadrata rotundis, neque minus inter phyſica quam chymica principia diſcernunt. Sed quomodo, dicis, fiet? Referam: Qui lapideam & terream ſubſtantiam unam eandemque docent eſſe, ut ſcilicet unum quodque ex his duabus materiis creatis, aut ad lapides, aut ad terras reſpicias, pro una ſubſtrata materia ſumant, neque iterum generice dividant: illi certe non audiunt, quendo ſtrator lapidem ſuper lapidem ponit, & non diſtinguunt arenam ab alia inmunditie in cibis. Sed ad circulum! Terra, quoad phyſicam definitionem, eſt ſubſtantia pura puta mineralis, cuius corpuſcula non invicem uniuntur, quia particulis omnino ad unionem neceſſariis deſtituitur. Lapis, phyſico ſenſu ſumtus, eſt ſubſtantia mineralis dura, cuius particulae vel corpuſcula immediate connectuntur, nec malleo ductilia ſunt. Hinc non facile poſſunt lapides liquari, terrae poſſunt; & ſi illi etiam poſſunt, in vitra mutantur facilius, Terrae difficilius. Terrae, ſi chymice conſiderantur, aut metallicae, aut vegetabiles ſunt, aut animales. Nam ex deſtructione tam vegetabilium, quam animalium, eadem ſubnaſcitur terra, quae illa eſt, cui vegetabilia increſcunt: ex deſtructione autem metallorum, naſcuntur terrae diſparis qualitatis, & a terra communi alienae, quales ſunt terrae ſigillatae, Boli, Cretae, &c. Ita etiam lapides variorum generum ſunt, & pro diverſo uſu etiam diverſo modo,

nun-

nunquam vero ut terrae ipſae vegetantes adhibentur a genere humano. CARDANUS *e*) eorum quinque genera numerat, & ſunt, gemma, marmor, cos, ſilex & ſaxum. Alii ita dividunt: ſunt aut nobiles, aut ignobiles, pretioſi, aut minus pretioſi, ſeu viles, rariores & vulgares, aut veri aut ſpurii, perfecti & imperfecti, ad quorum claſſem terra noſtra miraculoſa referri videtur. Meminit huius terrae & ſententia ſua paulo propius noſtrae accedit, Vir in rebus naturalibus experientiſſimus, Dn. D. LUTHERUS, Phyſicus Freybergenſis *f*), haec prodens: Terrae inſipidae & inodorae ſunt macrae, tum lapideſcentes margae, rubrae, carneae, albae, variegatae, quas terrae miraculoſae nomine proponit RICHTERUS Schneebergae. Quale, quod enim concretum naturale, ad hanc vel illam differentiam ſpecificam lapidis vel terrae proximius accedit, illud etiam ad hanc vel illam genericam ſubſtantiam referendum eſt potius, quam ut dicere poſſis, utrumque unum idemque eſſe. Illud quidem ambabus concedimus manibus, univerſam naturam a Deo ex Chaos illo fluido-terreo primum factam eſſe; porro omnia corpora naturalia, magis minusque compacta, animalia, vegetabilia & mineralia, per artem chymicam iterum ſolvi & reſolvi poſſe, ſicque in terram abire, ex qua creata ſunt: deinde quodſi id hominibus conceſſum eſt, tanto magis Deum quotidie id, ad circulum naturae conſervandum, efficere, & ultimo illo die, in momento, per verbum ſuum, hoc ipſum Syſtema mundanum in nihilum reducturum eſſe. Nobis vero hominibus, qui in mundo creato vivimus, non licitum eſt, ut per ſaltum aut iocum ex una ſapientiſſime producta ſubſtantia in alteram, ſine diſcriminis & iudicii modulo inſiliamus: aut ut ſubiecta in ſe & ex rei natura diverſa, ἀλόγως pro uno ſimplici habeamus, atque ordinem naturae invertamus.

n 3 §. VII.

*e*) L. c. Lib. VII. de Lapid.

*f*) Hiſtor. Natur. Foſſil. Cap. de Terris.

## §. VII.

Atque, ut tandem ad eas poſitiones, quibus diſtinctionem inter terras & lapides tollere laborant aliqui auctores, per literarum monumentum ceteroquin ſatis clari, veniamus: primo celeberr. Conſiliarium *de* Iusti in ſcenam producimus, qui *g*) hac occaſione ita diſſerit: „Non opus habemus, ut ex lapidi„bus & terris duas peculiares & a ſe invicem diſtinctas claſſes „formemus. Terrae praebent fundamentum lapidibus, & quo„tidie adhuc videmus, ſicuti nullatenus negari poteſt, quomo„do ex terris lapides fiant: ſimili ratione ex lapidibus, partim „per tempeſtatum mutationem, partim per aëris efficaciam, „iam per contritionem, iam per ignem inſigniter inflamman„tem, terrae fieri poſſunt, multaeque terrarum ſpecies, quas „cernimus, manifeſte eandem agnoſcunt originem. Brevibus, „lapides & terrae unius ſunt naturae & indolis, veluti proprie„tates omnium lapidum & terrarum, facile in unam claſſem „referri poſſunt.“ Hunc conceptum operoſus ille Chymicus Berolinenſis, per Europam alias notiſſimus, Pottius, ſuffulcire nititur, aliquo loco *h*) ita ſcribens: „Lapides nihil aliud „ſunt, quam ipſae terrae, quae mediante glutinoſa materia, „vel fluxu quodam igneo, ſolide compactae ſunt, fere ad il„lum modum, quo terrae liquatae lapideſcunt, & lapides con„triti & terſi iterum in terras concedunt.“ Quanquam vero horum quidem Virorum, plurimo rerum uſu peritorum, ingenia eo, ut decet, applauſu veneror: non tamen inficiari poſſum, e contraria parte me variis adhuc agitari dubitationibus, quae, quo minus ſententiam eorum apprehendam, permittunt. Ponamus, liceat, collectiones quasdam methodo quadam ſyſtematica egregie diſpoſitas eſſe: vultisne, Vos, Viri Excellentiſſimi, perpulcherrimas iſtas gazas, ex durioribus nobilio-

ris-

*g*) *Grundriß des geſammten Mineral-Reichs,* p. 193. & 361.

*h*) *Chymiſche Unterſuchungen,* p. 2.

riſque generis lapidibus conflatas, varia pulverum atque terrarum cinerumve ſpurcitie commiſtas, aut conſperſas, intueri, ubi illas invenietis? Nonne easdem confuſas, & extra ordinem poſitas eſſe iure ſentietis? Attamen ex vario eorum uſu mechanico forſitan differentia ſpecifica eminentius eluceſcet. Proinde quaero, utrum ex duris arenarum lapidibus potius, an ex mera collabeſcente terra, aedificia veſtra magnifica exſtrui velitis? Quanquam ex arena lapides, & ex lapidibus arenam oriri, negare nullus queam.

Tandem nosmet ipſos homines, uti & univerſum animalium regnum, originem e terra trahere, (nec ad ſententiam Ovidii *i*) ficta fabula de Deucalione, a lapidibus oriundos eſſe, quoniam homines ſaepius duri & lapidei cordis ſint:

*Inde genus durum ſumus, experiensque laborum,*
*& documenta damus, qua ſimus origine nati;*

itemque nosmet ipſos iterum in terram per elementarem vim converti, quis eſt, quem fugiat? Hinc pulverem ſe vocat pater credentium Abraham *k*), argillam Eſaias *l*) & lutum Paulus *m*). Meum vero ordinem ſyſtematicum, ſi modo de homine, modo de argilla, modo de limo, turbato ſtylo agerem, omniaque in una claſſe primaria tractarem, vel facilius commiſcerem, laudari & approbari poſſe, minime gentium unquam crediderim. Profecto argillae, limo & terrae lapidique ſpecificae ut inſint differentiae, ex natura rei neceſſarium ducimus. Quas nunc etiam differentias in ſequentibus paragraphis, per aliquot experimenta, cum terris inſtituta, enncleare atque exprimere animus eſt.

## §. VIII.

Primum nulla puraputa terra, aquae, & fluido aqueo, veluti lapis facit arte compactus, reſiſtit: neque deinde lapis, ut ter-

*i*) Metamorphoſ. Fab. VII. v. 414. *k*) Geneſ. XIIX v. 27. *l*) Eſ. cap. LXIV. v. 8. *m*) Rom. IX. v. 21. It. Iob. X. v. 9.

terra, digitis conteri poteſt. Quibus ſolum ex phaenominis, intaminata ratione, concludere fas eſt, ambo haec concreta naturalia & mineralia, ubique terrarum ante pedes quidem noſtras poſita, in duas praecipuas & ſingulas claſſes dividenda eſſe, nec illum, qui hoc diſcrimine utitur, ex aequitate vituperari poſſe. Ceterum inclitus quidam naturae ſcrutator mihi non diſplicuit, cum in Tentamine novae Mineralogiae, lapides *terras induratas*, & meras terras tantum *pulverulentas* vocaret. Ita enim in verbis ſumus faciles, ſi modo in re conveniamus; praeſtat, quod ille Auctor, cuius nomen referre mihi non integrum eſt, praeterea ſemper & ubique inter terras & lapides omnes notas caracteriſticas determinet. Interea quod ad meam ſtudendi rationem attinet, hiſce quoque ingenue & cordate profiteor, quod meos in phyſicis rebus profectus non tanti habeam, ut ex praeiudicio aliquo arrogantiae mihi id ſummam, ac ſi totam rem acu tetigerim, neque opiniones meas fortuitas, pro argumentis profundis aſſumendas, laxo iudicio obtrudo: profunde vero magis, ut tractationem de lapidum origine exhauriat benevolus Lector, ex animi ſententia opto atque precor *n*).

## §. IX.

Alios inter rerum mineralium indagatores, omnino LEHMANNUS, Med. Doct. celebris, laudem meretur, quod in libro pererudito *o*) terram ita deſcripſerit, quod ſit „corpus ſimpliciſſimum, in igne perſiſtens, ſiccum durumque, attamen friabile, odoris & ſaporis expers & plane inſolubile.“ Quae ſane deſcriptio etiam cum illa in Tentamine novae Mineralogiae ſub Notis communicata convenire videtur: Terrae ſunt „corpora mineralia minus ductilia, & maximam partem in aqua „vel

*n*) *Neue Geſellſchafftliche Erzählungen*, *1ſter Theil.* p. 71, It. *2ter Theil.* p. 316.

*o*) *Abhandlung von Metall-Müttern.* p. 44.

„vel oleo inſolubilia, neque de ſua ſubſtantia interna, per „ignem fundentem aliquid admittentia.“ Innumeras adhuc alias terrarum definitiones, exceptis iis, quas iam ſupra §. VI. dedimus, recenſere poſſemus, ſi praefixus ſcopus exigeret: quoniam vero plurimae earum ideae clarae & diſtinctae, quae definitionem ingredi debent, ex difficili Chymia petitae ſunt: analyſis autem chymica ad forum noſtrum phyſico-minerale proprie non attinet; iſtis ambagibus nos facile ſuperſedere poſſe, non dubitavimus. Eiusmodi potius notas eligimus eſſentiales, quae extemplo in conſpectum veniunt, & facilius ſenſu interno capiuntur; quas inter, prae multis aliis, e libro illo commode elaborato & ſaepius excitato, nobis perplacent *p*). Sunt vero huius tenoris verba germana: „*Erde iſt alles lockere* „*Zeug, welches ſich zerreiben läſset, welches im Waſſer zerfleuſst, und* „*ſich darinnen ſezet, ohne daſs es von ſelbigem aufgelöſet wird, und* „*ohne daſs es ſelbigem an und vor ſich einen fremden Geſchmack gebe,* „*ſie wäre denn mit andern Theilen verſetzt.*“ Varia quoque de „terra ſimplici, pura & elementari, fabulantur Phyſico-Chymici: me vero eiusmodi terram nusquam ſtatuere, aperte fateor: quamlibet enim terram ex alienis & heterogeneis particulis, e. g. ſalſis, aliisque, eſſe compoſitam, equidem reor; tale enim caput mortuum, quaſi purum & ſimpliciſſimum, in fertili creato mundo ſine labore chymico, unquam extitiſſe, ſenſibus meis apprehendere non valeo.

§. X.

Si itaque breviſſimam quoque, ex hactenus prolatis definitionibus, ad terram ſic dictam miraculoſam applicamus, illa criteria, quorum mentio iniecta eſt, eidem non ineſſe, facile convincimur. Nam

1) eius corpuſcula invicem uniuntur, & compacta ſubſtantia particulis, ad unionem neceſſariis, non deſtituitur, ſecundum §. VI.

2) Nul-

*p*) *Neue Geſellſchafftliche Erzehlungen, 2ter Theil,* p. 316.

2) Nullum aliis lapidibus praebet fundamentum, cum lapidea ſubſtantia ipſa ſit, ſecundum §. VII.
3) Hinc glutinoſa materia omnino gaudet; ſecundum §. eundem.
4) Aquae ipſi iniecta, ut alia ſubſtantia arcte compacta, reſiſtit, ſecundum §. VIII. &
5) digitis, ut aliae terrae, ſicca conteri non poteſt, ſecundum §. eundem.

Procul hinc dubio, e terrarum regno deiicienda, & in lapidum regiones transferenda eſt miraculoſa terra; id quod in ſequentibus ulterius demonſtrabo.

Aſt, cum tam variae lapidum claſſes reperiantur, certo in eo nunc quaeſtio movenda venit, ad quamnam in ſpecie lapidum claſſem noſtra terra miraculoſa ſpectet? Saepiſſime in hac re me dubium fuiſſe, eloqui non erubeſco. Primo enim intuitu noſtra terra lapidum naturam, ratione duritiei, minus perfecte aemulat, eam quidem ob cauſam; quoniam ſe facilius cultro ſcalpi, & dentata ſerra ſcindi, patitur, quanquam, ut alius lapis, poliri non admittat. Praeterea, etſi, ut alius lapis, firmis etiam digitis, non conterenda ſit (quod alioqui magnum lapidis negativum eſt), tamen, ſi eam tangimus & palpamus, pinguem aliquem contactum, ſmegmatis inſtar, in ea obſervamus. Accedit denique, cum Pottium illum, ſupra pro meritis ſuis adductum virum, in lapidum & terrarum examine verſatiſſimum, eo nomine conſulerem, & proprietates noſtrae terrae miraculoſae, cum Steatitis, dilucide ab illo illuſtratis, compararem, quod, in omnibus fere punctis utrasque ſpecies convenire, deprehenderim. Valide igitur me coarguit. Quae cum ita ſint, ut ipſa Auctoris verba benigne audiatis, & vobiſcum reputetis, iterum atque iterum rogo. Ita vero fluunt *q*): „Quod ad proprietatem lapidis noſtri, nimirum Steatitae (*des* „*Speckſteins*) ſpectat, crudi odoris, & ad ſenſum pinguis eſt, „haecque attributa plurimum ſentiuntur, quando in minores par-

*q*) *Fortſetzung der chymiſchen Unterſuchungen*, p. 91.

„particulas conteritur. Aër eum parum alterat, modo quod „inde magis induretur.“ Et haec criteria in noſtro novo lapide evidentiſſima ſunt. „*Wenn ich ihn ins Waſſer werfe* (pergit „Auctor Berolinenſis), *ſo ziehet er zwar etwas Waſſer mit einem „Geziſche in ſich, wegen ſeiner feſten Zuſammenbackung aber, und „weil ſein gluten mehr ausgehärtet iſt, zerflieſset er doch nicht, wie „die ordentlichen Thone.*“ Eadem ſe produnt veſtigia, ſi noſtrum lapidem in aquam demittimus; nunquam enim defluit, aut ex toto in aqua liqueſcit, quamquam, propter abſconditas fibras, ſeſe in partes diſſolvat, eamque aquam pinguedine quadam tingendo, ſimul argilloſo guſtu atque odore imbuit. Spectant ad hoc phaenomena, quae Cardanus, loco citato, notavit, verbis: Quaedam ſolum molliuntur aqua, ut lapides plurimi. Refert Agricola, marmoris partem vidiſſe mollem factam ab aqua, cum in ea diu iacuiſſet. Haec terrea eſſe neceſſe eſt, quae nunquam perfecte liqueſcant. Item: „*Wenn man ihn pulveriſiret, ſo „kann man ihn mit Waſſer zu einem Teig machen, der ſich einigermaſ„ſen auf der Scheibe drehen und formiren läſset. Im Feuer wird er „hart, und zwar ie gelinder das Feuer iſt, deſto gröſser wird auch ſei„ne Härte, ſo daſs er letzlich mit Stahl ſtarck Feuer ſchlägt, und zu„gleich eine rechte ſchöne Politur annimt.*“ Noſtrum vero lapidem, toties terram miraculoſam Saxonicam dictum, ſic quoque per ignem poſſe tractari, primo intuitu me dubitaſſe, concedo: tentamine vero, moderato ſaltem igne, inſtituto, illum tam durum reddi poſſe, vidi, ut poſthinc non ſolum ipſe ignem, cum chalybe affrictus, ederet, ſed etiam chalybem ipſum uſu detereret, tandemque, ceu pulcherrima Iaſpis, expoliretur. Multo vero maior admiratio orta fuiſſet, niſi fibrae, ſupra notatae, et ab aliis metallicae, (*Klüfte*) dictae, eum ſub ignis induratione, praeter opinionem celerius in partes dirimiſſent plurimas. Cum vero Steatitarum tractationem, a Pottio celeberrimo continuatam, quia chymicae artis expers ſum, amplius proſequi, & ad novum noſtrum lapidem applicare prohibeor, ſpero tamen, allata rationum & comparationum momenta ſufficientia fore,

 qui-

quibus noſtra terra miraculoſa in Steatitarum claſſem recipi poſſit ex merito.

## §. XI.

Duo adhuc incidunt, praeter ea, quae hactenus enarravimus, novi noſtri lapidis phaenomena, quae praeterire in praeſenti non licet. Alterum eſt negativum, alterum poſitivum. Illud in eo conſiſtit, quod in ſubſtantia cum acidis minime efferveſcat, cui tamen conflictui aliae terreae ſubſtantiae haud difficulter patent. Qua ex cauſa, conſentiente novae Mineralogiae Auctore, iſte lapis argillarum ordini veriſimilius adſcribendus eſſet. Multo vero minus illi me in ſuas partes trahent, qui noſtrum varii coloris lapidem ad immatura transferre marmora intendunt: nihil enim conſortii cum marmore habet, & ex oculari inſpectione patriae ſuae pateſcit, eundem non in ſtratis (*Flötzen*), ſed potius in diſperſis & hinc inde exeuntibus venis tenuibus, ſecundum §. IV. excurrere; id quod tamen Latomiis marmoris repugnare dicunt. Deinde etiam naturae & indoli marmoris in eo adverſatur, quod eius converſio in calcem uſtione non procedat: cum tamen omnia marmora, ignis vi, in calcem vertantur. Ad alterum, & affirmativum quidem, proprium, refero martialem lapidis naturam: cum ferro enim familiaritatem fovet maiorem, quam quis cogitaſſet, ſicuti ex Magnetis effectu dilucide apparet. Non ſolum enim magnes, ex noſtra terra miraculoſa uſta & calcinata, ferreas particulas attrahit, ſed hanc etiam tractionis promptitudinem celerrimam, in terra minus toſta, utroque tamen fine groſſiuſcule contuſa, obſervavimus conſtantius, quam ex minera ferrea ipſa. Atque haec ferri combinatio ſine dubitatione impedit, quo minus ex eius maſſa, currente rota, urceus exeat. Argillam enim & limum, inter ſe, ratione elementi ſmegmatici, valde convenire, & non niſi colore martiali croceo limum ab argilla differre, meo iudicio ſemper arbitratus ſum. Ferri enim permiſtio, argillam ſua depauperat pinguedine, ſive, ut Clariſſimus

Pot-

Pottius eloquitur, gluten rapit, & ita macilentam reddit argillam, ut ne quidem poſtea tanquam argilla uſurpari, ſed modo ut limus, ad varios in oeconomicis rebus uſus, adhiberi queat. Ceterum lapidem noſtrum miraculoſum, ſeu potius mirabilem dicendum, ferrea quoque natura gaudere, ex ipſo colore cenſeri poteſt.

§. XII.

Licet in phyſicis imprimis, quæ in reſolutionem & operationem chymicam per ignem excurrunt, me non tam exercitatum reputem, ut arcana inde naturae prodere poſſim: id tamen perſpicio bene atque video, quando alii parem mecum opinionem ferunt. Sic enim conie&turis meis levioribus non leve additur pondus, cum peritus quidam Au&tor in iucundiſſima & le&tu utiliſſima tra&tatione *r*) in plurimis a partibus meis ſtare obſervaretur.

1) *Zu denen Lettenartigen Verhärtungen gehören alle dieienigen Steine, welche mit dem Scheide-Waſſer keine Aufwallung verurſachen, im ſtarken Glüh-Feuer aber einen gröſſern Grad der Härte annehmen.*

2) *Wenn man den Unterſchied der verhärteten Letten in Betrachtung ziehet, ſo findet man, daß ſich dieſelben in weichere und härtere eintheilen.*

3) *Die weichern unterſcheiden ſich beſonders von denen Erden dieſer Art darinnen, daß ſie ſich durch das Waſſer in keine ſchmierigte Maſſe verwandeln laſſen, ſondern ihre vorige Feſtigkeit und Verbindung behalten.*

4) *Einige von denenſelben laſſen ſich mit dem Meſſer ſchneiden, oder ſchaben, ſind durch das Anſchleiffen zu keiner Politur zu bringen, und greifen ſich hart und ſeiffenartig an. Hieher gehören der Speckſtein, Steatites, die Seiffenletten, das Steinmark, der Lapis ollaris, und die in Sachſen befindlichen ſo genannten Richteriſchen Erden.*



*r*) *Geſellſchafftliche Erzehlungen, 2ter Theil,* p. 265.

## §. XIII.

Cum igitur miraculoſa hactenus dicta terra, terrae criteriis atque proprietatibus, §. X. prolatis, in omnibus repugnet: ſane eam in lapidum regionem, & ſpeciatim inter Steatitarum claſſem, ut transferamus, quomodo ſaepius dictum eſt, propemodum neceſſarii cogimur; ſiquidem eam quoque violaceis, roſeis, viridibusque coloribus, albisque venis, uti marmora, indutam eſſe, conſpicimus. Quamvis vero, cultro tantum eam aliquatenus ſcalpere & ſcindere liceat; non tamen ullo modo ut marmor expoliri poteſt: etſi eius obtuſa latera, dum ſuper pannum lanatum ſaepiſſime teruntur, atque frictio aliquamdiu repetitur, tam lucidum tandem communicent ſplendorem, qui oculis facile, marmor eſſe, ſibi imaginetur.

## §. XIV.

Antea vero, quam a palaeſtra diſputatoria diſcedamus, bina ultimato puncta reſolvenda erunt; primum: annon ex opinione Dn. D. Vogelii in Syſtemate minerali practico, terra noſtra (liceat diſtinctionis cauſa eam ita adhuc appellare,) ad ſententiam Ludwigianam inter Lithomargas locanda ſit? Nego vero totum argumentum. Deſcribit enim Vogelius Lithomargam, quod ſit terra argillacea, quae non, ut aliae in cuniculis invenitur, verum inter ſciſſuras & receſſus lapicidinarum exiſteret. Ille tamen locus natalis, & fundamentum argillaceum, diverſa habent criteria. Equidem non nego, in illis locis, quae a celeberrimo Ludwigio, & eiusdem imitatore, experientiſſimo Vogelio, animadvertuntur, varias coloratae Lithomargae ſpecies reperiri: attamen omnes & ſingulae, tam ratione natalis loci, quam ratione partium conſtitutivarum, a terra noſtra ſupra dicta miraculoſa ad differentiam usque ſummam diſtinctae ſunt. Secundum, quod mihi retinui, ut adhuc excuterem, priusquam rivi clauduntur, eſt id, quando excellentiſſimus Ludwigius noſter (forſitan ut terrae noſtrae, olim

miraculoſae dictae, uſum tribueret) aſſeruit: imo ad ipſum Ophitim lapidem ſive Marmora ſic dicta ſerpentina s) polienda eam, ſcilicet terram miraculoſam, commode adhiberi poſſe. Cui vero opinioni modeſte ſubiicio, naturalem pinguedinem & ſaponaceam terrae noſtrae naturam, oſtendere, non fieri poſſe, ut polliturae ſerpentini lapidis inſerviat: magis vero experientia doctus, cum ſaepiuſcule ſcrutationem inſtituerim, aſſeverare poſſum, longe alium lapidem, in vicinia eadem Planitii propter Zwickaviam ita vocati, deprehendi, qui pro uſu polliturae Zeblicii uſurpatur. Ac ſi arcanum Zeblicenſium prodidero, quid mihi erit? Dicam. Inſignis lithanthracum voratrina ſchiſto aliquo protegitur, tecto nominato; ſed enim vero cum aliquando flamma & ignis ſubterraneus, expanſis plane naturalibus, oriretur, hoc ipſum tectum ſchiſticum, ita induratum & fere calcinatum fuit, ut nulli propemodum uſui eſſet, usque dum tandem hunc ipſum lapidem lithanthraces tegentem, induratum poſthinc, uſtum (*den Brand*) nominarent. Atque hoc idem, quod uſtum vocatur, illam ipſam materiam ſuppeditat, qua arcani loco tornatores ſerpentini lapidis, pro politura, uti ſolent quam frequentiſſime.

## §. XV.

Interrogari non poſſe tandem ab aliquo, putamus, cui bono hactenus deſcriptus lapis, vel terra miraculoſa ſit? aut, quem uſum de ea praeſtolari liceat? Ad hanc quaeſtionem paucis ut reſpondeamus, neceſſe eſt. Foſſile hoc, quod cunctis hilarius, & vere admirandum dicendum eſt, propter pulcherrimos ſuos, varie conditos & pictos colores, quos non facile artificioſiſſimus Apelles, ſi variegatas regiones, & nitide poſitas urbium, viarum publicarum, ſylvarum, fluminum, & horum pontium figuras, aut coeli mollitiem, nubila, inſtantem tempeſtatem ex tonitru, aut fulguris, vel etiam in alia tabula orien-

s) Vide in Muſeo Richteriano, p. 200.

orientis Solis lucem, in alia occidentis, aut agri & pratorum culturam, in minimis depingeret, ſuperabit. Inveniuntur enim, inquit CARDANUS *t*), quandoque in Pario (quod marmoris ſpecies eſt) formae conſpicuae venarum varietate ac concurſu, quae effi iem pictae haud inferiorem referunt. Et ob hanc pulchritudinem & gratiam, lapidem, vel terram noſtram miraculoſam, theoretice magis, vel, ut PLINIUS habet, deliciarum cauſa, a quolibet deſideratam eſſe, conſtat, & cum propter latentem ſedem, an fructus, & quales ferre queat, aut ad quaenam utenſilia mechanica utilis eſſet, ſolertiori ſtudio nemo quaereret, hoc etiam cauſa fuit, ut nemo de eo curaret. Cum vero poſtea experientia detectum eſt, lapidem hunc facili ſtudio ſcalpi atque ſcindi, ignisque vi, ad ſingularem duritiem aſſumendam, cogi poſſe: tanto facilius concedendum eſſe, credidimus, ex eo omnia varia vaſa caelari, variasque Statuas ſculpi poſſe, quae forſitan, ratione durationis temporis, olim antiqui, contra iniurias fortes, aëri, aquae & igni, ut marmora, reſiſterent, ſed ad ſtructuram infidelis erat. Dolendum enim magnopere eſt, quod eam maxime ob cauſam, quam ſupra §. X. de eius fibris dedimus metallicis, minutas tantum partes, imo particulas communicare queamus. Centies enim milliesque priusquam eiusmodi proportio gignitur, perire onme artificium ſolet. Antea excitatus CARDANUS, ubi l. c. de marmorum generibus exponit, eadem fata expertus eſt, quando ſcribit: *Eſt & varium generis diverſi, quod fragile plerumque eſt, & ſponte rumpitur, quoniam partes in eo quaedam crudae, quaedam nimium exuſtae ſunt.* Num improbe, an iuſte faciat, qui terram noſtram miraculoſam Saxonicam ad imperfecti marmoris ſpeciem ablegaret? Vide & ſupra §. X. Feliciori tamen ſucceſſu huic incommodo obviam iri poſſe putarem, ſi iſtos lapides potius in profunda altitudine caederent foſſores: ſiquidem illis fibris (*einer Verwitterung*) absque dubitatione tribuendum eſt, ut non magnae molis lapides protrahantur. Omnia etiam, quae hactenus ſub noſtris

*t*) Cit. Lib. VII. de Lapidibus, pag. 377.

ſtris fuerunt manibus, lapidum fruſtra, non niſi in terrarum planitie fracta ſunt, ut PLINIUS *u*) refert: *Eſt viridis lapis, vehementer igni reſiſtens, ſed nusquam copioſus: & ubi invenitur, lapis non ſaxum eſt.* Hanc quidem obſervationem ulteriori contemplatione ut dignam exiſtiment Naturae conſulti in Saxonia, rogamus; quanquam reliquae Steatitae, repertis quoque in ipſa earum altitudine obſcuris fibris, vix minimam ſpem maiorum acquirendarum partium relinquant. Ceterum ne noſtrum Saxoniae Electoralis novum lapidem omni plane uſu practico carere exiſtimemus, poſt varia inſtituta certamina, & prius diverſis artificioſe admixtis ſalibus, probandum eſt, annon pigmentum reſultet exinde mirabile quoddam violaceum, aut alius grati coloris: ex eiusmodi enim exploratione, chymice tentanda, varios adhuc uſus prodituros eſſe, variis argumentorum illecebris mihi perſuadeo. Alio etiam modo, neque ſcalpendo, neque conterendo, utilis ut proveniat, in oeconomia, pigmenti ſpecies, aut ut effici queat, convictus loquor. Siquidem lapidis pinguedo naturalis ſmegmatica impedit, quo minus, aliorum pigmentorum more, hic noſtrae terrae miraculoſae pulvis, egregii alioquin violacei coloris, cum oleo aut aqua intime uniatur, niſi primum, mediante ignis tortura, minerale ſmegma extinctum ſit. Tunc ſtatim, ſi conteritur, colorem violaceum gratiorem, magisque vividum & floridum, oriri ſentimus. Medicis lampada tradimus: an iſte lapis capitis dolores ſedare, adalligatus, & Serpentum ictus ſanare poſſit? an phreniticis & lethargicis adligatus prodeſſe queat? an iis, quae urenda ſint, aut ſecanda, ex aceto illitus, ita corpus obſtupeſcere faciat, ne ſentiat cruciatum? quos effectus omnes PLINIUS *x*) Marmori & Ophiti adſcripſit.

Epi-

*u*) L. c. Lib. XXXVI. c. 22.

*x*) L. c. Lib. XXXVI. c. 7.

## Epilogus.

Haec ſunt, *Viri Illuſtres, Magnifici, Excellentiſſimi* atque *Ex- perientiſſimi*, quae in conſpectu *Veſtro* ſplendidiſſimo proponere conſtitui, *Veſtraeque* cenſurae offerre, cum me in Collegium *Veſtrum Academicum Caeſareum Naturae Curioſorum* benigniſſime aggregaveritis, mihique vix hactenus merito, locum inter tot tantosque eruditiſſimos humaniſſimosque Viros conceſſeritis: id quod gratiſſimo etiam animo agnoſco. Nunc vero ipſi iudicabitis, num Sapientis tria munera implevi: *Eſt* enim *Sapientis officium*, inquit CARDANUS *y*), *pulchras primo dubitationes proponere: ac etiam, ſi fieri poteſt, utiles inde ſolutiones, cauſasque afferre, & nihil circa cauſae redditionem abſurdum docere*. Favorem igitur veniamque *Veſtram* mihi expeto, ubicunque in re naturali ſatis ardua, a veritate deflexi & non ad mentem *Veſtram* ſubtilem, acremque *Veſtri* iudicii lancem, ſcripſi: ſatis erit mihi, ſi etiam omiſſis aliis ambagibus una aut altera ſaltem ſententia *Vobis* placuerit. In concretis enim ſubterraneis, vel ex abyſſo orbis terrarum petitis, ſine coniecturis, ne dicam erroribus, iudicare, vix hominis eſt, qui a ſe humanum nihil alienum putat. Tandem nihil ſupereſt, quam ut *Vobis*, *Veſtraeque celeberrimae Academiae*, pia vota nuncupem, quorum in memoriam lapideum illud monumentum Samuelis *z*) Eben Ezer, quod inter Mizpa & Sen ponebat, exſtrui velim, adiecta inſcriptione: *Huc usque Dominus Deus Illuſtri Collegio providit, ut illud adiuvaret.*

Tantum.

*y*) L. c. Lib. XIV. p. 725. *z*) I. Sam. VII. v. 12.

De

# De
# SARCOCELE
eiusque Origine, incrementis & curatione ſecundum leges artis inſtituenda,

# COMMENTATIO,

Caeſareae Leopoldino-Carolinae Academiae Naturae Curioſorum,

pro collato ſibi

NYMPHODORI IIItii nomine collegiali honorifico in debitae obſervantiae et gratitudinis teſſeram oblata

a


ZACHARIA VOGEL,

Medicinae ac Chirurgiae Doctore & Practico Lubecenſi.

Legibus & Statutis illuſtris Caeſareae Academiae Naturae Curioſorum pro virium modulo ſatisfacturus, mentemque ſimul gratiſſimam pro honorifica in Eandem facta receptione declaraturus, ea, qua decet, obſervantia iam offero Commentationem quandam de *Sarcocele*, quae, uti materiae ſubtilitate non caret, ita & ſumma ſua utilitate aliquo modo ſe ſe commendabit. An vero iuſto ordine & debita cura pertractata ſint omnia & ſingula, Illuſtrium, Excellentiſſimorum Academiae huius Sodalium iudicio relinquo, non omni ſpe deſtitutus, ſi forte prima operis delineatio, quam in Tractatu de Herniotomia tradidi, eruditorum ſibi conciliare potuerit ſuffragium, fore, ut & hoc opuſculum, paulo amplius & ſtudioſius contextum, ſimili favore & benevolentia non prorſus indignum habeatur.

## Hiſtoria morbi.

Iuvenis nobilis, ſanguinei temperamenti, XXVII. annos natus, Gonorrhoea maligna, ex impuro coitu oborta, afflictus, conſulit imperitum Chirurgum, qui ipſi medicamenta exhibet hoc inquinati ſeminis profluvium ſatis promte cohibentia. Verum brevi poſt alter teſticulus, & ſpeciatim dexter, ad pugni magnitudinem intumeſcit cum vehementi dolore. Chirurgus hic varia contra hunc tumorem tentat remedia, & interna, & externa. Aeger quidem tandem inde hoc percepit levamen, ut dolores poſt tres menſes ſenſim remitterent; ſed teſticulus ipſe tumidus & durus, aegroque valde moleſtus manebat, unde cum ulterius auxilium ab illo Chirurgo obtenturum ſe eſſe deſperabat, alium exercitatiorem magisque expertum accedebat virum, ab eo auxilium petens.

Quaeritur itaque, quo morbo hic aeger laboret & qua ratione vel medicamentis, vel operatione ſit curandus? inſimulque totius huius caſus apta reſolutio deſideratur.

## Explicatio.

Sarcocele laborat praeſens aeger, quae denominatio quidem hactenus Chirurgis aeque ac Medicis ſolennis & uſitata fuit, minus tamen apta eſt ad veram morbi ideam formandam, dum vi vocabulorum, ex quibus illa componitur, *Herniam carnoſam* denotat, cum tamen in hoc affectu nunquam hernia vera, ſive inteſtini cuiusdam, vel mollis alicuius partis corporis humani prolapſus occurrat. Eſt ergo proprie Sarcocele, teſticuli, vel partis eius, ſive funiculi ſpermatici, praeſertim deferentis vaſis, vel certe alicuius eiusdem partis, tumor durus, ponderoſus, indolens, ortus ex inflammatione harum partium, quae neque benigno naturae beneficio, vel ſalutari artis praeſidio eſt reſoluta, neque verſa in pus, neque in gangraenam mutata, vel ſphacelum, ſed in ſcirrhoſum quoddam degeneravit corpus.

Tali morbo laboraſſe aegrum noſtrum, mihi nunc incumbit probare, & patet quoque ex ſymptomatum enarratione. Intumeſcit teſticulus alter aegrotantis ad pugni magnitudinem, cum dolore vehementi, poſt ſubito cohibitam Gonorrhoeam malignam. Fuit itaque inflammatus. Varia tentat, ad hunc tumorem debellandum, Chirurgus medicamenta, & interna & externa, ſed fruſtra; tumidus manet & durus teſticulus, aegroque valde moleſtus; ergo inflammatio non fuit reſoluta. Neque tamen ſtaſis illa in pus verſa eſt; durus enim manet teſticulus, neque adeo molles in eo fluctuantis purulentae materiae ſentiuntur undae. Neque etiam in gangraenam ſtaſis eſt mutata, vel in ſphacelum tranſiit; ſenſim enim, & poſt tres tandem menſes, neque ſubito, remiſerunt dolores, neque a gangraeno-

ſa tabe flacceſcit teſticulus, ſed tumidus manet & durus, neque omnis ſenſationis expers eſt; indolens quidem, & hinc aegro valde moleſtus.

Quum ergo teſticulus fuit inflammatus, neque in gangraenam mutatus, vel ſphacelum, ſupereſt, ut exinde concludamus, degeneraſſe illum in ſcirrhoidem tumorem, durum, ponderoſum, aegroque idcirco admodum moleſtum, indolentem tamen; remiſerunt enim ſenſim dolores. Namque ſunt hi, quibus deſinit omnis, ergo & teſticuli inflammatio, exitus omnes. Dicitur autem talis ille teſticuli morbus, ut antea monui, *Sarcocele.*

Neque etiam ſuſpicari heic licet alios tumores, ſaepiuſcule alias in Scroto occurrentes. Si quis enim forſitan opinaretur, herniam adeſſe veram, tunc ſatis prompte accurateque digito tangentis Chirurgi tumidus diſtinguitur teſticulus, ab inteſtinis per annulum abdominalem in Scrotum prolapſis praeſente Enterocele, & ab omento in Epiplocele. Neque de herniis ſpuriis aliis hic quis ſibi cum veri ſpecie aliquid perſuadere poteſt. Aequaliter totum Scrotum expandit elaſticus aër in Pneumatocele, & veſtigia prementis digiti in Scroto relinquuntur ſub Hydrocele, quorum neutrum fit in morbo iam dicto; in utraque autem hoc ſpecie herniae, Hydrocele aeque ac Pneumatocele, facile, niſi tumor nimius, neque pugni magnitudinem ſuperans fuerit, ut perſcrutantis Chirurgi manu ſanus intus latitans diſtinguatur teſticulus, qui tumidus in Sarcocele per teneram aeque ac tenuem Scroti cutem ubique fere transparet, & oculis paene, & luculentius manibus patet, facillimeque dignoſcitur. Neque Varicocelen, vel Cirſocelen hic forſitan adeſſe quis autumabit; nimis facile enim teſticuli tumor a tumore funiculi ſpermatici, vel corporis pampiniformis, manu diſtinguitur periti et anatomen non penitus ignorantis Chirurgi. Et ſatis inſuper clara ſunt verba noſtri caſus: *intumuit teſticulus & manſit tumidus.* Ergo aliorum tumorum nulla prorſus relinquitur ſuſpicio, neque in his diutius moror, dum ex hactenus adductis ſatis patet, nul-

nullo alio laborare aegrotantem noſtrum morbo, niſi Sarcocele, quod & patebit porro luculentius, ſi eius cauſſas accuratius iam perpendemus.

Eſt autem Sarcoceles cauſſa proxima aucta ipſius teſticuli ſubſtantia, dum liquidi vitalis, ob inflammationem hic copioſius appulſi, ſtagnantis, in vaſcula minima etiam penetrantis, & in denſiſſimam hic tunicam celluloſam effuſi, pars liquidiſſima diſſipatur, reliqua ſolidam induit formam. Hoc enim, dum ſic agitur, facile apparet, tumere teſticulum durumque fieri, ſed tamen indolentem. Id autem hic ita accidere poſſe, & re vera accidiſſe in aegro noſtro, nos docebit remotarum cauſſarum conſideratio.

Antecedentes remotae cauſſae ſunt in noſtro aegro, praeter iuvenilem aetatem & temperamentum ſanguineum, inflammationibus, indeque ſubſequentibus indurationibus hiſce ſatis aptum, nullae aliae, niſi ſueta, ſanisque maſculis communis teſtium fabrica. Huius itaque hic ſuccinctam tradere delineationem fas eſt.

Eſt teſticulus humanus viſcus, maſculis ſolis proprium, in adultis in Scroto reperiundum; latitat enim in abdomine in foetu & recens natis. Geminum plerumque eſt, quandoque unicum, interdum etiam triplex; ovi figuram referens utrumque, vertice ſuperiori acuto, inferiori obtuſo; conſtans vaſculis tenerrimis, innumeris, mirum in modum complicatis, flexibusque intortis, multis glomeribus convolutis, membrana denique comprehenſis dura, ſtipata, elaſtica, extus laevi, ob transſudantem rorem madida, alba, *albuginea* dicta, ſecretioni ſeminis humani dicatum.

Sunt vaſcula haec vera ſeminifera, ſive ſeminalia, ſemen a ſanguine ſecernentia. Gratiſſima ſeſe viſui offerunt, ſi tela celluloſa, cuius ope & cohaerent inter ſe complicanturque, & ſingulorum ſeorſim flexiones intricatae tenentur, maceratione ſenſim deleta explicantur. Ita teſtes a me aliquot olim praeparatos

ratos memini, quorum unicum adhuc inter pauca, quae mihi ſuperſunt, curioſa anatomica aſſervo. Facile in hiſce viſu eſt, vaſcula haec, praeter dictam telam celluloſam, contineri membranulis, ſive ſeptulis, ortis ubique, praeſertim in dorſo teſtis, ex interiori tunicae albugineae facie, & intra teſticuli ſubſtantiam ſeſe immittentibus, hancque in glomeres plurimos, quorum ultra viginti numerat illuſtr. *de* HALLER, diſtinguentibus. In dorſo teſtis colliguntur praecipue, quotquot ſunt, vaſculorum ſeminiferorum glomeres, ibique deponunt a ſanguine ſecretum ſemen.

Suſcipit hoc ſemen rete, hic tunicae albugineae adhaerens, vel potius inhaerens, obſcurum ſatis viſui, niſi ſumma diligentia perquiratur, neque ſatis, ut mihi quidem videtur, accurate ab Anatomicis deſcriptum, mirabili tamen, ut apparet, ſtructura fabrefactum. In hoc deponitur ſemen ex ipſis teſticuli vaſculis ſeminiferis per plurima oſtiola, itidem ab Anatomicis neque ſatis deſcripta, neque numerata, ob ſummam, quae hic ubique regnat, & partium teneritudinem & multitudinem. Eſt ſic dictum hoc quibusdam *corpus* HIGHMORI, quod, num adeſſet, diſputarunt Neoterici quidam plures. Et non adeſt in homine certe, uti id deſcripſit HIGHMORUS, non eſt in medio teſte, uti in animalculis brutis; ſed per totam teſticuli dorſi longitudinem ſitum eſt, uti mercurius demonſtrat, ſi illo artificioſe ſic repleta ſunt & ductus deferens, & epididymis & rete. Mercurius, inquam, demonſtrat hoc, per pellucentem (praecipue ſi exſiccata eſt) albugineam pulchre ſatis micans. Et demonſtrat tunc idem, unicum hic non eſſe cavum ſimplex, uti forſitan in *corpore* HIGHMORI brutorum, ſed multiplices cavitates eſſe communicantes inter ſeſe, verum rete depingentes, comprehenſas in ipſa albugineae tunicae ſubſtantia, quaſi hic ea eſſet duplicata.

Emergunt in ſummo teſte, eiusque vertice obtuſo ſuperiori, eodemque anteriori, ex hoc eodem reti, per ipſam albugineam penetrantia vaſcula plurima, tenera, pellucida, vixque, niſi mercurio repleta, viſibilia, numero incerta. Quinque vel ſex eorum olim numerarunt Anatomici, nunc vero decem, duodecim, viginti. Graafiana dicuntur a primo eorum inventore. Reſorbent, quod a ſanguine ſecretum eſt in teſte, & in rete depoſitum ſemen. Haec per aliquod ſpatium cum ſeſe comitata ſint, primo quidem initio rectiora aliquantum, ac parallela fere ſerpentina, deinde & mox in innumeros gyros contorta, laxaque celluloſa ubique invicem nexa, confunduntur inter ſe & tenera ſubtiliſſimaque ſemper complicantur ita, ut omnium, quotquot hactenus ſcio, Anatomicorum eluſerint in extricando explicandoque patientiam. Commixta ſic omnia, continuoque hinc inde flexa, contorta, gyroſa, in unicum tandem ductum coaleſcere neceſſe eſt, neque ulli relinquitur dubium, ſed vidit nemo, & nemo certe ſe hoc vidiſſe meminit, ob dictam procul dubio tenerrimam partium intricatiſſimamque fabricam. Vbinam itaque, & qua ratione hoc fiat, hactenus temere aſſerere non licet. Id viſu facile eſt, ſenſim ſenſimque ampliores fieri ductus, ſive potius ductum, forte, qui iam unicus eſt, gyros conſtituentem, gyros omnes, flexusque tela contineri celluloſa, laxiori mox, mox ſtrictiori paululum; hancque hac ratione gyros omnes in zonam diſponere vaſculoſam, digiti minimi circiter latitudine, craſſitie lineam unam alteramve non multo ſuperantem, longam, quae extus teſticulum per totam eius dorſi longitudinem, ſive faciem poſteriorem, cingat a vertice eius obtuſo ad acutum usque, ubi in unicum demum deſinit vas, hic nunc *deferens* dictum. Eſt Zona illa vaſculoſa, *epididymis* Anatomicis nuncupata, & vaſculoſa Graafiana epididymidis caput conſtituit. Situs eius eſt in teſtis facie poſteriori, parallelus reti, huiusque lateralem marginem exteriorem proxime attingens. Supra incumbit albugineae, cui, quod ſupra mo-

monui, intextum eſt rete. Circumdatur, defenditurque membrana, ex albuginea producta, aeque eius exteriorem ac interiorem faciem, teſticulum ipſum reſpicientem, ambiente.

Laxae celluloſae ope membranaceus hic albugineae proceſſus epididymidi ubique eſt adnatus, denſiſſimus & craſſus, imo, quod notatu dignum, albuginea ipſa craſſior, pluribusque vaſis ſanguiferis praeditus, in altera prima eius origine eminente, rotunda, prope epididymidis marginem, ex ipſa albugineae ſubſtantiae origine altera alia natus, ad eam ipſam reflexus, ſubſtratus epididymidis faciei internae, ad alterum eius marginem tendens, reflexus iterum, faciem exteriorem epididymidis tegens totam usque ad eundem eius marginem, prope quem erat ortus, hic tenuior ſenſim in celluloſam degenerans illam, *vaginalem teſtis membranam*, dictam. Huius ope itaque epididymis adhaeret teſti, tenaciſſime quidem & arctiſſime in eius apice obtuſo, ubi caput eſt epididymidis in dorſo teſtis, ubi alter epididymidis margo eſt, in apice denique obtuſo teſtis, ubi epididymidis eſt finis, initiumque vaſis deferentis. Quum margo epididymidis alter liber maneat, neque teſti, niſi forte aliquot filamentis membranaceis incertis, neque perpetuis, adnectatur, efficitur eo, ut ſic epididymis cum teſte conſtituat ſaccum quendam coecum.

Vas vero deferens, canaliculo minimo patens, origine ſua multo robuſtius, craſſius, ad teſtis dorſum, ſive faciem eius poſteriorem, reflectitur, non ita, ut prius, flexuoſum aſcendit, neque tegmine alio novo, ut epididymidis eſt modo deſcriptum, ſed laxa tantum celluloſa munitum recipitur in funiculum ſpermaticum, tendit cum eo ad annulum abdominalem, per quem in pelvim tranſcendit, inſeriturque veſiculis ſeminalibus, ſitis infra urinariam veſicam ad utrumque eius latus, duos inter ureteres. Fabrefactum eſt membrana craſſa, valde extenſili, intus laeviſſima, extus in multam ſpongioſam telam facile ſolubili. Eiusdem fabricae, ſed multo tenuioris, ſunt vaſcu-

la, epididymidem conſtituentia, & eiusdem videntur eſſe ſeminifera in ipſo teſte, epididymide adhuc tenuiora. Sed albuginea ſit celluloſa, ſive laminis fibrisque ſolidis, breviſſimis, arctiſſime ſibi impoſitis, ita tamen, ut extenſilis ſatis maneat, turgeatque macerata in aqua, cellulas, ſive fibrarum interſtitia, quamquam minima, penetrante replenteque.

Videmus ex modo dictis, teſtium ſubſtantiam vaſculoſam eſſe in univerſum, vaſcula minima flexibus multis valde eſſe intorta, celluloſa multa laxa, media necti eadem; celluloſa conflari itidem, tum membranulas, vaſa conſtituentes, tum albugineam, ex qua teſtium pendet figura, vaſcula illa coërcentem. Colligimus inde, liquidum, vaſculis hiſce contentum, lente moveri, aegerrimeque; motum eius impediri poſſe facillime; ſtagnare inde idem, accumulari; tumefacere vaſcula extenſilia; poſſe liquidum in celluloſam effundi, cellulas replere, turgefacere; intumeſcere poſſe ſic totum teſticulum, hocque fieri, plus liquidi eo ſi affluat, quam revehatur. Advehunt vitale liquidum arterioſa vaſcula, *ſpermatica* dicta, revehunt quoad maximam, certe alteram eius partem, venoſa eiusdem nominis, reſorbent alteram eius aliqualem limpidiſſimam lymphatica; concomitant arterias venasque nervi plurimi, organa, & ad motum ſanguinis, & ad ſenſationem, & ad ſecretionem ſeminis ipſius quam maxime neceſſaria. De ſingulis ergo pauca erunt adiicienda.

*Spermaticarum arteriarum* numerus & origo, & decurſus ſatis incertus & variabilis eſt. Dicam, quod ſit utplurimum. Duae ſunt communiter, tres quandoque, rarius quatuor, rariſſime unica tantum, & dubitandum, an quinque unquam viſae ſint, uti voluerunt quidam. Si duae ſunt, oriuntur plerumque parallelae, quandoque dextra altior ſiniſtra, quandoque ſiniſtra altior dextra, ex facie anteriori aortae infra emulgentes, ſupra meſentericam inferiorem. Supra emulgentes tamen quandoque viſa eſt orta altera ſpermaticarum, tum ex aorta ipſa, tum

tum ex capſulari, imo ex emulgente, ſive renali etiam ipſa. Tranſeo rariſſimam originem, niſi dubiam, infra meſentericam inferiorem ex aorta & hypogaſtricis. Ortae ſueto loco, ut dictum eſt, ſpermaticae ambae, minimae ratione ſuae longitudinis & ratione venarum ſociarum, acutiſſimum cum aortae trunco progrediente includunt angulum, deſcendunt primo quidem ſatis recta, ſed obliqua paululum verſus latera declinante via, retro meſocolon & retro peritonaeum, ante muſculum pſoam (dextra etiam ante venam cavam), prope & ante renum limbum inferiorem, ante ureteres denique. Dant in hoc itinere ramulos parvos pinguedini renes inveſtienti, glandulis lumbaribus, meſocolo, peritonaeo, ureteribus, accedunt venis ſpermaticis, utrinque eas porro comitantibus, & circa imos utrinque renes flexas adipoſas Halleri, emittunt ramos pro ſuo trunculo inſignes. Pergunt deinde flexuoſo magis ductu ante iliacum & pſoam muſculum, & retro peritonaeum, ad annulum usque abdominalem. Tranſeunt hunc una cum venis ſociis, iunguntque ſeſe inſuper & ductui deferenti huc ex teſticulis aſcendenti, usque occurrenti, & nervis multis ex abdomine ſimul deſcendentibus. Conſtituunt cum his omnibus ſimul ſumtis, multaque celluloſa laxa invicem connatis, funiculum ſpermaticum. Huic complicatae ſerpentinae tranſcendunt ad inguina, ad ſcrotum, atque in hoc itinere cremaſteri proſpiciunt, celluloſae tunicae & funiculum ac teſtem ambienti, & ſcroto ſeptum formanti. Mirum poſt tot emiſſos ramulos vix minores nunc eſſe arterias ſpermaticas, quam fuerant prima origine. Sed diviſae iam in duos ratione trunculorum inſignes itidem ramos, teſtem petunt. Ramorum alter maior, medius inter epididymidem & vas deferens, in epididymide partim, partim in albuginea conſumitur ramulis, & illius inter gyros ſparſis, & hanc in medio teſte penetrantibus, qui transverſim in ea, ratione teſticuli longitudinis, feruntur, atque valde flexuoſae tandem diſparent; alter minor, ductum deferentem concomi-

tans, apicem ſupremum teſtis adit, albugineae hic ſeſe immergit, ramis pariter transverſis ſerpentinis minimis ſenſim evaneſcit. Communicant cum arteriolis, ab epigaſtricis & a veſicalibus ad exteriora teſtis integumenta pervenientibus. Sed anaſtomoſis arterias inter & venas ſpermaticas manifeſta, oculisque conſpicua, diſparuit, poſtquam coeperunt Anatomici cera artificioſe replere vaſa.

Redit per *venas ſpermaticas*, quem ad teſtem arteriae miſerunt, ſanguis. Reſorbent hunc venoſi ramuli parvi, maiores tamen longe ſuis arteriolis, rectioresque transverſo ſuo in itinere per albugineam ambulantes, ratione teſticuli longitudinis. Prorumpunt ex ea duobus potiſſimum locis in duos collecti venoſos ramos, alter ſcilicet in medio teſte, in vertice eius obtuſo, alter locis iisdem, quos penetraverant ſpermaticae arteriae ramuli ambo. Recipit ramos ex epididymide venoſorum ramorum maior, cum minori mox prope teſticulum adſcendendo in unum confluens. Sed diviſus mox iterum in duos, pluresve, ſtatim denuo ſeſe iungentes, invicemque rurſus communicantes, qui plexum faciunt mirabilem, flexuoſam arteriam, nervosque aliquos irretientem, format corpus, quibusdam dictum, *pampiniforme*. Emergit hoc ex ſcroto, adſcendit ad inguen, venit ad abdominalem usque annulum, hunc penetrat, plexuoſum ſemper abdomen intrat, & retro peritonaeum ante muſculum iliacum & pſoam adſcendendo, ad imum renis pertingit limbum, in ſimplicem iam venae ſpermaticae truncum unicum collectis omnibus ſenſim corporis pampiniformis ramis, traiicit ureterem, eandem hucusque relegens adſcendendo viam, quam deſcendendo deſcripſerat, ſui lateris ſpermatica arteria proxime ſemper adiacens. Hanc nunc deſerit, rectaque via tendit, cui ſanguinem ſuum tradat, dextra quidem ad cavam venam, prope, ſed infra emulgentis huius lateris originem utplurimum, ad emulgentem vero ſiniſtra. Vtplurimum inquam; taceo enim, quae ſaepiuſcule & hic occurrunt, varietates.

tates. Nullos, quod mirum eſt, in toto hoc itinere recipit ramos vena ſpermatica, maxime in toto corpore pro ratione ſuae arteriae, valvulis penitus deſtituta, vel ſaltem rariſſime praedita.

Fabricam hanc ſerio perpendentes, id inde facile conſequimur, lento debilique motu ad teſtem pervenire ſanguinem, eundemque tantum paucum. Longiſſima enim eſt arteria, minima ſuo diametro, ad angulum acutum e trunco progrediente emiſſa, flexuoſa valde, prope teſtem non minor, quam in origine, ramuli in teſte ſerpentini. Porro id inde concludere licet, difficillimum eſſe ſanguinis ex teſte reditum, deſtitutae enim ſunt valvulis venae magnae adſcendentes, totaque ſanguinea columna ſuo pondere reſiſtit ferenti ſurſum ſanguinis motui. Impeditum tamen & lentiſſimum motum incitare videntur, quibus magnum eſt in arterias imperium, demonſtrante Hallero, & in ſecernendis humoribus negotium certe non minimum, *nervi* plurimi ad teſtes accedentes.

Praecipui horum nervorum ſunt plexuum renalium propagines. Accedunt vaſa ſanguifera ſpermatica, hiſce comites, annulum abdominalem perforant, ad ſcrotum deſcendunt, teſtem adeunt, illique medio ſeſe immergunt, albugineam penetrantes inter epididymidem & vas deferens. In ramos dividuntur innumeros, minimos, pulpoſos, & ſex vix conſpicui per totam diſtribuuntur teſtis ſubſtantiam. (Sunt & alii a nervo tertio lumborum, ſed hi potius pertinent ad teſtis integumenta.)

A nervis hiſce tenerrimus teſtium ſenſus, dolor inde in teſtium laeſione acutiſſimus, intenſiſſimus, totum abdomen pervagans, diaphragmatis motum & ſpiritum ad temporis momentum ſufflaminans, & convulſiones inde a teſtibus compreſſis, & tetanus, & opiſthotonus, & ſpaſmus cynicus, & deliria a laeſis iisdem.

Superſunt deſcribenda *vaſa lymphatica.* Sed in his deſiderantur, niſi Anatomicorum diligentia, ſufficientes tamen certe eorundem, uti in toto vaſorum lymphaticorum ſyſtemate, obſer-

ſervationes. Adeſſe in teſte, certum eſt, an ſemper? credibile. Credibile, originem ea trahere ex ipſo teſte, per multos ramulos confluentes. Viſa ſunt ad inguina ſerpentina, atque iis ſeſe iungentia, quae ſequuntur vaſa ſanguifera inguinalia. Nullum eſt dubium, haec, ut reliqua lymphatica vaſa, ad ductum thoracicum tandem referre, quod vehunt, limpidiſſimum liquidum. Reſorbent enim vel ex ſanguine ad teſtem allato, vel ex ſemine, in teſte ſecreto, tenuem, pellucidamque lympham.

Teſtes iam, Sarcoceles ſedem, deſcripſi, & patet, a natura eos ita eſſe fabrefactos, ut ad naſcendum tumorem talem durum indolentemque, qui Sarcocele dicitur, ſint apti. Fac enim, ut vel ſanguis advehatur, integerrimo etiam teſte, ſuis arteriis, denſus ac inflammatorius, vel ad laeſum, dolentem, irritatumque teſtem citatioribus ictibus, pleniorique pulſu copioſior pellatur, quamvis ſanus, inflammabitur teſtis, tumebit, calebit, durus fiet, dolebit. Namque ſanguis vel denſus inflammatorius, vel copioſior ibi praeter naturam, citatiorque, non absque impedimento abſolvet circulum, qui praeterea, ſicuti iam monui, ob naturalem arteriarum fabricam difficilis hic eſt & lentus, in vaſculis minimis, nondum praeter naturam dilatatis; ſtagnabit hinc ſanguis, penetrare per ea impos, neque tantum eius reſorbebunt venae, per quas in ſtatu ſano iam difficilis eſt, ut antea dictum, reditus, & in quas, impedimento nunc nato, tranſire nequit, quantum eius arteriae advehunt, accumulabitur, urgebitur ſemper novis adventantibus cruoris undis; augebitur eius inteſtinus motus; calebit teſticulus, exitum, preſſus undique cruor, quaeret, preſſi praecipue globuli ſanguinei rubri intrabunt vaſa minorum generum, ſanguinem rubrum ſecundum naturam vehentia, hiſce dilatatis, extenſilia enim ſunt, impacti haerebunt, vel ut nuperorum obſervationes affirmant, ipſos penetrabunt vaſorum poros, inque celluloſam, eadem cingentem effuſi, hanc replebunt, extenſilem turgefacient, tumebit teſticulus, durus fiet tenſis, quibus componitur & quae eum coërcent,

cent, membranis, ſed tenſis quoque ſimul, qui per eas perambulant, nervis, teſtis dolebit, inflammatus erit. Vel finge obſtaculum quodcunque in vaſe deferente natum, quo, quod in teſte ſecretum eſt, ſemen ad veſiculas deferentes tranſcendere impediatur, perget tamen teſticulus ſecernere ſuum liquorem, integris ſcilicet reliquis omnibus ſuis vaſculis, turgebit ſua materia, dolebit, atque niſi via rurſus expediatur, fient reliqua ut ſupra, inflammabitur teſtis. Vel ſi acre factum eſſe quocunque modo, vaſculaque, quibus continetur, arrodens, concedas ſemen, itidem inflammari neceſſe eſſe teſticulum patet; ubi enim irritatio, ibi maior affluxus humorum, vitalis praeſertim liquidi, ibi & inflammatio tandem, perſiſtente ſcilicet irritamento. Teſtem itaque inflammari poſſe, nulla relinquitur dubitatio, & qua ratione id fiat, quatenus nempe in corpore atque in teſtium fabrica lateant eius cauſae, manifeſtum eſt. Pone nunc illum inflammatum, inflammationem autem talem tantamque, quae reſolvi non poſſit, vel certe non reſolvatur, tantam tamen neutiquam, qua vaſcula rumpantur, ſuumque haec effundunt liquorem, coquendum in pus, neque tantam tandem, quae omnem penitus ſufflaminet motum, quae omnem aboleat influxum vitalis liquidi in arterias, effluxum per venas, ut ſic in mortem tradatur pars affecta, vel abeat in gangraenam, ſive ſphacelum; impacti haerebunt, hiſce conditionibus poſitis, in quas penetraverint, cellulis, vel vaſculis minoris diametri, neque ſui generis globuli rubri ſanguinei reſorbebunt limpidiſſimam partem effuſi ſanguinis, alteram vaſa lymphatica, alteram ſpermatica ſive ipſa ſeminalia, quamquam quodammodo compreſſa utraque; inſtar roris per ſuperficiem teſtis transſudabit diſſipabiturque aliqua ſanguinis pars viſcoſa, ſive gelatinoſa, conglutinabit ſanguineos globulos, favebit hiſce omnibus praeternaturalis ab inflammatione calor, ſolidam formam ita induent liquida, neque tamen ſubſidebit tumor, inflammationis cauſis non penitus ſublatis, augebitur potius, durus manebit tumidusque teſticulus,

moleſtus praeterea atque ponderoſus, ob auctam partium ſolidiorum eius multitudinem, indolens tamen, namque diu ſupra modum tenſi, & ab omnibus partibus compreſſi nervi, ſenſim paralytici facti, ſuum amittent ſenſum. Sicque ex teſtium fabrica concipitur, Sarcocelen hic poſſe oriri, & oritur ea reipſa, *cauſae* ſi accedant *procatarcticae.*

Sunt hae omnes, quae tali deſcriptae inflammationi anſam dare atque originem poſſunt; violentae ſcilicet teſticuli laeſiones externae omnes, contuſiones quaecunque, haemorrhoidum ſuppreſſio, atque aberratio, rariſſima quidem, Veneris exercitatio nimia, miaſma venereum ex impuro coitu contractum, & quae ſunt forte aliae. Sed eſt manifeſta in aegroto propoſiti caſus intempeſtive ab imperito Chirurgo cohibita gonorrhoea maligna, unde teſticuli inflammatio, itidem procul dubio inepte ab eodem tractata. Namque ex impuro coitu gonorrhoeam malignam ſibi contrahit iuvenis nobilis, & imperitum conſulit Chirurgum, qui ipſi medicamenta exhibet, quibus gonorrhoeam ſatis prompte cohibet. Verum alter teſticulus intumeſcit ad pugni magnitudinem cum vehementi dolore, quod inflammationem eius abunde indicat. Varia ad hunc tumorem debellandum tentat Chirurgus idem remedia, ſed fruſtra; tumidus manet teſticulus, aegroque valde moleſtus. Ex intempeſtive hac cohibita gonorrhoea maligna teſticuli inflammatio talis qua ratione potuerit oriri, nunc praecipua erit quaeſtio. Eſt gonorrhoea maligna urethrae catarrhus, ſive muci in glandulis, ſinubusque mucoſis urethrae copioſius ſecreti, varie utplurimum corrupti & acris ſtillicidium ſive profluvium, ortum ex miaſmate venereo, cum membranae, urethram intus veſtientis, inflammatione, nunc maiori, nunc minori. Intempeſtive haec a medicaſtris Chirurgisque imperitis cohibetur, ſi absque maligni morbi materiae evacuatione & correctione copioſior muci ad glandulas, ſinusque mucoſos affluxus, eiusque excretio, adſtringentibus & repellentibus impediatur, iisdemque inflammatio non ſolvatur, ſed

ſed retropellatur. Quid mirum, tunc ad vicina ſi ſerpat inflammatio, a gallinaginis capite in urethra ad deferentem ductum, ab hoc ad teſtem? namque in communem, quod ſupra monere oblitus ſum, ductum prope veſicam confluit & deferens ductus & veſicula ſeminalis, qui per proſtatam glandulam penetrans, atque in urethra prope gallinaginis caput minutiſſimo oſtio o, ad quodvis latus uno, ſeſe aperit. Quid mirum, inflammata deferentis ductus membranula, & tumida eadem, & comprimente oſtiola, per quod in ſeminales veſiculas exonerat illud, quod vehit, ſperma, huius ſi exitus prohibeatur, illudque accumuletur in teſte? Quid mirum, miaſmate venereo, cuius exitus per glandulas urethrae nunc impeditus eſt, ſi inquinetur ipſum ſemen contentum, & vaſe deferente, maligne nunc inflammato, & teſticuli vaſis ipſis cum illo cohaerentibus, acre hoc irritet teſticuli ſenſilem ſubſtantiam? Quid mirum, ſanguinem venereo miaſmate inquinatum, denſum, ad teſtem allatum, arteriolas, easque minimas, obturare (in coagulum enim cogere lympham, miaſmati venereo proprium eſt, uti ex obſervationibus conſtat)? Quid mirum, inflammari teſtem, hiſce conditionibus conceſſis vel omnibus, vel aliquibus, vel unica tantum? Et quid tandem mirum, in aegroto quoque propoſiti caſus teſticulum fuiſſe inflammatum, & inflammationem hanc excepiſſe Sarcocelen? Cohibuit intempeſtive Chirurgus, ultra crepidam ſapiens & temerarius, gonorrhoeam malignam, & teſticuli inflammationem ſolvere, vel vertere in pus, neſcivit procul dubio ignarus idem. Sarcoceles itaque originem in aegrotante noſtro ſatis conſtare autumo. Qualis nunc eius ſit exitus vel ſperandus, vel metuendus, ut brevibus indicem, poſtulat tractationis ordo.

In carcinoma abit ut plurimum, raro vertitur in pus, rariſſime medicamentis ſolvitur Sarcocele inveterata magna, qualis illa eſt, cuius exemplum proponitur in caſu noſtro. Reſolutio enim poſtulat, ut praeter naturam concretae atque conglutiſ-

glutinatae partes neque tam multae ſint, neque tam tenaciter cohaereant, quin divelli nequeant medicamentis, ut robur adhuc ſuperſit, vel reſtitui ſaltem facile poſſit tum membranis, quibus coërcetur teſticuli ſubſtantia, tum iis, quae vaſcula conſtituunt et ſanguifera et ſeminalia teſtis; ut nervi tandem non ita ſint reſoluti, ſive paralytici, qui omnino reſtitui nequeant. Hae conditiones omnes autem volunt, ut recens ſit Sarcocele, neque nimis magna. Vix ergo eius reſolutio ſperanda erit in aegroto noſtro, qui ſuam iam per tres menſes geſtavit ad pugni magnitudinem. Neque ſuppuratio facile ſperanda eſt, quae non ſuccedit benigna, niſi aliqua adhuc ſupereſt inflammatio in teſte, aliquis ſenſus in nervis, atque dolor; ſed tunc itidem recens eſſe debet Sarcocele, neque nimis magna. Inveterata autem eſt aegrotantis noſtri, indolens, atque ad ingentem magnitudinem iam iam deducta. Carcinoma ergo erit metuendum. Verum enim vero illud antecedere debet nova, quae diu poteſt caveri, partium quam maxime vicinarum inflammatio.

Cavenda tantum erit irritatio quaecunque, quae tali Carcinomati anſam dare poteſt, veluti teſtis laeſio, contuſio, frictio, ſuggillatio quaecunque, exaeſtuatio corporis omnis, Veneris exercitatio nimia, & quae ſunt alia. Pondus praecipue moleſtiſſimum, novamque inflammationem minitans, ſublevandum erit. Fit hoc, artis lege adaptato applicatoque ſuſpenſorio. Sed hoc levamine vix contentus iuvenis nobilis, temperamenti ſanguinei, impatiens, poſtulabit curationem.

Tollendum itaque erit, quod praeter naturam cepit augmentum, teſtis ſubſtantia. Hocque tentari poterit ſive benigna reſolutione, exquiſita medicina, morbo rite ac ſalutariter oppoſita, ſive reſectione, prudentis Chirurgi manu artificioſe inſtituta.

Per ſuppurationem quidem ad ſanitatem quoque aegroto patet via. Sua ſponte hanc quandoque ſatis tuto ipſa ingreditur natura. Sed pro lubitu eandem ſeligere medicanti vix unquam

quam, niſi forte in Sarcocele recentiſſima, immo ne tunc quidem, licet, ob ſummum hic carcinomatis metum. Chirurgica operatio id vitium ſemper habet, ut nobiliſſima quadam corporis parte neceſſario per eandem privetur aeger; teſtem enim ipſum una reſecare cum tumore oportet. Dubius praeterea eſt eius quandoque exitus, & de vita non raro idem periclitatur aeger. In reſolutione autem integerrima tutiſſimaque aegri ſanitas, ſummus artis honos, blandiens medicantis laus unice fere ſita eſt. Hanc itaque prae ceteris, ſi ullo modo fieri poterit, intendere eum oportet, & huic ſcopo aptam quaerere methodum. Feliciter ut id fiat, breviter memoria repetat neceſſe eſt praecipua momenta geneſeos morbi, quem tractat. Orta eſt Sarcocele caſus noſtri

1) Ex miaſmate venereo; ergo hoc erit infringendum.

2) Ex retropulſa adſtringentibus gonorrhoea maligna, qua impedimentum natum eſt ſemini, vel in epididymide, vel in vaſe deferente, ex teſte ad veſiculas ſeminales adventanti; ergo malignae materiae effluxus ex urethra, ſi fieri poteſt, reſtituendus erit, impedimentum, ſeminis motui oppoſitum, tollendum.

3) Ex multis partibus alienis conglutinatis; ergo gluten erit ſolvendum, partes alienae diſſociandae.

4) Ex ſanguinis partibus, quarum pars liquidiſſima eſt diſſipata; ergo diluere hic oportet ſanguinem, & partes praeſertim concretas.

5) Ex partibus alienis, in celluloſam effuſis, maiori quantitate, quam ut reſorberi potuiſſet per venas in ſanguinem; ergo has diſponere neceſſe eſt, ut reſorbeantur ſenſim.

*a*) Dilutas itaque leniter moveri oportet; absque motu enim reſorbentium venarum orificia, quamquam admodum patula, non ingredientur.

 *b*) San-

*b*) Sanguinis in venis quantitas erit minuenda, ut capaciores reddantur eaedem, & ad plures partes reſorbendas aptiores.

*c*) Reſtitui oportet membranis amiſſum robur, ut in minorem molem redigant, quas capiunt extenſae, tot alienas partes.

*d*) Roboranda ſunt debilitata vaſa, ut ad legitimum circulum humorum abſolvendum reddantur aptiora, & actio in fluida augeatur.

*e*) Paralyticos nervos, compreſſos ſaltem hic, atque inertes, movere decet, & ſenſiles reddere, tum ut ſuo rite fungantur in ſecernendis humoribus munere, tum ut exerceant ſuum in arterias imperium, ne plus humorum advehant atque dimittant, quam per venas poſſit reſorberi.

*f*) Exaeſtuantem denique inflammatorium ſanguinem denſum, ſi talis adhuc ſupereſt, temperare decet, atque fluidum reddere, ne nimis ad teſtem urgeatur, ne nova accedat inflammatio, & ut expeditior evadat in teſte humorum circulus.

Infringitur venereum virus mercurio praecipue, & mercurialibus praeparatis, tum intus ſumtis, tum extus applicatis, & non inutile illis additur Lignum ſanctum, Saſſafras, Iuniperi, cet. Radix Bardanae, Saponaria, & alia ſanguinem depurantia, in forma decocti; & egregie vim augent reſina Guaiaci & Sulphur aurat. antimonii tertiae praecipitationis, minori doſi adhibitum. Potentiſſime omnium virus venereum domitat ſalivatio mercurialis, & hac ſola unice curatae ſunt quandoque Sarcocelae pertinaciſſimae.

Materiei malignae per urethram effluxus feliciter ſatis quandoque reſtituitur alvi purgationibus, mercurialibus, fomentationibus, cataplaſmatibus reſolventibus, iisdemque impedimen-

tum

tum tollitur, oppoſitum ſemini per epididymidem & vas deferens ad veſiculas ſeminales progredienti.

Gluten, quo cohaerent alienae partes in ſcirrhis, adeoque etiam in Sarcocele, ſolvunt gummeo-reſinoſa, Gummi ammoniacum, Bdellium, Opoponax, Galbanum, Sagapenum, quorum alia in pilulis aegroto deglutienda exhibentur, alia omnia emplaſtri forma extus applicantur. Sola haec quandoque ſufficiunt, viſcerum glandularumque ſcirrhis tollendis; ſed virus venereum tunc nullum adeſſe debet.

Diluitur ſanguis, atque partes praeter naturam concretae, quas nunc ſolutas concipimus, aqua ſimplex, Decocta aquoſa, praecipue in noſtro caſu lignorum.

Solutae partes & dilutae ſenſim, ut a venis reſorbeantur, diſponuntur

α) leniter eas movendo, quod fit emplaſtris ex Gummatibus; lenis enim calor, quem faciunt haec, & quo teſticulum fovent, ad blandum hunc motum producendum ſufficit.

β) Venas ab onere & copia ſanguinis liberando, quod fit Venaeſectione.

γ) Reſtituendo membranis amiſſum robur, cui ſufficit vis balſamica gummatum reſinoſorum, & vere (quae iis denegari non poteſt) conſtringens quaedam.

δ) Et eadem ſufficit roborandis vaſis,

ε) & reſtituendis nervis.

ζ) Temperatur denique exaeſtuans ſanguis methodo antiphlogiſtica, & diaeta temperante.

Hinc ſequens inſtituatur methodus medendi apta, efficax & tuta:

I.) Sanguis e brachio aegrotantis detrahatur ad ℥VI. VIII. vel X. ſemel, vel, aliquot diebus interpoſitis, bis, vel ter

ter, pro ratione plethorae iuvenis ſanguinei temperamenti.

II.) Sequenti ſemper die alvus ducenda erit purgantibus, quibus etiam mercurium dulcem addere licet. Nihil magis, teſte SYDENHAMIO, exaeſtuantes ſanguinis motus placat atque mitigat, quam purgatio alvi, ſtatim poſt Venaeſectionem inſtituta; ſanguinem ea ſimul depurat, & primas vias praeparat ad melius ſuſcipienda, decoquendaque medicamina ſubſequentia.

III.) Decocti cuiusdam Lignorum libras ij. vel iij, prout ferre poterit, calide bibat aeger omni mane & pomeridie.

IV.) Quotidie matutino & veſpertino tempore ſequens Electuarium ſumat ad ʒj. circiter: Rec. Elect. mundific. Werlhof. abſque fol. Senn. ℥j. Antimon. diaphor. ʒij. Panac. mercurial. ℈iv. vel ʒj. Sulph. aurat. antimon. tert. praecipit. ℈j. vel ʒß. Syrup. Diacod. ℥ß. M. F. Electuar. D. S. *Morgends und Abends zwey kleine Theelöffel voll zu nehmen.*

Vel etiam iisdem temporibus Pilulas deglutiat ſequentes: Rec. Gummi ammoniaci depurat. Reſin. Guaiac. Extr. Fumar. ana ʒij. Calomel. ℈iv. Sulph. aurat. antimon. tert. praecipit. ℈ij. cum Tinct. antimon. tartariſ. q. ſ. F. l. a. Pilulae, ad pond. gr. j. conſperg. pulv. Liquirit. D. S. *Morgends und Abends* 10. 15. *biß* 20. *Stück zu nehmen.*

Vel Rec. Pulv. rad. Ononid. ℈ij. Panac. mercurial. gr. ij. Sulph. aurat. antimon. tert. praecipit. gr. j. M. exacte trit. invic. F. Pulv. D. in XIIcuplo ſeorſim, Sign. *Morgens, Mittags um* 10. *Uhr, Nachmittags um* 5. *und Abends eines zu nehmen.*

V.) Si inſtantis forſitan ſalivationis ſigna ſeſe proderent, purgetur aeger.

VI.)

VI.) Extus applicari debet Empl. de ranis c. mercur. Diabot. Blondelli, Diachylon cum gumm. ſaponat. Barb. diaſulphur. Ruland. vel aliud ex gummatibus additis hiſce compoſitum. Mihi quidem ſequens tentandum arridet, quod in aliis glandularum ſcirrhoſis tumoribus, quam maxime etiam rebellibus, potentiſſimum deprehendi: Rec. Empl. de ran. cum tripl. mercur. de Meliloto, de Hyoſcyamo, ana ℥ij. M. F. Emplaſtrum.

Vel Cataplaſma, quod ſaepius non ſine fructu in uſum vocavi, coctum ex herb. Arnic. tot. Cent. min. Urtic. Symphyt. pulv. rad. Conſolid. mai. Semin. Sinap. Foenu graec. farin. Fabarum, Bol. Armen. flor. Sambuc. cum aqu. Calc. viv. & flor. Samb. addito oleo Sulph. roſat. & ammon.

Saepiuſcule mihi ſucceſſit feliciter, ut in Sarcocele quidem vera, recenti tamen, Roob Sambuci aliquoties calide impoſito, ſenſus atque dolor quidam in teſte punctorius redierit, gonorrhoea denuo ſtillare inceperit, hancque rite tractans, atque teſtis inflammationi ſecundum artem proſpiciens, perfectam obtinuerim curationem, atque aegrotum, tumidumque ac durum teſticulum ſano plane reddiderim ſimilem. Sed prudentia in his medicaminibus externis applicandis eſt adhibenda. Venaeſectio & purgationes, & remedia interna neceſſario praemittenda, & applicatis tandem externis attentus ſemper debet eſſe Chirurgus, num quoque ad ſuppurationem tendat Sarcocele, vel ad Carcinoma, ſub illorum uſu.

Alia methodus, itidem non iners, tentanda mihi videtur, ſcilicet,

I.) praemiſſis Venaeſectionibus & purgationibus alvi, quotidie ſemel, vel bis, unguento Neapolitano inungat non modo, ſed & leniſſime eodem fricet aeger teſticulum tumidum.

II.) Quotidie interea utatur Decocto lignorum, & Electuario mundificante meae ordinat. abſque fol. Senn. & abſque mercurialibus praeparatis, cum pauxillo Sulph. aurat. antimon. ſtimulato.

III.) Tertio vel quarto quovis die ſumat Elect. mundific. meae ordinat. cum fol. Senn. ea quantitate, ut valide ſatis alvus ducatur, & ſemper ſalivatio impediatur.

Diaeta interim praecipienda, quae non modo aegroto non noceat, ſed & indicationibus dictis conveniat. Nimis nutrientia non permittenda erunt; quo magis enim impurum (& miaſmate venereo inquinatum) corpus nutriveris, eo magis laedes, iuxta Hippocratis effatum. Ergo carnes & carnoſa, ova & ſimilia, vitanda erunt. Fructus horaei, tenues ptiſanae & ſimilia optima. Seduło abſtinendum erit ab omnibus, quae ſanguinis exaeſtuationem, vel phlogoſin aliquam producere valent, ab aromatibus, ab acribus omnibus, acidis, ſalſis, fumo induratis, a liquoribus fermentatis, ſpirituoſis, ab omni vehementiori corporis & animi motu, labore, vigiliis, Veneris exercitio, cet. Aër purus & temperatus, quantum poteſt, quaerendus, & quae ſunt alia.

Hiſce methodis fruſtra adhibitis ipſa Salivatio mercurialis reſtat tentanda, quae qua ratione & provide & tuto ſatis inſtituatur, tot, tamque variae methodi abunde hodie ſunt notae, ut iis immorandum mihi non eſſe exiſtimem. Sed haec quandoque fruſtra adhibetur, ſicuti methodi reliquae, atque fruſtra easdem tentatum iri in aegroto noſtro, ubi inveterata eſt Sarcocele, & ad ingentem magnitudinem deducta, certo certius eſt exſpectandum. Reſtat, ſi hoc accidit, nil, niſi *operatio chirurgica.*

Ex

Exſcindendus erit teſtis totus, quem tumidum, durum, ponderoſum, moleſtum diutius ſecum geſtare renuit aeger, vel qui in funeſtum, pernicioſumque carcinoma tandem degenerare videtur, ſive quem mox forte iam in illud degeneraturum animadvertitur. *Caſtratio* haec vocatur Chirurgis operatio. Perículoſa ſemper eſt; aſt legibus hodie a praeſtantiſſimis Chirurgis ſancitis feliciter nunc peragi poteſt utplurimum, hae ſcilicet ſi non negligantur. Prudentiſſimas haſce reperimus curioſe ita deſcriptas in limato illo perfectiſſimoque Illuſtris Heisteri, Chirurgorum hodie facile principis, Opere chirurgico, quod ſplendidiſſime impreſſum Amſtelodami prodiit, p. 791. & ſq. ut quid addere poſſim, aut alius quisquam melius efficere poſſit, non videam. Inde illae poſſunt repeti; ſed easdem denuo hic dicere, nudeque ruminari, vix neceſſe eſt, vix a me poſtulari poſſe, exiſtimo, melioresque cum tradere nequeam, penitus eas ut praeteream, vix hic mihi vitio verti poſſe puto. Verum enim vero ab iisdem cum olim aliquantum receſſerim, non iniucundum forte erit, plenius hic paululum & candide ſi referam, qua ratione eandem inſtituerim operationem.

Viduus ſex annos iam Sarcocelen ingentis magnitudinis, libram unam cum dimidia pendentem, ex male curata Gonorrhoea maligna natam, ſecum geſtaverat. Ad ſecunda vota nunc tranſiens, a me petiit conſilium. Nil ſupereſſe iudicavi, niſi ut, chirurgico ferro adhibito, teſtis morboſus exſcinderetur. Periculum & difficultatem ſimul indicavi, exitumque ancipitem. Maluit tamen crudeli, pericoloſaeque ſeſe ſubiicere operationi, maluit mutilus intrare thorum, quam monſtroſa quadam ſui corporis parte terrorem iniicere dilectae ſponſae. Fidus commiſit ſeſe mihi, meaeque prudentiae. Praeparavi per ſeptimanam corpus ad operationem, Venaeſectione, purgationibus, diaeta. Conſtitui diem operationi. Adornavi apparatum. Ordinatim diſpoſui, ut prompte, quibus uterer, ad manus eſſent,

 ſcal-

ſcalpellum, acum incurvam linum trahentem, aciculas duas alias incurvas, per quas filamenta duplicia ſerica cerata immiſeram, quarum altera tenaculo armata erat, eadem ut uterer, ſi forte digitis, ab operatione madidis lubricisque, altera nuda firmiter teneri non poſſet; boviſtam, cuius loco nunc ſumerem, fungum quercinum praeparatum; linum carptum, ex eodem praeparatos plumaceolos, ſpleniola aliquot, faſciam ulnas aliquot longam, digitosque tres transverſos circiter latam, in unicum glomerem convolutam, ſuſpenſorium denique commodum.

His ſingulis ſeorſim ordinate diſpoſitis, aegrum in lecto ſecundum longitudinem collocari curavi, brachia & genua miniſtris duobus firmiter tenenda tradidi, miniſtrum tertium cutem in Scroti parte ſuperiori, prope inguen, duobus digitis transverſe plicatam attollere iuſſi; ſiniſtrae meae manus digitis duobus prehenſam eandem cutis plicam ſcalpello admoto, quod dextra tenebam, diſſecui; inciſionem factam dilatavi ſecundum artem, ut ſatis eſſet; digitis nunc fere unice (non ſcalpello vel forſice adhibitis, quamquam hiſce quandoque etiam, ubi neceſſe erat, in ſubſidium vocatis,) celluloſam telam Scroti ſenſim a teſte cauteque ſeparavi. Mirum eſt, hoc absque magnis fieri doloribus, & tutius longe, & citius fere, quam unquam vel forſicis ope, vel ſcalpelli fieri poteſt. Libero a Scroto teſte, circa funiculum ſpermaticum, non ita procul ab inguine, acum traieci incurvam, linum duplex ceratum trahentem, linum autem neque conſtrinxi, neque nodo nexo ligavi. Duplex huius erat uſus, alter ut, vulnere poſt forſitan ſqualido & ſuppurante, ſpermaticus funiculus mihi tamen viſui ſemper appareret, alter, ſi praeter ſpem accideret haemorrhagia ingens, haec ut mea ſemper ſub poteſtate maneret, atque ad nutum poſſet ſiſti, conſtricto ligatoque filamento. Nunc prudentem miniſtrum prehendere iuſſi funiculum ſpermaticum ea parte ſuperiori, quae eſſet

eſſet ſana, pulſantem arteriolam quaerere duobus digitis, iisdemque eam comprimere, atque hoc facto, unico ictu ſcalpello funiculo admoto, teſtem reſecui ad ſemipollicem fere ſupra indurationem; arteriam remittere paululum iuſſi miniſtrum, non penitus dimittere, ſanguis ut aliquantum proſiliret, arteriamque ſpermaticam ut certius poſſem detegere, hancque eandem, cum appareret, traieci unico ictu acicula incurva, huius ope illam protraxi aliquantum, ligavi filamento duplici ſerico cerato (arteriam ſcilicet ſolam unicam); ſanguis profluxit porro nullus, vel eius guttula tantum, libere etiam funiculo ſpermatico dimiſſo. Linum iſtud ad vulneris angulum removi, & tenaci emplaſtro cuti agglutinavi. Venarum orificia, atque ligatam arteriolam texi, quod vix opus erat, boviſta, ſuperimpoſui plumaceolos, linum carptum, ſpleniola. Faſciam applicavi, ut artis eſt, circumvolvendo in vincturae ſpeciem, quam ſpicam vocant, formatam. Fomentationem adhibui linteaminibus imbutis, madidisque, tepido adhuc vino, cui incocta erant arnica, aloës, myrrha. Linteamina firmavi ſuſpenſorio. Abdomini inſperſi oleum roſatum & chamomillae. Duas poſt operationem horas Venaeſectionem inſtitui ad ℥viij. ob corpus plethoricum & metuendam febrim, & eandem ob cauſam praeſcripſi mixturam temperantem, leniter diapnoicam, camphoratam. Poſt horas XXXVI. laxavi vincula, aderant ſuppurationis initia. Deligavi vulnus balſamo Arcaei & hac vice, & per ſex ſequentes dies, poſtea tantum linamentis carptis ſiccis. Fomentationes & inſperſiones abdominis continuavi ad finem usque curationis. Quinto die filum ſericum, quo ligata erat arteria, decidit per ſuppurationem, absque ulla tamen haemorrhagia, & eodem die removi linum circa funiculum ſpermaticum ductum. Die XXIVto poſt operationem perfecte ſanus fuit aeger, & poſt tres menſes uxorem ſibi adiunxit, ex qua, poſtquam vix annus interceſſerat, filiolam ſuſcepit.

Eadem methodo non multo poſt alium eadem felicitate ſanavi. Nata huic erat Sarcocele ex contuſo iam ante quatuor annos teſte, nunc tumido, duro, ob ingens pondus aegrotanti moleſtiſſimo, immo doloroſo & funeſtum carcinoma minitante. Exſciſſum eadem prorſus methodo teſticulum cultro ſubieci anatomico. Monſtroſus erat tumoribus undique enatis, eorumque materia albida, alia lardo, ſive Steatomati non valde abſimilis, gypſea alia.

# HISTORIA
# FEBRIS MALIGNAE

quae
in urbe & agro Iſenacenſi
annis MDCCLIX. MDCCLX. & MDCCLXI.
epidemice graſſata fuit,
conſcripta
a

IOANNE FRIDERICO CAROLO
GRIMM,

Medic. Doct. & Poliatro Iſenacenſi, Caeſareaeque Academ.
Leopoldino - Carolinae Natur. Curioſor,
Clidemo III.

§. I.

Ingens & variabilis morborum turba, quae nuper toti pene Germaniae exitioſa fuit, non praeteriit cives Iſenacenſes atque incolas circumiacentis agri. Adeo ſalubris urbs illa & omnis fere regio, cui grata vallium & montium viciſſitudo eſt, obſervatur, ut ſub temperata coeli natura, niſi tota Germania patiatur, vix unquam epidemiae aegritudinis & contagioſae cuiusdam incommoda experiatur, & diu valentes incolae tacitis annis ſeneſcant.

§. II.

Graſſati ſunt nunc delineandi epidemii & tandem contagioſi morbi ab anno 1759. ad annum medium 1762. usque. Peſſimam autem indolem quatuor potiſſimum generibus adfuiſſe clare atque indubitate commonſtraverunt hi morbi, ſaepe ſubito adorientes, ſymptomata graviſſima, copioſiſſima, vulgari medicinae quae illuſerunt, & mortem, vitae inſidioſa, ſubito interdum adtulerunt. Inprimis febris maligna & contagioſa, dyſenteria, morbilli & variolae ſunt obſervati. Hi tres priores morbi adeo memorabiles, nec raro quibusdam proprietatibus inter ſe copulati, breviter cum medela & reliquis neceſſario huc referendis, ut deſcribantur, mihi non incongruum videtur.

§. III.

*Febris* erat *maligna, epidemia & contagioſa* ; fuiſſe autem revera talem, delineatio naturae morbi demonſtrabit. Saeviit ultimo auctumnali tempore, nimirum a Decemb. menſe anni 1758. ad finem veris usque inſecuti anni 1759. Reliqui eiusdem anni menſes hos excipientes, ſalubritate non caruerunt, quamvis

ſemper aliqua morborum occurrentium in malignitatem pravitas, ſi ita dicere fas eſt, remanſerit. Rediit paullo poſtea febris quaedam acuta, hiemalibus & vernalibus menſibus anni 1760, quae, licet malignum morbum veris prioris mortis periculo non aequaverit, certo tamen illi ſymptomatum atrocia vix ceſſit. Vtplurimum tunc exitu veris atque aeſtatis tota fere parte ſeſe ſanitatis hoſtes abſcondiderunt, donec prodiit rurſus ab Auguſto ad Novembris finem usque alia lues, hiemis illa longe perniciosior, dyſenteria. Tranſiit haec rurſus in malignae indolis febrem illam, iam ultima hieme, magis tamen anni 1759. initio obviam, ita ut in valetudinem proni incolae ex uno mox in aliud inciderent periculum. Sic anni 1761. tota hiems & duo pene menſes veris periculoſiſſimam, quae magnam illorum, quos eſt aggreſſa, partem morti tradidit, aluerunt luem. Cauſſae quoque, quas tunc in ſex rebus non-naturalibus latuiſſe, ſuſpicari, imo credere nos oportet, ad tantum ſuae efficaciae faſtigium ſunt evectae, ut quartus quisque fere homo ab iſta febre Martio & Aprili menſibus correptus, trucidaretur. Ingentem verò huius civitatis incolarum atque agri numerum tunc illo decubuiſſe, quis eſt, qui neſciat? Evanuit circa finem veris huius anni triſtis morbus, licet aëris rerumque aliarum ſalubritas nondum ſit inſecuta, ut reliquorum morborum hiſtoria infra eſt expoſitura. Secundum hanc viciſſitudinem videtur maligna febris, cui ſudores, aut exanthemata aliquando competunt, hiemis verisque; dyſenteria autem, quae peſſimum virus ad canalem inteſtinorum deductum habet, partis aeſtatis atque autumni ſoboles inprimis eſſe, ita nimirum, ut eadem maligna febris pro diverſa anni tempeſtatis ratione, modo exanthematica, modo dyſenterica appellari mereatur. Vidi aliquoties, dyſenteria laborantibus, eadem calidis violenter ſedata, petechias & miliaria exanthemata erupiſſe, malignas autem febres, dyſenteriae ſimiles diarrhoeas foetidiſſimas ſecum duxiſſe. Si qua forſan fieri potuiſſet ſubitanea veris in auctumnum, auctumni in ver mutatio; tunc ſubito

aegro-

aegroti dyſenteria maligna in petechialem febrem, petechialis vero febris in dyſenteriam tranſiiſſet.

§. IV.

Haec tunc exſtitit coeli aërisque conditio, ut gelu rigens atmoſphaera hiemalibus anni 1759. menſibus mitior reddita fuerit, ſubſequente humida & pluvioſa tempeſtate vernali eiusdem anni tempore ſub perpetuo Zephyri & auſtri flatu, paucis intercedentibus diebus ſerenis. Peculiari natura nec aeſtas, nec auctumnus inſequens fuerunt, quum grata ſatis utriusque varietas eſſet. Frigidius, ut ſolet, ver anni ſequentis ſexageſimi fuit, atque Eurus, ſudo coelo, perpetuo fere flavit, poſtquam conſtans & modicum hiemis frigus praeceſſit. Puto porro negligendam non eſſe a cauſſarum ſcrutatore aeſtatis rationem, inter quam fortaſſe & auctumni naturam, indeque derivandam in corpus humanum vim, magna iam verſatur amicitia. Tranſiit autem aeſtas ſexageſimi anni, de quo nunc dico, in auctumnum perpetuis pluviis, imbribus nebuliſque obrutum, valde obſcurum atque ingratum, aeſtuante tamen Auguſti parte & menſe Septembre. Haec coeli & tempeſtatis conditio permanſit ad hiemis initium & medium menſem Ianuarium usque. Sub maxima humiditate, diebus vix triginta frigidioribus interpoſitis, tranſiit auctumnus, quin eadem humiditas duravit per omnes hiemales & vernales inſequentis anni ſexageſimi primi menſes, ut hiems nulla, continuus autem auctumnus adfuiſſe viſus ſit, cui ver, quamvis, ut decet, calidius, admodum ſimile exſtitit. Reliquorum temporum huius & inſequentis anni ſexageſimi ſecundi indolem, de induſtria nunc tranſeo, inferius commemorandam, quum veris fine febris maligna proprie ſic dicta evanuit.

§. V.

Tot homines, diverſiſſimam vitam viventes, diverſiſſimo victu utentes, eandem malignam febrem tulerunt, leviter ſo-

lummodo ſecundum corporum variam conditionem diverſam. Atque ideo, quae omnes invadere potuerunt cauſſae, adfuerint neceſſe eſt. Nec illae poſſunt facilius ullibi fortaſſe partim detegi, quam in varia atmoſphaerae mutatione deſcripta, a variis ventis, variis exhalationibus, varia aëris gravitate producta. Quamvis autem ventos ex alia regione nocivas ad excitandam noſtram luem adportaſſe particulas, vix unquam comprobari ab aliquo poterit: ita tamen illos praeſentem tunc atmoſphaerae ſtatum permutaſſe, veriſimile eſt, ut illa maxime ſanitati civium nocuerit. Interim hanc pravam inſpirandi & ambientis nos aëris non unicam univerſalem cauſſam huius inprimis malignae febris fuiſſe, alias ut credamus, nobis perſuadent. Ad has autem potiſſimum publicas a bello productas calamitates, anxias incolarum curas & timorem futuri mali, referendas eſſe arbitror. Quod enim magna, immo maxima ſit animi commotionum, cum aliquo taedio coniunctarum, ad producendos graviſſimos morbos vis, triſtis uſus certo diuque confirmavit. Id inprimis clarius patet conſideranti illos, quibus prae reliquis febris familiaris, immo lethalis fuerit.

## §. VI.

Memorabile enim eſſe videtur, hunc morbum citius & gravius illos comprehendiſſe, qui miſeram vitam degebant, tardius autem, & vere iam contagioſum, mitiusque illis contigiſſe, qui meliori fruebantur ſorte. Memorabile porro eſſe videtur, anni potiſſimum ſexageſimi primi hieme & vere malignum morbum viros & foeminas corripuiſſe, viceſimo quarto anno vix iuniores, neque quinquageſimo anno ſeniores. Memorabile ulterius eſſe videtur, illum morbum iterum diſparuiſſe inter pueros & puellas, ita ut prima veris parte adultiores, reliquis autem duobus menſibus natu iuniores decubuerint. Poſterioribus eruperunt exanthemata aeque copioſa, ne quidem infantibus in cunis decumbentibus exceptis, etſi ſymptomata omnia illorum mitiora

ra fuerint. Si qua itaque aerumnarum vis, ad producendum, excitandum, alendumque malignum morbum fuit, minus illa neceſſario in iuniorum, infantum & melioris forſan quoque ſortis hominum, corpora egit. Vtrumque enim mortalium genus non adeo vehementer, nec mox experiri mihi videtur adfectuum animi efficaciam nocivam.

Generatim igitur *frigidum & humidum coelum, tranſpirationi adeo inimicum, aër variis nocivis exhalationibus refertus, perpetuae aerumnae novae calamitatis mox invaſurae*, coniunctim longe plus occaſionalium cauſſarum aluerunt, quam ulla unquam alia res: & mox ipſius morbi, mox quoque geniti morbi contagii cauſſa fuerunt.

## §. VII.

Sic ortus eſt ex cauſſis, quas expoſui, ut credo, occaſionalibus hic morbus, quam a praedisponente aliqua iam tentati aegri facile ſuſceperunt, haeſeritve illa vel in ſolida, vel in fluida, aut in utraque ſimul corpus noſtrum conſtituente parte. Adultiorum alii, graviori cauſſa praediſponente iam tacite introducta, prae aliis eiusdem ſexus febris atrociam perceperunt. Robuſtiſſimos ſecundum externam faciem invaſit & ſi qua forſan viſcerum infimi ventris labes latuerit olim familiaris, illos oppreſſit & e medio ſuſtulit. Me vero obſervaſſe puto, ſub eadem rerum indole hanc febrem in ſequiori ſexu cum maiori periculo coniunctam fuiſſe, quam in potiori, & feminarum plures enecaſſe eiusdem numeri. Vtriusque autem ſexus periculi proportionem indicare, nunc non audeo. Adultos tandem illum ubique prae ſenibus infantibusque gravius adflixiſſe, uſui reſpondet. Decurrens febris varia produxit ſymptomata, tantum vero abeſt, ut poſteriora abegerint priora, ut potius illa auxerint. Duravit morbus ad viceſimum octavum diem aliquoties; tunc autem aegroti, ex imi ventris viſceribus laborantes, ex variis excretionum criticarum modis aliquid levaminis perceperunt. Vt-

plurimum ante viceſimum primum diem aut mors, aut vita futura indubitatis certisque ſignis comparuit. Quibusdam tandem febris ex corporis indole praeceps ſeptimo nonove die ad finem properavit. Tantae autem morbi vehementiae, dum omnia graviſſima ſymptomata intra hos paucos dies adfuerunt, viri, licet adſpectu robuſtiſſimi, qui inprimis hoc periculum ſunt experti, reſiſtere ſufficienter non potuerunt, media potius illius diei exacerbatione vitam poſuerunt, ſub ſingulari ſono cantui ſimili manumque ſub delirio perpetuo adtollentes.

§. VIII.

Pauci admodum diu antea ſuae valetudinis mutationem ſenſerunt, ut fere nulla illis ſuſpicio invaſurae luis eſſet. Plurimi itaque ſubito viribus deficientes in horripilationes inciderunt, morbi, cum reliquis mox enarrandis, verum initium conſtituentes. Rubuit illorum ſimul altera gena, palluit altera. Horripilationes, nunquam in verum horrorem & concutiens frigus tranſeuntes, aliorum vagae, vario diei tempore revertentes, aliorum fixae magis exſtiterunt. Vaga perfrigeria inſequentia ſtadia quoque plurimis adtulerunt, alii autem a morbo iam perfecte correpti, illa non amplius perceperunt. Inter erumpentis aegritudinis indicia, a nauſea, vomituritione & cardialgia cruciati ſubito bilem flavam, ac vario alio modo a ſtatu naturali alienam, evomere coeperunt; cui mox poſtea diarrhoea frequens, cum acutis, punctoriis, lancinantibus inteſtinorum doloribus copulata, acceſſit. Obſervavi interea quoque, quod nonnullorum ventriculus ad vomendum adeo ineptus exſtiterit, ut ne quidem emeticorum & laxantium, quamvis inſigni quantitate ſumtorum, efficacia commoveri potuerit. Experti ſunt cum his primarum viarum perturbatis actionibus, laſſitudinem ſummam, ut ne pedem movere potuerint, incredibiles artuum obtuſos, punctorios, pulſantes, terebrantes capitis aliosque dolores. Tota facies rubore perfuſa eſt; ſudaverunt praecordia, dor-

dorſum & caput; leviter intumuerunt glandulae iuguli & colli. Dormiverunt adhuc nonnihil, ſed hi adeo dirum morbum ſubituri, quum continuo ſomniarent, reficientem ſomnum non ceperunt. Sub tanta corporis immutatione lingua, fida alias internae indolis teſtis, ſuam naturalem & ſuavem faciem retinere non potuit, multorum potius albuit, aliorum rubra & ſicca evaſit, aliorum mox muco fuſco obducta eſt, nituit quorundam vernice quaſi tincta, glaberrima, papillis tamen obſcurioribus purpureis elevatis obſita. Vidi nonnullorum linguam lividam, fuſcam, vidi illam craſſo muco albo obductam, apice interim lateribusque ruberrimam.

## §. IX.

Nunc aberraverunt a ſuis legibus & cordis & pulmonum actiones. Licet quorundam naturalis fere arteriarum pulſus perſtiterit: plurimorum tamen celer & debilis, pro varia morbi aggreſſuri vehementia, evaſit. Raro ſub illa mutatione auctum robore & celeritate pulſum obſervavi. Illam vero celeritatem inſequens calor, horripilationes & perfrigeria ſupra memorata perpetuo inſurgentia reprimere tantiſper conſuevit. Sanguis tunc ex vena emiſſus utplurimum ſano ſimillimus fuit, interdum vero paullo obſcurior. Placentam aliquando formavit cocci neam, multo ſero perfuſam. Serum ipſum colore & conſiſtentia naturale permanſit, ſemel tamen id, quum aegra ſymptomatica Pleuritide laboraret, crocum flavedine antecelluiſſe, recordor. Gelatinae in inflammatoriis morbis placentam incruſtantis, ſi unquam, leviſſima modo veſtigia detexi. Sub triſti adſpectu quibusdam ex una alterave nare parcus & ater ſanguis lente effluxit. Reſpiratio libera & quieta non raro celerior, brevior, anxia & anhela evaſit. Tantum autem abeſt, ut reſpiratio cordis actioni reſponderit & pulſui arteriarum, ut potius turbata hac integrior illa, & integriori illa haec perturbata ſit. Omnes tuſſiverunt, nihil autem tuſſientes reiecerunt. Tuſſis ſaepe tranſiit

ſiit in ſcreatum, ſcreantes facile vomuerunt. Pleuritis ſymptomatica & ſicca aliquoties acceſſit in initio, nuncia infallibilis deliriorum, inſequentibus diebus futurorum, ſi potiſſimum punctorius dolor thoracis ſuperiores & exteriores partes gravius adflixerit.

§. X.

Nemo dubitare amplius potuit, luem ipſi, de his malis corpus tentantibus conqueri incipienti, adeſſe. Neque tunc aliqua medicina ad avertendum morbum quidpiam valuit, neque praeſentem fugare potuit. Quotidie potius invaluit. Omnium priorum ſymptomatum vehementia eſt aucta, & ſi qua forte evanuerunt, certo longe peiora priorum locum occupaverunt. Viginti quatuor horis vix ſerius, tanta accidit mutatio, atque ad nonum decimumve diem perſtitit. His diebus in plurimis; quinto vero ſextove in paucis, iisque iunioribus robuſtiſſimis, ad ſuum vigorem ſummumque vehementiae gradum adſcendit morbus. Incrementum ſive ſecundum ſtadium intermedii dies conſtituerunt.

§. XI.

Nullum humanum corpus ex ſua natura & fabrica perficit actionem, cuius non aliqua manifeſta contigerit permutatio, breviter nunc delineanda. Plurimi celeriter, violenter, ſublatis ſcapulis & anxie reſpiraverunt, aliter longe ac ſub primo febris acceſſu, quum ſcilicet ſub mala pulſus conditione ſatis libera reſpiratio permaneret. Atque adeo impedita pulmonis & thoracis actio exſtitit, ut aegrius ſanguis illum permearet. Aucta eſt tuſſis vehementia, ſiccitas non imminuta. Exſpuerunt exiguam muci copiam poſt multos tuſſiendo labores peractos. Memorabilis autem mucus colore, conſiſtentia & reliquis qualitatibus fuit. Tenaciſſimus, inſtar emolliti glutinis, firmiter dentibus adhaeſit & linguae. Raro albus & lentus ſua flavedine fuſcedineve oſtendit, quanta eſſet immeabilitas humorum per ſecernentia vaſa movendorum, & quam urens internus calor omnia occuparet.

§. XII.

## §. XII.

Auctum eundem calorem, a muci & linguae indole proditum, tactus etiam ſentire potuit. Quamvis enim non raro perfrigeriis fuerit diſtinctus, quamvis manus, cubiti, crura & facies aliquando friguerint: omni tamen tempore praecordia, dorſum, abdomen & femora ita ferbuerunt, ut tangenti aeſtus perceptio urens, manu licet remota, diu adhuc ſupereſſet. Aeſtuaverunt itaque iterum artus, quum forte evaneſceret frigus, quod illos antea occupabat. De cordis palpitatione aliqui ſunt conqueſti, alii incredibiliter cruciati a praecordiorum anxietate, & hi fere fuerunt, qui uſum omnium remediorum optimi quamvis ſaporis, vehementer abhorruerunt, periculoſiſſime aegrotantes. Sub hac cordis palpitatione, ſub ſummo illo angore, pulſum debiliſſimum & celerem, in paucis fortem & celerem, in omnibus intermittentem obſervavi, & eo magis malis qualitatibus laboravit, quo maior anxietas praecordiorum fuit, & quo vehementius cor palpitavit. Ex his ſimilibusque obſervationibus facile quis coniicere poſſet, quod ad clariſſimi Martin aliorumque mentem, cauſſa caloris aeſtusve ſanguinis ad vaſa adtritus vix eſſet. Omnibus vero ulterius conſideratis, mox, tantum abeſſe, ut haec phaenomena ortum ex adtrito ſanguine calorem dubium reddant, ut potius optime illum confirment, adparet.

## §. XIII.

Parum dormiverunt, & ſi quis forte rarus in decumbentes irrepſit ſomnus, tot inſomniis eſt turbatus, ut nullam plane ex illo hauſerint refectionem. Cum perpetuis his vigiliis ſe ſe mox ſumma inquietudo, anxietatis teſtis, & loquacitas inconſueta copulavit. Torvos & ſplendentes oculos continuo volutarunt, modo ſicciſſimos, modo involuntariis lacrumis perfuſos. Quicunque vero atrocem vultum geſſerunt, in graviſſima tandem inciderunt deliria, ſymptomaticae Phrenitidi adeo ſimilia, ut

nihil ſupra eſſe poſſit. Quid eſt autem, quod ſuo ſenſu communi, ſuo intellectu orbus non peragat? Ludicra modo fuerunt deliria, modo triſtia, plerumque cum aliqua ferocitate atque agilitate coniuncta. Scio iuvenem, ſuperſtitem tamen, adeo vehementer perturbatum, ut furioſus unius milliaris iter ſub Solis occaſum, ebrii inſtar, quamvis non ſine comite, feliciter perficeret. Generatim, licet maxima fuerit omni decurrente morbo virium proſtratio, delirantes tamen aegri omnes illas colligere videbantur ex abſconditis ſui corporis ſedibus, ad faciliter peragendas veſanas actiones. Sedulo obſervavi feminam iuniorem, olim a rabioſo cane admorſam, ut ipſa aegra & ſanguine eidem coniuncti teſtabantur, neque tamen obſervare potui, vehementer delirantis & tandem obeuntis, hydrophobiae leviſſimum veſtigium. Nonnulli morbum patienter tulerunt, & hi fere fuerunt, qui leviter ſolummodo aegrotantes certam mox recuperaturae valetudinis ſpem poſſederunt. Alii profundo ſopore ſepulti decubuerunt, hi autem palpebras tenebant ſemi apertas, oculis ſemis obductis & illacrumantibus. Expergefacti, ſtupidi, ſomnolentorum inſtar, fuerunt. Nonnullorum albuginea maculis flavis erat conſpurcata, neque raro inflammata. Sequiorem ſexum altero oculo interdum minore luſcioſum obſervavi. Vidi quoque feminam quotidie exacerbationis horis, quum miliari purpura laboraret, coecam, atque ideo a quarta hora pomeridiana ad ſextam matutinam, bene clareque rurſus videntem, quum pomeridianis horis remitteret nonnihil morbi vis. Nullus fuit, cui tendines non ſubſiliverint; omnibus muſculi una alterave pars modo in hoc, modo in alio membro poſiti, eſt convulſa. Involuntarios hos motus ſemper eo frequentiores animadverti, quo maior generatim vis morbi fuerit. Ea de cauſſa varios inſcii induerunt vultus variaque ſupercilia. Haec autem omnia animae imperio non eſſe ſubiecta, dormientes & ſoporoſi demonſtraverunt: hi enim plus vigilibus ſuos vultus detorſerunt. Quamvis totum corpus doluerit, prae reliquis

tamen

tamen partibus caput, tergum, artus, poplites & viſcera in abdomine collocata doloribus ſunt excruciata, ſaepe tantis, ut praeter ineffabilem laſſitudinem, vix alium perſentiſcerent morbum. Nonnulli de amiſſo digitorum ſenſu atque ſingulari apicum illorum ſtupore ſunt conqueſti, antequam ipſorum mentem, quaerendo forſan, ad has querimonias proferendas concitaveram. *Obſervantis enim Medici eſſe puto, ut ſolerter caveat, ne quaeſtionibus ſuis ſenſum excitet alienum, ut ſaepe fit, atque ipſi querelarum ſuppeditet occaſionem, ut potius ſedulo exaudiat, quid aeger mente nondum praeoccupatus ſentiat, percipiat atque enarret.* Pallidum plurimi luridumque vultum prae ſe tulerunt, alii florida facie & rubore perfuſa decubuerunt, fida incredibilis anxietatis teſte.

## §. XIV.

Tantae actionum cordis, pulmonum & cerebri mutationi perfectae reſponderunt aliae in reliqua vitae oeconomia occurrentes mutationes. Nam mente conſtantes a cibo omni, faſtidio pleni, abhorruerunt. Aliqui vehementer ſitientes rarius, & niſi continuo excitati, biberunt. Ipſis oblatum potum, perſuaſi tandem, tremula manu acceperunt & ore tremente ſubito ingurgitarunt. Quidam, cibum antea faſtidientes, illum poſtea ſibi porrectum, inſatiabiles quaſi, maxima velocitate & tuburcinatione devorarunt. His vero iam mentis aliqua contigit alienatio, mox in peſſima & taciturna tranſiens deliria. Deglutiverunt omnes ſiccis faucibus difficulter, de levi paracynanche conquerentes. Alii perpetuo vomiturientes ſcreatu tantummodo poſtea aliquam muci ſupra deſcripti copiam reiecerunt. Alii rurſus evomuerunt, ſubito & magno conniſu, quidquid in ventriculo & duodeno haeſit. Vidi virum iuvenem, cui ſemel atque iterum, licet ſupinus iaceret, uno impetu peſſima proluvies bilioſa, &, ut mihi viſum fuit, ſola ventriculi & oeſophagi conſtrictione, longe ex faucibus oreque, fontis inſtar, proſiliebat, tandem trucidatum. Aliqui peſſime decumbentes, nec ſponta-

neos, nec arte excitandos vomitus, quamvis fortioribus emeticis ſtimulati, ſunt experti, ut ſupra iam memoravi §. VIII. Diarrhoea, frequentiſſimum huius febris ſymptoma, nullo modo morbum exaſperare viresque diſſipare videbatur, medicamentorum autem vim pluries eludebat. Depoſuerunt pene continuo aegri excrementa tenuiſſima ſpumoſa, ramentoſa, variorum colorum, teterrimi & cadaver olentis foetoris. Exierunt alvo non ſolum ingeſta, exierunt quoque vermes, praecipue lumbrici, quos ultimos aliquando & vomitu reiecerunt. Quo magis autem lubrica quibusdam erat alvus, eo magis rurſus aliis conſtipata fuit. Aeque moleſtum hoc ſymptoma plures dies duravit, vix laxantium vi, ac ſi ſenſu iam inteſtina eſſent privata, ſuperandum. Quidam ſtranguria laboraverunt, atque eadem mingendi difficultas in pertinaciſſimam iſchuriam eſt ſenſim mutata. Inconſtantem urinae in hoc ſtadio naturam inveni; interdum maxima quantitate, interdum parciſſime illam reddiderunt. Huius laticis color, craſſities, ſedimentum, ſuperficies, toties ſunt immutatae, quoties fere a decumbentibus excretus fuit. Modo enim fuſcus, flammeus, nubeculoſus, modo pallidus, citrinus & perſpicuus fuit: modo turbulentus permanſit, aliquando magnam ſedimenti vim depoſuit. Alia urina ſpumoſa valde fuit, alia nullam bullulam in ſua ſuperficie exhibuit. Vtplurimum parum foetuit, aliquando lutoſa, turbida & craſſa urina peſſime decumbentium aegrorum cadaver oluit. Quicunque in morbi incremento ſudaverunt, plurimi autem ſudaverunt multum, illis hoc in ſuperioribus partibus, nimirum in capite, collo & pectore contigit. Nullum ordinem ſuae reverſionis hic ſudor ſervavit, & copia admodum diverſa prodiit. Levaminis aegrotantibus nihil adduxit, anxietates autem mirum in modum auxit. Sic & reliquae excretiones ſub tanta ſanguinis corruptela vix immutatae perſiſtere potuerunt. Saliva parciſſima, viſcida, os non amplius humectavit, nec mucus in naribus ſecretus ſuperficiei ſiccitatem prohibere potuit. Sicciſſimi itaque fuerunt dentes, ſiccum &

ari-

aridum, corii ad inſtar, adtactu glabrum, palatum, ſicciſſimae fauces et internae nares. Interdum aliquid ſanguinis ex naribus ſtillavit, vel ater ille lentiſſimo rivulo effluxit. Quaedam ſequioris ſexus ſubiecta menſtruum fluxum ſunt experta, ſed adeo illo tempore parca catamenia manaverunt, ut vix morbum levare potuerint. Quaedam laboraverunt albo fluore, qui acriter rodens peſſimum ubique ſparſit foetorem. Linguae facies quotidie magis a naturali habitu receſſit, peiorque illa prae invadente morbo evaſit. Vidi illam ruberrimam, coccineam, glabram, nitidam, lividam, fuſcam, nigram, ſicciſſimam, fiſſam, rimarum plenam, labiis tumidis, aridiſſimam, aſperam & hiulcam. Aliquando tenaci muco oblinita fuit, & tunc ille mucus fauces, dentes & palatum obduxit.

## §. XV.

Quid eſt vero, quod morbum memoratu digniorem peculiari exanthemate reddiderit? Hoc exanthema, cuius altera ſpecies potiſſimum in omni corporis puncto, ne facie quidem excepta, erupit, ipſi quidem familiare, ſed non eſſentiale eſſe videtur. Multi hac febre decubuerunt, prout peſſima ſymptomata oſtenderunt mortesque confirmarunt, omni tamen exanthemate abſente. Vidi ſaepe in eodem conclavi viventes, eidem lecto incumbentes, omnes aeque periculoſe laborantes, alios exanthematibus obrutos, alios ne maculae veſtigium gerentes. Negari igitur nequit, ſola arte aeſtuoſaque medendi methodo non eſſe genitum, quum in illis quoque in conſpectum prodiit, quibus refrigerantium penus, quibus antiputrida frigida, quibus externum regimen, aeque ac illis, qui medicina aliqua carentes, abſtinentia & ſola aqua, cruſtis panis atri tincta, morbum vincere tentarunt, omnem fere calorem exſtinxerunt, & in illis iterum abfuit, qui vario modo, cibo & potu, conclavium & ſtragulorum calore, & perverſa calidaque medicina aut ipſi anſam dederunt, aut illud expellere ſunt conati. Requirere itaque videtur utraque exanthematis ſpecies, praeſente iam maligna febre,

ut effloreſcat, proprium cutis univerſae habitum, requirere videtur propriam corporis indolem ac praecipue humorum. Vt paullo accuratius mentem exponam, varioloſam & morbilloſam febrem ſine variolis, ſine morbillis exſtitiſſe, ut aliqui, praeſertim poſt priorum inſitionem, ſe obſervaſſe contendunt, probabiliter confirmari forſan nequit. Peſtem autem ſine bubonibus & carbunculis, & magis adhuc, petechialem malignam & miliarem febrem ſine petechiis, ſine miliari purpura fuiſſe, experientia reſpondet. Porro eſſe aliquando haec exanthemata, corpore leviſſime ad illa inclinante, arte expulſa, non vero ſemper, ego cum claris viris credo, & propria triſti experientia edoctus ſcio. Alterum ne leviſſimam cutis aſpredinem produxit, & ſine cuticulae laeſione iterum diſparuit. Alterum (duplex enim primaria exanthematis ſpecies eſt obſervata,) veſicularum inſtar effloreſcens, inaequalem atque aſperam illam reddidit. Prius, habitu & colore adeo diverſum, cum illo convenit, quod Auctores *petechiarum* nomine deſcribunt. Maculae fuerunt rotundae, ambitu radiatae, interdum diffuſae, ut leves ſuggillationes referrent: plerumque pulicum morſu vix maiores & aeque rotundae. Alias obſervavi coloris violacei, luridi, alias atro-purpurei, alias carmoiſini, quem dicunt, utplurimum rubelli & roſei. Licet autem in omni ſuperficiei externae puncto eruperint, in interna tamen itidem comparuiſſe vix veriſimile eſt. Vidi feminam petechiis roſei coloris nitentem, quae in morbi vigore praematurum partum edidit. Lotus ille ubique fuit ruber, ut infantes illius aetatis eſſe ſolent; vixit enim quum utero exiret, maculam autem nullam plane in ſua ſuperficie geſſit. Periit poſtea infans, mater vero fuit ſanata. Altera exanthematis ſpecies, quam cum hac febre copulatam vidi, veſicularum inſtar in omni corpore diſperſa, cutem aſperam reddens, carmoiſina, purpurea, ſubviolacea, rarior purpura rubra, alba, lactea, cryſtallina, pellucida, ſive miliaris fuit, magnitudine & copia admodum diverſa. Veſiculae ipſae vix milii ſemine maiores, interdum piſum

ſum ſuperaverunt. Hanc autem magnitudinem ſola alba eſt adepta, rubra minima ſemper permanſit. Maiores veſiculae artus, minores vero truncum magis occupaverunt: inprimis in pectore, dorſo, iugulo & cervice effloruerunt, ultimumque potiſſimum ita obduxerunt, ut rupta ibi tandem cuticula, fruſta ampla formaret. Solitariam aliquando utramque exanthematis ſpeciem, ſaepius illam copulatam vidi. Tardius petechiis purpura erupit, utraque morbo utplurimum in ſuum vigorem inclinante. Quibus libera deſcriptis exanthematibus cutis fuit, his aſpera interdum evaſit, ſeceſſit epidermis a manibus cruribusque furfuris inſtar, & niſi fallor, hoc illis potiſſimum contigit, qui toto incrementi decurſu putrida illa diarrhoea laboraverunt. Quorundam in exanthematum quaſi vicem oris labia papulas puſtulasque conceperunt, tandem in denſas cruſtas abeuntes, licet exanthematibus obſeſſis haec papularum ſpecies non plane aliena fuerit. Saepe in hoc ſtadio ad coxam abſceſſus ſunt oborti, gangraenam facile nacturi, & cum tanto minori periculo coniuncti, quo citius aegros adflixerunt. Quod tandem unus exanthematicus morbus tollere non potuerit alterum, ſcabies cum purpura & petechiis coniuncta oſtendit.

## §. XVI.

Incrementi ſtadium nono circiter die in plurimis perfecte finitum eſſe, §. X. retuli. Etſi illud grave iam fuit; horis tamen matutinis aliquam vehementiae remiſſionem, aliquod levamen ſuorum dolorum aegri perceperunt. Evanuit autem hoc ſtadium, dum morbi vigor intravit. Tunc omne temporis momentum ſimile fere ſibi fuit, nullaque differentia eſt inventa aucti & remittentis morbi, niſi perpetua unius peſſimi ſymptomatis in aliud permutatio, quid? quod priora peioribus ſemper adhuc ſunt aucta; atque id ultimum morituris potiſſimum contigiſſe, quisque facile perſpiciet.

## §. XVII.

Prior ſatis laeſa reſpiratio nunc anguſtior, fortior, violentiorque evaſit. Inſpirantes ſingularem eiulantium inſtar ſonum ediderunt & gemebundorum. Tremuit thorax cum ſuo pulmone, aliquando quievit, fortius poſtea celeriusque iterum movendus. Ipſe ſpiritus exhalatus fervidiſſimus antea, nunc paullo frigidior fuit. Longe deteriorem cordis motum eſſe factum, praeter tremorem tactu percipiendum, arteriarum pulſus abunde oſtenderunt, qui ſaepe celerrimi, debiliſſimi, inaequales, intermittentes fuerunt. Reſpondit adeo turbato ſanguinis circulo externus calor, qui modo in frigus univerſale, truncum quoque occupans, tranſiit, modo rediit debilior ac abivit.

## §. XVIII.

Mens in priori ſtadio perturbata, in hoc ad ſe vix rediit; integri autem, nunc plane ſenſibus ſunt alienati. Clamores terribiles ediderunt, adſtantes furioſe comprehenderunt, mordere tentaverunt, vehementer convulſi ſeſe erexerunt, & generatim tot modis deliraverunt, inſaniverunt, quot phrenitici ſolent. Hi paucis ſuperſtitibus viribus exhauſti, atque alii graviter itidem a morbo adflicti, taciturne & atrabilarie, ut Hippocratis verbo utar, deliraverunt, floccos collegerunt, manibus tremulis oblata quaeque carpſerunt. Subſiliverunt frequenter tendines, fremuerunt dentibus & adeo vehementer ſtriderunt, ut ingratus ille ſonus in conclavi ubique audiri potuerit. Faciei muſculi continuo convulſi horribilem vultum aegrotis vecordibus conciliaverunt. Alii in catochum Aetii, cum omnibus reliquis priorā perpeſſis, inciderunt; nam, ut memoravi, phrenitice delirantes nunquam in furore perierunt. Nonnulli mente conſtantes & integri, plumbo & lapidibus ponderoſiores, ſupini iacuerunt, cruraque omni amiſſo pudore retraxerunt, ſtupidi tamen nullas fere querimonias proferre potuerunt. Si autem illis aliqua cogitandi facultas ſuperfuit, ſi lingua ad loquendum uti adhuc vale-

luerunt, tinnitum aurium, ſuſurrum & bombum ſe percipere ſunt conqueſti, mox in veram ſurditatem tranſeuntem. Vidi virginem per quinque dies mutam; haec quum achores ipſi effloruerunt, loquelae uſum iterum eſt nacta. Hyſterica paſſio alias quibusdam familiaris, neque in hoc triſti rerum ſtatu abfuit. Eſt potius ad tantum ſuae vehementiae gradum illa ſpaſtica affectio evecta, ut feminam aliquando ſenſu omni orbam, neque tamen ſyncope oppreſſam, nive frigidiorem obſervaverim, reliquis praeſentiae huius paſſionis certitudinem denotantibus ſignis non abſentibus.

## §. XIX.

Sub hac rerum facie nullos cibos ab aegrotis eſſe captos, quisque coniiciet. Nihil fere biberunt, niſi quod ipſis aliqua cum violentia fuit infuſum. Licet vero omnibus abſtinuerint: quidam tamen nigrum evomuerunt colliquamentum. Alii inſcii atque inviti perpetuo ſua excrementa ediderunt, tenuiſſima, foetidiſſima, ac ſi putreſcere iam inciperent. Omnes fere ſudarunt ubique, modo frigidum, modo calidum & pinguem ſudorem, ſiccam & aſperam cutem madidam reddentem. Multi, ſi qua conſcientia reſtitit, urinam emiſerunt turbidam, lutoſam, ſedimenti nihil deiicientem: aliorum autem involuntarie effluxit, ſingulorum excrementa foetore, niſi ſuperavit, certo aequavit. Quicunque per varios dies iſchuria adfecti lotium retinuerunt, ſubito poſtea illud impetuoſe reddiderunt. Nigerrima, combuſta quaſi, muco oblinita, madida, aliorum autem ſicciſſima & fiſſa lingua fuit. Interdum eandem linguam obſervavi, quum vehementer morbus ſaeviret, lateribus utrinque nigra zona notatam, in medio puram, ruberrimamque. Nonnullis varie eſt convulſa, neque facile linguam exſerentes immobilem tenere potuerunt. Tremuit multorum vehementiſſime, apice ſemper velociſſime ſurſum ſaliente, atque hi manibus aeque vehementer trementes peſſime laboraverunt. Quidam iacuerunt reductis labiis & ore aperto, quorum dentes ſicciſſimi, ſiccumque palatum fue-

fuerunt. Nullum autem magis timui ſymptoma, quam ſingultum: hic enim, omnium remediorum vim illudens, vigori ſi acceſſit, peſſimus prae reliquis omnibus, & fatalis exitus index fuit. Paucorum parotides intumuerunt, rubuerunt, doluerunt, plurimorum autem, quod in incremento iam natum in coxa fuit ulcus, facillime gangraenam concepit.

## §. XX.

Miſerabile adeo hoc ſtadium ſimul ſigna futurae valetudinis aut certiſſimae mortis exhibuit. Quicunque nimirum ſub ſumma anxietate, ſub ſummo remediorum, ut in priori, ita quoque in hoc ultimo ſtadio, perpetuo horrore illa permutare efflagitantes, anxie & peripneumonice reſpirare coeperunt, his nulla ſalus, certa vero mors fuit. Nullum ſcio ſuperſtitem, cuius pulſus celerrimus, debiliſſimus, intermittens, inaequalis & tremulus fuit. Nullum inquam ſcio conſervatum, cuius tanta virium proſtratio omnem morbum perdurans fuit, ut ipſe caput erectum tenere nequiverit, qui atrabilarie & taciturne inſanivit, qui Aetii catocho oppreſſus dentibus ſtriduit, & ſingultum perpeſſus eſt, cuius tendines aſſiliverunt, manusque frigido ſudore manantes tremuerunt. Periit, quicunque phrenitice delirans furioſus & convulſus eſt, cuique ſimul ſubſequentia ſymptomata enarrata contigerunt. Peſſimi praeſagii & plane lethalis fuiſſe vomituritiones, animadverti, inprimis ab incremento ſuperſtites, aut nunc accedentes, oculo altero ſimul minori & luſcioſo adparente; difficilem porro & ſonoram deglutitionem, linguam fiſſam, aridiſſimam, hiulcam & nitentem, vernice quaſi tinctam, lividamve. Sanari nunquam potuerunt, quorum diarrhoea perpetua involuntariaque fuit, in quorum porro inteſtinis, poſt epota fluida, ſtrepitus & borborygmi ſunt oborti. Lethiferum morbum tulerunt, quorum iſchuria pertinaciſſima tempeſtive remediis ſuperari non potuit, ſponte poſtea & cum aliquo conniſu reddita urina. Reliquae etiam peragendae excretiones

vel plane deficientes, vel auctae, non imminutis mox vitae inſidioſis ſymptomatibus, certiſſima dederunt triſtis morbi exitus ſigna. Continui profuſique ſudores partium ſuperiorum, miliaria exanthemata & petechiae, copioſe & primis etiam diebus erumpentes, lividae, luridae, reliquis peſſimi incrementi & vigoris ſymptomatibus, delirio, ſingultu, vomituritione, vigiliis non imminutis, ſed potius auctis, nil morte certius portenderunt. Narium haemorrhagiae parcae, rarae, ſanguine atro ex una nare lente ſtillante, aegris lurida facie & pallida decumbentibus, aeque adſpectu horrendae, quam lethales fuerunt. Oculorum illacrumatio ſpontanea, canthis ſimul maculis ictericis conſpurcatis, reliquis enarratis ſymptomatibus accedens, mortem inevitabilem futuram eſſe, indicavit. Parotides valde inflammatae, duriſſimae, rubore nitentes, neque tamen pus contrahentes, collo ſimul levis emphyſematis inſtar tumido, mortis nunciae fuerunt. Eruperunt etiam, in morti proximorum frontibus, puſtulae parvae, pure ſpiſſo mox repletae. Cantharidum impoſitum emplaſtrum veſicam excitaſſe quidem, ulcus vero productum mox iterum ſiccum, lividum evaſiſſe; contra excitatum ulcus puris copiam magnam fudiſſe, ſymptomatibus enarratis aut increſcentibus, aut non imminutis, mortis futurae certum praeſagium dediſſe, ſcio. Poſterius vero inprimis ſub purpurae albae praeſentia me obſervaſſe memini. Rebus ſic comparatis, nullus facile, licet varia tentata ſit medela, morbum ſuperare mortemque fugere potuit. Eo autem certiorem interitum ſubierunt decumbentes, quo plura horum ſymptomata inter ſe ſunt copulata.

§. XXI.

Plurimi, profuſiſſimo frigido ſudore toto corpore manantes, expalleſcentibus exanthematibus, facie Hippocratica, omni ſenſu plures horas expertes, tandem peripneumonice ſpiritum bullientes, illum eliſerunt, & hoc viris iunioribus nonnullis ſub ſingulari ſono cantui ſimili, alteram manum perpetuo adtollentibus,

tibus, contigiſſe memoravi §. VII. Pauci ſubito & animo quaſi deficientes, vita receſſerunt. Feminae & ſeniores viri ſub matutinum diluculum, iuniores autem, iique potiſſimum cantantes, pomeridiana quarta hora exſpiraverunt.

§. XXII.

Quanta autem humorum corruptela aut hoc morbo nata ſit, aut ipſum morbum in illam proclivitas produxerit, mox totum cadaver occupans putredo abunde demonſtravit. Nullum enim cadaver & ſub frigidiori aura riguit, molle potius omne & flexile permanſit. Maculis luridis, violaceis, flavis, rubentibus ubique obtectum, citiſſime incredibilem foetorem ſparſit. Aliquando venter & collum ad rupturam usque intumuit. Quibusdam ſanguis ater ex ore, naribus, & feminis quoque ex genitalibus, cum ſanguine, putridus foetidiſſimus latex ſimul effluxit.

§. XXIII.

In eodem ſtatu, quo morituris tot triſtia ſigna evenerunt, in eodem quoque ſanitatem recuperaturi aliquid boni praeſagientis exhibuerunt, in ſecretionibus & excretionibus potiſſimum conſpicuum. Mingere coeperunt ſub ſummo vigore, ſub ſumma exacerbatione, pallidae atque turbidae urinae, repetitis vicibus, magnam copiam, quae deinde ſedimento levi, mucoſo aut furfuraceo largiter dimiſſo, limpida rurſus facta eſt. Eruperunt eodem tempore profuſi ſudores, ex omni corporis puncto mollis cutis ſcaturientes, unguinoſi, foetidiſſimi, ſub-acidum ſingularem odorem late ſpirantes. Primum poſt mediam noctem, poſtea matutinis horis, tandem toto die effluxerunt. Poſtquam evanuerunt exanthemata cuiuscunque generis, tunc corpus manifeſto diſparentis morbi veſtigia oſtendit. Quibusdam tantus torrens ex ore naribusque emanavit, ut adſtantibus ſummum incuteret terrorem, ultra fidem largus. Animo enim defecerunt,

rigue-

riguerunt frigore facies & artus, pulſu ſimul debiliſſimo intermittente, ita ut tactu vix percipi potuerit; ſemper tamen aequalis robore arteriae elevatio quaeque fuit. Memorabile quoque eſſe arbitror, frequentiores atque parciores has narium haemorrhagias erupiſſe anni 1760. vere, quum quidem maligna febris, ſed mitius illa, graſſaretur, rariores vero ac copioſiores illas contigiſſe, praecipue feminis, anni 1761. vere, quo longe maiori atrocia morbus ille ſaeviebat. Quamvis autem ſanguinem fundentes parum ſudarent, limpidam & aquoſam ſine omni ſedimento urinam mingerent, atque ſuperato morbo levi pedum oedemate laborarent; citius tamen reliquis manifeſta ſuae recuperatae valetudinis indicia exhibuerunt. Menſtruorum profluvium rarum & parcum ad morbi levandam vim quibusdam contigit. Rarior ptyaliſmus fuit, ſemel tamen eundem copioſiſſimum & mirifice, licet non abſentibus ſudoribus, proficuum obſervavi. Purpura decumbentes deliri adhuc, ſub exacerbatione ſubito vomuerunt, & quae reiecerunt, morbum levaſſe viſa ſunt. Vtrum floridi ſanguinis ſputum, parca quantitate obvium, forſan ex faucibus, non ex pulmone ſcatens, critici quid fuerit, ignoro, id tamen certo ſcio, illo licet praeſente morbum ſenſim ſe ſubduxiſſe. Quaecunque criticae evacuationes, nunc breviter recenſitae, ſubito, ſponte forſan quoque, uno alterove die remanſerunt, licet iam nonnihil febris levata fuerit, recidivam inopinato excitaverunt, pauciſſimis, ut recordor, fatalem. Sub his excretionibus ſenſim atque pedetentim omnia, quae aegritudinem conſtituebant, magis ſunt imminuta, reſpiratio lenta, libera, pulſus fortior, aequabilior, lentior, licet adhuc intermittens, ſomnus placidior, appetitus vegetior evaſerunt, & his actionibus in ordinem rurſus redactis, omnia reliqua reſponderunt. Marcor autem convaleſcentium & debilitas diu ſuperſtes, quantum ſuperaverint morbum, oſtenderunt.

 §. XXIV.

## §. XXIV.

Tot ſymptomatibus ſtipatum periculoſum morbum variis remediis profligare, variaque methodo perſanare tentavi. Vnicam prae reliquis concinnam & ita comparatam reperi, ut quidquid boni ad vitam conſervandam praeſtari potuerit, id unice hac methodo praeſtitum ſit.

## §. XXV.

Nulla generatim prophylactica cura aliquid valuit, quae itidem per ſe inanis & ficta eſſe videtur. Quorum pulſus morbi initio plenior, fortior ac celerior fuit, quicunque ſub eadem pulſus conditione anheli anxie ſpiritum duxerunt, quorum artus probe caluerunt, quorum latera ſub quavis inſpiratione doluerunt, his omnibus admodum ſalubris Venaeſectio fuit: neque cum detrimento ad libram unam ſanguinis amiſerunt. Aegerrime tulerunt hanc ſanguinis iacturam, quibus & enarratae conditiones defuerunt, quorum pulſus debilis & celer, reſpiratio contra libera, lenta, vires vero proſtratae fuerunt. Maiori utilitate his poſterioribus primarum viarum canalem abſterſimus, licet haec evacuatio & prioribus non nociva ſed ſalutaris potius fuerit. Plurimis itaque primis ſtatim diebus aliquoties grana decem pulveris rad. Ipecacuanhae exhibui, idque eodem die illos omni ſemihora repetere curavi. Tum magnam, niſi omnis ventriculi ſenſus iam periit, quod aliquoties obſervavi, copiam variae putris proluviei evomuerunt, & ſic inſignem morbi viribus moram obiecerunt. Addidi inſequentibus compluribus diebus, ſub noctem, rad. Rhei pulverem, ad drachmam dimidiam usque, praeſertim quum diarrhoea non nimis frequens aegros defatigaret. Inprimis veri huius pulveris uſus tunc potiſſimum neceſſarius viſus eſt, quum aegrotantes vomitorii vires aut timerent, aut ob alia corporis vitia admittere non poſſent. Reliqua, quibus a ſuis impuritatibus inteſtina liberantur, ipſa etiam clyſmata, non tentavi, quum eadem minus utilia arbitrarer.

Quid?

Quid? quod draſtica incredibile damnum morbo augendo adtuliſſe, pluries mihi compertum eſt. Perierunt enim, qui, ut futurum ſibi morbum averterent, omnes mihi obvii, draſtica purgantia incaute ſumſerant. Et hi fere fuerunt, quorum cutis ſub perpetua diarrhoea remedia omnia eludente, ſicciſſima & aſpera, ut ſupra retuli (§. XIV.), permanſit.

## §. XXVI.

Inſequens morbi tempus, illi medicinae tribuimus, quae aut ſanguinis acrimoniam diluit, & per varia colatoria illam tandem eduxit, aut quae ad putredinem conniſum cohibuit, & ſic febris impetum aut mitigavit, vel nimis debilem adauxit, neque illam tandem neglegimus, quae urgentia mala ſpecifica quadam vi ſedavit, morbi cauſſam proprie non eſt aggreſſa.

## §. XXVII.

Sedulo coacti ſunt aegrotantes, ut biberent aquam frigidiuſculam, oxymelle ſimplici gratiorem redditam, quam Hippocratis *Poſcam* dicere ſolent. Quicunque vero hoc potus genus ob ſaporem abhorruerunt, aut qui meliori fortuna fuerunt, illis aquam ſaccharo & citri ſucco commixtam largiter dedi. Rarius paullo mineralia acida ad gratum usque ſaporem aquae inſtillari curavi; ſi vero aliquod in hunc finem adhibui aut Salis ſpiritum, aut Antimonii clyſſum ſulphuratum elegi; tanta vero copia ſuaves varios refrigerantes Syrupos adfundi iuſſi, ut gratiſſimus inde obtineretur ſapor. Potus alia genera, inprimis fermentata fortiora, nunquam admiſi. Cereviſiam ſecundariam tenuiſſimam, ut varietas aliqua eſſet, interdum interpoſuerunt; vini parum, ad excitandas vires, in morbi vigore dedi. Hac ratione ſitim optima ſedandi fuit occaſio impetrata; multi enim intra viginti quatuor horas octo libras & plures epotaverunt, niſi nauſea nimium obfuit (§. XIV.). Nitrum depuratum, magna copia, in calidis plantarum ſubamararum infuſis ſolutum, omni

biho-

bihorio ad ſcrupulum unum & drachmam dimidiam praebui: atque hoc modo illis, qui a nimio aeſtu & ſitu vexati ſunt, morbum tolerabiliorem reddidi. Quorum vero manus frigidulae fuerunt, aut quorum pulſus debilis & celer maiorem in putredinem pronitatem & parciores vitae vires oſtendit, aut frequentiſſima diarrhoea fuit, his maiori fiducia acetum bezoardicum, aut Tincturam florum Papaveris rhoeados, in calidis mox laudandis infuſis exhibui, Mixturamque ſimplicem, ad quadraginta guttas usque, admiſcui. Nunquam fere terreis remediis, quorum vires adeo inſidae in periculo pleniſſimis morbis videntur, neque deſtillatis aquis, aut vulgaribus eſſentiis, quae forſan plus linguae blandiuntur, quam morbo obſunt, mihi, ut uterer, perſuadere potui. Maioris ad ſanguinem diluendum efficaciae in morbi incremento ſalia media animadverti, atque tunc nullum Sale ammoniaco depurato praeſtantius inveni, varia forma illud exhibendo, ſi modo aegrotantes, ob peſſimum ſaporem, facile id ſumere potuerunt. Calida infuſa, quorum uſum adeo ſalutarem & efficaciſſimum, ad niſum in putredinem cohibendum, ſcio, ex herba Scordii, vel radice Serpentariae Virginianae paravi, ſaepe chamaemelum vulgare, quod reliquis duabus plantis vix viribus inferius, niſi praeſtantius eſt, aut addidi, aut illis ſubſtitui. Mixturam ſimplicem aut ſolam, aut cum Tinctura flor. Papaveris rhoeados commixtam, praebui; ſub maiori autem virium decremento camphoratam illam elegi. Vtraque, non ſine aegrotantium emolumento, aut praeſens exanthema in cute ſervavit, aut ſi quod forſan eruptioni proximum fuit, illud celerius promovit. Omnia autem antiputrida, maxima excellentia Camphora unica, aut inſtar pulveris, nitro & ſali ammoniaco depuratis, ad aliquot grana addita, aut in emulſione vulgari omni bihorio eadem quantitate exhibita, longiſſime ſuperavit. Hoc nobiliſſimo remedio, prae reliquis forſan omnibus ad conſervandam vitam creato inventoque, in incremento & vigore uſus ſum, quando agrypniae, deliria, ſopores, frigida mem-

membra, peſſima diarrhoea, reliquaque omnia maximum periculum vitae adeſſe, aut mox futurum eſſe, demonſtraverunt. Huic remedio ſoli debeo, ut perſuaſiſſimum habeo, quidquid boni unquam debillimis aegrotis arte meisque conſiliis contigit; huic remedio ſoli tribuo grata mente vitam multorum ſuperſtitem, quos forſan crudeliſſima lues ſuſtuliſſet. Optimi Peruviani corticis uſum varia ratione in iisdem morbi ſtadiis tentavi. Quum vero ſine aegrotantium utilitate datum iri; quum ſine cauſſarum fallaciis illum adhiberi poſſe vix crediderim, tentatum ſemel iterumque repoſui, in variolis confluentibus quamvis maximi uſus & in dyſenteria inventum. Aegri mei tanta febre correpti remedio abhorruerunt, quod toties, tantaque copia quotidie devorandum erat, nauſeoſo ſapore camphoram & ammoniacum ſal forſan excedens. Miror hanc potiſſimum ob cauſſam maximam clarorum virorum felicitatem, qui ſuis aegris, ut memoriae prodiderunt, integram unciam, extracti quoque forma, praebere potuerunt, hominibus mortis articulo proximis. Omnia autem medicamenta modo enarrata usque ad manifeſtam febris declinationem adhibere continuavi. Auctis tum viribus, Mixturam ſimplicem, cum Tinct. flor. Papav. rhoead. commixtam, tamdiu uſurpavi, quamdiu minimum adhuc febris veſtigium ſuperfuit.

## §. XXVIII.

Symptomata quaedam huic lui propria atque adeo atrociter aegros invadentia aliquot Specificis mitigare tentavi. Caſtorei pulverem utiliſſimum ad ſpaſmos convulſionesque ſopiendos obſervavi. Ad octo grana illius omni bihorio adſcendi, nunquam tamen ſine Nitro depurato exhibui, interdum tria quatuorve Moſchi oriental. veri grana cum evidenti fructu admiſcui. Generatim me expertum puto, caſtoreum Ruſſicum plus valere ad ſuperandos morbi ſpaſmos, quam reliqua omnia tantis olim encomiis exornata antiſpaſmodica, quid? quod idem remedium non ſolum ſpaſmis, ſed & niſui in putredinem, quamvis

vis animalis proſapiae, mire obeſſe. Opium ad ſomnum conciliandum aliquando adhibui, poſtea autem neglexi; tantum enim abeſt, quod pluries obſervavi, illud ut vigilias infringat, ut potius agrypniam deliriaque augeat excitetve. Croci extracto, in Mixtura ſimplici ſoluto, eodem propoſito uſus ſum, neque hoc adeo inepte praeberi, me obſervaſſe puto. Plus ſalutis tribuo cantharidum uſui; excitato enim horum emplaſtro vulnere, dum deliria agrypniam & ſopores abigerunt, placidum aegrotantibus ſomnum conciliaverunt. Toties autem illud potiſſimum imponi curavi, quoties praeter cordis debilem motum enarrata ſymptomata obſervavi. Terebinthina ſemel ulcus cruris cacoëthes inungi ſub ſummo decumbentis catocho juſſi &, ut arbitror, non neglecto ſimul camphorae uſu, excitato rurſus malignae materiei ulceris fluxu, & ſic illum ſanitati feliciter reſtitui. Ad obtinendum eundem finem pediluviis aegrum immergi atque pedis plantis Sinapiſmos imponi curavi, & eadem ſymptomata, quum levia adhuc eſſent, itidem ſuperavi. Vomitum & diarrhoeam praeſertim cum anodyno Hoffmanni liquore copulata Rhei anima, mane & veſperi ad quinquaginta guttas data, egregie ſedavit. Singultum vero, mortis prodromum & comitem, lubenter profiteor, remediis aggreſſus nunquam compeſcui. Reliqua ſymptomata, dum morbum principem ſuis remediis perſanarem, ſenſim evanuerunt, aut enarratis reliquis ceſſerunt.

## §. XXIX.

Poſtquam tandem convaleſcentes incedere rurſus potuerunt, ad ea confugi, quae ſanguine ſuo depleta vaſa iterum impleverunt & deperditas vires reſtauraverunt. Optime nunc illi, quibus adeo nauſeoſus Peruvianus cortex (remedium cui nullum novi Orbis par eſt praeſtantia,) fuit, pulveris drachmam dimidiam aliquoties de die ſumſerunt & calidum florum Chamaemeli infuſum ſuperbiberunt. Sanguinem ſuppeditavit dulce optimum lactis ſerum, cujus libram mane biberunt

quo-

quotidie. Hoc morbi reliquias per renes eliminavit, & per aliquot ſeptimanas continuatum ſanitatem reddidit. Lene alvum abſtergens ſub horum potiſſimum remediorum uſu non neglexi, atque in hunc finem Rhei pulvere ſolo nullum laxans melius exhiberi poſſe obſervavi.

§. XXX.

Increſcente morbo & ſub ipſo eius vigore ſolis farinaceis decoctis, aut fructibus horaeis, aegros refeci. Eandem diaetam poſtea, quum morbi vis imminui inciperet, ut ſedulo obſervarent, curavi. Nullam plane carnem, nullum iuſculum ſumere permiſi, aut ſi quod forſan, id rariſſime tamen, dum omnia morbi veſtigia plane erant deleta. Lubentius illis adſumere ſuaſi omnia lacticinia variaque farinacea, ex hordeo, milio, oryza, manna, granis Palmae fariniferae, Sagou dictis, parata. Diu poſtea rurſus cereviſiam bibere, carnibusque veſci coeperunt.

§. XXXI.

Id unicum addo, interdum varias leves aegritudines ſub lyſeos ſpecie exterminaſſe morbi reliquias, nullam autem Scabie frequentiorem fuiſſe, ſicca illa pertinaciſſima, remediorum vim toties eludente. Hanc vero ſub optima diaeta largus ad duas quovis die drachmas florum Sulphuris ſimplicium uſus feliciter & cum magno aegrotantium emolumento perſanavit.

# HISTORIA DYSENTERIAE MALIGNAE

quae

Auctumno annorum MDCCLX. & MDCCLXI.

in urbe & agro Iſenacenſi

epidemice graſſata fuit,

conſignata

a

IOANNE FRIDERICO CAROLO GRIMM,

Medicin. Doct. & Poliatro Iſenacenſi, Academiaeque Caeſareae Leopoldino - Carolinae Natur. Curioſor,

Clidemo III.

## §. I.

Alter morbus, qui auctumnali tempore ann. 1760. & 1761. tanta atrocia plurimos eſt adortus & multos ſuſtulit, *Dyſenteria*, cum *maligna* ſua *febre* copulata, fuit. Haec alvi deiectio cruenta febrem vernalem malignam periculo aequavit, dolorum immanitate fere ſuperavit. Medio Auguſto anni 1760. gliſcere primum coepit; tunc vero, licet fuerit varia coeli natura, & toto Septembre menſe inſigniter pro temporis ratione aeſtuavit aër. Primariam iterum occaſionalem crudelis morbi cauſſam in atmoſphaerae mutata indole delituiſſe, ut ſupra de maligna febre retuli, negari nequit. Adduxerunt vero frigiduli venti, & noctu frigidior aura, nata ex ſuis cauſſis, ſanguinis acrimoniam nunc magis ad interiores corporis ſedes. Neque prius diſparere iterum haec lues potuit, donec mutata coeli natura occaſionales cauſſas imminuit, & contagium, morbi effectum & cauſſam, iterum ſuppreſſit. Factum hoc menſis Novembris initio eſt, quo pauci vel nullus amplius de diro morbo conquerebatur. Horaeorum fructuum uſus & in noſtra aegritudine omni culpa liber eſt pronunciandus. Peſſime aliquando, hanc unicam urgeo, omiſſis multis aliis rationibus, peſſime inquam decubuerunt illi, qui nondum aut nunquam fruiti ſunt fructibus, & ne levi quidem diarrhoea laborarunt, qui una vice 160. pruna cerea devoraverunt ieiuno ventriculo, occaſionalium interim cauſſarum iniuriis aeque expoſiti, ut reliqui.

## §. II.

Comparuit primum dicto aeſtatis fine inter pauperes, in ultimis ſuburbii occidentalis domiciliis, prope Xenodochium Sti Spiritus, habitantes. Lento pede ſenſim adiit in anteriori

urbique vicina parte degentes, tandem ipſius oppidi cives, verſus ſeptentrionalem plagam, in unica platea commorantes, adfligens, maximumque ſuarum virium gradum Septembris huius anni exitu prae ſe tulit, & olim eandem fere viam elegiſſe, eſt obſervatum *a*).

## §. III.

Memorabile prae reliquis puto, morbum eo tempore inprimis familiarem vitaeque infenſum fuiſſe ſpurcitiei deditis, pedibus nudis incedentibus, in conclavibus anguſtis, obſcuris, madidis, mox frigidulis, mox vehementer calefactis, viventibus, tenui victu & duro utentibus, in ratione ſpurcitiei, anguſtiae hypocauſtorum, vitaeque miſeriae: omnibus igitur, quibus ex ſuis cauſſis perſpirabile Sanctorianum remanet, corrumpitur in ſanguine, illumque corrumpit. Comprobat febris malignitatem ingens peſſimorum ſymptomatum numerus, mox enarrandorum, ſaepe tertio decumbenti mortem creantium: negari licet nequeat, ſub initium pernicioſi fluxus, his hominibus eſſe medelam genuinam, futurum periculum obliterantem, morbo ipſo odioſiorem.

## §. IV.

Eadem ratione & natura quieſcens, dicto tempore, mala rediit lues, inficiente maiori vi, quamvis ſymptomatibus reliquis vix inſidioſioribus, paullo praecocius, ſcilicet iam ineunte Auguſto ſequentis anni LXI. Plures eſt adorta, plures ideoque interfecit. Iulio perpetuum ſerenum coelum, paucos pluvioſos & obſcuros dies admittens, aeſtum incredibilem protulit, ad Octobrem usque durantem. Eandem, ac priori autumno, cives oppidi elegit viam adgrediendi, toto Septembri in omnes illius par-

*a*) Conf. Storchii *Mediciniſcher Iahrgang*; item eiusdem *Relationes in Commerc. litter. Norimb.*

partes diſſipata. Suburbio tamen orientali parum perniciei adferre potuit. His igitur menſibus, quorum ultimus aeſtatis peſſimus exſtitit, copioſior epidemia & contagioſa cauſſa, minor hominum proclivitas in adeo dirum morbum, prae prioris anni autumno. Nulli ſexui, nulli aetati pepercit, omnes aequali fere corripiens vehementia. Infantibus tamen, ſi qua ſuperfuit differentia, & ſaepe robuſtiſſimis feminis periculo pleniſſimus ſymptomatum gravitate evaſit morbus; nec ſenes adeo miſere adficere valuit. Plus nonaginta quatuor homines, intra hos tres menſes decumbentes, praeter ſuperioris autumni reliquos, ſolerter adii, & quidquid in illis, ſaepe propriae ſanitatis detrimento, animadvertere potui, ſedulo collegi, nunc proferendum uno ordine cum prioris autumni obſervatis.

## §. V.

Praeſentia cohortis febrilium ſymptomatum, ante manifeſtam inflammationem obortorum, auctam excretionem alvinam antecedentium, febris, ſub decurſu morbi ſaepe plus ventris fluxu urgens, inflammationis aliquando rara ſigna, mortis ratio febrium malignarum reliquis ſpeciebus ſimilis, morbi ſaevientis, criſi accedente, corruens vis, mihi abunde commonſtrare videntur, eſſe defluxum crebriorem dyſentericum, nuper nobis adeo fatalem, febris malignae ſymptoma, febrem vero morbum primarium valde malignum, ex peculiari humorum corruptela obortum, inteſtina prae reliquis viſceribus in abdomine ſitis male adficientem. Hanc corruptelam gignit epidemia cauſſa, contagioſa autem genitam movet, & ad inteſtina vi febris propellit. Effluens illa ſanies ex omnibus ductulis excretoriis, cum bile, pancreatico ſucco & reliquis inteſtinorum liquidis, huc advehendis, aeque ſua indole depravatis, tormina, dolores atrociſſimos, arroſiones, ceteraque, ut producat, neceſſe eſt, quae aucta ex ſuis cauſſis, malignam rurſus labem alunt, gangraenam adferunt. Neque haec, ut obſim plurimis graviſſimis uſu

viris,

viris, ſint prolata, ſed ut ordinem detegam, & febrem, & alvi fluxum diſtinguendi, ſanandi *b*).

§. VI.

Animi inſolita, alacriorum etiam alias hominum, mutatio, metus incredibilis morbi ſibi futuri, maxima virium proſtratio, quotidie aucta, adpetitus minus vegetus, ſomnus valde anxius & inquietus, malum adoriens in plerisque anteceſſerunt. Fuerunt tamen & alii, quibus parum morboſi contigit ante primum inſultum, atque in his plus contagium, in illis plus propria in morbum propenſio effeciſſe videtur. Tandem horripilatio interdum in manifeſtum abiens frigus & horrorem, initium febris iam ſaevientis oſtenderunt.

§. VII.

Reſpiratio utplurimum diebus primis libera, bona, deinde frequentior, anheloſa, ſpaſtica, levatis ſcapulis peragenda, gemebunda, ſtertoroſa, ac ſi muci maxima vis obſtrueret omnem bronchiorum & fiſtulae cavitatem, evaſit. Tuſſis rariſſima humida, muco in fine piceae tenacitatis, & anima peſſime olens fuit. Calor corporis ſuperficiem occupans, cum cutis ſiccitate perpetua, auctus plerumque naturalique maior exſtitit; ſed frigore quoque non raro in ſequiori ſexu modo manus, cubiti & pedes, modo cubiti ſoli riguerunt, aeſtu ſimul ſummo in manibus & reliquis cunctis partibus corporis percipiendo. Anxietas cum cordis palpitatione manifeſta in plurimis incredibilis, & perpetuum loci & medicamentorum mutationis deſiderium. Pulſus aliis celer & fortis, aliis celer, debilis, inaequalis, fortior modo, debilior iterum, aliquando debillimus, celerrimus, intermittens, tardior, gangraenae index, mortis nuncius eſt certiſſimus

*b*) Eodem fere modo Auctorem libelli, qui Londini prodiit inſcriptus: *An Eſſay on the autumnal dyſentery. By a phyſician Printal for Pecket* 1759. in 8vo iudicaſſe, inveni, meis tamen obſervationibus iam conſignatis.

mus inventus, aliis rurſus parum aberravit a naturali, his quoque leviſſimus morbus ſine periculo fuit.

## §. VIII.

Comprehendit mox morbi initio aegros debilitas tanta, ut nec pedibus inniti, nec caput tenere erectum potuerint, aliis paullo tardius acceſſit inſignis illa virium imminutio. Alii animo frequenter defecerunt, frigido ſimul ſudore perfuſi, atque alii truncorum inſtar ſoporoſi iacuerunt. Vidi & ſanitati reſtitui ſenem hoc morbo proſtratum, ſeptuagenarium, a multis annis & adhuc firmum, ſuo capite vacillantem & trementem, ipſa vero dyſenterica febre praeſente huius debilitatis ne minimum ſentientem. Mutatae in peius plerisque animales evaſerunt actiones. Somnus inſomniis inquietus, ſopori ſimilis, vel plane nullus, vigiliae perpetuae, ad complures dies productae, deliria rara, inprimis futura morte, mentis mutatio ſingularis, ſenſus externi pauci laeſi, praeter guſtum, ſemper ipſis putrido in ore & faucibus haerente ſapore, depravatum. Alii leviter ſunt convulſi, ſpaſmis aeque multis mortem in infantibus antecedentibus. Huc refero quoque ſingultum infra adhuc memorandum. Oculi torvi, triſtes, lanuginoſi, illacrumantes, canthis flavis, praeſertim interno, pupilla ampla, nec lucis vi obſequioſa iride. Vox varie mutata, clangoſa, tremula, rauca, habitus corporis valde mutatus lurido vultu, genis, non raro alterutra tantummodo, rubore ſplendentibus, extenuatio ſumma, ut aegri reconvaleſcentes ſceletis ſimiles viderentur. Dolores varii capitis, dorſi imprimis & lumborum, artuum, praecipue brachii, intolerabiles in duobus uterinis, eodem modo correptis & iugulatis, obſervavi.

## §. IX.

Sudores plurimos ipſa decurrente febre particulares in facie, manibus, gelu horridis, affatim prorumpentes, notavi. Alii

autem univerſales matutino tempore, evaneſcentibus morboſis ſenſim ſymptomatibus, ſicciſſimam cutem madefacientes, tandem comparuerunt. Exanthemata rara, & ſi quaedam interdum methodo genita forte, minima fuerunt illa, pellucida, miliaria. Quibusdam menſtruorum veſtigia morbo ineunte prodierunt, peſſime poſtea decumbentibus. Sitim inexſtinguibilem, clamoſam, igneam, cum lingua primum tumida, alba, ſenſim flaveſcente, tandem fuſca, nigra, arida, muco tenaci obducta aſperaque, aliquando tamen munda, carnei & roſei coloris, parum a naturali recedente habitu, aegri pertulerunt. Deglutitio exſtitit ſaepe ſpaſtica, laeſa & moleſta, ſonora, ructus vehementiſſimi, nauſeae, vomituritiones, delirantibus adpetitus incredibiliter auctus, reliquis parcus vel plane nullus, vomitus continui, pertinaciſſimi, ſaepe ſingultu diſtincti; nullo interdum artis ſubſidio mitigandi; evomuerunt autem, ingeſta, pituitam, bilem flavam, viridem, atram, corruptam, vario totius febris tempore, item vermes, praecipue lumbricos; cardialgia enormis, ſingultus rebullis, nunc in declinatione nunc in initio morbi conſpicuus, nullo ſaepe remedio compeſcendus, vicinis, ob ſuam vehementiam audiendus, aliquando ſolum nocturnus, nec frigori externisve aliis cauſſis tribuendus; iſchuria, imprimis in potiori ſexu; ſtranguria, mictus cruentus, ſuperato nunc fere morbo & pueris accedens; urina flammea, nubeculoſa, ſedimento vix quodam depoſito.

§. X.

Primarium autem ſymptoma, quod hanc ab aliis longe diſtinguere poteſt malignis febribus, conſtituit diarrhoea & niſus alvum exonerandi continuus, decies una hora accedens & ultra, frequentior quoque veſperi & noctu, doloribus atrociſſimis, in regione hypogaſtrica potiſſimum percipiendis, ſtipata, lancinantibus, urentibus, prementibus, nullis aequiparandis cruciatibus, cum ſpaſmo terribili omnium partium in abdomine collocatarum copulatis, non quidem perpetuis, ſed quieſcentibus,

bus, eiecto per alvum putrido excremento, item longe ante mortem etiam ſine ſenſu quoque aegrisque neſciis eveniens, quolibet ingeſto mox augenda, nictu citius, ut omnia quaſi tunc velociſſime canalem alimentorum percurrere viderentur. Sunt autem eiecta ſub hoc perpetuo defluxu excrementa liquida, ſpumoſa, pituitoſa, bilioſa, viridia, praſina, atra, ramentoſa, portiunculas, ut viſum fuit, abraſae villoſae tunicae ſecum vehentia, alba, utplurimum ſincero ſanguine remixta, aliquando vero rubello ſolummodo ichore, foetidiſſima odorem ſubdulcem, nauſeoſum, putridum, & plane ſingularem, cadaveroſo deteriorem, ſpirantia, inſciis aegris elapſa, vermes in ſuo ſinu generatos alentia. Solida autem qualiacunque, nunquam, niſi ſub manifeſta morbi declinatione, animadverti. Poteſt ideoque febris dyſenterica occurrere ſine ſanguinis veſtigio, ſine perpetuo fortique illo dolore, peſſima. Ingentem dolorem, eiecta mox putrida illa materia, eſt inſecutus verbis vix ſatis deſcribendus teneſmus, ob ſummos ano illatos ardentes cruciatus, primario morbo plus miſeriae ſaepe concilians, ſuperſtes non raro diu adhuc, ſublato illo in inteſtinis dolore.

## §. XI.

Infantibus crebrioribus illis deiectionibus & perpetuo conniſu prolapſum eſt inteſtinum rectum, cum acerbiſſimo cruciatu. Ediderunt quoque vermes, praeſertim lumbricos, mox ſingulos, mox plures in unum globum convolutos. Flatus nunquam, vel rariſſime, & crepitus eſſe propulſos, comperi. Feminam iuniorem & robuſtam vidi, incredibiliter hoc morbo, ſub continuo vomitu bilioſo viridi, defluxu ventris parum ſanguinolento, viridi & ſpumoſo vero multo adflictam, canina fame ſimul laborantem, atque illa ſedata & vomitus & diarrhoeae levamen ad tempus percipientem, ultimo tamen trucidatam. Videtur itaque nec ſanguis cum excrementis profluens, nec ſummus dyſenterici fluxus dolor, morbi eſſentiam conſtituere; ſed potius

illam eſſe poſitam putarem in frequenti putridae proluviei ſe & excretione, & deſtructione gangraenoſa inteſtinalis canalis tandem futura copulata, atque an recte, quaero?

## §. XII.

Eadem ſane ratione, qua ſigna futurae ſalutis ſic etiam triſtis morbi exitus complura eaque vere certa fuerunt. Peſſimi fuit praeſagii pulſus initio iam debillimus, celerrimus, intermittens, cum extremorum perfrigeriis, madidorum, pingui ſudore, connexus, & maxima virium proſtratione, qui itidem in vigore morbi praeſens, mortem plane ineluctabilem fore, praenunciavit. Triſte fuit ſymptoma anxietas illa praecordiorum, perpetuum, vel medicamentorum mutandorum deſiderium, vel nauſea continua illa adſumendi & optimi ſaporis. Peſſime decubuerunt pulſu magno, undoſo dentibus ſtridentes, vel altero debil'imo ſingultientes, quorum generatim nullus mortem effugit. Nec aliquid maiorem lethalis exitus certitudinem adtulit, quam peſſimus ille foetor, de quo dixi, multos ante obitum dies omnibus morituris obortus.

## §. XIII.

Reliqua gravem quidem, vix tamen neceſſario exitu fatalem declaraverunt febrem, atque aliquam emergendi ſpem reliquerunt. Generatim ſub leviori morbo minus turbatas actiones omnis generis animadverti, nec fuit adeo perniciosus gravidis ratione foetus, lactantes autem lacte orbavit. Nonnulli ultra tres peſſime decubuerunt hebdomades, plurimi decimo quarto & praecociori die, ſub matutinis ſudoribus & in urina ſedimento depoſito, accedente adpetitu, imminuta diarrhoea, mutatis excrementis, priſtinam ad ſanitatem recuperandam ſeſe accinxerunt. Et licet multi, profligato primario morbo, ſatis adparuerunt ſani: iis tamen inter ſuperſtitem debilitatem ad abdomen usque pedes oedematoſe intumuerunt. Vidi aliquem tandem ſana-

ſanatum ſub erecto corporis ſitu, palpitatione cordis incredibili, deliquiis animi levioribus & ſummo capitis dolore adfectum, non ſine propria his morbis medela. Ratio vitam ponendi omnibus fere eadem, ac in febribus malignis, fuit nono die ad duodecimum; pauci ad viceſimum primum usque miſeram traxerunt vitam ſub reſpiratione ſuffocativa, frigidulis extremis, recta protenſis oculorum bulbis, vitam tamen alia puella, ſub ſummo in cloaca cruciatu animo deficiens, efflavit.

## §. XIV.

Gravitas rei nunc illam ſuadet adponendam medelam, quae plurimis, vix omnibus, potuit adferre reſtaurandam valetudinem. In brachio inſtituta Venaeſectio ſub initio utilis fuit illis, quibus poſt vehementem horrorem, plenus, fortis & undoſus reſtitit pulſus, noxia vero, contrarias proprietates gerente pulſu fuit. Omnes fere, inteſtinis nondum adeo corruptis, abſente ſingultu, bene tulerunt pulveris radicis Ipecacuanhae, ad vomitum ciendum, uſum. Praebui vero adultis ſex grana eiusdem ſingulis XLV. minutis primis, infuſa fervente aqua, ſic vomitum pro lubitu auxi, increſcentem rurſus facile domare potui. Mane & veſperi inſequentibus diebus debitum ſumere aegros iuſſi pulveris radicis Rhei praebium, quod etiam ſolum adhibui, ſerius advocatus; nec plane neglexi aquoſum Rhei infuſum, & Aloës optimae extractum. Tum febris imprimis rationem habui, et illa ulterius exhibui, quae avertere potuerunt ab illo canale inteſtinali irruentium corruptorum humorum vim. Febri mitigandae oppoſui potus aceto & Citri ſucco acidiuſculos redditos, copioſe bibendos, ſed tepidos ſemper. Ingeſſerunt quoque decoctum avenae excorticatae farinaceum acidiuſculum itidem. Quod multis forſan abſonum videri poteſt, mineralia acida ſummi uſus, ſumma laude digna, in ſupprimenda putredine, ſyrupis acidiuſculis mixta, aquae ad gratum ſaporem inſtillata, pluries inveni, praeſertim vero *clyſſum antimonii ſulphu-*

*ratum*. Eodem ſcopo nitrum, arcanum dupl. tartarum vitriolatum, additis ſpeciebus diair. ſ. r. diatragac. frig. gumm. arabico & tragac. pulv. rad. glycyrrh. amylo, ſtimulandi vi orbandum, omni fere bihorio adhiberi iuſſi, & tincturam florum Papav. rhoead. quibus pulveres minus placuerunt ſumendi, ſalibus cum fructu ſubſtitui.

§. XV.

Praeter gummoſa & farinacea, iam enarrata, & mucilaginoſa decocta & infuſa, ex rad. alth. ſymphyto, ſemine lini recenti, pſyllii, cydon. additis tamen ſemper carminativis & prae omnibus, floribus Chamaemeli utriusque, ut obtunderem ſummam inteſtinalium humorum acrimoniam, & involverem illos, rhabarbarinis deinde eiiciendos, ſedulo & copioſe aegris haurienda ſuaſi. Mucilaginem ſeminis Cydon. cum oleo amygd. dulc. recentiſſimo adhibui itidem, ſed ſine fructu.

§. XVI.

Vt vaſcula conſtringerem, ut debilitato atque arroſo inteſtinorum canali conſulerem, ut putredini, gangraenae matri, obeſſem, cuncta corticis Caſcarillae praeparata, ſcilicet extractum & tincturam aquoſam, & reſolventem Stahlii pulverem compoſitum, ſed hunc temere, praebui & inprimis Rheum orient. toſtum, pulverem radicis Contrayervae, ſanguinem Draconis, & millefolium. Summo vero & incredibili cum fructu *Peruviani corticis pulverem & decoctum* copioſe uſurpavi. Mentionem prae reliquis ut faciam hominis iuvenis, cui parum ſpei recuperandae ſanitatis ſupereſſe putabam, peſſime enim decubuit, continuato optimi huius pulveris uſu ad drachmam dimidiam omni bihorio, datis ſimul mane & veſperi aliquot Laud. liquid. Sydenham. guttis, feliciter ſanati, neceſſe eſt. Dolendum vero, ſaluberrimi remedii plurimis aegrotantibus, odioſum ob ſaporem, nullo artificio ſatis celandum, uſum, difficulter tanta, ac requiritur, copia reddi poſſe familiarem.

§. XVII.

§. XVII.

Ad excitandas ſaepiſſime adeo proſtratas vires Mixturam ſimplicem utramque, Croci extracto tinctam, Camphoram in emulſionibus propinavi, & ſimul movendi & opitulandi ſudoris gratia. Vt doloris maximam vim, omni abſente ſomno, compeſcerem, Laud. liquido Sydenham. vel Opio in Mixtura ſimpl. ſoluto, ſum uſus. Perpetua fomenta, abdomini adplicata, linteis, florum chamaemeli decocto imbutis, aeque efficacia, ac infuſum ſolum praedictorum florum, ſedulo hauſtum, immo opio efficaciora eſſe, pluries uſu animadverti, & generatim opii uſum in hoc morbo providum eſſe debere, probe mox perſpexi. Scio quoque, confortandi ſcopo utiliter eſſe uſurpatum liquorem anodynum Hoffmannianum.

§. XVIII.

Graviſſimum ſymptoma, teneſmum, per fomenta eadem laudata, & fotus ex ollis ad anum admiſſos, & vapores eiusdem decocti, multum imminutum fuiſſe obſervavi. Singultum, ſummi periculi comitem, varia medela oppugnatum, nulla fere vincere potuit. Fruſtra ſaepe ſunt adhibita opiata, caſtoreum, externe ſpiritus aromatici, balſama, fomenta, pediluvia aliaque hoc ſcopo celebrata. Impetum humorum ſuperſtitum, in fine morbi ad caput ruentium, emplaſtra veſicatoria, ſuris impoſita, optime hic cohibuerunt.

§. XIX.

In ſola remediorum praeſcriptione non acquieſcens, diaetae quoque ſolerter rationem eſſe habendam, docui. Vegetabilem farinoſum victum ubique ſuaſi, atque inprimis longe tenuiſſima iuſcula cum granis Sagou cocta, addita tamen ſucci Citri convenienti quantitate. Animalem victum ſtudioſe interdixi, quum homines, medelae ſpeciem in gelatinoſo iure quaerentes invenirem, valde nocivo eodem detecto. Vini hauſtum

ſub

ſub ſumma virium proſtratione interdum conceſſi, aqua tamen dilutum. Cereviſiam, & quae illi ſimilia ſunt potus genera, nocentiſſima quoque, imprudenter aliquando ab aegrotis ingeſta, deprehendi. Contentos eſſe potius illos iuſſi ſupra iam laudatis potulentis.

§. XX.

Aucto tandem magis ſanitatis ſtatu, imprimis autem vigente appetitu, roborantia cum nutrientibus affatim ingerere praecepi. Hauſerunt ultimo fine ſerum lactis recentiſſimum ſubdulce, ut hoc ſimul, per urinam, ſuperſtitem in ſanguine impuritatem dilueret, abſtergeret, eveheret; altero autem fine alii decoctum millefolii ſaturatius biberunt, aliis magis arriſit pulveris corticis Peruviani uſus, quem cum morbo ſimul imminuta nauſea, egregia ſalubritate praeclarum compertus ſum remedium. Huius autem pulveris quotidie aſſumſerunt duas drachmas, per complures ex ordine dies. Sub horum remediorum uſu inſignis, qui non raro comparuit, pedum oedematoſus tumor, coniuncta ſimul tumidarum partium ſedula frictione, evanuit, & aegri, antea tanto periculo cincti, convaluerunt optime. Largiri igitur ad delendam malignam luem egregia adminicula, puto, *radicem Ipecac. Rhei, cort. Peruvianum, flores chamaemeli, camphoram, Mixturam ſimplicem* & grana *Sagou* dicta, nunc vere ſcio, experientia edoctus.

Hi-

# HISTORIA
# MORBILLORVM
## Iſenaci & in vicino agro
anno MDCCLXII.
maligne graſſantium,
expoſita
a
IOANNE FRIDERICO CAROLO
GRIMM,
Mediciu. Doct. & Poliatro Iſenacenſi, Caeſareaeque Leopoldino - Carolinae Academiae Nat. Curioſor.
Clidemo III.

§. I.

Puerorum turbae totus fere ſeculi XVIII. annus ſexageſimus ſecundus eſt delapſus & pernicioſus & fatalis. Hiemalis primi menſis tempus humidum & tepidum excepit alterum, ſub finem inſigni frigore dirum, flante perpetuo Euro. Neque tanto gelu rigens atmoſphaera cauſſas univerſales, quae ſaepe epidemios producunt morbos, tollere valuit; auxit potius illas.

§. II.

Sporadice adparentium variolarum maligna & confluens ſpecies plurimos, ab ipſis correptos, ſuſtulit e medio. Cum alia itidem nunciae hae eſſe videntur, ex univerſalibus, omnes ſcilicet quae aggredi poſſunt, cauſſis deducenda aegritudine, cum ſui generis exanthemate copulata, *Scarlatina febre*, quae complures graviter, circa huius hiemis finem, adflixit. Eſt quoque eodem fere tempore in nonnullis febris eryſipelatodes obſervata, & illa praeſertim ſpecies, quae faciem inflare conſuevit; rarior tamen ultimus, reliquis exanthematicis morbis.

§. III.

Veris primis duobus menſibus, natura, ultra fidem, calida & ſicca, ne guttula fere roris madida, a hiemali frigore ſuperſtitem malignitatem magis exaltavit, magisque ad producendos ſui generis morbos aptam reddidit. Comparuit medio Aprili & paullo ante iam, in agro urbi vicino, ex ſua febre natum exanthema, quod *morbillos* & *roſeolas*, a ſe invicem vix diverſum, dicere ſolent (*Maaſern und Roethe*). Fuiſſe autem tot homines apud nos, eodem morbo afflictos, qui ab aliis Auctoribus ſub ſimili nomine deſcriptus eſt, docent obſervationes initii, incrementi,

menti, vigoris, decrementi febrilis mox enarrandae, exanthematis tota natura, itemque cohors hunc ipſum inſequentium morborum. Neque videtur a longo tempore tanta violentia, tantaque malignitate adeo multos ſimul eſſe aggreſſus. Aequali enim fere vehementia comprehendit idem & illos, qui in cunabulis quieſcunt, & aetate provectiores, aliis iam ſuis meritis inſervientes; mitior tamen paullo puerili aetati fuit. Summum vero ſuae efficaciae gradum illud venenum, in aëre diſperſum, acquiſiviſſe, maximus decumbentium numerus omni Maio menſe certo demonſtrat: minor enim ille & Aprili & Iunio fuit, atque tandem Iulii initio evanuit perfecte. Diſparentem rurſus hunc morbum variolae ſunt ſecutae, toto anno in omnes diffuſae.

§. IV.

Tuſſis ſicca, ex titillatione acris materiei in faucibus haerentis oborta, laſſitudo quotidie increſcens, cum turbamento reliquarum oeconomiae animalis actionum, multis morbum praenunciaverunt, aliis inopinanter ille accidit. Febris ipſa, quam omnes neceſſario ſunt experti, qui olim nondum decubuerunt, generatim catarrhalis ſpeciem prae ſe tulit.

§. V.

Horror levis, ex dorſo incipiens, & in reliquum truncum & extremitates diffuſus, ſaepe recurrens, raro cum frigore fortiori connexus, morbum nunc vehementiam ſuam exſerere inchoaſſe, oſtendit. Fieri tunc coepit arteriarum pulſus fortis celerque, aliis quoque debilior celeriorque priori, aliquando intermittens, inaequalis, celerrimus, debillimusque, qui ultimus inprimis ſequiori ſexui, ad hyſtericam paſſionem prono, familiaris fuit, & morbo rurſus evaneſcente, ſub cutis perpetuo madore, tardior celeri, debilior forti, magis aequalis inaequali, fortior debili exſtitit; quin quibus levior inſultus morbillorum, fuerunt vero pauci, contigit, hi omni decurſu naturali ſimilem

pulſum retinuerunt, & parum duriorem. Cum hoc generatim mutato acceſſit calor ingens, cutis ſicca, urens, faciei ſpaſticus & ſubito ſaepe evaneſcens rubor.

§. VI.

Evadit reſpiratio crebra, anxia, ſibilans, ſuffocativa & anginodes, ſpaſtica, peripnevmonica, cum raucedine ſaepe inſigni copulata; ſicca tuſſis ſaepe clamoſa, utplurimum vehementiſſima, interdum cum ardore in trachea percipiendo, muci aliquid elidens, vomituritione, immo vomitu ingeſtorum terminata, toto morbi decurſu perdurans, atque non raro ultra ſtadium utrumque totius morbi protracta, ex ſicca aliquando in humidam transmutata.

§. VII.

Actionum animalium laeſione ſunt obortae anxietates praecordiorum, tremores, ſpaſmi muſculorum vagi, dentium ſtridores, convulſiones cum anxio clamore copulatae, tendinum ante exanthematum eruptionem ſubſultus, cum pulſu parvo celerique, vigiliae, deliria mox vaga, mox perpetua, fixa, atrabilaria: contra in aliis ſomnolentia, ſtupores, ſopores, oculis ſemiclauſis aegris decumbentibus, recta ſimul protenſo bulbo, pupillaque ampla. Dolores artuum, inprimis inferiorum, atrociſſimi, dolores capitis varii generis, dorſi, lumborum laterumque inflammatorii, inteſtinorum & renum, mox vagi, mox fixi, debilitas ingens ex virium proſtratione oriunda.

§. VIII.

Evanuit adpetitus atque infantibus tenellis lac ſugendi poteſtas: acceſſerunt nauſea perpetua, vomitus, initio ſaepe frequentiſſimus, materiei pituitoſae, bilioſae, aquoſae, vermium, inprimis lumbricorum, ſitis ingens clamoſa, fauces impurae, dentibus linguaque muco obductis, flava, fuſca, albida, aſpera,

ſcabra,

ſcabra, nigra; deglutitio anginodes, punctorio in faucibus dolore copulata, vomituritiones, inprimis urgente tuſſi, ventriculi ardor & cardialgia. Concurrebant porro oculorum ſplendor & illacrumatio, ophthalmiae ſeroſae ſpecies levior, lemae, copioſiſſimae dentientium infantum, palpebrarum tumores, coryza ſaepe tanta, ut nares muco obſtruerentur, haemorrhagiae omni tempore morbi profuſae, valde levantes, aliquando parciores, ad paucas guttas, gravem utcunque morbum portendentes, lemis narium ſimul ſubcruentis, ſputatio frequens, mucus tuſſi e pulmonibus reiectus primum tenuis, albus ſpumoſus, deinde ſpiſſior & flaveſcens. Corripuit quoque aegrotantes vario tempore diarrhoea, varia copia, mucoſa, bilioſa, cum ardore & pruritu ani connexa, teneſmodes, ſaepe frequentiſſima, excrementis itidem ſine ſenſu elabentibus, per complures producta dies, aliquando cruenta, difficilior urinae ſecretio & excretio, latice ipſo urinoſo, rubro, flammeo, nubeculoſo, crudo, pallido, ſedimento dimiſſo mucoſo, albido, furfuraceo, interdum rubello.

§. IX.

Sudores eruperunt ſaepe univerſales, frigidiuſculis extremis, particulares, inprimis pectoris, artuum ſuperiorum & faciei, frigidi unguinoſi, acidum late ſpirantes odorem.

Maculae huic morbo eſſentiales, ſuo tempore, neque tamen ſemper cum levamine ſymptomatum mox enarratorum adparentes, neceſſe eſt, ut ordine nunc breviter deſcribantur. In his enim obviis omnis collocata eſt probationis ratio, & firmum de morbillorum praeſentia iudicium. Seſe exhibuerunt ſub cutis madore univerſali, itidem indicato, primum in facie, circa naſum, in genis, deinde in collo, dorſo, pectore, abdomine, manibus pedibusque, copioſiſſime vero prae reliquis omnibus locis, in dorſo, vultu & pedibus, a ſeptuageſima ſecunda ad nonageſimam ſextam usque horam, praecocius raro; tardius autem aliquando maculae hae, pulicis morſu minores, rubellae,

mox coccineae, hae quidem parum ſeſe adtollentes atque vix tactu percipiendam cutis aſpredinem inducentes, ita ſaepe confluebant, ut tractus maximi ambitus, veſiculis minimis duriuſculis, inſtar purpurae rubrae, efficerent obſitos. Cutis ubique leviter tumida, macularum elatus atque auctus rubor, magnitudo tandem vix amplius augenda, maturitatem exanthematum indicare videbantur: hoc contigiſſe utplurimum ſeptuaginta duas ad nonaginta ſex horas poſt prima pullulantis exanthematis indicia, ſaepe ſum expertus.

§. X.

Qui perpetuo adfuit in corporis omni puncto mador, nunc in univerſales abiit ſudores, pruritum & puncturas antea ab eruptione praeſentes, cum omnibus, quae morboſa & ſanitati inſidioſa viſa ſunt, ſymptomatibus imminutis. Maculae autem a ſui vigoris gradu ſummo, nitentem amiſerunt, obſcurioremque carmoiſino ſimilem induerunt colorem: neque tamen & hic diu ſubſtitit: depreſſae enim primum pallidiores, deinde fuſcae & tandem lividae evaſerunt, cuticula aliis, praeſertim faciei & colli, ſimul in ſquamulas diſrupta, aliis illaeſa perſiſtente. Accidit haec permutatio a ſeptimo ad nonum usque diem, neque hoc ultimo aliquid macularum lividarum reſtitiſſe ſcio, licet non deſint decimo quarto die obſervatorum exempla veſtigiorum.

§. XI.

Haec fuit conditio & natura optimo modo adparentis exanthematis morbilloſi; non raro interim & aliud ſeſe in corporibus diu iam ante impuris adſociavit, graviorem reddens & pertinaciorem priorem morbum, nempe exanthema miliare, ſeminis milii inſtar morbillis, aeque ac mundae cuti copioſiſſime, in pectore & dorſo, adſperſum, candidiſſimum, limpido latice plenum, cui & aliud lactei coloris diverſi, apice acuminatum, addi

addi debet, priori vere peius. Vtrumque evaneſcens in ſquamulas cuticulam diſſolvit.

§. XII.

Sudoris itaque eruptio, tota corporis ſuperficie manantis, tota fere die, inprimis autem matutinis ſub placida quiete horis, macularum abitio, urina cum ſedimento multo obſcuriori, citrina, tuſſis mitiſſima humida, atque tandem reliquarum machinae actionum exercitium liberum, mox futurae & fere praeſentis iam recuperatae valetudinis ſigna fuerunt.

§. XIII.

Vix imminuta vel quoque aucta, quae antea expoſui, huius morbi ſymptomata, poſt exanthematum eruptionem morbum graviſſimum & ſaepe lethalem reddiderunt. Inprimis vero quidquid in febribus malignis gravem & fatalem exitum portendit, & hic mali fuit ominis. Diarrhoea & vomitus perpetuus, ſudores particulares frigidi, unguinoſi, haemorrhagiae narium parcae, pulſus celerrimus, debillimus, intermittens, reſpiratio crebra ſublimis, anxia, ſtertoroſa, capitis dolor intolerabilis, vigiliae & deliria continua, ſtupor & ſopor cum ſtridore dentium, convulſionibus particularibus, exanthematibus ſimul obſcuriorem & fere violaceum colorem nactis, parum adhuc elevatis, debilitas ſumma atque impedita muſculorum actio, eo fine inprimis adnotari merentur. Et quotquot generatim hoc ſuccubuerunt morbo, reſpiratione peripnevmonica, ſtertoroſa, plane frigida, pulſu debillimo, tremente myurove, facie & extremis tumidulis, lividis, frigidis, diris convulſionibus miſere corpus concutientibus correpti, perierunt: atque inprimis ultimum tertio quartove iam die, ſeptimo rarius, dentientibus contigit infantibus.

§. XIV.

His variis morbi in plus CIV. aegris ſymptomatibus obſervatis ſeduloque adnotatis, variam eſſe opponendam medelam, faci-

facile colliget quisque rerum gnarus. Temperantia, inprimis nitrum, citreum malum & acetum purum, nulla tuſſis habita ratione, pueris medicamenta gravis ſaporis toties reformidantibus, ſyrupi ex ſuccis refrigerantibus parati, Tincturae florum bellidis & papaveris rhoeados, quamvis has ultimas ſemper dubio exhibuerim plenus, ab aliis tantopere commendatas, ſuis temporibus ſummi fuerunt uſus & efficaciae. Eodem aeque ſcopo addidi lenia demulcentia, decocta & ptiſanas ex radicibus ſcorzonerae, cichorei, ſaepe multumque hauriendas, cum avena, hordeo, radice glycyrrhizae, & quibuscunque aliis ex illa in officinis proſtantibus, ſimpliciter parata, ſpecies diatragacanthae frigidas, diaireos ſimplices recentes, Elixirium pectorale Wedelii, pro adtenuanda in pulmonibus haerente ſpurcitie, infuſa pectoralia & theeformia, ex hyſſopi herba, capilli Veneris, ſemine aniſi vulgaris hortenſis, ſemine foeniculi dulcis, floribus papaveris rhoeados, radice althaea, ſpeciebus pro decocto pectorali, & pro decocto florum & fructuum.

§. XV.

Diaphoreſin praeſentem ſuſtinuerunt atque adiuvarunt, ſuo tempore, eadem infuſa, additis ſimul plantis, acrioribus particulis praeditis, carduo benedicto ſcordioque; auxerunt illam fortius, abſentem forſan, cum ſalutari exanthematis eruptione, Mixtura ſimplex utraque, camphora ipſa cum emulſionibus & nitro porrecta.

§. XVI.

Vrina interdum pellenda, praeter demulcentia, fomenta, & inunctiones conſuetas, arcanum duplicatum & tartarum vitriolatum popoſcit. Rhabarbarina, ut diarrhoeam nimiam, ſaepe urgentem, mitigarent; liquorem autem cornu cervi ſuccinatum & caſtoreum praeſcripſi, ut convulſiones, ſaepius, praeſertim in infantibus, admodum frequentes ac periculo pleniſſimas minuerent & exanthema protruderent. Tuſſis incredibilem vim, prae-

praeter ſupra memorata diluentia & demulcentia, oxymel ſquilliticum, ſyrupus de eryſimo Lobelii, immo, his inertibus, opiata refraenarunt. Superato morbo laxantia ex Rheo praebui, methodumque modo antiphlogiſticam, inprimis nitri ope, ſum ſecutus, modo etiam leniſſima diaphoretica & pectoralia demulcentia, ſupra iam laudata, aegrotantibus exhibere iuſſi.

§. XVII.

Vt diaetae ratio haberetur, & carnis & iuſculorum uſum ſedulo interdixi; acetaria vero admiſi, animadvertens, haec ventriculo appetenti & robur conciliare, & ſitim egregie lenire. Lentium, oryzae, milii, hordei mundati decocta tenuia, raro cum iuſculis carnis parata, hoc morbo decumbentibus mirifice prodeſſe multoties ſum expertus. Quisque praeterea, pro ſuo lubitu, fructibus horaeis, coctione varie emollitis, varie ſuavioribus redditis, e. g. prunis, pomis, ceraſis, &c. addito etiam vini pauxillo & cinnamomi, eſt uſus. Omni decurſu morbi, alii cereviſiam ſecundariam, alii aquam, alii ptiſanas ſupra memoratas, copioſe biberunt. Nec enim eſt, quod magis miaſmatis morbilloſi acrimoniam diluat atque infringat, lympham alias cogentis. Sinapiſmi aliis, aliis veſicatoria emplaſtra, pro ſymptomatum ſoporoſorum varia natura, profuerunt.

§. XVIII.

Multis hac via ſanandi valetudo bona eſt conciliata; alii vero, praeceps periculum effugientes, ab aliis ſaepe gravioribus ſunt excepti malis, nunc diuturnis, nunc acutis, quae ut exponantur, cum potioribus ipſis familiaribus proprietatibus, ſcopo nec incongruum, nec inutile videtur.

§. XIX.

Nimirum nonnulli, antequam rurſus lectum reliquerunt, alii bona iam per aliquot tempus valetudine frui quum videren-

tur imperitis, iterum in febres varii moris, *malignam*, *miliarem*, *catarrhalem*, *verminoſam*, *lentam*, *anginam inflammatoriam*, *peripneumoniam veram*, *pleuritidem*, *humidam ſcabiem*, *ophthalmiam humidam*, *tuſſim convulſivam* & *conſenſualem*, *apepſiam* & *vomitum* deciderunt. Notari praeterea meretur, ultimis potiſſimum ſomnum nec fuiſſe recreantem, nec adpetitum ſatis vegetum, nec debilitatem a ſuperato priori morbo prorſus diſſipatam.

## §. XX.

*Febris maligna*, puſionibus adeo perniciosa, ſymptomatibus conſuetis tenella & valde emaciata corpuſcula poſt decimum quartum diem trucidavit, alia valde debilitata tandem inter viva reliquit. *Pulſus* arteriarum maxime mutabilis, mox fortis & celer, mox debilis rurſus, tandemque intermittens; calor urens ad contactum, cutis interdum aſpredo & coriacea ſiccitas, reſpiratio crebra, anxia, ſtertoroſa, cum ſtrepitu in trachea haerentis muci coniuncta, ſaepe profunda, ſuſpirioſa, tuſſis clangoſa, intumeſcentia vultus emphyſematica, pallida luridaque, ſuperſtitem acrimoniam prioris morbi, nerveo fluido & organis vitae ſuſtentandae deſtinatis moleſtiſſimam, oſtenderunt. Mentis ſub loquela agitatio ſumma, artuum tremores, dentium ſtridores, utplurimum fatalis exitus nuncii, ſenſuum obnubilatio, animi perpetua triſtitia, ſomnus inſomniis & deliriis anxiis ſtipatus, linguae paralyſes, inſultus apoplectici, ſopores profundi, palpebris dehiſcentibus, moleſta inprimis tenellis fuerunt ſymptomata. His porro acceſſerunt ſitis, lingua ſicciſſima, arida, hiulca, nigra, fiſſa, ſaepe rubore nitens, aliis adpetitus plane deletus, aliis mirifice auctus, cum tuburcinatione coniunctus, nauſea, vomitus, diarrhoea foetidiſſima; obſtructio e contrario per complures dies durans, nullo medicaminis ſtimulo ſolvenda, urina ſaepe pallida, ſedimento furfuraceo multo, nec tamen conſtans, ſed admodum variabilis, & hic vermes ex ore & ano proſerpentes teretes; ſudores varii particulares ſuperiorum

par-

partium, nunc univerſales intempeſtivi. In cute effloruerunt miliaria exanthemata, variae magnitudinis & copiae, lactei coloris, nunc candidiſſima, limpida ac pellucida. Species poſterior truncum ipſum & collum occupare conſuevit. Lethalia vero fuerunt miliaria ſub dentium fremitu ſoporibusque erumpentia, aeque ac illa lactea apice acuminato viſa. Evanuit ipſe periculoſiſſimus morbus, ſudoribus profuſis univerſalibus matutinis & urina cocta, disrupta miliaris humoris veſicula, redeuntibus aegri adpetitu & firmo ſomno.

§. XXI.

Temperantia, diaphoretica, analeptica ſtricte dicta, antiſpaſmodica, ſuo tempore adhibita, & cantharides, potiora ſunt, quibus ars naturae eſt opitulata. Terrea omiſi, nitro vero, citrei mali ſucco, tincturis cum acido vitriolico praeparatis, licet his & hic dubius ſemper, oxymeli ſimplici, Mixturae ſimplici, croco, liquori cornu cervi ſuccinato, caſtoreo, camphorae in emulſionibus exhibitae, infuſis pectoralibus vulgaribus & ſcordio, laudes debeo, ad ſuperandum inſidioſum hunc morbum, nunquam imminuendas. His enim ſopita ſunt ſaepe peſſima ſymptomata; his ars mortis arma feliciter diffregit. Rheum in alvo ducenda omne fere punctum abſolvit.

§. XXII.

Neque verminoſa febre immunes, atrocem morbillorum illudentes vim puſiones, tulerunt huic morbo propria, licet priori non aeque fallacia. Per paucos duravit dies, cum ſpaſticis & convulſivis ſymptomatibus, atque expulſio lumbricorum, vi febris effecta, terminum morbi adtulit, eiectis ſimul in lotio & ſudore, accelerato ſanguinis motu genitis, impuritatibus. Id praeterea confirmatum eſt experientia, omnes hos morbillis ſuccedaneos morbos, febres inprimis malignas & lentas, cum ſymptomatibus, vermibus adſcriptis, eſſe copulatos.

Vim febris temperantia mitigaverunt, univerſali methodo adplicata; ſpaſmos autem ſopivit liquor cornu cervi ſuccinatus.

§. XXIII.

Peſſime decubuerunt, in febrem lentam, ſub varia forma decurrentem, irruentes. Pomeridianae exacerbationes, pulſus celer fortisque, interdum debilis, ante obitum celerrimus, tactu vix percipiendus & tremens fuit. Reſpiratio crebra, ſatis tamen profunda, tuſſis perpetua, maxime pectoralis idiopathica, humida, mire excruciavit omni ſupplicio adeo debilitatos antea puſiones. Hac tuſſis vi mucum reiecerunt copioſiſſimum, quaſi purulentum, ſpumoſum, ſaepe tenacem, nunc flavum, nunc albidum. Turbatum vix fuit, quod ſenſuum exercitio competit. Somni vero placidi abſentia, perpetuum locum decubitus mutandi deſiderium, imprimis ambiguum; debilitas inenarrabilis, atque nonnullis deliria noctu fugacia, mirifice morbum reddiderunt aſperiorem. Sitis clamoſa fere perpetua, lingua valde mutabilis, ſuperficie mox pura ruberrimaque, mox flava, muco multo obducta, adparuit, quam faciem extenuatae ante obitum adhuc fuiſſe, recordor. Nunquam vero tanta adpetitus exſtitit ac ſitis vehementia. Ceperunt parum cibi, captum mox vomitu reiecerunt, mox diarrhoea, digeſtionis opere vix mutata, alvo depoſuerunt: nec tamen ultimum omnibus omnique tempore accidit, ſed ſaepe itidem alvina obſtructio per complures dies fuit. Minxerunt urinam turbidam ſemper ſimul ſedimento furfuraceo multo, pallore aliquando inſignem, levia tamen prae ſe ferentem indicia lymphae particularum ſubtiliſſimarum, hac via eliminatarum. Sudor tantus, uti a reſolutione humorum & ſingulari acrimonia produci potuit, vix eſt egreſſus. Sudarunt, ſed in ſuperioribus partibus & trunco corporis, ſine ordine, ſine omni ſymptomatum levamine. Neque huic febris diuturnae ſpeciei miliaria exanthemata valde fugacia, epidermidem leviter exaſperantia, initio imprimis morbi, defuerunt.

Oede-

Oedema flaccidum aliquando haud ſine gravi periculo occupavit pedes. Puſtulae & vari, in cruſtas denſas abeuntes, vultum late tegentes, non raro, ut viſum eſt, magnam impuritatum copiam e ſanguine eliminarunt. Et marcore & debilitate maxima, his excretionibus, licet non adeo auctis, ſenſim inductis, infantum corpuſcula pedibus vix valuerunt inſiſtere.

§. XXIV.

Peſſima & valde periculoſa, mortem tamen certam non indicantia, uſu comprobatum eſt ſequentia exſtitiſſe ſigna: nimirum mucum citrini coloris, profunda & clangoſa tuſſi eiectum, maxima copia, ſpumoſum, gelatinae inſtar tenacem ductilemque, ſingulari habitu praeditum, verbis vix ſatis deſcribendum; diarrhoeam frequentem, cum excrementis flavis foetidiſſimis, ſpumoſis; aegrotantium anxietatem ſummam & perpetuam; inquietudinem cum livore vultus circa orbitas oculorum, additis, quae pulſus tradere poteſt. Incertum plane permanſit tempus futurae mortis, itemque recuperandae ſanitatis. Alii ultra menſem, alii ad tres usque decubuerunt, his ſemper magna ſpe emergendi ſuperſtite. Secunda ſeſe adpropinquans valetudo adpetitu vegetiori, paullatim ſomno quieto, & nova corporis forma comparuit.

§. XXV.

Nunc ea quoque ſuis laudibus ſunt extollenda, quorum egregia efficacia in ſuperando morbo rebelli fuit obſervata. Laxantia, praemiſſo leni ex rad. Ipecacuanhae vomitorio, nonnullis, aliis vero mera laxantia rhabarbarina, datis ſimul interdum infuſis diaphoreticarum plantarum ſupra iam laudatarum, impuritatum vim a pulmonibus averterunt, tuſſimque compeſcuerunt. Excellentiori longe effectu aliquoties ſuris impoſita veſicatoria, & diu alenda ex illis ulcera, deprehenſa fuerunt, ſubtilem a pulmonibus egregie arripientia acrimoniam. Atque eodem fine aliquoties utilitate non caruit tempeſtivus Mixtu-

rae ſimplicis uſus, praeſertim quum & hoc remedio laxa alvus conſtiparetur. Poſtulavit praeterea in aliis aucta reſpirandi difficultas, impedita ſimul cum muci larga reiectione, extractum & tincturam corticis Caſcarillae cum aqua paratam.

§. XXVI.

Cortex autem prae reliquis Peruvianus in hoc morbo, ob utiliſſimam ſuam efficaciam, nunquam ſatis laudandus fuit, & ſuo tempore, & caute adhibitus. Huic mox adiungo ſerum lactis acidiuſculum, omnes quod bibere iuſſi, quibus ob ſaporem minus ingratum atque odioſum fuit, ſi praeſertim diarrhoea, hoc latice forſan augenda, non adeo obſtaret: hoc enim egregie lymphae acrimoniam, facile funeſtam, involvit, & per colatoria conſueta corpori ſubduxit. Liquorem terrae foliatae Tartari ut eodem modo per urinarias vias impuritates ſeri & ſanguinis expelleret, cum Caſcarillae corticis extracto commixtum, utiliſſime praebui. Aeſtum nimis ſaepe urgentem, fidelem febris comitem, oxymeli utroque non raro mitigavi & exſtinxi; mineralia vero acida, eodem propoſito, praecipue vitriolicum dilutiſſimum, ſuſpenſa manu & dubius exhibui. Iurulentum victum, vegetabili & lacteo ſalubriori detecto, aegrotis nunquam conceſſi, neque potum fermentatione exaltatum. Quidquid biberunt, ſucco citrei mali acidiuſculum ſuaviusque reddere adſtanter iuſſi, ſaepe ingerendum.

§. XXVII.

*Angina* poſt aliquot dies morbillos eſt ſecuta aliis, inflammatoria febre ſatis acuta copulata, licet vix unquam ſine ſymptomatibus anginoſis primus morbus fuerit. Praeter reliqua interne hic ad methodum adhibenda ſalutare eſt repertum gargariſma, ex infuſo ſeminis Lini recentis cum nitro puro acrius redditum.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

*Peripnevmoniam veram*, puſiones dentientes periculoſe alias adgredientem, priori morbo ſuperato, puellam vix undecim menſes aetate provectam tanta corripuiſſe vi, ut poſt tertium diem duodecim circiter ante inſequentem obitum horas, ſanguis ſpumoſus, copia pro ratione corpuſculi inſignis, ipſi ex ore floridus erumperet, itidem animadverti. Fruſtra iam antea, morbo ineunte, emollientia clyſmata, remedia diatheſin phlogiſticam reſolventia, antiſpaſmodica, temperantia, & quae hunc in finem alias tantopere laudantur, ſunt adhibita. Ad quem enim morbum propius accedere potuit ſub ſumma in inſpirando anguſtia, pulſu celeri, primum forti, deinde molliori celerrimo, intermittente? Tulit miſera infans ſub ſumma anxietate vehementiſſimam tuſſim, vix aliquid ſputi elidentem. Calor circa praecordia ſummus & fere urens, ultimo praecipue die, cum frigore extremitatum & faciei fuit connexus.

## §. XXIX.

*Pleuritide humida* alii comprehenſi, gravem ſenſu, vix tamen fatalem ſunt perpeſſi morbum. Quidquid ex illius natura poteſt excruciare pleuriticos, id itidem infantes illi ſunt experti. Reſpiratio brevis, anheloſa, dolor lateris punctorius, diriſſimus, tuſſis continua, ſicca primum, deinde humida, multo ſputo albo, ſpumoſo, tenaci, levioribus ſimul omnibus redditis ſymptomatibus, ipſis contigerunt. Sudor matutinus univerſalis, antea, quum cutis ſicca fuit, atque urina ſedimento furfuraceo ſepoſito pallida limpidaque, ſanitatem futuram aegris adportaverunt. Vix ad decimum quartum diem duravit morbus, ſeptimo nonove liberi iam illo fuerunt.

## §. XXX.

Temperantia aquis deſtillatis ſoluta & excepta, pectorali ſyrupo, ut florum Papaveris rhoeados ſimilique oxymelle ſquil-

litico

litico gratiora reddita, & Mixtura ſimplex, mihi ad medelam ſuffecerunt. Eodem anni tempore, & aliis antea ſanis perfecte, pleura eſt inflammata, ut itaque haec pleuritis intercurrens morbillorum morbus videatur.

§. XXXI.

Vt *Scabies* morbillis ſit ſanata, tantum abeſt, ut potius ferocior redierit, & illis quoque moleſta, utraque ſicca & humida, reliquias morbi quaſi expunctura, quibus antea admodum pura cutis fuit. Neque tamen diu duravit, ſi modo ſub exquiſita diaeta, ſanguinem diluentia & depurantia uſitatiora infuſa atque decocta aegri copioſius ingeſſerunt.

§. XXXII.

Eiusdem moris, atque eandem, ſimul additis laxantibus rhabarbarinis, medelam expoſcens, *Purpura ſcorbutica*, a multis excepta fuit. Mundam rurſus cutem reddidit, & hoc ſcopo collaudari meretur tenue radicis ſaſſaparillae decoctum. Abſceſſus cum ſanitatis emolumento, aeque ac poſt variolas ſuperatas, nonnullis ſunt oborti, ſuis methodis adperiendi, conſolidandi.

§. XXXIII.

*Ophthalmiae humidae*, nunc in uno, nunc in utroque oculi bulbo conſpicuae incommoda, ſuſtulerunt laxantia ex Rheo parata, infuſum ſeminis Lini, & lac aqua dilutum, calidum, oculis inſtillatum. Rebellius vero malum veſicatoria nuchae ſurisve impoſita, cum reliquis in ſananda ophthalmia externis paucis ſubſidiis celebratis, ſuperaverunt.

§. XXXIV.

Multo cum periculo & frequentior adhuc prioribus malis, *tuſſis convulſiva* fuit. Superſtes adeo in hoc morbo familiaris tuſſis, ex primis plerumque viis conſenſualis, tandem aucta, tranſiit in peſſimam illam convulſivam. Tuſſiendo & mugiendo, ſub

ſub ipſo inſultu in inſpiratione paene ſuffocati, quidquid cibi & potus ventriculus continuit, evomuerunt ſimul cum muco e pulmonibus eliſo. Reſpiratio crebra, anxia & peripneumonica, cum leni febricula, veſpertinis exacerbationibus leviſſimis detegenda, & carotidum pulſatione inſigni fuit copulata. Somni quid ceperunt, reficiendo corpori poſt ſuperatos inſultus forſan ſufficiens. Debilis adpetitus, &, niſi mali moris & valde periculoſus morbus evaſit, alvina excretio ſanae ſimillima fuit; diarrhoeam vero mali praeſagii pluries exſtitiſſe, obſervavi. Miſſa urina varium ſedimentum, imprimis rubellum, pallidum & furfuraceum, depoſuit. Sub varie his turbatis ſe-et excretionibus, ſudor partialis manans, marcorem corpuſculis induxit, adparente ſimul hinc inde miliari exanthemate, ſaepe indicato. Facie livida, ſudore frigido perfuſa, protuberantibus ex orbitis oculis, peripneumonice ſuffocati, animam efflarunt.

## §. XXXV.

Optima auxilia, in hoc ſaepe rebelli morbo, adtulerunt remedia, quae primis proſunt viis. Vomitoria ex rad. Ipecac. paucis granis, ſed pluries eodem die exhibita, cum apto regimine, laxantia rhabarbarina, digeſtivo ſale admixto, quidquid oneri & primis viis fuit, et pulmonum viſceri, expurgaverunt. Roborantia lenia ex cort. Caſcarillae extracto, in Mixtura ſimplici ſoluto, ut poſterior etiam ex aliqua parte nimiam humorum vim, pulmoni irruentem, prohiberet, egregie hunc morbum compeſcuerunt. Pectoralia infuſa ſaepius neglexi, ſumere tamen interdum aegrotos leniſſima iuſſi, capillos Veneris imprimis, rutam murariam & hyſſopum, & ut adtenuarem viſcida, in humorum maſſa fortaſſe ſimul oberrantia, liquorem terrae foliatae Tartari, ſed aeque cum extracto corticis Caſcarillae commixtum, praebui. Summam tuſſis vim nullo remedio, quod cauſſam tangit, opiato raro, aliquando lenivi, nec veſicatoria omiſi, quin potius obſervans, vitales proſtratas vi-

res ad corporis ſuperficiem externam materiem morboſam, diaphoreticis quamvis adiutas, deducere non valere, eadem non ſine fructu admovi. Febriles inſultus refrigerans diaeta, oxymel utrumque, ſyrupi acidiuſculi & nitrum interdum mitigaverunt.

## §. XXXVI.

Moleſtum & diu ſuperſtes malum in plurimis, ſumma nervorum ventriculi irritabilitas exſtitit. Vigente quamvis adpetitu, mox ingeſta puſiones vomitu reiecerunt immutata, ita ut in hoc morbo frequentior vomitus, in altero, mox iudicato, fortior tuſſis fuerit. Interdum leviſſima febriculae indicia venerunt in conſpectum, parum vero reliquas in oeconomia animali peragendas functiones impedivit. Sed chyli & ſanguinis decreſcens bona ratio, ob metuenda plurima inde in ſe- et excretionibus peiora mala, futuris ſimul debilitate, marcore & contabeſcentia, artis opem efflagitarunt.

## §. XXXVII.

Ex uſu fuerunt lenia diaphoretica, quidquid malae materiae reſtitit in ſanguine expellentia. Laxantia, robur ſimul debillimis fibris praebentia, & ipſa roborantia ſtrictius hoc nomine inſignienda, prioribus iuncta, malum optime ſuſtulerunt; quorſum cenſeo referenda, Rheum, corticem Caſcarillae, Caſſiam caryophyllatam, Mixturam ſimplicem & liquorem anodynum mineralem Hoffmannianum.

D. JOAN-

# D. Joannis Petri Eberhard

Medicinae in regia Fridericiana Prof. publ. ordinar. & Philoſoph. extraordinar. Academiarum, Caeſar. Nat. Curioſor. Collegae, et Electoral. Moguntin. Scientiar. utilium Adſeſſoris ordinarii.

# ANIMADVERSIONES

CONTRA

# LEGEM MOTUS,

*Quod ſummae virium in corporibus elaſticis poſt conflictum ſemper ſint aequales.*

§. I.

*Introductio.*

Utiliſſimam eſſe motus doctrinam, nemo negabit, qui perpenderit, omnes in mundo corporeo mutationes per motum abſolvi. Mirum proinde non eſt, ſummos Viros recentioribus temporibus in eo fuiſſe occupatos, ut leges motus, tam generales, quam ſpeciales, determinarent. Cartesius, Borellus, Leibnitzius, Newtonus, Bernoulli, Hermannus, Polenus, Mairanus, s'Gravesandius, *de* Maupertuis, Eulerus, aliique plures, tenebras, quibus doctrina de motu huc uſque cincta erat, diſpellere conati ſunt. Expoſuerunt nempe non modo generalem motus doctrinam, eiusque leges, ſed & adplicarunt easdem ad dura, mollia, atque elaſtica corpora. Verum dolendum eſt, non felices ſemper fuiſſe hac in re celeberrimorum iſtorum virorum conatus, & haud raro neſcio quid obſcuri ſubeſſe, quod difficulter admodum explicari poſſit. Notiſſima eſt de menſura virium a Leibnitzio excitata controverſia, quae totam fere Phyſicorum & Mathematicorum gentem commovit, & in duas fere Sectas diſtraxit. Notiſſimae ſunt de duris & elaſticis corporibus olim agitatae lites, ubi haud pauci cum Bernoullio corpora dura atque elaſtica iisdem obtemperare legibus exiſtimant, alii elaſticis corporibus peculiares leges tribuunt.

§. II.

*Lex univerſalis corporum elaſticorum.*

Qui elaſticorum corporum leges expoſuere, in eo conſentiunt omnes, quod in his corporibus motus plane non pereat,

eat, ſed *ſumma motuum poſt conflictum ſemper maneat aequalis, quaecunque demum fuerint maſſae.* Hinc, ſi maſſae fuerint aequales, celeritatum quoque ſummas poſt conflictum ſemper eſſe aequales. Conſentientes hac in re habemus Wolfium, Hambergerum, Segnerum, s' Gravesandium, Hermannum, Kraftium, Muschenbroeckium, Bernoullium, *de* Maupertuis, Krügerum, reliquosque, qui de viribus corporum elaſticorum recentiſſimis temporibus ſcripſerunt, omnes; ego quoque idem olim docui, neque nego, in plerisque caſibus hanc legem revera locum habere. Docuit me vero experientia, eam non eſſe univerſalem, ſed dari caſus, in quibus elaſticitas ſe ipſam aequalibus viribus deſtruens, motum tantum abeſt ut conſervet, ut eundem potius deſtruat. Operae proinde pretium me facturum iudicavi, ſi hanc a regula exceptionem, huc uſque minus obſervatam, breviter ſtrictimque hic exponerem.

## §. III.

## *Leges hic ſupponendae.*

Suppono in hac disquiſitione 1) corporum durorum leges, quas in omnibus fere Syſtematibus atque Compendiis phyſicis & mechanicis recentioribus, demonſtratas invenies, inprimis vero eam: quod corpus durum, impingens in aliud durum & mobile, eiusdem maſſae dimidiam ſuam celeritatem, ſeu vim ei largiatur. 2) Corpus elaſticum ſemper eſſe relative durum, adeoque, quoad generales leges, convenire cum legibus corporum durorum. Differentiam vero ſpecificam oriri ex compreſſione eiusdem, a vi corporis in ſe agentis producta, una cum ſubſequente figurae reſtitutione, novum motum, poſt conflictum iam factum, producente. 3) Corpus elaſticum *A*, incurrens in aliud corpus elaſticum *B* vi quacunque, illud comprimere dimidia ſua vi, altera parte ſe ipſum comprimere. Ita ut, ſi vis corporis *A* ſit = 6, corpus *B* comprimetur vi 3,

& *A* comprimetur eadem vi 3. Si enim *A* comprimeret τὸ *B* tota vi 6, & eadem vi comprimeretur, oriretur ſub reſtitutione vis = 12, quae foret dupla vis agentis, id quod fieri nequit.

## §. IV.

### *Leges conflictus corporum elaſticorum, ſi utrumque moveatur.*

Leges conflictus corporum elaſticorum, ad duos reduci poſſunt caſus generales, uti hoc in Phyſica mea demonſtravi *). Vel enim movetur utrumque corpus, vel unum tantum, altero quieſcente. In priori caſu, ſi corpora *A* & *B* moveantur directionibus oppoſitis, hoc eſt, quae in diverſas quidem tendunt plagas, unicam tamen ſimul conſtituunt rectam, tunc vires vel ſunt aequales, vel non. Brevitatis cauſſa dicamus vim corporis $A = V$; vim corporis $B = v$. Si iam 1) *vires fuerint aequales*, ita ut $V = v$; vires autem oppoſitae ſe deſtruant (per princ. Mech. general.) erit $V$ & $v$ poſt conflictum $= o$, in quantum ſcilicet utrumque corpus tantum eſt durum. Verum cum corpus *A* elaſticum ſit, comprimetur ab actione corporis *B*, vi $= \frac{1}{2} v$. (§. antec. n. 3.). Propter propriam vero vim, comprimetur itidem vi $= \frac{1}{2} V$. Et cum $V = v$ (per hypoth.), erit tota eius compreſſio $= v$. Adeoque eadem vi ſe reſtituens, repellet corpus *B* vi $= v$ directione contraria. Cum vero corpori *B* idem accidat, *A* quoque vi $V$, directione mutata repelletur, hinc utrumque corpus vim ſuam conſervabit, directionibus tantum mutatis. Inquiramus iam, quid fiet, *ſi* 2) *vires ſint inaequales*, ita ut $V = v + d$. Ponamus corpora eſſe tantum dura, poſt conflictum propter aequales vires ſe deſtruentes, utrumque corpus movebitur vi, $\frac{1}{2} d$. ſecundum directionem vis maioris, h. e. corporis *A*. Verum ſub conflictu corpus *A* comprimet *B* vi $\frac{1}{2} V$, & ſub eodem actu eadem vi $\frac{1}{2} V$ com-

*) *Erſte Gründe der Naturlehre*, Part. I. §. 75.

comprimetur (§. antec.). Corpus vero $B$ comprimet $A$ vi $\frac{1}{2}$ $V$, & ſimul ſub eodem actu, eadem vi $\frac{1}{2}$ $v$ comprimetur. Cum perfecte elaſtica corpora ſupponamus, utrumque corpus eadem vi, qua compreſſum fuerat, ſe reſtituet. Corpus itaque $A$ ſe reſtituet vi $\frac{1}{2}$ $V + \frac{1}{2}$ $v$, quam vim communicabit corpori $B$. Jam vis corporis $B$ erat iam $= \frac{1}{2}$ $d$; tota itaque vis corporis $B$ poſt impulſum erit $\frac{1}{2}d + \frac{1}{2}V + \frac{1}{2}v$. Eſt vero $\frac{1}{2}V = \frac{1}{2}v + \frac{1}{2}d$ (per hypoth.), quo ſubſtituto, erit vis corporis $B = \frac{1}{2}d + \frac{1}{2}v + \frac{1}{2}d + \frac{1}{2}v = v + d = V$.

Corpus vero $B$ ſe reſtituens vi $\frac{1}{2}V + \frac{1}{2}v$, hanc vim imprimet corpori $A$, ſed directione contraria. Vis itaque corporis $A$, erit $= \frac{1}{2}V + \frac{1}{2}v - \frac{1}{2}d$. Et cum $\frac{1}{2}V = \frac{1}{2}v + \frac{1}{2}d$, hoc ſubſtituto, erit vis $A = \frac{1}{2}v + \frac{1}{2}d + \frac{1}{2}v - \frac{1}{2}d = v$. Adeoque $A$ poſt impulſum gaudebit vi $v$, $B$ vero vi $V$, hoc eſt velocitates ſunt mutatae.

## §. V.

### *Leges conflictus corporum elaſticorum, ſi unum tantum moveatur, altero quieſcente.*

Si vero unum corpus $B$ moveatur, altero $A$ quieſcente, duplex denuo erit caſus. Corpus enim quieſcens $A$, vel *libere poſitum* eſt in plano, adeoque eſt *mobile*, & eiusdem cum $B$ maſſae, vel eſt *immobile* & plano affixum, ſeu maſſae infinitae. In priori caſu, *ſi* 3) *corpus* A *quieſcat & mobile ſit*, & hoc ut mere durum conſideretur, ac vis corporis $B$ ſit $= v$; hoc corpori $A$ dimidiam vim ſuam communicabit, adeoque vis utriusque corporis poſt impulſum erit $= \frac{1}{2}v$. Sub hac vero impreſſione vis, corpus $A$ ſimul eadem vi $\frac{1}{2}v$ comprimitur propter elaſticam ſuam naturam; idem corpori $B$ accidit (§. III). $A$ itaque ſe reſtituens, agit in $B$ vi $= \frac{1}{2}v$. Haec actio cum ſit contraria & aequalis in corporis $B$ adhuc reſiduae, hae vires ſe mutuo deſtruent, adeoque vis $B$ poſt impulſum $= o$. $B$ vero ſe reſtituens in priſtinam figuram vi $\frac{1}{2}v$, propellet $A$ in eadem

dem directione, qua iam ferebatur, qui impulſus, priori additus, efficiet vim $A = \frac{1}{2}v + \frac{1}{2}v = v$. Hoc eſt, poſt impulſum *B* quieſcet, *A* vero movebitur integra vi, qua *B* ferebatur ante conflictum.

## §. VI.

### *Quid contingat, ſi corpus quieſcens ſit immobile.*

Hae leges motus a s'GRAVESANDIO *), MUSCHENBROECKIO **) aliisque, alio licet modo a priori ſunt demonſtratae, & experimentis quoque confirmatae ***). Ultimus vero caſus, ſi 4) *corpus elaſticum motum incurrat in corpus quieſcens elaſticum immobile*, a plerisque vel plane omittitur, vel falſo proponitur. s'GRAVESANDIUS l. c. & HERMANNUS eum plane non attingunt. MUSCHENBROECKIUS vero ****) elaſticum quidem aſſumit corpus motum, alterum vero quieſcens immobile abſolute durum, indeque recte demonſtrat, elaſticum corpus, in durum immobile incurrens, ab eodem eadem velocitate reflecti, qua ante conflictum gaudebat. Quid vero fieri debeat, ſi elaſticum corpus incurrat in aeque elaſticum & immobile, omittit. Unicum fere video Illuſtrem olim Virum de MAUPERTUIS *****) hunc caſum expoſuiſſe. Contendit is, elaſticum corpus ab elaſtico corpore immobili reflexum iri. Verum quod pace tanti viri dixerim, demonſtratio eius nititur nondum demonſtratae hypotheſi, quod celeritates in corporibus elaſticis ſemper poſt impulſum ſint aequales. Formula enim: celeritas corporis elaſtici $\alpha = \frac{A\,a - B\,a}{A + B}$, e qua, poſito $B = \infty$

*) Phyſices Element. mathem. Tom. I. p. 314.

**) Introduct. ad Philoſ. natur. Tom. I. p. 233. ſequ. NOLLET Prael. in Phyſ. Exp. Tom. I. p. 334. Edition. german.

***) Lib. cit. p. 240. ſequent.

****) Introduct. ad Philoſ. natur. Tom. I. p. 240.

*****) Memoires de l'Acad. de Berlin 1746. p. 293.

$B = \infty$ adeoque $A$ & $a = o$, ſequitur $\alpha = - a$, h. e. celeritatem fore eandem, ſed negativam, ſeu in partem contrariam directam: ſupponit id de quo non ſolum dubitari adhuc poteſt, ſed cuius contrarium quoque infra demonſtrabitur.

## §. VII.

### *Si corpus motum ſit durum, quieſcens vero elaſticum.*

Ut hunc caſum curatius determinemus, ponamus primo corpus quieſcens $A$ eſſe elaſticum, corpus vero $B$ in motu conſtitutum eſſe perfecte durum. Moveatur $B$ vi $= v$, quod ſi incurrat in $A$ immobile, tota ſua vi in illud aget. Quae cum ad motum corporis $A$ impendi nequeat, tota ad figurae mutationem adhibebitur, $B$ vero perdet integram vim ſuam, adeoque & omnem motum. Poſt compreſſionem factam, ceſſante actione corporis $B$, corpus $A$ ea vi ſe reſtituet, qua compreſſum fuerat, id eſt tota vi corporis $B$. Hac vi aget iam in corpus $B$, hinc illud repellet directione contraria, vi integra. Patet itaque, corpus durum, incurrens in corpus elaſticum quieſcens immobile, reflecti debere eadem vi, qua ante conflictum gaudebat. Cum itaque corpus durum ab elaſtico reflectatur integra vi; elaſtica corpora vero aliis legibus gaudeant, quam dura: dubitari iam merito poteſt de theſi ab Ill. *de* MAUPERTUIS propoſita, quod nempe elaſticum corpus ab elaſtico reflecti debeat, ſi utrumque corpus aequali gaudeat elaſticitatis gradu.

## §. VIII.

### *Si utrumque corpus ſit elaſticum.*

Ponamus itaque, $A$ & $B$ eſſe corpora elaſtica, quorum prius immobile ſit, alterum moveatur. Sit vis corporis $B = v$, ſub conflictu non integra vis adhibebitur ad mutationem figurae corporis $A$, uti hoc contingit, ſi $B$ tantum fuerit durum (§. antec.). Cum enim corpus $B$ ſimul, dum agit in $A$, com-

 prima-

primatur & figuram ſuam mutet; patet, dimidiam vim corporis *B* adhiberi ad mutationem figurae in corpore *A* producendam, alteram vero partem dimidiam ad mutationem figurae & compreſſionem ipſius *B* (§. III). Poſt conflictum, anteaquam figurae reſtitutio, ab elaſticitate pendens, producatur, corpus *B* quieſcet eodem modo, ac ſi eſſet durum. Jam vero corpus *A* ſe reſtituit in priſtinam figuram vi eadem, qua erat compreſſum, hoc eſt $\frac{1}{2}$ *v*, adeoque repellit *B* dimidia vi, qua *B* ante conflictum gaudebat. Reflecti itaque deberet *B* directione contraria vi $= \frac{1}{2}$ *v*. Verum eodem momento corpus *B*, quod eadem vi $\frac{1}{2}$ *v* uti *A* compreſſum fuerat, ſe reſtituit directione contraria. Directiones autem oppoſitae aequales cum ſe deſtruant, patet, vim, qua *B* reflecti deberet, propter oppoſitam vim aequalem deſtrui, adeoque reflexionem nullam ſubſecuturam. *Corpus itaque* B *poſt impulſum quieſcet.*

## §. IX.

## *Experimenta quid demonſtrent?*

Cum Phyſicae leges non modo a priori demonſtrari debeant, ſed & confirmari per experientiam, inquirendum nobis iam eſt, quid experientia de conflictu elaſticorum corporum doceat. Machinam paravi ad modum machinae a Nolleto *) & s'Gravesandio **) deſcriptae. Conſtat haec ex plano ligneo, ad horizontem verticali, polito, in quo deſcriptus eſt ſemicirculus in gradus diviſus. E centro huius ſemicirculi prodit brachium ligneum ad planum verticale, e quo fila pendent duo eiusdem longitudinis, quibus globi eburnei & plumbei poſſunt adplicari. Si iam duo globuli eburnei aequales (utor autem globulis ad ludum trudicularem, vulgo *Billard*, alias adhi-

*) Praelect. in Phyſ. experiment. Tom. I. p. 338. Edit. germanicae.
**) Element. Phyſ. math. loc. cit.

adhiberi ſolitis), filis aequalibus ſuſpenſi in ſe invicem, datis celeritatis, per gradus ſemicirculi determinandis, concurrant, facile omnes corporum elaſticorum leges per experientiam poſſunt demonſtrari, & ipſis oculis ſubiici. Si enim utrumque globulum ex eadem altitudine dimittas, incurrentes in ſe invicem globuli reflectentur viribus aequalibus, ex effectu, aſcenſu nempe globulorum ad eundem numerum graduum, determinandis. Si *A* per octo gradus dimittatur, *B* vero per quatuor gradus, redibit *A* ad quartum gradum, *B* ad octavum, adeoque velocitates erunt mutatae. Si *A* quieſcat libere, & globulus *B* e certa altitudine cadens in *A* incurrat, *B* poſt impulſum quieſcit, *A* vero movetur integra velocitate corporis *B*.

Jam ſi in hac machina globulus *A*, verticaliter e filo pendens, manu firmiter tabulae lignae adprimatur, ita ut cedere plane nequeat, *B* autem e quacunque altitudine dimittatur, hic globulus in *A* incurrens poſt conflictum ſtatim quieſcet, & ne tantillum quidem reflectetur. Si vero loco globi eburnei *B* alium globum plumbeum ex eadem altitudine dimittas, is in quieſcentem atque elaſticum globulum *A* incurrens paullulum reflectetur.

## §. X.

## *Concluſio.*

Incidi in hanc elaſticorum corporum legem, cum, in Praelectionibus meis Phyſices experimentalis, leges motus corporum elaſticorum atque durorum demonſtrarem, & reflexionem corporis elaſtici ab elaſtico experimento confirmare conarer. Hic enim, cum omnia reliqua experimenta rite ſuccederent, reflexio elaſtici globuli ab elaſtico globulo fixo numquam ſucceſſit. Exiſtimabam in initio, errorem in ipſius experimenti adminiſtratione ſubeſſe; ſed tandem, reliquis experimentis ad leges motus demonſtrandas rite ſuccedentibus, & hoc experi-

mento omni cum cura & circumſpectione diligerter inſtituto, ſaepiusque repetito, cognovi, reflexionem elaſtici corporis ab alio aeque elaſtico, revera eſſe nullam. Idem expertus ſum in pila luſoria, quae in terram vel parietem proiecta, reflectitur: in aliam vero pilam luſoriam, quae cedere nequit, incurrens, non reflectitur, ſed quieſcit. Patet ex hac quoque noſtra demonſtratione falſitas theſeos Leibnitzianae, quantitatem virium vivarum in univerſo, ſemper conſervari eandem, cum non ſolum in mollibus corporibus vires motrices pereant, ſed idem quoque in elaſtic s corporibus contingere poſſit.

MOR.

# MORBONAE RITTERI

# PRODROMUS

## SYLLOGEN MEDICORUM
## NONNULLORUM

qui & de propriis morbis

&

de viribus medicamentorum in iis diſſeruere ipſi

alphabetico ordine ſiſtens,

cum quadruplici Indice.

# LECTURO S.

*Hiſtoriam morborum, Medicis tam ex relatione, quam obſervatione aegrorum ortam, ob defectum dictionis, illis clarae facilisque, quam his otii penuriam, lacunis, hiatibus, &c. adhibita licet eorum omni diligentia, premi adhuc, nemo candidorum inficias ibit. Si quoque ſingulorum morborum, quos Medici ſuſtinuerint ipſi, hiſtoriae ab iisdem chartae mandarentur, nonne prioribus, in ratione aptitudinis Medicorum ad aegros, tractu temporis perfectiores evaderent?*

*Regnum animale pauca; minerale plura indubitarum virium medicamenta offert. Sed vires plantarum, numeroſiſſimarum licet, maximam partem adhuc incertae, indeterminatae, dubiae, ita ut pauciſſimae dentur, quae ſpecificae ſint notae. Veteres nimii fuere virtutum plantis largitores; recentiorum plurimi eorum ſunt ſectatores. Pauciſſimi experientia aut clinica, aut in proprio corpore vires exploravere, aut, ſi qui id fecerint, nimii aut parciores earum fuere laudatores. Nullas huc usque formulas ex alterantium claſſe, unicam modo herbulam ſiſtentes, a Medicis praeſcriptas videre contigit. Anne alia erit methodus, clinice veras indagandi vires. Abundamus, fateor, farragine medicamentorum; eorum copia quotidie accumulatur; cum iisdem, praeſertim mixtis, virium incertitudo maior evadit: mediis inopes divitiis Medici!*

*Haec mecum reputans, paucis abhinc annis Scriptores medicos, proprios morbos (obiter ſaltem!) notantes, congeſſi nonnullos, otioque valetudinario hunc in ordinem redegi. In agmine eorum* de Hahn, Sydenhamum & Trallesium *offendi, qui, quantum ſcio, unici hiſtorias propriorum morborum*

*borum in forma ephemeridum notarunt, maioris in Praxi, prae operoſis Syſtematibus, uſus; ſed ne unicus quidem mihi occurrit Medicorum, qui* Biographiam morboſam, *ſeu ſeriem morborum tota vita perpeſſorum, conſcripſiſſet, ut inde morborum hiſtoriae forte nova facies indueretur, & dubiarum virium plantarum exactior declaratio obtineri poſſet. Num Medici ad illas componendas, & Collectori cuidam (uti* Bruckero, Boernero, Baldingero *aliisque, Biographias litterario-politicas colligere contigit,) tradendas, aut ad nova haec Acta Naturae Curioſorum transmittendas, invitandi forent?*

*Syllogen hanc, ſeu Indicem Medicorum qualemcunque, Lectori ſiſto, quem praecipue ex* Lippenii *&* Mangeti *compilationibus facile augere potuiſſem; ſed dicta repetere nolui. Evitandae autem nimiae brevitatis cauſa, obſervatiunculas & animadverſiones circa ſimplicia quaedam v. gr. aquam frigidam, Belladonnam, Caſſave ſuccum, Cicutam, Coffee fabas, Mezerei fructus, Napellum, Opium, Salicis corticem, Thée, &c. & notulas circa morbos quosdam, v. g. Anginam catarrhoſam, Apoplexiam, Cancrum, Cardialgiam, Diabeten, Hemicraniam, Hemitritaeum, Malum hypochondriacum, &c. interſperſi, caſusque quosdam, qui mea culpa mihi ipſi evenere, veluti ſunt: Ardor faucium, diarrhoea, inſolatio, nauſea, lipothymia, &c. utpote opportuniori, quam* Enumerationi propriorum morborum ſpontaneorum quinquaginta annorum intervallo, *quam edendam molior, heic viſo loco, inſerui. Calci adieci paucos Scriptores, non quidem Medicos, qui tamen laudabili induſtria morborum ſuorum hiſtoriam, haud ſpernendi uſus, poſteris conſignatam reliquerunt.*

*Plures aliunde congerat cui ſedes fixior, & librorum ſuppellex, & eruditio, & virium tam animi, quam corporis, me maior: Coepiſſe ſufficit! Dabam Peilaviae Sileſiorum, IV. Iduum Septembris,* 1765.

SCRI-

# SCRIPTORES MEDICI.

1.(a) Alpinus (Proſper) de *Singultu* ab aſſumto pharmaco ex tribus Piperis generibus, ſuperbibendo ſtatim vinum, ſibi orto. de *Praeſag. vita & morte aegrot. Lib. III. Cap. IX.* p. 199. Ed. Francof. ad Moen. 4to 1754.

(b) De *Haemorrhagia narium* plurium librarum & Sanguinis ſputo, quartanam eius iudicantibus. *Ibid. Lib. VI. Cap. XIII.* p. 411. Conf. *Lib. VII. Cap. XVIII.* p. 536.

2. (a) Alstonus *Calculum veſicae*, pollicis quadrati circiter mole, a ſexto Julii 1748. ad 25. Mai. 1750. uſque, aquae Calcis vivae hauſtibus ſibi penitus deſtruxit. *No.* 203. *Tom. VIII. p.* 332. Unzeri *Medicus*, vulgo *der Arzt.*

(b) Idem brachio, ſub condylo interno *Opium* ſub emplaſtri forma per integram noctem adplicavit, in ſe ipſo de eius effectu periculum faciens; ſed nec ſtuporem, nec aliud quid (forte ob minorem ibi cutis ſenſibilitatem) percepit. Tralles *de Uſu Opii*, *Sect. IV. Cap. VII.* §. 1. p. 187. 191.

3. Baglivius (Georg.) de *Cephalalgia ſympathica*, vitio male digerentis ſtomachi aliquot horas poſt prandium eum torquente, decocto fabarum Coffée (tum forte recens noto) fugata. *Opp. medic. p.* 65. Ed. Lugd. Bat. 1710. Vogel *Hiſtor. Mat. med.* p. 250.

*) Menſ. Auguſto 1743. Marburgi Cattorum eſu baccarum Rubi Idaei, paſta butyracea, in clibano cocta, conditarum, dolorem fixum ad foramen ſupraorbitale oculi ſiniſtri, Clavi hyſterici ad inſtar, terebrantem, digiti quidem compreſſione ceſſantem, eo vero ſublato ilico redeuntem, percepi, vomitu dein, decocto fabarum Coffée ſine lacte prolecto, plane ſolutum.

**) Car-

**) Cardialgias ex acido, pingui, rancescente, tranſpiratione ſuppreſſa, decocto Coffée ſecundario aquoſo, parum ſaccharato, quod ſaepius mihi emetici loco fuit, ſublatas expertus ſum.

***) Hemicrania ſexui ſequiori utplurimum ſympathica?

****) An Hemicrania periodica in utroque ſexu Arthritidi adnumeranda?

4) BARTHOLINUS (Erasmus) *Febris tertianae*, Cortice ſanatae, in ſe ipſo (forte primus) periculum felix fecit ann. 1679. TORTI *Reſponſ. Jatro-apolog.* p. 124. Francof. 1756. 4to.

5) BELLONIUS *Opio adſumto* pectus ſibi calefieri ſenſit *Oper. Lib. III. Obſ. Cap.* 15. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. II.* §. *IX. p.* 77.

*) Ann. 1738. Argentorati depurando corrigens Opium, lambendo ſpatulam, inſpiſſatum deglutiendo, hilaritas mihi noxque inſomnis. Conf. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. II. §. XV. p. 92.*

**) Chemicae artis obſecundans legibus, licet id depurarim igne tum temporis ipſe, ſerior tamen me docuit experientia: Opium crudum praeſtare quovis eius praeparato. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. VII. §. XVII. p. 353.*
Virtus enim in halitu narcotico, ignis vi maximam partem in auras difflante, reſidet.

***) Lauſanna 1736. novi amicum ICtum, forenſem, ingenioſum, doctum, qui ad reſtaurandas acuendasque ingenii vires pro componendis maleficorum apologiis, Opii crudi grana x, xij. imo ultra, in vini albi hauſtu deglutire opus habuit; ſine quo adminiculo hebes, iners, tali ineptus labori; adpetitus ſemper proſtratus; nulla inde ſomnolentia, imo alacritas; habitus macilentus; faciei rubor, venae turgidae; oculi ſemiebrii adinſtar prominentes. Conf. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. II. §. VIII. p. 75. & §. XIII. Cap. V.* p. 88. Plura vid. apud Auctores, v. g. *van* SWIETEN *l. c. Tom. I. p.* 325. Ed. Lugd. B. 1742. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. I. §. III.* p. 10. & *Cap. VIII. §. II.* p. 362.

 ****) Ber-

****) Bernae puellae plethoricae 16. annorum ego, Tyro praxeos, ad Cephalaeam hyſtericam debellandam, Laudani liquidi Sydenhami guttam unicam in Emulſione ex Seminibus 4. frigidis praeſcripſeram; dimidia modo doſi vix hauſta, ilico ſtupor, ſomnus trihorius inſuperabilis, ſine doloris levamine. Conf. TRALLES *l. c. Sect. I. Cap. II.* §. *XIII. Exper. V.* p. 87. ubi adſtruere conatur: Opium ſanguinem verſus caput determinare.

*****) Tyrocinia talia, errores practicos contra methodos receptas ſeriores, in faſciculum collecta, in mei humiliationem futuramque cautelam praeſto ſunt. Nonne eorum candida in lucem promulgatio aptior erit ad erudiendos Medicos tyrones, quam Obſervationum auſpicatarum enarratio?

6) BOERHAAVE (Hermann.) Praeceptoris Praeceptor, de *morbis ſuis* quaedam in Collegiis ab aliis editis obiter narravit, v. gr.

(a) De *Anaiſtheſia* (Inſenſilitate, Stupore placido), itinere ſummo frigore ſuſcepto, curſu ſublata. van EEMS *in Boerhaave Praelect.* de Morb. nervor. Tom. II. p. 659. Edit. Lugd. B. 1761.

(b) De *Convulſionibus* puero quadrienni ex imaginatione laeſa; *l. c. p.* 401. *ſq.*

(c) De *Hypochondriorum?* (nervorum meſenterii) *dolore* ſubitaneo immani, nocte, hauſtulo dimidiae drachmae Eſſentiae Succini ſubito pacato. *Ibid. p.* 426.

(d) De *Idearum* ſuarum *explicationis momentaneae impotentia*, ſana mente; *l. c. p.* 378.

(e) De *Malo ischiadico*, Seri vaccini & panis ſimilaginei diuturno uſu ſanato. Ex ore Illuſtr. HALLERI.

(f) De *ſenſu vivi ignis* in manu oborto, ex attactu Urticae marinae. *l. c. p* 751.

(g) De *Menti horrore*, a Datura & Euphorbio contuſis, naribus admotis; *l. c. Tom. I. p.* 237.

(h) De

(h) De *Nauſea* ex praeparatione Vitri antimonii. *Ibid. Tom. II. p.* 766.

*) Juvenis ego 1730. curioſis, ſaepe inutilibus, imo nociferis experimentis operam navans, ex decocti aquoſi Auripigmenti, ſeminis Carvi, &c. odore naribus ſuscepto, nauſeam, cardialgiam, defectum virium momentaneum paſſus, ut lectum petere coactus fuerim, ſponte vero ſenſim evanidis.

(i) De *Macula magna in fundo oculi*, ſub aeſtu Solis per loca arenoſa equitanti oborta, adplicatione frigidiſſimae aquae brevi ſublata. *Praelection. de Morb. oculor.* cura HALLERI Goetting. 1746. edit. p. 63.

*) Quod b. BOERHAAVII oculo, id manui meae dextrae minori accidit periculo. Itinere Alpino M. Junio 1730. Melancholiae cauſa ſuscepto, in cacumine montis *Neunenen* (ab Ill. HALLERO *Enumer. Stirp. Helvet.* frequenter citati,) ſedenti dorſo manus, Soli expoſito meridiano, radius, nubem perforans, illud feriens, dolorem ſubito urentem, momento poſt veſicam excitabat. An hoc *Inſolatio* Veterum, de qua adeo ſolliciti fuerunt? *van* EEMS *l. c. Tom. II. p.* 597.

(k) De *ſenſuum amiſſionis* periculo, ex praeparatione ſucci Hyoſcyami. *Ibid. l. c. Tom. I. p.* 236. *ſq.*

*) Temulentiam hanc Praeceptoris adfirmat quoque Ill. HALLER, *Enumer. Stirp. Helvet. p.* 512. ſub voc. Hyoſcyamus.

(l) De *Titubatione*, confuſa cogitatione, ab odore Cicutae, aeſtate contuſae. *van* EEMS *l. c. Tom. I. p.* 236. Eadem Illi a Clematitide, flammula dicta, *l. c.*

*) A contuſione Cicutae, aeſtate facta, ut & inſpiſſatione ſucci eius expreſſi in anguſto Laboratorio, levis citoque tranſiens temulentia Pharmacopoeo meo.

(m) De *Vertigine* ad vomitum uſque, ab exercitatione die calido. *Ibid. l. c. Tom. II. p.* 598. Eadem ex Terrae motu. *Ibid. p.* 589.

 *) Flore

*) Flore aetatis, annis 1738. 1743. & 44. calidis diebus tam Veredo, quam Ciſio aut Rheda, per milliare modo unicum, mox celeri curſu, mox lento greſſu per acclive iter facientem, Vertigo & lipothymia, exercitationis concuſſionisque imparem, iam debilem, corripuere.

(n) De *Vertigine ab eſu Cicutae tanta, ut omnia Ei celerrime circumire viderentur, nec ſtare poſſet; ſumto vero Vomitorio malum aliit.*

*) Sunt propria verba b. Boerhaavii in *Praelection. in propr. Inſtitut.* cura Ill. Halleri Goetting. 1739. editis *Vol. VI. p.* 255. Sic ante Stoerckium ſuo iam tempore audax fuit Boerhaave.

**) Sermo haud dubie eſt de pratenſi Cicuta, in Horto Leydenſi culta, cum verbis ultimis eam ab aquatica illa Gesneri diſtinguat.

An Cicuta mea (l) *) Haller Enum. p. 434. horto aprico culta, mitior illa (n)? A praecedente enim nulla vertigo, uti Hortulano robuſto Boerhaavii; unde haec differentia? an diverſa utrique planta?

(o) De *Viſus mutatione*, obiectis pallido inducto colore a carbonum torfaceorum fumo. *van* Eems *l. c. Tom. I. p.* 253.

7. (a) Bonetus (Theophil.) phthiſicus ipſe, *Phthiſin propriam* in *Theatro tabidorum* (quod non ad manus eſt) deſcripſit.

(b) *Quartanam* ſibi Cortice (forte recens noto?) tollens, citatur a Torti *l. c. p.* 124. b.

*) Praeter methodum, intermittentes tuto certoque ſanandi, quam candidus Boerhaave *Chem. Tom. II. p.* 162. 392. Edit. Lugd. B. 1732. indigitavit, aliam, quartanas fugandi *absque cortice*, aeque ſecuram, docuit experientia; ſed Medici & aegri conſtantia, huicque ſcirrhi abſentia, requiruntur.

**) An cortex 1. Salicis vulgar. albae arboreſcentis C. B. Rupp. *Flor. Jen.* Edit. 2. cura Halleri, p. 331.
2. Salicis folio amygdalino utrinque virente aurito C. B. Rupp. *ibid.*

3. Sali-

3. Salicis latifoliae rotundae C. B. Rupp. p. 332. vulgo *Brech*- oder *Bruchweide*, ſuccedaneum Corticis Peruviani in febribus quartanis, quemadmodum Berolino mihi perſcriptum fuit? ulterius inquirendum. Forte omnibus ſpeciebus eadem virtus? cum ſapor idem.

***) In Auſtria Vetulis evporiſton contra febres intermittentes, infuſione ſeptuaginta ſeptem foliorum Salicis, ante paroxyſmum haurienda, ſolenne eſt, iuxta *Eccardi* (Ettneri) *Entlarften Marckſchreyer*, p. 970. Quicquid ſit; inde ſaltem vis febrifuga Salicis, iam olim aut nota, aut ſperata, colligitur. Si heic a viribus foliorum ad corticem Salicis valet concluſio, an a cortice Peruviani arboris ad vim febrifugam foliorum eius quoque valeat inverſa coniectura, experiundum foret.

8. Bostroem (Andr.) Svecus, *Hemitritaeum* proprium Diſſertatione, Praeſide Ill. Linnaeo, cui Titulus: *Febris Upſalienſis* &c. deſcripſit. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1758. *n.* 127. *p.* 1199. *ſq.*

*) Refert ibidem: *Quovis die duo paroxyſmi; primus, hora tertia aut quarta, mitis; ſecundus, circa mediam noctem, fortior. Praeter hos alterna mane tertius paroxyſmus, prioribus gravior.*

**) Diverſa Practicis huius morbi deſcriptio; in Claſſes potius diſpescendi, quam ſub una comprehendi definitione, *van* Swieten *Comment. Tom. II. p.* 446.

9. Carl (Jo. Sam.) pius ac nimiae integritatis Medicus, *Apoplexiae ſuae inſultum* deſcribit in *Medicin. Bedenken III. Sammlung Part. II.* de Apoplexia & Paralyſi rhevmatica, p. 328. §. 4.

*) Septuaginta annorum ſenex leniſſima ſanatus medela.

10. Clauderus (Gabriel) de *effectu Opii*, ex errore largiori doſi deglutiti, in ſuo corpore refert *Obſerv.* 178. *Ephemer. N. C. Decur. II. Ann. V.* Tralles *l. c. Sect. I. Cap. II.* §. *XII. p.* 86.

11. Columna, (Fabius), „ qui, ùt in veram radicem*) *Vale-* „ *rianae*, ad ſuam ipſius *Epilepſiam* inquireret, Botanicus „ factus eſt, Matthiae *Conſpect. Medicor. chronolog.* §. 401. „ p. 249. „ virtutem ſingularem antepilepticam huius radicis proprio in corpore tentavit, uti ex eius *Phytobaſano*, ſ. *Plantarum aliquot Hiſtoria* Edit. Neapol. p. 120. citat Vogel *l. c. p.* 214. voc. *Valeriana.*

*) Sic aegritudo mea Medicinam amplecti me movit, invito Patre.

12. Coste de *Podagra* propria in ipſo eius paroxyſmo Libellum ſcripſit, ſub Titulo: *Traité pratique ſur la Goutte* &c. Amſterd. 1757. 8vo Vogel *neuer medicin. Biblioth. IV. Band VI. Stük*, *p.* 522.

13. Darlue, Gallus, de *Morſus Lupae rabidae* propria in ſe *ſanatione*, ope Mercurii vulneri ad ſalivationem uſque inuncti. Ex *Mercurio Gallico* (Mercure de France) *M. Jun.* 1755. Goetting. *gelehrt. Anzeig. n.* 102. *ann.* 1755. & *n.* 83. *ann.* 1760. *p.* 723.

14. Desbrest, Med. Doct. *Purpuram* cum ceſſante pulſu cordis & ſudore glutinoſo, remediis refrigerantibus, v. g. ſucco Citri, &c. ſibi ſanavit. *Diar. medic.* (Journal de Medicine a Paris) *M. Auguſt.* 1763. *Goetting. gelehrt. Anzeig. n.* 44. *ann.* 1764. *p.* 352.

15. Diemerbroekius de *contagii Peſtis*, in proprium corpus ſuſcepti, *expulſione* agit *Lib. IV. Hiſtor. medic.* Tralles *Hiſtor. Choler.* §. 2. *p.* 6.

16. Donker (Laurent.) propriam *Febrem petechialem* deſcripſit ſub titulo: *Idea Febris petechialis* &c. *van* Swieten *Comment. Tom. II. p.* 403. (u).

17. De Fischer (Bernhard.), ANNAE, Ruſſorum Imperatricis, quondam Archiater, occaſione propriae Senectutis

tis Tract. *de Senio eiusque gradibus & morbis*, Erfordiae 1754. 8vo impreſſum, edidit.

18. FLEMYNG (Milcolumbus) Med. Doct. hypochondriacus, ſua experientia *de Nevropathia*, *ſive de Morbis hypochondriacis & hyſtericis Poëma medicum* Amſtelodam. 1741. 8v. conſcripſit, uti in Praefatione monet.

*) Sane ſi quis (meo ſaltem iudicio) unquam, Auctor iſte, theoretice quidem, acu rem tetigit, quum reliquorum Opera, praeſertim ex certa quadam ſchola, hypotheſes luxuriantis phantaſiae potius ſoboles, quam Obſervationum vera extent corollaria.

19. (a) GALENUS de *Atonia ventriculi* propria. *Opp. ſuor. Lib. I. Cap. VII. de Facultat. Aliment.* Edit. Charterii Tom. VI. p. 314.

(b) De *Delirio* ſuo *Ibid. de Loc. adfect. Lib. IV. Cap. II.* Charter. Tom. VIII. p. 455. *van* SWIETEN *l. c. Tom. II. p.* 329. (f); p. 581. (f).

*) „Erat primus delirii gradus, quo ideas nondum ſequitur iudicium, nec animi affectus.„ *van* SWIETEN *l. c. p.* 329.

20. GESNERUS (Conrad.) *radicis Eupatorii* pugilli unius decocto vomitum & alvum ſibi movit, quod nimiae doſi tribuit BOERHAAVE. HALLER Enum. Stirp. Helv. p. 407. n. 1.

21. GESNERUS (Jo. Albert.) „Archiater Wirtemberg. ſola mu„cilagine ſeminis Lini ſativi, per aliquot ſeptimanas loco „ientaculi adſumta, *Colica ſpasmodica*, ex plumbi fumo „contracta, quam metallifoſſores *die Hüttenkatze* vocant, „laborantem, ſe reſtituit.„ *Pharmac. Wirtemberg. Part I. p.* 79. voc. *Lini ſemen.*

*) Sunt verba ipſius aegri, quae clariſſ. GESNERO tribuendo me non errare opinor. Clariſſ. enim BILFINGER, Archiater, in Praefatione ad ſecundam & tertiam Editionem huius Pharmacopoeiae,

poeiae, Illi, utpote *rerum pharmaceuticarum doctiſſimo*, ſecundam (& ex hac tertiam) Editionem adſcribit. Conf. prim. Praefat. p. 5.

22. De Hahn (Jo. Gothofred.) de propria *febre acuta epidemica*, frigidae lotione ſublata, graphice ſcripſit, *Append. ad Volum. X. Act. Nat. Cur. p.* 16. *Aegr. XI.*

*) Mos & pruritus copioſi potus gelidae ac abluitionis cum frigida, maximam partem, ob ſucceſſus fallacem inconſtantiam, obſolevere.

**) Ex hac obſervatione deducendum ſaltem: variis methodis unum eundemque ſanari poſſe morbum. Specifica in acutis rariſſima.

***) Italis iam innotuit, febribus malignis & colliquativis, „ſolo „aquae largo potu, & ad heminas frequenter adhibito, me-„deri *ſubinde* felici exitu „ Fracassini *Tr. de Febribus Lib. II. Cap. V. p.* 189. Lipſ. 1758. 4to.

****) Sitientibus Italis, quibus ſanguis vere ſpiſſus, magis omnino, quam borealibus non adeo ſitientibus Germanis ſuadendus copioſus gelidae potus. Sed num conſentient? ſiquidem illis aeſtivo tempore aqua epota momento citius guttatim per omnem tranſudat cutim, cum ſitis, aeſtus, laſſitudinis augmento, uti Roma certis litteris accepi; aqua enim cum ſanguine oleoſo non eſt miſcibilis. Qui ſit ergo, ut haec opinio, de ingurgitanda citra ſitim frigida, horum animos prae ceteris occuparit? an vitae ſanitatisque amantiores prae illis?

23. (a) Helmontius (Pater), heteroclitus ille vir, iuxta Boerhaave (*van* Eems l. c.), de *Apoplexiae & Hemiplegiae* minis, & *Vertigine* ex halitu mineralium venenato oborta. *Tr. de Lithiaſi Cap. IX. §.* 48. *p.* 719. *§.* 54. *p.* 720. *§.* 73. *p.* 725. *van* Swieten *l. c. Tom. III. p.* 277. *not.* (w), & p. 278. (x) (a) &c.

(b) De *Pleuritide* propria. Operum capitulo, quod inſcribitur: Pleura furens. *van* Swieten *l. c. p.* 39. (f).

(c) De

(c) De *Scabie* ſua. Lib. de Febribus Cap. V. no. 10. p. 756. *van* SWIETEN *l. c. Tom. II.* p. 549 (l).

(d) De *Zonae* capiti adſtrictionis ſenſu, ex Napelli (an radicis, an caulis?) fruſto linguae impoſito, *van* EEMS *l. c. Tom. II.* p. 835. egit.

*) Nec ex infuſo aquoſo ſaturato florum & foliorum Napelli horto culti, ſeu Aconiti coerulei, GESNER *Hort. p.* 244. b. HALLER Enum. Stirp. Helv. p. 312. n. 2. nec ex deglutito ſucco dulci oleraceo maſticati caulis floreſcentis plantae, mihi ulla noxa, pertimeſcenti licet.

**) Cui plantae convenit epitheton: *horrendiſſimum venenum vegetabile Napellus*, BOERHAAVIO apud *van* EEMS *l. c. Tom. I. p.* 241? an Veterum, an recentiorum; an hortenſi, an ſpontaneae pratenſi? Anne ſermo de eadem planta Botanicis? forte de *diverſa ſpecie*, iuxta HALLERUM *l. c. p.* 313? an Napello ſuccus dulcis oleraceus? an pratenſi acris nocivus?

24. HENSLER (Phil. Gabr.) *Variolas veras* bis perpeſſus, uti ex Diſſ. eius inaugur. quae *Tentaminum & Obſervationum de morbo varioloſo Saturam* ſiſtit, refertur *in denen Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1765. *no.* 38. *p.* 307.

*) Caſus ex rariſſimis. An contra Inoculationem? disquirant, defendant eius Patroni.

25. HERLIZ (Jo. Frid.) de *Ictero*, ſpeciatim *epidemico*, quo ipſe laboravit, Diſſertationem inaugur. ſcripſit, Goetting. M. Jun. 1761. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1762. *no.* 40. *p.* 361.

26. HILLARY, Med. D. & Practicus Londinenſ. *Aphtoidem* ſuam *chronicam*, novum quidem (ipſi) morbum, Libro, cui titulus: *An inquiry into the means of improving medical Knowledge* &c. London, 4to 1761. deſcripſit. *Goett. gelehrt. Anzeig. ann.* 1763. *no.* 90. *p.* 725.

27. Hoppe Med. D. de *Mali hypochondriaci* proprii *ſymptomatibus* brevem deſcriptionem dedit, quae proſtat *in dem Hamburg. Magazin, XIV. Band. IV. Stük, no. III. p.* 365. *ſqq.*

28. Lambergen (Tiberius) M. D. Succeſſor Franequeranus, de *Vertigine* ex infuſo Belladonnae in ſe ipſo mentionem facit *Lectione inaugurali*, Ephemeridem perſanati carcinomatis ſiſtente, p. 12. Groening. 1754. 4to.

*) Pullos gallinaceos, baccas Belladonnae recentes devorantes, aſſatos comedi, absque eorum & mei noxa, Lauterbaci 1746. *Act. Acad. N. C. Volum. X. Append. p. 102. IV. 1. Belladonna.*

29. Lanzoni (Joſeph.) Medicus Ferrarienſ. *Febris tertianae* propriae primae, ab Auguſti fine 1715. ad Novembrim uſque durantis, & ſecundae 1729. perpeſſae, deſcriptionem dedit, & utriusque ſanationem mediante Cortice, ſed copioſo, vino Malvatico infuſo tandem factam deſcripſit *Conſtitut. epidem. Ferrarienſ. Opp.* Sydenhami *Tom. II. p.* 277. *b.* 278. *a.* & 342. *b.*

30. Lauremberg (Petrus), *Millepedum* fumo ſiccatorum ope *Veſicae calculum* diſſolutum ſibi expulit, deſcripſitque Epiſtol. Diſſert. quae Curationem calculi veſicae ſiſtit. Lugd. B. 1629. 8vo. Vogel *Hiſt. Mat. med. p.* 346. *ſqq.*

31. Lautter (Franc. Joſeph.) Med. D. Practicus ruralis Laxemburgi, *Febrem intermittentem anomalam* (vernam forte) 1760. ibi perpeſſam, Cortice ſibi fugavit. Vide eius *Hiſtoriam medicam biennalem morborum ruralium, a verno tempore* 1759. *ad finem hyemis* 1761. Laxemburgi 1762. 8vo. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1763. *no.* 61. *p.* 494.

32. (a) a Linne (Carolus Eques), *baccis* recentibus *Fragariae* copioſis quotannis comeſtis, a *Podagra* fatali prorſus liber evaſit. *Flor. Svecic. Edit. II. §.* 450. Conf. *Jo.* Gesneri *Phytograph. ſacr. Part. pract. prior. no.* 558. *p.* 29.

*) Pro-

*) Prophylaxis certe individualis, nonniſi ſub iisdem circumſtantiis (anne v. gr. iis, quibus inde febris urticaria? ) adhibenda.

**) Amicus *N. Bazin*, Picton, Argentorati degens, Regiae Academ. Scientiar. Pariſinae a litteris, pluribus circa Hiſtoriam naturalem Scriptis clarus, caelebs, iam a trigeſimo anno Podagra & Nephritide adflictus, multis remediis incaſſum adhibitis, tandem *mutata* penitus *Diaeta*, ſcilicet abſtinendo a carne quacunque & Vino albo; cibis vero ſaltem ex leguminoſis, oleraceis, lacticiniis, fructibus horaeis, utens; frigidae potu ordinario, Vino rubro Burgundiaco (qualem potum Galli ipſi *amicum hominis* depraedicant, ) ſubinde mixtae, & ientaculo atque Succolada, &c. hosce morbos tractu temporis ita eradicavit, ut quinquageſimo anno vegetum, ſanum, ſtudiis modice incumbentem, macilentum licet, viderim laetantem. Sic videtur Podagrae eradicandae certum arcanum: *Diaetae mutatio; frigidae potus*, tophos ipſos deſtruens; *Vita ſobria* ſcelerisque pura.

***) Meliſſam podagricis, tam praeſervative, iuncto regimine, quam curative adhibuiſſe, neminem poenitebit.

(b) In *Pleuritide* & *Peripnevmonia* vires radicis Senega, tam in pulvere, quam decocto aquoſo ſalutares, Ipſe expertus eſt. Diſſert de *Specificis Canadenſibus* 1756. & de *radice Senega*, Holmiae 1749. VOGEL *l. c. p.* 226.

33. (a) LOESEKE (Jo. Ludov.) *Alvi obſtructione & haemorrhoidibus* afflictus, corticis Peruviani uſu levamen obtinuit. *Abhandl. der auserleſenſt. Arzeneymitt. Edit.* 2. p. 438.

(b) *Sputo cruento & purulento* Corticis libras xij ſenſim deglutiendo oppoſuit, idque per triennium diſſuluit. *l. c. p.* 438. g.

*) Quum indigena remedia, minori etiam doſi, idem praeſtent, dicta pro Cortice non militant. Indicant modo nimiam aegri fiduciam in nimiam quantitatem.

34. Lotichius (Petr.) de *Peſte* cum Bubone proprio in corpore ſanata egit *Conſil. & Obſervat. medicar. Lib. I. Cap. VIII. Obſ.* 12.

35. Mizler de *Serpentis morſu* ſibi illato, XXIV. horarum ſpatio ſanato. *Act. litter. Regn. Polon.* 1755. *Trimeſtr.* 2. *no.* 6. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1756. *no.* 129. *p.* 1173.

36. Monro de propria *Angina pituitoſa* in *Medical Eſſays &c. Tom. III. Cap.* 24. *p.* 343. loquens, citatur ab Ill. *van* Swieten *l. c. Tom. II. p.* 666 (f).

37. (a) Neifeld (Ern. Jerem.) de *Pathematibus hypochondriacis*, ſcil. cordis palpitatione, praeſertim nocturna, cum anxietate, (forte virium diſpendio?) aurium ſtrepitu, vertigine, pulſu inaequali, remittente, macie corporis, &c. quae nec V. Sio, nec pediluvia, antiſpasmodica fonsque Selteranus levare potuerunt, acidularum Veteraquenſium uſu feliciter ſublatis, laetam facit mentionem in eximio de hisce Acidulis Libello, p. 195. 196. Hiſt. 12. Züllichov. 1752. 8vo.

*) Simili caſu, ſomno turbulento mihi lenimen attulerunt eaedem acidulae M. Auguſt. 1758.

(b) Fontem *ſuperiorem* tranſpirationem augere, *inferiorem* vero alvum movere notat *l. c.* §. 37. *p.* 23. a quo etiam nychthemeri ſpatio ultra quadraginta ſedes expertus eſt, *l. c.* §. 162. *p.* 122.

38. Piso (Carol.) de propria *Nephritide* egit in Tr. *de Morb. a ſeroſa colluvie ortis*, *Sect. IV. Cap.* 2. *p.* 302. *van* Swieten *l. c. Tom. III. p.* 223 (g).

39. Platerus (Felix) „ *Opii* maſſam emollitam parti podagricae dolenti, ſed ſine fructu, adplicavit; etenim nec „ ſtuporem, nec doloris lenimen inde percepit. „ Tralles *l. c. Sect. IV. Cap. VII. §. IV. p.* 266.

*) Col-

*) Collectionem Naturalium ex tribus regnis reliquit, ab haeredibus neglectam.

40. Poutau (Claud.) Med. & Chir. D. *dolorem pectoris rheumaticum* conorum bombacinorum inuſtione, Sinenſium more, ſibi feliciter ſuſtulit, uti ipſe refert in Tr. cui titulus: *Melange de Chirurgie*, a Lion, 1760. 8vo. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1762. *no.* 65. *p.* 569.

41. Schroeck (Lucas), Acad. Nat. Cur. Praeſes, propriam *Dyſenteriam* ann. 1704. perpeſſam, paucis adducit in *Conſtit. epidem. ann.* 1700 - 1705 inſerta *Tomo II. Oper.* ſic dictor. Sydenhami p. 159. Edit. Genev. 1749. 4to.

42. (a) Schulze (Jo. Henr.) *Extracti Liliorum convallium*, poſt Spiritus abſtractionem parati, vim purgantem in ſe ipſo & commilitonibus comperit. Diſſert. eius *de Lilio convallium*, Halae 1742. Vogel *l. c. p.* 147.

(b) *Semen Staphyſagriae* denti dolenti intruſit; ſed inde tanta doloris exacerbatio, ut vix ſui compos maneret. Vogel *l. c. p.* 182.

(c) *Ardorem ventriculi*, aſſumta unica Paſſularum minorum uncia, expertus eſt. Vogel *l. c. p.* 259.

43. Stanke, Med. D. ab uſu *decocti radicis Valerianae*, in debilitate viſus & nebulis oculo obverſantibus, magnum ſenſit levamen. Diſſertat. eius de *Valerianis officinalibus*, Halae 1732. Vogel *l. c. p.* 215.

*) Quae Valeriana C. Bauhino *maior*, ea Vogelio *minor* audit: Cur?

44. Stoerk (Anton.), candidus, probus, felix experimentator Viennae, auſu haud facile imitando *Cicutae* effectus, tam nocivos, quam ſalutares, in proprio corpore obſervatos, recenſet *Libello de Cicuta*, *Lib. I. Cap. I. p.* 8. *Lib. II. Cap. IV. p.* 284.

*) Quando Clariſſ. Auctori in poſterum aegrorum, Cicuta ſanatorum & inſanabilium, habitum, temperamentum, vitae genus, colorem capillorum, oculorum, labiorum, faciei, &c. ut & morbi gradum, indolem, durationem, &c. in genera ſpeciesque, *Botanicorum* placuerit redigere *methodo* (utpote quae merito in practicis deſideratur); tum ex collatione aegri cum iam deſcriptis Cicutae uſus tentari, vel omitti; ſpes ſanationis probabilis praevideri, eiusque virtus ad certam ſubiectorum & morborum claſſem &c. limitari; remedii porro effectus, multis adhuc regionibus, aegris morbisque incerti, certiores determinari, verusque valor contra cavillatores, vindicari poſſent. Candidus enarrabo Cicutae effectus, quos ipſe vidi:

**) M. Junio 1764. duo ad me veniebant ſubiecta virilia, 60. annorum, habitus ſicci, macilenti, vilis conditionis; unus temperamenti cholerici, alter phlegmatici dominantis. Uni ulcus ſiccum cancroſum profundum ad alam naſi dextram, ex laeſa (uti referebat) per inciſionem verruca ab octo retro annis; alteri, phlegmatico, ſimile ad palpebram inferiorem oculi ſiniſtri, verſus angulum externum, a retro tribus annis; utrique ſerpentia ulcera. Extractum Cicutae ambobus primo quotidie, ſub ſtricta diaeta, a grano uno mane & veſperi, coniuncto Cortice ad plura ſenſim, poſtea ſine eo ad grana XXX. quoque adſcendendo, dabatur. Cholerico adpetitus inde conſtans iuſculorum, quibus ſolis veſcebatur; ſed tractu temporis ab aucta doſi nauſea occulta capitisque gravitas. Ulcere ſemper ſerpente, non calloſo, me deſeruit impatiens agyrtamque adivit, dum haec ſcribo non ſanatus. Phlegmatico ulceri ſerpenti plano obex quidem poſitus, ſed recrudeſcenti conſolidatio firma procurari non potuit. Extractum Cicutae rite praeparatum, utrique illinitum, dolores, inflammationem, excitavit; fomentum ex aceto lithargyrii, cum aqua Calcis vivae, eos lenivit. Morbi diuturni & non ſanabilis, ut & remedii nauſeabundi pertaeſus, curam meam Cicutamque, minime ſanatus, itidem deſeruit. Videtur tamen phlegmatico plus, quam cholerico profuiſſe hoc remedium.

***) Quae-

***) Quaeſtiones quasdam, circa *Cicutam* & *Cancrum* meditandi, addam:

1. Num Cicuta, eiusque praeparata, certos, numquam fallaces, effectus huc usque ſibi vindicarint? nonne proh dolor! incertis fallacibusque remediis adnumeranda?

2. Nonne hiſtoria eventuum Cicutae, ex variis regionibus, urbibus, ſubiectis collecta, vires eius poſſibiles & actuales in Medicorum hodegum aegrorumque ſolatium determinaret? *)

*) Eruditi mecum exoptant, ut Clariſſ. Auctor novis ſecundum regulas artis obſervatis obiectiones adverſariorum, infauſtos aliis effectus, quos v. g. in Anglia *William* LEWIS in libro: *An experimental hiſtory of the materia medica* &c. Art. *Cicuta*, London 1761. 4to. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1763. *no.* 78. *p.* 627. & in Germania *J. H.* LANGE Diſſert. *Dubia vexata* &c. Helmſtad. 1764. *Goetting. gel. Anzeig. ann.* 1764. *no.* 48. *p.* 389. (*Hamburg. Correſpond. no.* 89. 1764.), pluresque alii monuere, in gloriam Cicutae, refellere conaretur.

3. Forte regionibus viniferis, uti Auſtriae, Galliae, Helvetiae, &c. Cicuta ſalubrior, quam quarum incolae cereviſiam bibunt? *)

*) Sic v. gr. in agro Tigurino ſucci inſpiſſati Cicutae effectus in ſcrophulis, ſtrumis, mammarum teſtiumque ſcirrho ſalutares; cancro exulcerato vero irritos recenſet D. *Henr.* RAHN, *Commentar. Societ. oecon. phyſ. Tigur. Tom. II.* 8vo 1764. *Goetting. gel. Anzeig. ann.* 1764. *no.* 147. *p.* 1189. quod poſterius Pariſini, Diſputatione, Lutetiae 22. Decemb. 1763. ventilata, cui inſcriptio: *Ergo Cancer exulceratus Cicutam eludit*, adfirmant. *Goetting. gel. Anzeig.* 1764. no 134. p. 1086. Cui magis amica adſertio in *Diario medico* (Journal de Médicine) a D. ROUX ibidem edito, M. Jun. 1764. continetur, effectus ſalutares in Cancro naſi exulcerato, ſcrophulis (forte unicos?) depraedi-

praedicante. *Goetting. gelehrt. Anzeig. ann.* 1764. *no.* 135. *p.* 1092. Tissotus in regione itidem vinifera Lauſannenſi effectus eius lenientes ſaltem, integre vero numquam ſanantes dolens, adſerit *Avis au peuple*, p. 557. not. (qq) ad §. 335.

**) Scirrhi ſanatio Cicutae virtutem ſpecificam minime extollit; quod enim remedia ſaepiſſime, v. gr. connubium Corticis cum Mercurio dulci, interne, fomenta externe &c. diutius applicata, aut ſine iis tempus, expectatio, vires naturae, ſponte praeſtant: id Cicutae ſoli non tribuendum. Remediorum ſolitorum virtus impatientia Medicorum aegrorumque quamplurimum vituperatur; ſaepius illorum ope praeparatio fit in morbo, cui in fine impatienter adplicata Cicuta ſanationem perfeciſſe videtur, immerito laudes Specifici promerens.

4. Quum herbae ſiccae pulvis, ſucco inſpiſſato ſat copioſe admiſtus, nullos excitet deleterios effectus; eius vim deleteriam (ſi quae vera hodiernae plantae, dum iuxta Hallerum *Enum. Stirp.* p. 431. no. 1. pleraeque demum de Cicuta hiſtoriae de *incerta planta* ſint,) in ſucco recenti forſitan haerere probabile? num ebullitio aut longior coctio nocivum fugat Cicutae halitum? quemadmodum ſuccus expreſſus tritae radicis tuberoſae *Caſſave; Manihot* Theveti; *Juca* & *Caſſavi* J. B. 2. 794. App. J. R. H. p. 658. Edit. Pariſin. 4to 1719. quem R. James in *Pharmacopoea* ſua *univerſali: Or a new Engliſch Diſpenſatory* &c. London, 8vo 1747. (nimius fere ſimplicium laudator) ſub articulo: *Yucca Officin. Yucca foliis Aloes* C. B. P. *Indian. Bread. p.* 472. b. adeo venenatum exclamat, mediante tamen ebullitione omni orbatur virulentia, inque gratum innoxium vertitur iuſculum, uti ab iis, qui Surinamum profecti fuerunt, quique eo ſine ſanitatis detrimento centies veſcebantur, certo didici.

5. Ulte-

5. Ulteriora forſan experimenta cum ſucco tam radicis, quam plantae recentis, in canibus (ſed quomodo?), dein in homine, an erunt neceſſaria?

*) Vaccae ſine noxa in pratis umbroſis cum alio gramine reſectam, miſtam, ſiccatam Cicutam (quum foeniſecis ſeparatio a reliquo foeno impoſſibilis, licet notae ſint plantae) manducant.

**) Succus ad duritiem lente inſpiſſatus ad aërem mollescit, mucorem contrahit: alcalescentis indolis indicium.

6. Ulterius ab iis, qui Cicutam exhibent, in naturam Cancri inquirendum eſſet:

1) An modus deligationum (forſan nimis frequentium) quandoque obicem ponat ulceribus cancroſis, praeſertim ſiccis? qualis deligandi modus ulceri datus?

2) Num Cancer ſit contagioſus, ſcilicet, num ichoris guttula vulneri inſtillata, aut ſaliva oſculo, aut bibendo ex eodem poculo cum aegro, labiis eius licet integris, aut cubando cum eo in eodem lecto, &c. hunc morbum alii ſano communicare queat?

(b) *Colchici radice* in ſe ipſo experimenta periculoſa inſtituit. Vid. eius Libellus, quo demonſtratur: *Colchici autumnalis radicem tuto poſſe exhiberi.* Vienn. 1763. *Goetting. gel. Anzeig.* 1764. *no.* 22. *p.* 174. ſq.

45. Storch (Jacob.) Patris ſui *Hydropem*, ex Schedis eius, in lingua vernacula deſcriptum exhibuit. Iſenaci, 1753. 4to.

46. *van* Swieten de propriis morbis (quaſi in tranſitu) in Commentariis refert:

(a) De *Anxietate*, a bile in ventriculo fluctuante, emetico ſublata, *l. c. Tom. II. p.* 201.

(b) De *Faucium ardore* a deguſtatis baccis Mezerei officin. Lauri folio ſemper virente, ſeu Laureolae maris C. B. P. J. R. H. p. 595. ad ſuffocationem usque, per integrum bihorium fauces poſca cum melle eluendo, vix tollendo. *Ibid. l. c. Tom. I. p.* 638. *ad §.* 376. *Tom. II. p.* 132. *ad §.* 605. 9.

*) Itidem Bernae M. Auguſt. 1739. in hortulo meo, mihi incauto fructum eius rubellum vix deguſtanti, ſapor faucibus acerrimus urens ilico, diarrhoea cum torminibus, gelida copioſa ingurgitata vix mitigabilis.

**) Baſileae Julio 1733. mordendo modo radicem Ari recentem, faucibus ſtatim ardor acris absque torminibus, dimidio die copia gelidae vix delebilis. Forte „ cocta edulis ſit?„ HALLER *Enum. p.* 261. voc. *Arum.*

(c) De *Nauſea involuntaria* ex infuſo foliorum Sennae ophthalmico. *Ibid. p.* 221. Item ex putreſcente moloſſo, *ibid. p.* 222.

(d) De *Oculorum colore ſubflaveſcente*, febre epidemica autumnali, *ibid. p.* 564.

(e) De *Suffocationis metu* ſub praeparatione ſpiritus ſalis marini, *ibid. p.* 715.

(f) De *Urina lactea* & turbida, ſedimentum chylo ſimillimum poſt validam deambulationem deponente. *Ibid. p.* 274.

47. (a) SYEENHAM, candidus Medicus, nimius ſui Laudator, &c. de *Mictu cruento*, a calculo renibus impacto, egit in Shediaſmate *Tom. I. Oper. p.* 442-447. *inſerto.*

(b) De *Podagra* ſua graphicum Tractatum peculiarem iunxit eidem Tomo, p. 303-332.

(c) De *Podagra viſcerali*, tumore crurum, ſanguinis mictu, p. 185.

48. TA-

48. Tachenius de *reſpiratione difficili & mictu cruento*, ex vapore Arſenici ſublimati inſpirato, *Tract. de Hippocr. Chemia Cap.* 24. *p.* 149. 150. *van* Swieten *Tom. II. p.* 715. *Tom. III. p.* 227. ſq.

49. *Ten* Rhyne, Med. Practicus Japonenſis, *Cordis palpitationem*, & inde ſubſecutas *lipothymias*, inuſtione Moxae ſibi ſanavit. Tr. de Arthritide, p. 119-143. *van* Swieten *l. c. Tom. II. p.* 246.

50. (a) Timaeus *a* Güldenklee *Choleram* propriam deſcripſit *Oper. ſuor. Lib. III. Caſu* 8. Tralles Lib. ſuo *de Cholera p.* 8.

(b) *Odontalgiae* ſuae Sotirellam parvam, Trochiſcos odontalgicos Mynſichti, propriamque Tincturam odontalgicam, cui Opium junctum, cum effectu oppoſuit. Tralles *Sect. IV. de Uſu Opii, p.* 175.

51. (a) Tissot, ſagax integerque Practicus, de ſalute publica optime meritus, *Tumorem parotidum* & glandularum ſubmaxillarium *Infuſo Meliſſae* cum lacte ſuſtulit, quod

(b) in *Angina levi* ipſi etiam evporiſton fuit. *Avis au peuple Cap. VI.* §. 108. *p.* 144.

*) Forte idem morbus, quem, mihi novum, 1751. 1758. 1760. epidemice, hiſce locis ſporadice graſſanrem vidi; Nauſea, vertigo, horror, febricula continua; Parotidi & tunicae adipoſae primo unius lateris, mento dein, tandem alteri quaſi inflatio cuti concolor, nychthemeri ſpatio ſerpens, quaedam ſubinde deglutiendi difficultas, quandoque tonſillis ariditas, intumeſcentia, levis quibusdam ptyalismus, bibendi nauſea. Solutio morbi ſeptimanae intervallo, leniſſima methodo adhibita. Primo vere maſculinum genus prae foeminino, & quidem juvenes frequentius, adultiores rarius adoriebatur. Externe farinae ſecalinae toſtae; interne ſambucinis, regimini diapnoico, ſaepiusque ſponte ceſſit. Incolis *Bauren-Woezel*, *Wochen-Toelpel* audit. Angina catarrhoſa tenuis?

(c) In *Catarrho epidemico*, cum Tuſſi acri, *ſuccum Liquiritiae* quotidie ad unciam unam & dimidiam optimo cum ſucceſſu deglutivit. *Ibid. Cap. VII. §.* 122. *x. p.* 163.

52. Torti (Franc.), prudens Medicus, Corticis encomiaſtes ſobrius, *Febre tertiana* pernicioſa, mortem Julio 1696. minante, Corticis ſex drachmarum uſu liberatus. *Therap. ſpecial. Lib. I. Cap. I. p.* 7. *Lib. IV. Cap. II. p.* 264. *ſq.*

53. (a) Tralles (Balthaſ. Ludov.), *Choleram atrociſſimam*, quam ipſe ſuſtinuit, peculiari Libro exacte deſcripſit, Wratislav. 1753.

(b) De *Dyſenteria* ex contagio ter ſuſcepta, Rheo cum potu Coffée, Opio, Cortice, lacte ſaccharato, &c. ſanata, mentionem facit *Sect. III. Cap. III. §. VI. p.* 191. *§. VIII. p.* 198. *de Uſu Opii.*

(c) De *Odontalgia* Laudano, remedio Paracelſi ſine Opio, externa ſibi irrita adplicatione. *Ibid. Sect. IV. Cap. VII. §. IV. p.* 204.

*) Hisce Sectionibus eruditis paſſim, ſed breviſſimis, de aliis ſuis morbis, mentionem iniecit humaniſſimus Auctor. Ut ergo Biographiam ſuam morboſam publicae luci exponat, enixe ab omnibus bonis mecum rogatur.

54. Vogel, Prof. Goettingenſ. publ. ordin. aut quisquis ſit alius contenta Libri: *Traité de Phyſiologie par Duſieu*, Lugd. Bat. 1762. recenſens, proprio *ſanguini*, e vena emiſſo, *ſpiritum Vitrioli* aliaque acida, ſine effectu ſympathetico in proprium corpus, adfudit. *Goetting. gel. Anzeig.* 1763. *no.* 62. *p.* 502.

*) Juvenis ego, Digby aliorumque Auctorum effatis ſympatheticis fidem tribuens, urinam propriam in vaſe ferreo igne aperto ipſe ebullire feci, vana cum expectatione caloris aeſtusque ſanguinis ſub ebullitione.

55. Werl-

55. WERLHOF (Paul Gottl.) de *Tertiana* ſua epidemica verna, Cortice ſanata, vide aureum Eius Tract. de *Febribus pernicioſis, praeſertim ſoporoſis, &c. Sect. IV. §. III. Obſ.* 23. *p.* 140. qui decies legi meretur.

56. YOUNG (Georg.) M. D. Practicus Edimburgenſis, de *Opii* effectu in ſe ipſo ſparſim loquitur Libro ſuo de Opio: *A Treatiſe an Opium founded an practical Obſervations.* London, 1753. 8vo, quem frequentiſſime allegat TRALLES *l. c. de Uſu Opii.*

57. ZWINGER (Theodor.) *Colicam flatulentam* ſuam uſu Aquarum Piperinarum (Fabarienſium) Rhaetiae ſanatam notat *Theatr. Praxeos Tom. I. p.* 250. *a.*

## Scriptores non Medici.

58. BERND (Adam) A. L. M. & Verbi divini Miniſter, ultro ſe munere abdicans, proprium *Malum hypochondriacum*, laeſamque imaginationem, imo *Biographiam morboſam* lugubri deſcripſit calamo lingua vernacula, ſub titulo: *M. Adam* BERND *eigene Lebensbeſchreibung, ſammt einer Entdeckung ſeiner Leibes- und Gemüths-Plage* &c. Lipſ. 1738. 8vo.

*) Tota eius vita fuit morbus, remediis moralibus ac phyſicis, in opprobrium tam Philoſophiae, quam Medicinae, inſanabilis. — Biographia ſincera.

**) Praeter animi meticuloſi, in corpore ruſtico, plurium hiſtoriam dedit morborum, quales ſunt:

(a) *Adpetitus immoderatus ructusque*, ex potus Thee matutina copioſa ingurgitatione, mutato ientaculo ceſſantes, p. 462.

*) Thee potus ſine lacte alias adpetitum tollit. Memini nobilis ſtemmatis homines utriusque ſexus, quotidie ad octoginta uncias, quadripartitis vicibus de die, ſaturati Thee boy infuſi ſorbillantes nepenthes; ſed inde ſiccitas perpetua faucibus, potu licet

licet copioſo aquoſo, pauco vino remixto, inter epulas minime delebilis; adpetitus proſtratus, (hemicrania periodica tempore menſtruo (no. 3. ***); menſes decolores dolorifici ſexui foeminino); ſanguis V. Sne emiſſus coccineus, ſpiſſus, gelatinoſus, ſine multo optabili ſero; (an aquae cum ſanguine oleoſo connubium?) conf. no. 22. ****; alvus ſegnis; pedum oedema.

(b) *Alvi obſtructio*, meditatione animique circa res graves dubiasque intentione ſoluta, p. 572. 573.

(c) *Dyſenteria epidemica* Auguſto 1719. copioſo praeſertim Thee potu, iunctis aliis medicamentis, ex praeſcriptione D. Nabothi, qui aegro mortem praedixerat, liberatus, p. 454. 576. 577.

(d) *Febriles inſultus* concionando fugavit pluries, p. 577.

*) Conciones, lectiones publicae aeque ac alta voce privatae, ſaluberrimus ſunt valetudinariis motus.

(e) *Spasmi* ventriculum contrahentes; cogitationum & idearum rapiditas involuntaria; nauſea; proclivitas inter legendum in lipothymiam (hypochondriacam?), ex potus Thee matutina, modica licet, ſorbitione; operculum ligneum calidum abdomini imponendo, aut id cingendo, mitigata, p. 577. 578.

(f) *Haemorrhoides coecas* dolentes, poſt diarrhoeam, multis iam incaſſum adhibitis, ſpecifico ex Valentini *Praxi infallibili* ſopivit, p. 704. 705.

(g) *Vini hauſtus* ante concionem, vocem pulmonesque Concionatori roboravit, p. 569. „Unicus vini legitimus „uſus.„

59. Boylaeus (Robert.) *Febrem* ſuam *quotidianam* pulte ex ſale

ſale nigro & Lupulo Anglico &c. carpis adplicata, fugavit. *van* SWIETEN *l. c. Tom. II. p.* 571. (p).

*) Quod vero non ubique ſucceſſit.

60. CARDANUS de propria *Diabete*, quae per quadraginta annos duravit, ut a ſexaginta unciis ad centum uſque in ſingulos dies evacuaret, nec contabeſceret, neque ſitiret. *de Vita propria Tom. I. Cap. VI. p.* 5. *van* SWIETEN *l. c. p.* 274.

*) Vidi 1741. Hamburgi foeminam macilentam Februario menſe quotidie ad duas amphoras urinae gelidae mingentem, non ſitientem, ſaponaceis ſanatam.

61. CORNARO (Ludov.), Nobilis Venetus, qui „iuvenis intemperanter vivendo, adverſa poſtea valetudine conflictatus, „diaeta vitam ultra centum annos protraxit, deſcripſit, „vehementer commendavit, libello italico: de Commodis „vitae ſobriae &c.„ MATTHIAE *Conſpect.* §. 384. p. 238. *van* SWIETEN *l. c. p.* 74. (e).

62. *ab* HUTTEN (Ulric.), Eques Franconicus, nat. 1488. denat. 1523. Poeta a Maximiliano I. coronatus, proprium *morbum gallicum graviſſimum*, undecies curationem mercurialem eludentem, ſolo *Decoctio Guaiaci* fugatum, deſcripſit proprio Libro de *Morbo gallico*, 1519. 4to. VOGEL *Hiſt. mat. med.* art. *Guaiacum.* MATTHIAE *l. c.* §. 337. *p.* 196.

*) Quaeritur: 1. An in regionibus hisce borealibus homo adultus, perfecte ſanus, oſculo infecti poſſit inſici Lue venerea? quemadmodum vulgo creditur.

2. Quaenam ſint huius infectionis ſigna?

3. Num virus eiusdem, ac in regionibus calidis, activitatis?

*) An-

**) Anno 1737. M. Auguſto, urente Sirio, cum amico formoſo, Lue venerea, me inſcio, magno gradu infecto, iter feci Baſileam, cui, praeter ſymptomata vulgaria, adhuc ulcera palato, uvulae, tonſillis dolentia, non modo opem iis detergendis tuleram propriis manibus, ſed ex eadem quoque patina cibos comederam ſocors. Hic me halitu, eadem ſedentem rheda, centies adflavit putido, tacite horreſcentem, ſeparato lecto, ex eius inſtituto, dormientem, immunis tamen evaſi. Forſitan nulla fortunato ſuſceptibilitas? quemadmodum ann. 1735. aeſtate, in itinere, comite Juvene, Scabie humida, inſcie itidem, infecto, eodem lecto cubanti, eadem contigit immunitas. Sic Scabies humida non ſemper, nec omnes; neque halitus Venerei adeo inficiunt.

63. Temple (Eques Anglicus), *Podagram* ſuam Moxae inuſtione ad tempus ſanavit. Ex Diario: *der Arzt*, *Tom. IV. no.* 93. *p.* 649.

*) Obſolevit haec methodus, Europaeis ſaltem morbum non eradicans.

# T A N T U M.

IN-

# INDEX PRIMUS

## *Morborum*

A

## Scriptoribus ipſis notatorum.


| Morbi. | Scriptores. |
|---|---|
| Adpetitus immodicus. | *Bernd* (a). |
| Alvi obſtructio. | *Bernd* (b). *Loeſeke* (a). |
| Anaiſtheſia. | *Boerhaave* (a). |
| Angina. | *Monro. Tiſſot* (a). |
| Anxietas. | *van Swieten* (a). |
| Aphthois. | *Hillary.* |
| Apoplexia. | *Carl. Helmont* (a). |
| Calculus veſicae. | *Alſton. Lauremberg.* |
| Catarrhus epidemicus. | *Tiſſot* (c). |
| Cephalalgia ſymptomat. | *Baglivius.* |
| Cholera. | *Timaeus. Tralles* (a). |
| Colica flatulenta. | *Zwinger.* |
| — ſpasmodica. | *Geſner.* (J. A.) |
| Convulſiones. | *Boerhaave* (b). |
| Crurum tumor. | *Sydenham* (c). |
| Delirium. | *Galenus.* |
| Diabetes. | *Cardanus.* |
| Dyſenteria. | *Bernd* (c). *Schroeck. Tralles* (b). |
| Epilepſia. | *Fab. Columna.* |
| Faucium ardor. | *van Swieten.* (b). |
| Febris acuta epidemica. | *de Hahn.* |

| Morbi. | Scriptores. |
|---|---|
| Febris hemitritaea. | *Boſtroem.* |
| — petechialis. | *Donker.* |
| — tertiana. | *Bartholinus. Lanzoni. Lautter. Torti. Werlhof.* |
| — quartana. | *Alpinus* (b). *Bonetus* (b.) |
| — quotidiana. | *Boyleus.* |
| Haemorrhoides coecae. | *Bernd* (f). *Loeſeke* (*a*). |
| Haemorrhagia narium. | *Alpinus* (b). |
| Hydrops aſcites. | *Storch.* |
| Hypochondriacus dolor. | *Boerhaave* (c). |
| Icterus. | *Herliz.* |
| Lues venerea. | *ab Hutten.* |
| Malum hypochondriacum. | *Bernd. Flemyng. Hoppe. Neifeld.* |
| Malum iſchiadicum. | *Boerhaave* (e). |
| Mictus cruentus. | *Sydenham* (a). *Tachenius.* |
| Morſus Lupae rabidae. | *Darluc.* |
| — Serpentis. | *Mizler.* |
| Nauſea. | *Boerhaave. van Swieten.* |
| Nephritis. | *Piſo. Sydenham* (a). |
| Oculo color flavus. | *van Swieten.* (d). |
| — macula. | *Boerhaave* (i). |
| — nebula. | *Stanke.* |
| Odontalgia. | *Schulzius* (b). *Timaeus* (b). *Tralles* (c). |
| Palpitatio cordis. | *Ten Rhyne.* |
| Parotidum tumor. | *Tiſſot* (a). |
| Peſtis. | *Diemerbroek. Lotichius.* |
| Phthiſis. | *Bonetus.* |
| Pleuritis. | *Helmont* (b). *Linnaeus* (b). |
| Podagra. | *Coſte. Linnaeus* (a). *Sydenham* (b). *Temple.* |
| Purpura. | *Desbreſt.* |
| Reſpiratio difficilis. | *Tachenius.* |
| Rhevmatiſmus pectoris. | *Pouteau.* |


San-

| MORBI. | | SCRIPTORES. |
|---|---|---|
| Sanguinis mictus. | — — | *Sydenham* (c). |
| Scabies. | — — — | *Helmont* (c). |
| Senium. | — — — | *de Fiſcher.* |
| Singultus. | — — | *Alpinus* (a). |
| Sputum cruentum. | — — | *Loeſeke* (b). |
| Suffocationis metus. | — — | *van Swieten* (e). |
| Variolae verae bis recurrentes. | — — | *Hensler.* |
| Ventriculi atonia. | — — | *Galenus* (a). |
| — — ardor. | — — | *Schulzius.* |
| — — ſpasmi. | — — | *Bernd* (e). |
| Vertigo. | *Boerhaave* (m. n.) *Helmont* (a). | *Lambergen.* |
| Viſus debilis. | — — | *Stanke.* |
| — mutatus. | — — | *Boerhaave* (o). |
| Vomitus. | — — | *Gesner* (Conrad). |
| Urina lactea. | — — | *van Swieten* (f). |
| Zona capiti. | — — | *Helmont* (d). |

# INDEX SECUNDUS

## *Experimentorum*

A

## Scriptoribus ipſis factorum

circa varia remedia.

| REMEDIA. | | SCRIPTORES. |
|---|---|---|
| Acidorum proprio ſanguini adfuſio. | — — | *Vogel.* |
| Acidulae Veteraquenſes. | — | *Neifeld. Ritter* (37. a.*). |
| Aqua gelida. | — — | *Boerhaave* (i). *de Hahn.* |

| Remedia. | Scriptores. |
|---|---|
| Aquae Piperinae. | *Zwinger.* |
| Ari radix recens. | *Ritter* (46. b. **). |
| Arſenici ſublimati } vapor. | *Tachenius.* |
| Auripigmenti decocti } vapor. | *Ritter* (6. h. **). |
| Belladonna. | *Lambergen. Ritter.* (28. *). |
| Calcis vivae aqua. | *Alſton* (a). |
| Cicuta. | *Boerhaave* (l. m. n). *Stoerk* (a). |
| Citri ſuccus. | *Desbreſt* |
| Coffée decoctum. | *Baglivius. Ritter* (3. *. **). |
| Colchicum. | *Stoerk* (b). |
| Conis bombacinis facta uſtio. | *Pouteau.* |
| Cortex Peruvianus. | *Bartholinus. Bonetus. Lanzoni. Lautter. Loeſeke. Torti. Werlhof.* |
| Daturae halitus. | *Boerhaave* (g). |
| Eupatorium. | *Geſner* (Conrad). |
| Euphorbium. | *Boerhaave* (g). |
| Fraga. | *Linnaeus* (a). |
| Fumus carbonum. | *Boerhaave* (o). |
| Guaiaci decoctum. | *ab Hutten.* |
| Hyoſcyami ſuccus. | *Boerhaave.* (k). |
| Lactis ſerum. | *Boerhaave* (e). |
| Laudanum liquid. Sydenhami. | *Tralles* (c). |
| Lilia convallium. | *Schulzius* (a). |
| Liquiritiae ſuccus. } Meliſſae infuſum. } | *Tiſſot* (c. a). |
| Mercurius. | *Darlue.* |
| Mezerei baccae. | *Ritter* (46. b. *). *van Swieten* (b). |
| Millipedes. | *Lauremberg.* |
| Moxae inuſtio. | *Temple. Ten Rhyne.* |

Napel-

REMEDIA. — SCRIPTORES.

Napellus. — — *Helmont* (d). *Ritter* (23. d. *).
Opium. — *Alſton* (b). *Bellonius. Clauderus. Platerus. Ritter* (5. *). *Young.*
Paracelſi remedium odontalgicum. — *Tralles* (c).
Paſſulae minores. — — *Schulzius* (c).
Pultes ex ſale nigro & Lupulo &c. — *Boylaeus.*
Sambucina. — — *Ritter* (51. b. *).
Senega radix. — — *Linnaeus* (b).
Sotirella parva. — — *Timaeus* (b).
Staphiſagriae ſemen. — — *Schulzius* (b).
Succini Eſſentia. — — *Boerhaave* (c).
Thee potus. — — — *Bernd* (a).
Tinctura & Trochisci odontalgici. — *Timaeus* (b).
Valerianae radix. — — *Columna. Stanke.*
Vrinae ſympathia. — — *Ritter* (54, *).
Vini hauſtus. — — *Bernd* (g).

# INDEX TERTIUS
## *Effectuum ſalutarium*
## adhibitorum in variis morbis medicamentorum.

MORBI. — MEDICAMENTA.

Anxietati a bile. — — Emeticum. 46 (a).
Calculo veſicae. — — Aqua Calcis 2. Millepedes. 30.
Cephalalgiae ſymptomaticae. — Fabarum Coffée infuſum. 3.
Colicae flatulentae. — — Aquae Fabarienſes. 57.

| *Morbi.* | *Medicamenta.* |
|---|---|
| Colicae ſpasmodicae. | Mucilago Seminis Lini. 21. |
| Dyſenteriae epidemicae. | Coffée Infuſum. Lac ſaccharatum. 53. (b). Thee potus. 58 (b). |
| Epilepſiae. | Radix Valerianae mai. 11. |
| Faucium ardori. | Posca cum Melle. 46 (b). |
| Febri acutae epidemicae. | Frigidae lotio. 22. |
| — tertianae. | Cortex Peruvian. 4. 29. 52. 55. |
| — quartanae. | Idem Cortex. 7. (b). |
| — quotidianae. | Puls Lupulina ſalita 59. |
| Hemicraniae ſympathicae. | Coffée infuſum 3. *. |
| Haemorrhoidibus coecis. | Cortex Peruvian. 33 (a). |
| Hypochondriorum dolori. | Eſſentia Succini. 6 (c). |
| Lui venereae. | Guaiaci decoctum. 62. |
| Lupae rabidae morſui. | Salivatio mercurialis. 13. |
| Malo hypochondriaco. | Acidulae Veteraquenſes. 37 (a). |
| — iſchiadico. | Serum lactis. 6 (e). |
| Oculi maculae. | Frigidae lotio. 6 (i). |
| — nebulae. | Valerianae decoctum. 43. |
| Odontalgiae. | Sotirella parva. 50 (b). |
| Palpitationi cordis. | Moxae inuſtio 49. |
| Parotidum tumori. | Meliſſae infuſum 51 (a). |
| Pleuritidi. | Radix Senega. 32 (b). |
| Podagrae. | Fraga. 32 (a). Moxae inuſtio. 63. |
| Purpurae. | Succus Citri. 14. |
| Rhevmati pectoris. | Bombacis inuſtio. 40. |
| Sputo cruento. | Cortex Peruvian. 33 (b). |
| Tuſſi acri. | Succus Liquiritiae. 51 (c). |
| Vertigini ab eſu Cicutae. | Vomitorium. 6 (n). |


In-

# INDEX QUARTUS.

## *Effectuum noxiorum*

ab

## adhibitis variis medicamentis.


| *Medicamenta.* | *Noxae.* |
|---|---|
| Acidular. Veteraquenſium fonte inferiore. — | Diarrhoea 37 (b). |
| Antimonii Vitri praeparatione. — — | Nauſea. 6 (h). |
| Ari radice. — | Ardor faucium, Diarrhoea. 46 (b. **). |
| Auripigmenti vapore. — — | Lipothymia. 6 (h. *). |
| Baccis Mezerei. — — | Ardor faucium 46 (b. **). |
| — Rubi idaei. — — | Hemicrania. 3. *. |
| Cicuta. — | Titubatio. 6 (l). Vertigo. 6 (n). Ulcera cancroſa non ſanata. 44. **. |
| Datura & Euphorbio contuſis. — | Horror menti. 6 (g). |
| Eupatorii decocto. — — | Diarrhoea Vomitusque. 20. |
| Halitibus acidis mineralibus. — | Apoplexia. 23 (a). |
| Hyoſcyami ſucci praeparatione. — | Senſuum amittendorum periculum. |
| Laudani liquidi Sydenh. gutta una. — | Somnus profundus. 5. ****. |
| Liliorum convallium Extractum. — | Vis purgans. 42 (a). |
| Napello. — — — | Zona capiti. 23 (d). |
| Opio. — — | Ardor pectori. 5. Podagrae dolor non lenitus. 39. Vigiliae. 5. *. |
| Paracelſi remedio. — | Odontalgia non mitigata. 53 (c). |
| Paſſulis minoribus. — — | Ardor ventriculi. 42 (e). |


Pipere

| *Medicamenta.* | *Noxae.* |
|---|---|
| Pipere & Vino. — — — | Singultus. 1. |
| Plumbi fumo. — — | Colica ſpasmodica. 21. |
| Salis marini ſpiritus praeparatione. — | Suffocationis metus. 46 (e). |
| Semin. Staphyſagriae. — | Odontalgiae exaſperatio. 42 (b). |
| Sennae foliorum Infuſo. — — | Nauſea. 46 (b). |
| Thee potu. — — | Adpetitus immodicus. 58 (a). |
| | — — diminutus. 58 (a. *). |
| | Cachexia. 58 (a. **). |
| Vectione. — — — | Lipothymia. 6. (m. n). |

# SYNOPSIS METHODICA
# STIRPIUM
# AGRI ISENACENSIS
CONSIGNATA

a

IOANNE FRIDERICO CAROLO
GRIMM,

Medicin. Doct. & Poliatro Iſenacenſi, Caeſareaeque Leopoldino-Carolinae Academiae Nat. Curioſor,

Clidemo III.

# PRAEFATIO.

## LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

## AUCTOR.

*Eſt ſingularis aliqua, de utilitate non dicam, cum rei herbariae ſtudio, neſcio quae, coniuncta voluptas. Ab hac incitatus iam anni* 1754. *aeſtate plantas oppidi atque agri* Iſenacenſis *colligere coepi, ſuſceptum opus annis* 1759. 1760. *&* 1761. *continuavi, dum illud tandem an.* 1762. *utplurimum ad finem perduxerim. Quater iisdem annis, eodem propoſito, ſcilicet, ut plantas in illo inveniendas perluſtrarem, altiſſimum* Thuringiae *montem, celebrem* Inſulanum (Inſelberg), *duo milliaria modo a noſtra urbe ſitum, conſcendi. Harum deliciarum copia inſtructus, ſprevi incommoda & labores illis familiares, qui ſtirpes in natali ſolo colligere ſatagunt, nulli forſan, niſi experto, credibiles, atque illos ſuperavi, quamvis duce, comite, aliisque ſubſidiis neceſſariis carens, cum aliqua facilitate. Repertae plantae oſtendunt fertilitatem & divitias ſoli & regionis, cui nihil plane deeſt, quod variam adeo anguſti ſpatii naturam conſtituit. Sunt enim intra unicum, circa* Iſenacum *oppidum, milliare,* 949. *diverſae ſpecies ſuorum generum lectae, quas Tibi, ſecundum Syſtema ſexuale perilluſtr.* Linnaei, *uſus* Syſtematis Naturae *decima editione, nunc enumerabo. Celeberr.* Gleditschii *Methodum Fungorum,* *Bero-*

*Berolini ann.* 1753. *excuſam, in recenſendis fungis adhibui, quum aliquoties illius deſcriptiones mihi praecipue clarae viderentur. Nomina* Pin. Bauh. *coactus adpoſui, ut nimirum ichnographi veteres declarent, quam plantam* Linnaei *nomine indicare velim.*

*Nullam autem, ne quidem a* Ruppio, Gleditschiove *excellentiſſimo, noſtrum agrum peragrantibus, inventam, niſi a me quoque viſam & decerptam retuli. Multas cryptogamiae generum ſpecies, aut quod mihi dubiae ſunt, aut quod nomina earum, ab aliis Auctoribus claris tradita, extricare non ſatis potui, lubenter omiſi. En! ob utramque cauſſam generum quorundam cryptogamiae paupertatem ingentem.*

*Natalia loca copioſa expoſui, copioſiora adhuc potuiſſem, ſi modo ſpatium id permiſiſſet. Parcius mihi obvias plantas ſigno* +, *parciſſime occurrentes charactere* * *notavi.*

*Florendi tempus duplex dedi, noſtro agro forſan inprimis tribuendum. Obſervationes raras, iterum ob ſpatii anguſtiam interſperſi.*

*Omnes autem hos labores ſine erroribus, ego invitus, perficere non potui, quos Tu, a partium ſtudio aliene & benevole Lector, mihi indulgebis. Vale. Iſenaci d. VIII. Iduum Octobr. A. R. S. MDCCLXV.*

# CLASSIS I.

## MONANDRIA.

### *Monogynia.*

### SALICORNIA. 10.

Salicornia (*virginea*) articulis apice compreſſis emarginatis bifidis. *L. S. N. p.* 843. *Salzkraut.*

*Kali geniculatum maius & minus C. B.*

H. in Saiinis *cruciburgenſibus.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Aug.* $\frac{1}{2}$ *Sept.*

*) Stamen *unicum.*

### *Digynia.*

### CALLITRICHE. 13.

Callitriche (*verna*) foliis ſuperioribus ovalibus, floribus androgynis. *L. S. N. p.* 844.

*Stellaria aquatica C. B.*

H. in foſſulis: „*unter dem Kloſterholze, vor dem Nicol. Thor,* „ *in der ſchwarzen Pfütze*„ *u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{3}$ Jun. & $\frac{1}{2}$ Jul.

Callitriche (*autumnalis*) foliis omnibus linearibus, apice bifidis, floribus hermaphroditis. *L. S. N. p.* 844.

H. in foſſula; *die ſchwarze Pfütze.* ✝.

CLAS-

# CLASSIS II.

## DIANDRIA.

### Monogynia.

### LIGUSTRUM. 18.

LIGUSTRUM (*vulgare*) *L. S. N. p.* 847. *Caſſeliſche Weide.*
*Liguſtrum Germanicum C. B.*
H. in collibus, campis, ſepes conſtituit. Fl. Julio.

### SYRINGA. 22.

SYRINGA (*vulgaris*) foliis ovato-cordatis *L. S. N. p.* 848. *Zyrenen.*
*Syringa coerulea C. B.*
H. in collium ſepibus. Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

### VERONICA. 25.

VERONICA (*officinalis*) ſpicis lateralibus pedunculatis, foliis oppoſitis, caule procumbente. *L. S. N. p.* 848. *Ehrenpreis.*
*Veronica mas, ſupina & vulgatiſſima C. B.*
H. in ſylvis praeſertim *caeduis: in dem Kloſterholze, um die hohe Sonne, um Mosbach* u. ſ. w. Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

VERONICA (ſerpyllifolia) racemo terminali ſubſpicato, foliis ovatis, glabris, crenatis. *L. S. N. p.* 848.
*Veronica pratenſis, ſerpyllifolia C. B.*
H. in gramineis & arvis editis. Fl. $\frac{1}{3}$ *Apr. & Mai.*

VERONICA (*Beccabunga*) racemis lateralibus, foliis ovatis, planis, caule repente. *L. S. N. p.* 849. *Bachbungen.*
*Veronica aquatica, maior, folio ſubrotundo. C. B.*
H. in rivulis purioribus: *gegen Mitternacht.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai-Jul.*

VERONICA (*Anagallis*) racemis lateralibus, foliis lanceolatis, ſerratis, caule erecto. *L. S. N. p.* 849.
*Anagallis aquatica, maior, folio oblongo C. B.*
H. in rivulis & inundatis paſſim. Fl. *Junio* & *Julio.*

VERONICA (*ſcutellata*) racemis lateralibus, pedicellis pendulis, foliis linearibus, integerrimis. *L. S. N. p.* 849.

*Anagallis aquatica, anguſtifolia, ſcutellata C. B.*

H. in uliginoſis: *um Hetterode, bey Neukirchen und gegen Berterode.* Flor. ½ *Jun.* & ¼ *Jul.*

*) Folia *lineari lanceolata, denticulata.*

VERONICA (*Chamedrys*) racemis lateralibus, foliis ovatis, rugoſis, dentatis, ſeſſilibus, caule debili. *L. S. N. p.* 849.

*Chamedrys ſpuria, minor, rotundifolia C. B.*

H. in pratis fertilioribus, pomariis. Fl. ½ *Mai* & ½ *Jun.*

VERONICA foliis imis cordatis ſuperioribus anguſtioribus ellipticis ex alis racemoſa. *Hall. Catal. Goetting. p.* 235.

VERONICA (*latifolia*) racemis lateralibus, foliis cordatis, rugoſis, *inciſis*, caule ſtricto. *L. S. N. p.* 849.

*Chamedrys ſpuria, maior, anguſtifolia C. B.*

H. in collium gramineis: *am Rammesberge, Petersberge, Hoerſelberge, Kielforſt, um das Gefilde u. ſ. w.* Fl. ¾ *Mai* & ½ *Jun.*

*) Perianth. *quinquepartitum* ſegmentis *tribus ſuperioribus lineari-lanceolatis, maioribus, medio minimo, duobus inferioribus minoribus, aequalibus.* Corolla *fauce piloſa, bilabiata, lineata.* Anth. *ſagittatae, verſatiles.* Germen *globoſum.* Folia *ſumma oblonga, ſerrulata, glabriuſcula.*

VERONICA (*agreſtis*) floribus ſolitariis, foliis cordatis, planis, inciſis, pedunculo brevioribus. *L. S. N. p.* 849.

*Alſine chamaedryfolia, floſculis pediculis oblongis inſidentibus. C. B.*

H. in agris, arvis. Fl. *April.* & ½ *Mai.*

VERONICA (*hederaefolia*) floribus ſolitariis, foliis cordatis, planis, quinquelobis. *L. S. N. p.* 849.

*Alſine hederulaefolio C. B.*

H. in agris, arvis. Fl. *Apr.* & ½ *Mai.*

VERONICA (*triphyllos*) floribus ſolitariis, foliis digitato-partitis, pedunculo brevioribus. *L. S. N. p.* 849.

*Alſine triphyllos coerulea. C. B.*

H. in arvis: *unter Wartenburg, um den dürren Hof.* Fl. ½ *Apr.* & ½ *Mai.*

VERONICA (*arvenſis*) floribus ſolitariis, foliis cordatis inciſis, pedunculo longioribus. *L. S. N. p.* 849.

*Alſine veronicae foliis, flosculis cauliculis adhaerentibus. C. B.*

H. in arvis & collibus: *unter Wartenburg, am Petersberge, über Eichrodt u. ſ. w.* Fl. ¼ *Apr.* & ½ *Mai.*

*) Folia *ima cordata, inciſa, obtuſa, ſeſſilia,* caulis *erectus,* rami *patentiſſimi,* capſula *cordata obverſe, hirſuta.*

## VERBENA. 30.

VERBENA (*officinalis*) tetrandra, ſpicis filiformibus, paniculatis, foliis multifide laciniatis, caule ſolitario. *L. S. N. p.* 852.

*Verbena communis, coeruleis & albicantibus floribus. C. B.*

H. in ruderatis, *bey der Herrenmühle und vor dem Nicol. Thor.* Fl. ½ *Aug.* & *Sept.*

## LYCOPUS. 31.

LYCOPUS (*Europaeus*) foliis ſinuato-ſerratis *L. S. N. p.* 852.

*Marrubium paluſtre, glabrum. C. B.*

H. in ripis & foſſulis: *um die Spicke, im Gaack, im Michelsbach, Joh. Thal.* Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

## SALVIA. 36.

SALVIA (*pratenſis*) foliis cordato-oblongis, crenatis, ſummis amplexicaulibus, verticillis ſubnudis, corollis galea glutinoſis. *L. S. N. p.* 853. *Scharlach.*

*Horminum pratenſe, foliis ſerratis. C. B.*

H. in

H. in pratis fertilibus: *Zwiſchen der neüen Pulvermühle.* Fl. ½ *Mai. & Jun.*

## CIRCAEA. 24.

CIRCAEA (*lutetiana*) caule erecto, racemis pluribus. *L. S. N. p.* 848.

*Solanifolia Circaea dicta, maior. C. B.*

H. in nemoribus praeſertim iuxta rivulos: *unter Clausberg, um die Weinſtraſe.* Fl. ½ *Jul. & Aug.*

CIRCAEA (*alpina*) caule adſcendente, racemo unico. *L. S. N. p.* 848.

*Solanifolia Circaea alpina. C. B.*

H. in nemoribus & ſylvis caeduis: *an der Abendſeite des Inſelbergs und am Bache in Winterſtein.* ✝. Fl. *Auguſto.*

*) Caulis *geniculatus*, rami *reflexi*, folia *cordata ſummaque lanceolata, ſerrata*; racemi uno *ſaepe plures, ſubramoſi*, flores *minimi*, perianth. *purpureum.* Videtur itaque non *lutetianae*, ſed *alpinae* varietas maior, ut RUPPIUS iam adnotavit (Fl. *Jenenſ.* p. 55). Specimina enim noſtra vere *alpinae*, in *Hercynia ſylva* lecta, quamvis multoties minora tenerioraque, pluribus uno ſaepe racemo terminantur.

## ANTHOXANTHUM. 40.

ANTHOXANTHUM (*odoratum*) ſpica oblonga ovata; floſculis ſubpedunculatis, ariſta longioribus. *L. S. N. p.* 855.

*Gramen pratenſe, ſpica flaveſcente. C. B.*

H. in pratis ſiccioribus montanis, paſcuis. Fl. *Maio.*

# CLASSIS III.

## TRIANDRIA

### *Monogynia*

### VALERIANA. 43.

VALERIANA (*dioicia*) floribus triandris, dioiciis, foliis pinnatis integerrimis. *L. S. N. p* 860. *Kleiner Baldrian.*

*Valeriana paluſtris, minor C. B.*

H. in uliginoſis: *unter dem Kloſterholze, im Joh. Thal, Georgenthal, um Mosbach* Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai. - Jun.*

VALERIANA (*officinalis*) floribus triandris, foliis omnibus pinnatis. *L. S. N. p.* 860.

*Valeriana ſylveſtris maior. C. B.*

H. in nemoribus & dumetis: *gegen das Gefilde, unten am Kloſterholze, u. ſ. w.* +. Fl. $\frac{1}{6}$ *Jun. & Jul.*

VALERIANA (*Locuſta olitoria*) floribus triandris, caule dichotomo, foliis linearibus, fructu ſimplici *L. S. N. p.* 860. *Rabunzen.*

*Valeriana campeſtris, inodora, maior. C. B.*

H. in cultis & arvis. Fl. $\frac{1}{7}$ *April.* & $\frac{1}{2}$ *Mai.*

VALERIANA (*dentata*) ſeminis corona tridentata. *L. S. N. p.* 860.

*Valeriana caule dichotomo, foliis plerumque ſerratis, ſeminis corona tridentata.* HALL. *Cat. Goetting.* p. 351.

H. in agris editis: e. g. *um den Rammesborn.* Fl. *Jul. & Aug.*

### IRIS. 57.

IRIS (*Germanica*) corollis barbatis, caule foliis altiore, multifloro, floribus inferioribus pedunculatis. *L. S. N. p.* 863.

*Iris vulgaris, germanica ſive ſylveſtris. C. B. Blaue Veilwurzel.*

H. in rupibus: *an der Wartenburg gegen abend.* ✱. Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai.* poſt.

Iris (*Pſeudacorus*) corollis imberbibus, petalis interioribus ſtigmate minoribus, foliis enſiformibus. *L. S.* N. *p.* 863. *Waſſerlilien.*

*Acorus adulterinus C. B.*

H. in ripis, foſſis, ſtagnis: *unter dem Kloſterholze, im Michelsbach, bey Atchenbach und Wilhelms-Thal.* ✝. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.* poſt.

## CYPERUS. 61.

Cyperus (*flaveſcens*) culmo triquetro, nudo, umbella triphylla, pedunculis ſimplicibus, inaequalibus, ſpicis confertis, lanceolatis. *L. S. N. p.* 867.

*Gramen cyperoides minus, panicula ſparſa ſubflavescente. C. B.*

H. in vliginoſis & udis: *vor Mosbach, gleich am Wege* ✱. Fl. $\frac{1}{8}$ *Jul.* & *Aug.*

## SCIRPUS 62.

Scirpus (*paluſtris*) culmo tereti nudo, ſpica ſubovata, imbricata. *L. S. N. p.* 867.

*Juncus capitulis equiſeti maior. C. B.*

H. in inundatis & pratis humidiusculis. Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

Scirpus (*lacuſtris*) culmo tereti, nudo, ſpicis ovatis, pluribus pedunculatis, terminalibus. *L. S. N. p.* 867.

*Juncus maximus ſive Scirpus maior. C. B.*

H. in ſtagnis & foſſis: *hinter Wilhelmsthal, um Atchenbach und das Creuzburger Salzwerk.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{3}$ *Jul.*

Scirpus (*maritimus*) culmo triquetro, panicula conglobata, foliacea, ſpicularum ſquamis trifidis, intermedia ſubulata. *L. S. N. p.* 868.

α). Gra-

α). *Gramen cyperoides panicula ſparſa maius.* C. B.

β). *Cyperus panicula compacta e ſpicis teretibus craſſioribus compoſita.* SCHEUCHZER.

H. α). in ripis: *der Werre zwiſchen Spichert und dem Creuzburger Salzwerk.* β). in inundatis: *beym Creuzb. Salzwerk.* Fl. α & β $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

SCIRPUS (*ſylvaticus*) culmo triquetro, folioſo, umbella foliacea, pedunculis nudis, ſupra decompoſitis, ſpicis confertis. *L. S. N. p.* 868.

*Gramen cyperoides, miliaceum* C. B.

H. in ripis & foſſis: e. g. *am Michelsbach im Joh. Thal, um Mosbach u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

SCIRPUS (*planifolius*) ſpica diſticha HALL. *Catal. Goetting. p.* 86.

*Carex montanus, ſpica compreſſa, diſticha.* RUPP. Fl. *Jenenſ. p.* 324.

H. in inundatis: *am Fahr-Wege vom Rothenhofe nach Mosbach.* ✱. Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai.* poſt.

## ERIOPHORUM. 63.

ERIOPHORUM (*polyſtachion*) culmis teretibus, foliis planis, ſpicis pedunculatis. *L. S. N. p.* 868.

*Gramen tomentoſum pratenſe, panicula ſparſa.* C. B.

H. in vliginoſis: e. g. *im Joh. Thal; Georgen-Thal, unter dem Kloſterholze, um Mosbach, u. ſ. w.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai. prior.*

### *Digynia.*

## PANICUM. 70.

PANICUM (*viride*) ſpica tereti, involucellis bifloris, faſciculato-piloſis, ſeminibus nervoſis. *L. S. N. p.* 870.

*Gramen paniceum, ſpica ſimplici. C. B.*

H. in cultis agris, collibus: e. g. *unter Wartenburg.* Fl. *Julio.*

Panicum (*crus galli*) ſpicis alternis coniugatisque, ſpiculis ſubdiviſis, glumis ariſtatis hiſpidis, rachi quinquangulari. *L. S. N. p.* 870.

*Gramen paniceum, ſpica ariſtis longis armata. C. B.*

H. in agris & cultis: *vor Oberellen, im Klemda Garten.* +. Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

Panicum (*ſanguinale*) ſpicis digitatis, baſi interiore nodoſis, floſculis geminis muticis, vaginis foliorum punctatis. *L. S. N. p.* 870.

*Gramen dactylon, folio latiore. C. B.*

H. in cultis & collium arvis: e. g. *im Klemda Garten und neben der Hahngaſſe.* *. Fl. *Auguſto.*

## ALOPECURUS. 72.

Alopecurus (*pratenſis*) culmo ſpicato, erecto. *L. S. N. p.* 871.

*Gramen typhoides, molle C. B.*

H. in pratis fertilioribus humidiusculis omnibus Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

Alopecurus (*geniculatus*) culmo ſpicato, infracto. *L. S. N. p.* 871.

*Gramen aquaticum, geniculatum, ſpicatum. C. B.*

H. in pratis humidiusculis & foſſulis: e. g. *um die Spicke.* Fl. *Jun.* & ½ *Jul.*

## PHLEUM. 71.

Phleum (*pratenſe*) ſpica cylindrica, longiſſima. *L. S. N. p.* 871.

*Gra-*

*Gramen typhoides, maximum, ſpica longiſſima C. B.*

H. in pratis humidiusculis: praeſertim *zwiſchen Eichrodt und Schoenau.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & $\frac{1}{7}$ *Jul.*

*) *In arvis & collibus humilibus occurrit.*

## PHALARIS. 69.

PHALARIS (*phleoides*) panicula cylindrica, ſpiciformi. *L. S. N. p.* 869.

H. in verſuris & paſcuis: *unter dem Eichrodter Hoerſelberge.* +. Fl. $\frac{2}{7}$ *Jun. poſt.*

PHALARIS (*arundinacea*) panicula oblonga, ventricoſa. *L. S. N. p.* 869.

*Gramen arundinaceum ſpicatum C. B.*

H. in ripis: *an der Neſſe und Hoerſel.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun. poſt.*

## MILIUM. 73.

MILIUM (*effuſum*) floribus paniculatis, diſperſis, muticis. *L. S. N. p.* 872.

*Gramen ſylvaticum panicula miliacea ſparſa. C. B.*

H. in nemoribus: *im Hahn und im Moſeberge gegen Morgen.* Fl. $\frac{2}{7}$ *Jun. prior.*

## AGROSTIS. 74.

AGROSTIS (*ſpica venti*) petalo exteriore ariſta recta, ſtricta, longiſſima, panicula patula. *L. S. N. p.* 872.

H. in agris *campeſtribus* copioſiſſime. Fl. *Julio.*

AGROSTIS (*arundinacea*) panicula oblonga, petalo exteriore baſi villoſa, ariſtaque torta, calyce longiore. *L. S. N. p.* 872.

H. in Sylvis, praeſertim ad rivulos: *bey dem gehauenen Reine, und gegen Unkerrode.* Fl. *Julio.*

Agrostis (*capillaris*) panicula capillari patente, calycibus ſubulatis, aequalibus, hiſpidiuſculis, coloratis, floſculis muticis. *L. S. N. p.* 872.

H. in ſylvis, paſcuis & verſuris, verſus *occid.* & *merid.* Fl. *Julio.*

## DACTYLIS. 80.

Dactylis (*glomeratus*) panicula ſecunda, glomerata. *L. S. N. p.* 875.

*Gramen ſpicatum, folio aſpero. C. B.*

H. in pratis, verſuris, cultis, ruderatis. Fl. *Junio.*

## AIRA. 75.

Aira (*criſtata*) panicula ſpicata, floribus muticis, pedunculo longioribus; glumis acuminatis, inaequalibus. *L. S. N. p.* 873.

*Gramen ſpica criſtata ſubhirſutum. C. B. Pr. p.* 8.

H. in verſuris, paſcuis, collibus. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun. poſt.*

Aira (*coerulea*) panicula coarctata, floribus pedunculatis, muticis, convoluto-ſubulatis, foliis planis. *L. S. N. p.* 873.

*Gramen arundinaceum minus ſylvaticum. C. B.*

H. in uliginoſis & pratis humidiuſculis: *vor Mosbach und Winterſtein.* Fl. *Aug.*

Aira (*aquatica*) foliis planis, panicula patente, floribus muticis, laevibus, calyce longioribus. *L. S. N. p.* 873.

*Gramen caninum, ſupinum, paniculatum, dulce. C. B.*

H. in inundatis: *bey der Spicke, um das Creuzburger Salzwerk, u. ſ. w.* Fl. *Julio.*

Aira

AIRA (*ceſpitoſa*) foliis planis, panicula patente, petalis baſi villoſis ariſtatisque; ariſta recta brevi. *L. S. N. p.* 873.

*Gramen ſegetum panicula arundinacea. C. B.*

H. in pratis fertilibus copioſiſſime. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun. poſt.*

AIRA (*flexuoſa*) foliis ſetaceis, culmis ſubnudis, panicula divaricata, pedunculis flexuoſis. *L. S. N. p.* 873.

*Gramen nemoroſum, paniculis albis, capillaceo folio. C. B.*

H. in ſylvis & paſcuis: e. g. *im Moſeerge und gegen Mittag in allen Waeldern.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{6}$ *Jul.*

## MELICA. 76.

MELICA (*ciliata*) petalis exterioribus ciliatis. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen avenaceum, lanuginoſum, montanum. C. B.*

H. in collibus: *an der Mittags-Seite des Rammesbergs.* ✱. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun. prior.*

MELICA (*nutans*) petalis imberbibus, panicula nutante, ſimplici. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen avenaceum montanum, locuſtis rubris. C. B.*

H. in nemoribus: *das Eichhoelzgen, gegen das Gefilde, um den Frommeshof und die Rangen, um Klasberg.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai. poſt.*

## POA. 77.

POA (*aquatica*) panicula diffuſa, ſpiculis ſexfloris, linearibus. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen paluſtre, paniculatum, altiſſimum. C. B.*

H. in ripis & foſſis: *im Stadtgraben hinter der Klemda, am Ammern Waſſer, beym Creuzberger Salzwerk.* ✛. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jul.* & $\frac{1}{3}$ *Aug.*

POA

Poa (*trivialis*) panicula diffuſa, ſpiculis trifloris, baſi pubeſcentibus, culmo erecto, tereti. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen pratenſe, paniculatum, medium. C. B.*

H. in pratis, verſuris, ruderatis. Fl. *Junio.*

Poa (*anguſtifolia*) panicula diffuſa, ſpiculis quadrifloris, pubeſcentibus, culmo erecto, tereti. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen pratenſe, paniculatum maius, anguſtiore folio. C. B.*

H. in pratis & verſuris. Fl. *Junio.*

Poa (*pratenſis*) panicula diffuſa, ſpiculis quinquefloris, glabris, culmo erecto, tereti. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen pratenſe, paniculatum, maius, latiore folio. Poa Theophraſti. C. B.*

H. in pratis, verſuris, ſylvis. Fl. *Junio* & ♃ *Jul.*

Poa (*annua*) panicula diffuſa, angulis rectis, ſpiculis obtuſis, culmo obliquo, compreſſo. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen pratenſe, paniculatum, minus. C. B.*

H. in cultis, pratis, inundatis. Fl. *aeſtate.*

Poa (*compreſſa*) panicula coarctata, ſecunda, culmo obliquo, compreſſo. *L. S. N. p.* 874.

*Gramen murorum radice repente. C. B.*

H. in collibus & arvis: *gegen Mitternacht und Morgen.* Fl. ♃ *Jun.* & *Jul.*

Poa (*nemoralis*) panicula attenuata, ſpiculis ſubbifloris, mucronatis, ſcabris, culmo incurvo. *L. S. N. p.* 874.

H. in ſylvis & nemoribus *ſuburbanis* paſſim. Fl. *Julio.*

## BRIZA. 78.

Briza (*media*) ſpiculis ovatis, calyce floſculis breviore. *L. S. N. p.* 875.

*Gramen tremulum, minus. C. B.*

H. in pratis, paſcuis, verſuris. Fl. *Junio.*

FE-

## FESTUCA. 82.

FESTUCA (*ovina*) panicula ſecunda coarctata, ariſtata, culmo tetragono, nudiuſculo, foliis ſetaceis. *L. S. N. p.* 876.
*Gramen foliis iunceis, brevibus maius, radice nigra. C. B.*
H. in collibus, rupibus, paſcuis. Fl. $\frac{1}{6}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

FESTUCA (*duriuſcula*) panicula nutante, inferne ramoſa, ſpicis adſcendentibus, hiſpidis, foliis ſetaceis. *L. S. N. p.* 876.
H. in paſcuis & pratis exſuccis. Fl. $\frac{1}{7}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

FESTUCA (*elatior*) panicula ſecunda erecta, ſpiculis ſubariſtatis; exterioribus teretibus. *L. S. N. p.* 876.
H. in pratis & verſuris. Fl. $\frac{1}{7}$ *Jun.* & $\frac{1}{6}$ *Jul.*

FESTUCA (*fluitans*) panicula ramoſa, erecta, ſpiculis ſubſeſſilibus, teretibus, muticis. *L. S. N. p.* 876.
*Gramen aquaticum, fluitans, multiplici ſpica. C. B.*
H. in inundatis & foſſis: e. g. *im Michelsbach, um die Spicke.*
Fl. $\frac{1}{8}$ *Mai.* & $\frac{1}{7}$ *Jun.*

FESTUCA (*rubra*) panicula ſecunda, ſcabra, ſpiculis ſex floris ariſtatis; floſculo ultimo mutico, culmo ſemitereti. *L. S. N. p.* 876.
H. in pratis ſuburbanis paſſim. Fl. $\frac{2}{7}$ *Jun.* poſt.

## BROMUS. 83.

BROMUS (*ſecalinus*) panicula patente, ſpiculis ovatis; ariſtis rectis. *L. S. N. p.* 877.
α) *Feſtuca graminea, glumis glabris. C. B.*
β) *Feſtuca graminea, glumis hirſutis.*
H. α) in pratis, verſuris; β) in agris paſſim. Fl. α & β) $\frac{2}{7}$ *Jun.* poſt.

BROMUS (*ſterilis*) panicula patula, ſpiculis oblongis, diſtichis, glumis ſubulato-ariſtatis. *L. S. N. p.* 877.
H. in agris ſiccioribus, arvis, collibus; *um die Michels-Kappe, am Wadenberge.* Fl. *Junio.*

Bromus (*arvenſis*) panicula nutante, ſpiculis ovato oblongis. *L. S. N. p.* 877.

*Feſtuca graminea iuba effuſa. C. B.*

H. in agris, arvis, campis: *am Wadenberge, beym dürren Hoff, gegen Hoezelsrode und Stockhaußen.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

Bromus (*tectorum*) panicula nutante ſpiculis linearibus. *L. S. N. p.* 877.

*Feſtuca avenacea, ſterilis humilior. C. B.*

H. in ſiccioribus & dumetis: *über Rammesborn am Wege.* Fl. *Julio.*

Bromus (*pinnatus*) culmo indiviſo, ſpiculis alternis, ſubſeſſilibus, teretibus. *L. S. N. p.* 877.

*α*). *Gramen ſpica brizae maius. C. B.*

*β*). *Gramen ſylvaticum, hirſutum, ſpica nutante. Dill. Cat. Giſſ. App.* p. 62.

H. *α*) in collibus: *Petersberg, Hoerſelberg, um das Gefilde, am Wadenberge* *β*). in nemoribus & ſepibus verſus *meridiem.* Fl. *α*) $\frac{1}{2}$ *Jun.* poſt. *β*) *Julio.*

## AVENA 85.

Avena (*elatior*) calycibus bifloris, floſculo hermaphrodito, mutico; maſculo ariſtato. *L. S. N. p.* 878.

H. in pratis: *an der Neſſe und Hoerſel.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & $\frac{1}{6}$ *Jul.*

Avena (*flaveſcens*) panicula laxa, calycibus trifloris brevibus, floſculis omnibus ariſtatis. *L. S. N. p.* 878.

H. in pratis, verſuris abunde. Fl. $\frac{1}{6}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Avena (*pratenſis*) calycibus quinquefloris, panicula ſpicata. *L. S. N. p.* 878.

H. in paſcuis & collibus: e. g. *im Hellthale, am Rammesberge, um das Gefilde, am Petersberge.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Mai.* & $\frac{1}{3}$ *Jun.*

ARUN-

## ARUNDO. 87.

ARUNDO (*phragmites*) calycibus quinquefloris, panicula laxa. *L. S. N. p.* 878.

*Arundo vulgaris ſive phragmites Dioſcor. C. B.*

H. in foſſis & rivulis: *im Stadtgraben*, *im Karthaus*, *im Michelsbach*, *unter dem Kloſterholze*, *u. ſ. w.* Fl. *Aug.*

ARUNDO (*epigeios*) calycibus unifloris, panicula erecta, foliis ſubtus glabris. *L. S. N. p.* 878.

H. in udis ſylvarum: *gegen Unkerrode* ✱. Fl. ½ *Jul.* & ½ *Aug.*

## LOLIUM. 90.

LOLIUM (*perenne*) ſpica mutica, radice perenni. *L. S. N. p.* 879.

α) *Gramen loliaceum, anguſtiori folio & ſpica. C. B.*

β) *Gramen loliaceum ſpica lata ex pluribus ſpicis, duplici fere verſu diſpoſitis, compoſita. Hall. Cat. Goetting. p.* 42.

H. α & β paſſim in pratis, verſuris, ruderatis. Fl. *Jun.* & *Jul.*

LOLIUM (*temulentum*) ſpica ariſtata, radice annua. *L. S. N. p.* 879.

*Gramen loliaceum ſpica longiore ſive Lolium Dioſc. C. B.*

H. in agris, praeſertim *hordeaceis*, copioſiſſime. Fl. *Junio.*

## HORDEUM 93.

HORDEUM (*murinum*) floſculis lateralibus maſculis, ariſtatis. *L. S. N. p.* 880.

α) *Gramen hordeaceum minus & vulgare. C. B.*

β) *Gramen ſecalinum Dill. Hall. Cat. Goetting. p.* 41.

H. α) in ruderatis & verſuris. β) in pratis fertilioribus: *an der Neſſe und Hoerſel.* Fl. α) aeſtate β) ⅔ *Jun.*

HORDEUM (*Gramen*) montanum, ſpica ſtrigoſiore, brevius ariſtata. *Hall. Cat. Goetting. p.* 42.

*Gramen ſecalinum, maius, ſylvaticum Rupp. Flor. Jen. p.* 306.
H. in nemoribus: *auf der Schmetten, um die Rangen, und den Klasberg.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.*

### TRITICUM. 94.

TRITICUM (*repens*) calycibus ſubulatis, trifloris, acuminatis. *L. S. N. p.* 880.
*Gramen caninum, arvenſe, ſive gramen Dioſcor. C. B.*
H. in agris & verſuris. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jul.*

TRITICUM (*caninum*) calycibus ſubulatis, quadrifloris, ariſtatis. *L. Sp. Pl. p.* 86.
H. in verſuris & ſepibus: *beſonders gegen Mitternacht.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

### CYNOSURUS. 81.

CYNOSURUS (*criſtatus*) bracteis pinnatifidis. *L. S. N. p.* 875.
*Gramen pratenſe, criſtatum, ſive ſpica criſtata laevi. C. B.*
H. in pratis, paſcuis, verſuris. Fl. *Julio.*

CYNOSURUS (*coeruleus*) bracteis integris. *L. S. N. p.* 875.
*Gramen glumis variis. C. B.*
H. in collibus & rupibus: *über Eichrodt, am Hoerſelberge, über dem Kohlberg gegen Mosbach hin.* +. Fl. *April.*

*Trigynia.*

### HOLOSTEUM. 98.

HOLOSTEUM (*umbellatum*) floribus umbellatis. *L. S. N. p.* 881.
*Carophyllus arvenſis, umbellatus, folio glabro. C. B.*
H. in arvis, agris cultis; e. g. *um die Wartenburg und Viehburg, auf den Berglaendern, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{2}$ *April.* & $\frac{1}{3}$ *Mai.*

### MONTIA. 96.

MONTIA (*fontana*) *L. S. N. p.* 881.
H. in fontibus: *im Wolfgange, bey dem Heil. Geiſt, und im Bache über Ruhl.* +. Fl. *Julio.*

CLAS-

# CLASSIS IV.

## TETRANDRIA.

### *Monogynia.*

### DIPSACUS. 107.

Dipsacus (*fullonum*) foliis ſeſſilibus, ſerratis. *L. S. N. p.* 888.
*Dipſacus ſylveſtris, aut virga paſtoris maior.* C. B. *Kartendiſtel.*
H. in verſuris, campis, ruderatis paſſim. Fl. $\frac{1}{4}$ *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

Dipsacus (*piloſus*) foliis petiolatis, adpendiculatis. *L. S. N. p.* 888.
*Dipſacus ſylveſtris capitulo minore, vel virga paſtoris minor. C. B.*
H. in nemoribus & dumetis: *am Taſchengehaege, um die Wartenburg, und die Stedtfelder-Bergwerke.* +. Fl. *Auguſto.*

### SCABIOSA. 108.

Scabiosa (*ſucciſa*) corollis quadrifidis, aequalibus, caule ſimplici, ramis adproximatis, foliis lanceolato-ovatis. *L. S. N. p.* 888. *Abbiſſ.*
*Succiſa glabra & hirſuta. C. B.*
H. in marginibus ſylvarum & nemorum: *Kohlberg, Moſeberg, Kloſterholz, im Joh. Thal.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Aug.* & $\frac{1}{2}$ *Sept.*

Scabiosa (*arvenſis*) corollulis quadrifidis, radiantibus, caule hiſpido, foliis pinnatifidis, inciſis. *L. S. N. p.* 889. *Scabioſen.*
*Scabioſa pratenſis hirſuta, quae officinarum. C. B.*
H. in pratis fertilibus & verſuris. Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.-Aug.*

Scabiosa (*columbaria*) corollulis quinquefidis, radiantibus, foliis radicalibus ovatis, crenatis, caulinis pinnatis, ſetaceis. *L. S. N. p.* 889.
*Scabioſa capitulo globoſo maior & minor. C. B.*
H. *Var. maior gegen das Gefilde und am Fiſchbacher Wege.* *. *Var. minor paſſim in collibus & paſcuis: in den Thaelern.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jul. & Aug.*

## PLANTAGO. 138.

PLANTAGO (*maior*) foliis ovatis, glabris, ſcapo tereti, ſpica floſculis imbricatis. *L. S. N. p.* 895. *Wegbreiten.*
*Plantago latifolia, glabra & maior. C. B.*
H. in pratis, cultis, ruderatis. Fl. *Jun.-Aug.*

PLANTAGO (*media*) foliis ovato-lanceolatis, pubeſcentibus, ſpica cylindrica, ſcapo tereti. *L. S. N. p.* 895.
*Plantago latifolia, incana. C. B.*
H. in cultis, pratis, verſuris ubique. Fl. *aeſtate.*

PLANTAGO (*lanceolata*) foliis lanceolatis, ſpica ſubovata, nuda, ſcapo angulato. *L. S. N. p.* 895. *Schmale Wegebreiten.*
*Plantago anguſtifolia minor. C. B.*
H. in paſcuis, pratis, verſuris. Fl. *tota aeſtate.*

## SANGVISORBA. 136.

SANGVISORBA (*officinalis*) ſpicis ovatis. *L. S. N. p.* 897.
*Pimpinella ſanguiſorba maior. C. B.*
H. in pratis udis: *die Schlotwieſen, am Inſelberg über Winterſtein.* +. Fl. *Julio.*

## GALIUM 117.

GALIUM (*paluſtre*) foliis quaternis, obovatis, inaequalibus, caulibus diffuſis. *L. S. N. p.* 891.
H. in uliginoſis & foſſulis: *unter dem Kloſterholze im Michelsbache, im Joh. Thal.* +. Fl. ½ *Jun.* & ½ *Jul.*

GALIUM (*uliginoſum*) foliis ſenis, lanceolatis, retrorſum ſerrato-aculeatis, mucronatis, rigidis, corollis fructu maioribus. *L. S. N. p.* 892.
H. in uliginoſis & foſſis: *hinter der Klemda und gegen Stedtfeld.* +. Fl. ¼ *Jun.-Aug.*

GALIUM (*ſpurium*) foliis ſenis, lanceolatis, carinatis, ſcabris, retrorſum aculeatis, geniculis ſimplicibus, fructibus glabris. *L. S. N. p.* 892.

*Gla-*

*Galium foliis ſenis & novenis ſubaſperis, ſpinula terminatis. Hall. Cat. Goetting. p.* 189.

H. in collibus & paſcuis: *um Wartenburg, Viehburg, in den Thaelern.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Galium (*ſaxatile*) foliis ſenis obovatis, obtuſis, caule ramoſiſſimo, procumbente. *L. S. N. p.* 892.

H. in ſylvarum locis ſubhumidis: *bey dem Rühlerhaeusgen beſonders in der Alleé.* ♃. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Galium (*verum*) foliis octonis, linearibus, ſulcatis, ramis floriferis brevibus. *L. S. N. p.* 892.

*Galium luteum. C. B.*

H. in verſuris & paſcuis: *bey Streckda, Trenkelhoff, Wartenburg, u. ſ. w.* Fl. *Julio.*

Galium (*Mollugo*) foliis octonis, ovatis, linearibus, ſubſerratis, patentiſſimis, mucronatis, caule flaccido, ramis patentibus. *L. S. N. p.* 892.

*Mollugo montana, latifolia, ramoſa. C. B.*

H. in ſylvis & nemoribus: *im Kloſterholze, u. ſ. w.* Fl. *Julio.*

Galium caule quadrangulo, foliis octonis, glabris, acuminatis. *Hall. Cat. Goetting. p.* 189.

*Mollugo montana anguſtifolia, vel Galium album latifolium. C. B.*

H. in ſepibus, dumetis, pratis. Fl. *Julio.*

Galium (*glaucum*) foliis verticillatis, linearibus, pedunculis dichotomis, ſummo caule floriferis. *L. S. N. p.* 892.

*Galium caule recto, foliis ſenis, inferne canaliculatis. Hall. Cat. Goetting. p.* 189.

H. in collibus & rupibus: *Kielforſt, in den Weinbergen, bey Eichrodt, in den Hirſchhoernern, über Burbach.* ♃. Fl. $\frac{1}{4}$ *Mai.* & $\frac{1}{6}$ *Jun.*

Galium (*boreale*) foliis quaternis, lanceolatis, trinerviis, glabris, caule erecto, ſeminibus hiſpidis. *L. S. N. p.* 892.

H. in collibus dumoſis: *über Fiſchbach und zwiſchen Schwarzhauſen und Caberts, auf der Wieſe.* ✳. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* - *Jul.*

Ga-

Galium (*Aparine*) foliis octonis, lanceolatis, carinatis, ſcabris, retrorſum aculeatis, geniculis villoſis, fructibus hiſpidis. *L. S. N. p.* 892. *Klebrich.*

*Aparine vulgaris.* C. B.

H. in cultis & ad ſepes abunde. Fl. *Mai.* & *Jun.*

## ASPERULA. 113.

Asperula (*odorata*) foliis octonis, lanceolatis, florum faſciculis pedunculatis. *L. S. N. p.* 891.

*Aſperula ſive Rubeola montana odorata.* C. B. *Waldmeiſter.*

H. in nemoribus: *um den Klasberg bey den Bergwerken, am Vecherberg, neben der Weinſtraſſe, auf dem Kielforſt.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Mai.* & $\frac{1}{6}$ *Jun.*

Asperula (*arvenſis*) foliis ſenis, floribus ſeſſilibus, terminalibus, aggregatis. *L. S. N. p.* 891.

*Aſperulea coerulea.* C. B.

H. in agris collium verſus *Orient.* & *Septentr.*: *um den Trenkelhoff, Lupniz, bey Neukirchen, Itterode, u. ſ. w.* Fl. $\frac{3}{4}$ *Jun.*

Asperula (*cynanchica*) foliis quaternis, linearibus, ſuperioribus oppoſitis, caule erecto, floribus quadrifidis. *L. S. N. p.* 891.

*Galium album, minus.* C. B.

H. in collibus & pascuis: *am Goldberge, unter dem Galgen, über dem Rothenhof, am Hoerſelberge.* ♃. Fl. $\frac{3}{4}$ *Aug.* & $\frac{1}{6}$ *Sept.*

## SCHERARDIA. 112.

Scherardia (*arvenſis*) foliis omnibus verticillatis, floribus terminalibus. *L. S. N. p.* 890.

*Aſperula hexaphyllos, purpurea.* C. B.

H. in arvis & agris, praeſertim *ſecalinis.* Fl. *Jul.* & *Aug.*

COR-

## CORNUS. 139.

CORNUS (*maſcula*) arborea, umbellis involucrum aequantibus. *L. S. N. p.* 897.

*Cornus ſylveſtris & hortenſis mas. C. B. Maulbeer* falſo.

H. ſponte *in der Epgenneller Hecke, und in den Obſtgaerten.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Febr.* & $\frac{1}{3}$ *Mart.*

CORNUS (*ſanguinea*) arborea, cymis nudis. *L. S. N. p.* 897.

*Cornus femina. C. B.*

H. in campis, collibus, ſepes conſtituit. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.*

## ALCHEMILLA. 153.

ALCHEMILLA (*vulgaris*) foliis lobatis. *L. S. N. p.* 900. *Frauenmantel.*

*Alchemilla vulgaris. C. B.*

H. in pratis praeſertim ſylveſtribus: e. g. *im Hellthal, im Kloſterholze.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai.* - $\frac{1}{2}$ *Jun.*

### *Digynia.*

## CUSCUTA. 156.

CUSCUTA (*Europaea*) floribus ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 900. *Seidenflachs.*

*Cuscuta maior. C. B.*

H. in cultorum ſepibus: *im Taſchengehaege, nach der Papiermühle zu, am Rammesberge, hinter der Mey ... ei.* +. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jul.* & *Aug.*

## APHANES. 154.

APHANES (*arvenſis*) *L. S. N. p.* 900.

*Chaerophyllo non nihil ſimilis. C. B.*

H. in agris & arvis, collium; e. g. *am Rammesberge, um den dürren Hoff, gegen Mosbach, Wenigen Lupniz.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* - *Aug.*

*Tetragynia.*

### SAGINA. 162.

Sagina (*procumbens*) ramis procumbentibus. *L. S. N. p.* 902.
*Alſine minima, flore fugaci. C. B.*
H. in arvis & ruderatis: *auf den Berglaendern, Rammesberge, Wadenberge, Goldberge, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.-Aug.*

Sagina (*erecta*) caule erecto, ſubunifloro. *L. S. N. p.* 902.
*Alſine montana capillaceo folio. C. B.*
H. in paſcuis: *im Georgen-Thal, bey den Steinbrüchen, an der Mitternacht-Seite des Goldbergs, gegen den Galgen hin, bey dem gehauenen Stein, rechter Hand.* ✱. Fl. $\frac{1}{5}$ *Apr. poſt.*

### POTAMOGETON. 160.

Potamogeton (*natans*) foliis oblongo-ovatis, petiolatis, natantibus. *L. S. N. p.* 901.
*Potamogeton rotundifolium. C. B.*
H. in Stagnis: *vor Mosbach, bey Atchenbacb, Wilhelms-Thal, am Knoepfelberge.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Potamogeton (*criſpum*) foliis lanceolatis, alternis, undulatis, ſerratis. *L. S. N. p.* 901.
*Potamogeton foliis criſpis, ſive Lactuca ranarum. C. B.*
H. in fluviis: *Michelsbach, Neſſe, Hoerſel.* Fl. $\frac{2}{5}$ *Jun. poſt.*

Potamogeton (*puſillum*) foliis linearibus, oppoſitis, alternisque diſtinctis, baſi patentibus, caule tereti. *L. S. N. p.* 902.
H. in foſſa: *die ſchwarze Pfüze.* ✝. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

# CLASSIS V.

## PENTANDRIA.

*Monogynia.*

### ECHIUM. 175.

Echium (*vulgare*) caule ſimplici, erecto, foliis caulinis, lanceolatis, hiſpidis, floribus ſpicatis, lateralibus. *L. S. N. p.* 916.
*Echium vulgare. C. B.*

H. in

H. in collibus, campis, arvis, ruderatis. Fl. *Julio.*

## PULMONARIA. 169.

PULMONARIA (*officinalis*) foliis radicalibus, ovato-cordatis, ſcabris. *L. S. N. p.* 914. *Lungenkraut.*

α) *Symphytum maculoſum, ſive Pulmonaria latifolia. C. B.*

β) *Pulmonaria non maculoſo folio. C. B.*

H. α) *bey der Joh. Kirche.* ✱. β) in nemoribus: *unter dem Kloſterholze, um den Klasberg, auf der Schmetten.* Fl. *Apr.*

## LITHOSPERMUM. 166.

LITHOSPERMUM (*arvenſe*) ſeminibus rugoſis, corollis vix calycem ſuperantibus. *L. S. N. p.* 913.

*Lithoſpermum arvenſe, radice rubra. C. B.*

H. in arvis & agris collium: *gegen Morgen und Mitternacht.* Fl. ½ *Mai.* - *Jun.*

LITHOSPERMUM (*purpureo-coeruleum*) ſeminibus laevibus, corollis calycem multoties ſuperantibus. *L. S. N. p.* 914.

*Lithoſpermum minus repens, latifolium. C. B.*

H. in collium dumetis: *in den Hirſchhoernern, auf dem Hoerſelberge, über Eichrodt, in den Weinbergen.* Fl. ½ *Mai.* - ½ *Junii.*

## SYMPHYTUM. 170.

SYMPHYTUM (*officinale*) foliis ovato-lanceolatis, decurrentibus. *L. S. N. p.* 915.

*Conſolida maior offic. C. B. Schwarzwurzel.*

H. in pratis humidiuſculis; *an der Neſſe, u. ſ. w.* Fl. ½ *Mai.* - *Aug.*

## BORAGO. 172.

BORAGO (*officinalis*) foliis omnibus alternis, calycibus patentibus. *L. S. N. p.* 915. *Boragen.*

*Bugloſſum latifolium. C. B.*

H. in fimetis, cultis. ✛. Fl. *Julio.*

## LYCOPSIS. 174.

Lycopsis (*arvenſis*) foliis lanceolatis, hiſpidis, calycibus floreſcentibus erectis. *L. S. N. p.* 916.

*Bugloſſum ſylveſtre minus. C. B.*

H. in agris: *am Rammesberge, gegen Streckda, u. ſ. w.* Fl. *Julio* & ½ *Aug.*

## CYNOGLOSSUM. 168.

Cynoglossum (*officinale*) ſtaminibus corolla brevioribus, foliis lato-lanceolatis, tomentoſis, ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 914. *Hundszunge.*

*Cynogloſſum maius vulgare. C. B.*

H. in ruderatis, campis, paſſim circa pagos. Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

## MYOSOTIS. 165.

Myosotis (*ſcorpioides*) ſeminibus nudis, foliis apicibus calloſis. *L. S. N. p.* 913.

α) *Echium ſcorpioides paluſtre. C. B.*

β) *Echium ſcorpioides arvenſe. C. B.*

H. α) in foſſulis & rivulis: *Michelsbach, unter dem Kloſterholze, u. ſ. w.* β) in arvis, agris, nemoribus. Fl. α) *Mai. - Jun.* β) *Mai. - Sept.*

## ANAGALLIS. 189.

Anagallis (*arvenſis*) foliis indiviſis, caule procumbente. *L. S. N. p.* 920.

α) *Anagallis flore phoeniceo. C. B.*

β) *Anagallis flore coeruleo. C. B.*

H. α) & β) in cultis, agris, avis praeſertim; *am Petersberge.* Fl. *Julio.*

LYSI-

## LYSIMACHIA. 188.

LYSIMACHIA (*vulgaris*) paniculata, racemis terminalibus. *L. S. N. p.* 919.

*Lyſimachia lutea, maior, quae Dioſc. C. B.*

H. in ripis, praeſ. uliginoſis: *bey den Siebenbrun, bey dem Creuzburger Salzwerke, am Gaak, zwiſchen Mosbach und Ruhl auf den Wieſen, vor Farnrode, unter dem Inſelsberg.* Fl. ½ *Jul.* & ½ *Aug.*

LYSIMACHIA (*nemorum*) foliis ovatis, acutis, floribus ſolitariis, caule procumbente. *L. S. N. p.* 919.

*Anagallis lutea nemorum. C. B.*

H. in nemoribus & ſylvis caeduis; *im Walde nach Mosbach, um das Rühlerhaeusgen, beym Rühler Kohlenbergwerk, unter dem Inſelberg gegen Abend.* Fl. *Julio* & ultimo loco ultra med. *Auguſt.*

LYSIMACHIA (*nummularia*) foliis ſubcordatis, floribus ſolitariis, caule repente. *L. S. N. p.* 920.

*Nummularia maior, lutea. C. B. Pfennigkraut.*

H. in nemoribus & pratis humidulis, item pone ſepes. Fl. *Julio.*

## PRIMULA. 180.

PRIMULA (*veris*) foliis dentatis, rugoſis. *L. S. N. p.* 918. *Schlüſſelblume.*

*Verbaſculum pratenſe odoratum. C. B.*

H. in pratis fertilioribus, editis. Fl. ½ *Apr.* & ½ *Mai.*

PRIMULA foliis rugoſis, hirſutis, ſpica inclinata, flore pallido, inodoro. *Hall. Cat. Goetting. p.* 483.

*Verbasculum pratenſe vel ſylveſtre, inodorum. C. B.*

H. in nemoribus: *am Rande des Kloſterholzes, um die Bergwerke, zwiſchen Stedtfeld und Klosberg.* Fl. ¾ *Apr.* & ½ *Mai.*

## MENYANTHES. 185.

MENYANTHES (*trifoliata*) foliis ternatis. *L. S. N. p.* 919. *Bitterklee.*

*Trifolium paluſtre.* C. B.

H. in paludibus & vliginoſis: *bey Itterode im Sumpf, und hinten im Joh. Thal, bey Oberellen, zwiſchen Wenigen Lupniz und Meelborn.* Fl. ½ *Mai. - Jun.*

*) Nectarium: *annulus glanduloſus, baſin germinis cingens.*

## CONVOLVULUS. 198.

CONVOLVULUS (*arvenſis*) foliis ſagittatis, utrinque acutis, pedunculis unifloris. *L. S. N. p.* 922.

*Convolvulus minor arvenſis flore roſeo.* C. B.

H. in agris circa urbem & pagos. Fl. ¼ *Jul.* & *Aug.*

CONVOLVULUS (*ſepium*) foliis ſagittatis poſtice truncatis, pedunculis tetragonis, unifloris. *L. S. N. p.* 922.

*Convolvulus maior, albus.* C. B.

H. in cultis, ſepibus, ſalicetis: *am Taſchengehaege, bey der Pulvermühle, u. ſ. w.* Fl. *Aug.* & ¼ *Sept.*

## DATURA. 218.

DATURA (*Stramonium*) pericarpiis ſpinoſis, erectis, ovatis. *L. S. N. p.* 932.

*Solanum foetidum, pomo ſpinoſo, oblongo.* C. B. Male *Schwarzkümmel.*

H. in fimetis & ruderatis. ⚹. Fl. ½ *Aug. priore.*

## HYOSCYAMUS. 219.

HYOSCYAMUS (*niger*) foliis amplexicaulibus. *L. S. N. p.* 932. *Bilſenkraut.*

*Hyoſcyamus vulgaris, vel niger.* C. B.

H. in fimetis, ruderatis, praeſertim pagorum. Fl. *Jun. - Aug.*

## VERBASCUM. 219.

VERBASCUM (*Thapſus*) foliis ovatis, decurrentibus, utrinque tomentoſis. *L. S. N. p.* 931. *Koenigskerzen.*

*Ver-*

*Verbaſcum mas, latifolium luteum. C. B.*

H. in ſylvis caeduis & ruderatis: *um die Michelskuppe, um Klasberg, auf der Schmetten, um die Weinſtraſſe.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & *Aug.*

VERBASCUM (*Lychnitis*) foliis cuneiformi-oblongis. *L. S. N. p.* 931.

*Verbaſcum flore albo parvo. C. B.*

H. in collibus & campis: *über Burbach gegen den Hoerſelberg, neben der Hahngaſſe im Joh. Thal.* ✱. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & $\frac{1}{4}$ *Aug.*

VERBASCUM (*nigrum*) foliis cordato-oblongis, petiolatis. *L. S. N. p.* 931.

*Verbaſcum flore ex luteo purpuraſcente. C. B.*

H. in ſylvis caeduis & ruderatis: *auf der Schmetten bey Unkerrode, um Wartenburg, Michelskuppe, Viehburg.* Fl. *Julio* & $\frac{1}{4}$ *Aug.*

## VINCA. 261.

VINCA (*minor*) caulibus procumbentibus, foliis lanceolato-ovatis. *L. S. N. p.* 949.

*Clematis daphnoides, minor. C. B.*

H. in nemoribus: *bey der Joh. Kirche, um die Stedtfelder Bergwerke, nach Klasberg hin, gegen die Wartenburg.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Apr.* & $\frac{1}{2}$ *Mai.*

## SOLANUM. 224.

SOLANUM (*Dulcamara*) caule inermi frutescente flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, racemis cymoſis. *L. S. N. p.* 934.

*Solanum ſcandens ſeu Dulcamara. C. B.*

H. in ripis: *Michelsbach, Neſſe, Hoerſel.* ✛. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & *Jul.*

SOLANUM (*nigrum*) caule inermi, herbaceo, foliis ovatis, dentato-angulatis, umbellis nutantibus. *L. S. N. p.* 934. *Nachtſchatten.*

*Solanum officinarum, acinis nigricantibus C. B.*

H. in fimetis, ruderatis, cultis. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul. ad finem aeſtat. uſque.*

PHY-

## PHYSALIS. 223.

PHYSALIS (*Alkekengi*) foliis geminis, integris acutis, caule inferne ſubramoſo. *L. S. N. p.* 933. *Judenkirſchen.*

*Solanum veſicarium. C. B. Pin. p.* 166.

H. in collibus & verſuris: *an der Mittagsſeite des Rammesbergs, gegen Hoerſel über, am Berge, am Hoerſelberg, über Kahlenberg, im Kramthal* +. Fl. $\frac{1}{6}$ *Mai. & Jun.*

## ATROPA. 222.

ATROPA (*Belladonna*) caule herbaceo, foliis ovatis, integris. *L. S. N. p.* 933.

*Solanum* μελανοκερασος. *C. B. Toller Nachtſchatten.*

H. in ſylvis caeduis & nemoribus: *bey der Hohen Sonne, um den Klasberg, auf der Schmetten, beym Frommerhoff.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.-Oct.*

## PHYTEVMA. 203.

PHYTEVMA (*orbicularis*) capitulo ſubrotundo, foliis ſerratis, radicalibus cordatis. *L. S. N. p.* 928.

*Rapunculus folio oblongo, ſpica orbiculari. C. B.*

H. in pratis humidulis: *auf der Schlotwieſe, unter der Spitze des Inſelbergs.* Fl. $\frac{1}{7}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

PHYTEVMA (*ſpicata*) ſpica oblonga, capſulis bilocularibus, foliis radicalibus, cordatis. *L. S. N. p.* 928. *Herzkraut.*

*Rapunculus ſpicatus. C. B.*

H. in nemoribus & pratis ſylveſtribus: *um Wartenburg, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

## CAMPANULA. 201.

CAMPANULA (*rotundifolia*) foliis radicalibus, reniformibus, caulinis linearibus. *L. S. N. p.* 925.

H. in pratis & paſcuis praeſertim editioribus. Fl. ½ *Jul. ad finem aeſtatis usque.*

CAMPANULA (*patula*) foliis ſtrictis, radicalibus lanceolato-ovalibus, panicula patula. *L. S. N. p.* 925.

*Rapunculus nemoroſus, anguſtifolius, parvo flore. C. B.*

H. in pratis, pomariis, ſylvis: *um Wartenburg, Viehburg, gegen das Gefilde.* Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

CAMPANULA (*Rapunculus*) foliis undulatis; radicalibus lanceolato-ovalibus, panicula coarctata. *L. S. N. p.* 925.

*Rapunculus esculentus. C. B.*

H. in verſuris & paſcuis: *unter dem Kloſterholz, zwiſchen Lengroeden und Creuzburg, gegen dem Moſeberg.* Fl. *Julio* & ½ *Aug.*

CAMPANULA (*perſici folio*) foliis radicalibus obovatis, caulinis lanceolato-linearibus, ſubſerratis, ſeſſilibus remotis. *L. S. N. p.* 926.

*Rapunculus perſici folio magno flore. C. B.*

H. in ſylvis & nemoribus: *um Wartenburg, auf dem Geiskück, bey Klasberg, im Hoerſelberge.* Fl. ½ *Jun.* ad *Aug.*

CAMPANULA (*Rapunculoides*) foliis cordato-lanceolatis, caule ramoſo, floribus ſecundis, ſparſis. *L. S. N. p.* 926.

*Campanula hortenſis rapunculi radice. C. B.*

H. in agris & cultis. Fl. *Jul.* & ½ *Aug.*

CAMPANULA (*Trachelium*) caule angulato, foliis petiolatis, calycibus ciliatis, pedunculis trifidis. *L. S. N. p.* 926.

*Campanula vulgatior, foliis urticae, maior & aſperior. C. B.*

H. in nemoribus & ſylvis verſus *meridiem.* Fl. ½ *Jun.* & *Jul.*

CAMPANULA (*glomerata*) caule angulato, ſimplici, floribus ſeſſilibus, capitulo terminali. *L. S. N. p.* 926.

*Campanula pratenſis flore conglomerato. C. B.*

H. in paſcuis & collibus: *um den Hoerſelberg, über Wenigen Lupniz, jenſeit Schmeerbach, um Petersberge über Fiſchbach.* ✝. Fl. *Julio.*

Campanula (*cervicaria*) hiſpida, floribus ſeſſilibus, capitulo terminali, foliis lanceolato-linearibus, undulatis. *L. S. N. p.* 926.

*Campanula foliis echii. C. B. Pr. p.* 36.

H. in nemoribus: *unter dem Kloſterholze, an der Stedtfelder Graenze, bey der Ruhler Steinkohlen-Grube.* ⚹. Fl. ½ *Jul.-Aug.*

## LONICERA. 210.

Lonicera (*Periclymenum*) capitulis ovatis, imbricatis, terminalibus, foliis omnibus diſtinctis. *L. S. N. p.* 929.

*Periclymenum non perfoliatum. C. B.*

H. in ſepibus ſuburbanorum hortorum hinc inde *ſpontanea?* Fl. *Jul.* & ½ *Aug.*

Lonicera (*Xyloſteum*) pedunculis bifloris, baccis diſtinctis, foliis integerrimis pubeſcentibus. *L. S. N. p.* 929.

*Chamoceraſus dumetorum, fructu gemino, rubro. C. B.*

H. in dumetis, ſepibus, nemoribus paſſim. Fl. ½ *Mai. poſt.*

## RHAMNUS. 235.

Rhamnus (*catharcticus*) ſpinis terminalibus, floribus quadrifidis, dioiciis. *L. S. N. p.* 937. *Creuzbeer.*

*Rhamnus catharcticus. C. B.*

H. in campis, collibus: *Rammesberg, Petersberg, bey der Pulvermühle.* Fl. ¼ *Mai.* & ⅙ *Jun.*

*) *Polygamia dioicia.*

Rhamnus (*Frangula*) inermis, floribus monogynis, hermaphroditis, foliis integerrimis. *L. S. N. p.* 937.

*Alnus nigra baccifera. C. B.*

H. in

H. in nemoribus: *Kohlberg*, *Moſeberg*, *Eichhoelzchen*, *um das Gefilde*, *u. ſ. w.* Fl. *Mai.* & $\frac{1}{6}$ *Jun.*

## EVONYMUS. 240.

EVONYMUS (*Europaeus*) floribus plerisque quadrifidis. *L. S. N. p.* 939.

*Evonymus vulgaris, granis rubentibus. C. B.*

H. in ſepibus cultorum & dumetis hinc inde. ♃. Fl. *Mai.* & $\frac{1}{5}$ *Jun.*

*) *Tetrandria monogynia.*

## RIBES. 247.

RIBES (*rubrum*) inerme, racemis glabris pendulis, floribus planiuſculis. *L. S. N. p.* 941. *Johannisbeeren.*

*Groſſularia multiplici acino, ſive Ribes officinarum. C. B.*

H. in cultorum ſepibus: e. g. *im Joh. Thal. Spontanea?* Fl. $\frac{1}{5}$ *Apr.* & $\frac{1}{5}$ *Mai.*

RIBES (*alpinum*) inerme, racemis erectis; bracteis flore longioribus. *L. S. N. p.* 941. *Meelbeere*, *Gichtbaum.*

*Groſſularia vulgaris, fructu dulci. C. B.*

H. in ſepibus & dumetis, praeſertim verſus *meridiem*. Fl. $\frac{1}{4}$ *Apr.* & $\frac{1}{5}$ *Mai.*

*) Fr. *dioicius.*

RIBES (*nigrum*) inerme, racemis piloſis, floribus oblongis. *L. S. N. p.* 941.

*Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro, maiore. C. B.*

H. in ripis: *in Winterſtein und in der Ruhl.* ♃. Fl. $\frac{1}{4}$ *Apr.* & $\frac{1}{5}$ *Mai.*

RIBES (*groſſularia*) ramis aculeatis, petiolorum ciliis piloſis, baccis hirſutis. *L. S. N. p.* 941. *Stachelbeeren.*

*Groſſularia ſpinoſa, ſativa, altera, foliis latioribus. C. B.*

H. in rupibus collibusque: *gegen Wartenburg.* ♃. Fl. $\frac{1}{4}$ *Apr.* & $\frac{1}{4}$ *Mai.*

RIBES (*Uva criſpa*) ramis aculeatis, baccis glabris, pedicellis, bractea monophylla. *L. S. N. p.* 941. *Stachelbeeren.*

*Groſſularia ſimplici acino ſive ſpinoſa ſylveſtris.* C. B.
H. in rupibus, muris, collibus. Fl. *Aprili.*

### HEDERA. 249.

HEDERA (*Helix*) foliis ovatis, lobatisque. *L. S. N. p.* 941. *Eppig.*
*Hedera arborea.* C. B.
H. in ſylvis montoſis: *im Kloſterholze, gegen die Hohe Sonne; florentem* reperi *an der Mauer in der Wiegert bey dem Marienſtift.* Fl. *Octobr.*

### GLAUX. 257.

GLAUX (*maritima*) *L. S. N. p.* 943. C. B.
H. in Salinis Cruciburgenſibus. Fl. *Junio.*

### THESIUM. 258.

THESIUM (*linophyllum*) panicula foliata, foliis linearibus. *L. S. N. p.* 943.
*Linaria montana, floſculis albicantibus.* C. B.
H. in prato montano: *unter dem Inſelberg über der Schlotwieſe.* ✱. Fl. *Julio.*

*Digynia.*

### ASCLEPIAS. 270.

ASCLEPIAS (*Vincetoxicum*) foliis ovatis, baſi barbatis, caule erecto, umbellis proliferis. *L. S. N. p.* 947. *Schwalbenwurzel.*
*Aſclepias albo flore.* C. B.
H. in collibus: *vom Kielſorſt bis an den Hoerſelberg.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & $\frac{2}{3}$ *Jun.*

### GENTIANA. 285.

GENTIANA (*Centaurium*) corollis quinquefidis, infundibuliformibus, caule dichotomo. *L. S. N. p.* 952.

c) Cen-

*α) Centaurium minus. C. B. Tauſendgüldenkraut.*

*β) Centaurium minus, paluſtre, ramoſiſſimum. Vaill.*

H. α) in pratis exſuccis, pascuis: *unter dem Kloſterholze, über dem Kramthal im Moſeberge gegen Morgen, am Rande des Heiligenholzes, über Wenigen Lupniz.* ✝. β) in pratis humidulis: *am Mosbacher Wege, in der güldnen Aue, bey dem Kreuzburger Salzwerk.* Fl. α) *Jul.* β) *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

GENTIANA (*Amarella*) corollis quinquefidis, hypocrateriformibus, fauce barbatis. *L. S. N. p.* 952.

*Gentiana pratenſis, flore lanuginoſo. C. B.*

H. in pascuis: *um das Gefilde, um den Madelſtein, um das Heiligenholz, auf dem Hoerſelberge.* ✝. Fl. $\frac{1}{2}$ *Aug. & Sept.*

GENTIANA (*ciliata*) corollis quadrifidis, margine ciliatis. *L. S. N. p.* 952.

*Gentiana coerulea oris piloſis. C. B.*

H. in collibus dumoſis: *um das Gefilde, die Rangen, über Burbach, um das Heiligenholz auf dem Hoerſelberg.* ✝. Fl. $\frac{1}{2}$ *Aug.* & $\frac{1}{2}$ *Sept.*

GENTIANA (*Cruciata*) corollis quadrifidis, imberbibus, floribus verticillatis, ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 952. *Creuzwurzel.*

*Gentiana minor ſeu vulgi Cruciata. C. B.*

H. in collibus: *bey dem Gefilde gegen Mitternacht, am Petersberg gegen Mittag, über dem Kramthal in den Gaerten.* ✱. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul. pr.*

## CHENOPODIUM. 273.

CHENOPODIUM (*Bonus Heinricus*) foliis triangulari-ſagittatis, integerrimis. *L. S. N. p.* 947.

*Lapathum unctuoſum, folio triangulo. C. B.*

H. in ruderatis, cultis, fimetis. Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai. ad finem Sept.*

CHENOPODIUM (*rubrum*) foliis cordato-triangularibus, obtuſiusculis, dentatis, racemis erectis, compoſitis, ſubfolioſis, caule brevioribus. *L. S. N. p* 948.

H. in cultis, ruderatis, humidulis: *auf der Klemda, Jacobsplan, am Steige bey dem Creuzburger Salzwerk.* +. Fl. *Auguſto.*

CHENOPODIUM (*album*) foliis rhomboideo-triangularibus, eroſis, poſtice integris, ſummis oblongis, racemis erectis. *L. S. N. p.* 948.

*Atriplex ſylveſtris, folio ſinuato, candicante. C. B.*

H. in cultis, agris, fimetis. Fl. *tota aeſtate.*

CHENOPODIUM (*viride*) foliis rhomboideis dentatis ſinuatis, racemis ramoſis, ſubnudis. *L. S. N. p.* 948.

*Atriplex ſylveſtris, latifolia. C. B.*

H. in fimetis, ruderatis, cultis: *auf der Klemda, Spicke, bey der Ziegelhütte.* Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

CHENOPODIUM (*hibridum*) foliis cordatis, angulato acuminatis, racemis ramoſis, nudis. *L. S. N. p.* 947.

*Atriplex ſylveſtris latifolia acutiore folio. C. B.*

H. in cultis, fimetis, ruderatis. Fl. ⅓ *Jul.* & *Aug.*

CHENOPODIUM (*glaucum*) foliis ovato-oblongis, repandis, racemis nudis, ſimplicibus, glomeratis. *L. S. N. p.* 948.

H. in fimetis & ruderatis: *im Grimmelbach, am Steige, auf dem Jacobsplan, haeufig in Schweina.* +. Fl. ⅕ *Jul.* & ½ *Aug.*

CHENOPODIUM (*Vulvaria*) foliis integerrimis, rhomboideo-ovatis, floribus conglomeratis. *L. S. N. p.* 948.

*Atriplex foetida. C. B.*

H. in fimetis & ruderatis: *am Steige im Kittel, bey dem Gottesacker.* ✱. Fl. ⅐ *Jul.* & ⅔ *Aug.*

CHENOPODIUM (*polyſpermum*) foliis integerrimis, ovatis, caule decumbente, cymis dichotomis. *L. S. N. p.* 948.

*Blitum polyſpermum a ſeminis copia. C. B.*

H. in cultis, verſuris: *um die Spicke auf der Klemda.* +. Fl. ⅕ *Jul.* & *Jun.*

## HERNIARIA. 272.

HERNIARIA (*glabra*) glabra. *L. S. N. p.* 947. *Hirnkraut.*

*Poly-*

*Polygonum minus, ſive millegrana, maior. C. B.*
H. in paſcuis & campis: *in den Thaelern um die Stadt bey der neuen Papiermühle.* +. Fl. $\frac{1}{7}$ *Jun.* & *Jul.*

ULMUS. 281.

ULMUS (*campeſtris*) foliis duplicato-ſerratis, baſi inaequalilibus. *L. S. N. p.* 950.
*Ulmus campeſtris & Theophr. C. B.*
H. in ſylvis, item *im Schiesgraben.* Fl. $\frac{1}{6}$ *Mart.* & $\frac{1}{7}$ *Apr.*

*Umbellatae.*

ERYNGIUM. 287.

ERYNGIUM (*campeſtre*) foliis radicalibus, pinnatis, tripartitis. *L. Sp. Plant. p.* 233. *Mannstreudiſtel.*
*Eryngium vulgare. C. B.*
H. in campis: *gegen den dürren Hoff, zwiſchen Burbach und Wenigen Lupniz.* *. *zwiſchen Vffhofen und Langenſalze haeufig.* Fl. *Aug.*

SANICULA. 289.

SANICULA (*Europaea*) foliis radicalibus ſimplicibus, floſculis omnibus ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 953.
*Sanicula officinalis. C. B.*
H. in nemoribus: *gegen das Gefilde, zwiſchen Stedtfeld und dem Klasberg, im Kloſterholze, auf der Schmetten.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai. poſt.*

HERACLEUM. 307.

HERACLEUM (*Sphondylium*) foliolis pinnatifidis. *L. S. N. p.* 958. *Baerenklau.*
*Sphondylium vulgare hirſutum. C. B.*
H. in pratis & pomariis. Fl. *Julio* & *Aug.*

OENAN-

## OENANTHE. 314.

OENANTHE (*fiſtuloſa*) ſtolonifera, foliis caulinis pinnatis filiformibus, fiſtuloſis. *L. S. N. p.* 960.

*Oenanthe aquatica. C. B.*

H. in foſſis pratorum: *zwiſchen Kreuzburg und dem Salzwerk.* ✱. Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & *Jul.*

## CAUCALIS. 294.

CAUCALIS (*grandiflora*) involucris ſingulis, pentaphyllis, foliolo unico duplo maiore. *L. S. N. p.* 955.

*Caucalis arvenſis echinata, magno flore. C. B.*

H. in agris & arvis verſus *Septentr.* & *Orient.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

CAUCALIS (*leptophylla*) ſeminum aculeis triglochidibus, uncinatis; pilis verticillatis hiſpidis. *L. S. N. p.* 955. *Bettlerlaeuſe.*

*Caucalis arvenſis, parvo flore & fructu. C. B.*

H. in agris collium: *beſonders am Rammesberge.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

## DAUCUS. 296.

DAUCUS (*Carota*) ſeminibus hiſpidis. *L. S. N. p.* 955.

*Paſtinaca tenuifolia vel Daucus officinarum. C. B.*

H. in agris, Fl. *Julio* & *Aug.*

## TORDYLIUM. 293.

TORDYLIUM (*latifolium*) umbella conferta, nudiuſcula, foliis pinnatis, foliolis lanceolatis, inciſo-ſerratis. *L. S. N. p.* 955.

*Caucalis arvenſis echinata latifolia. C. B.*

H. in agris collium: *gegen Mitternacht und Morgen.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{6}$ *Jul.*

TORDYLIUM (*Anthriſcus*) umbella conferta, foliis ovato-lanceolatis, pinnatifidis. *L. S. N. p.* 955.

Cau-

*Caucalis ſemine aſpero floſculis rubentibus. C. B.*
H. in nemoribus, ſepibus, dumetis. Fl. *Julio* & ½ *Aug.*
*) Falſo a Pharmacopolis noſtris *Oreoſelino* ſubſtituitur.

## PEUCEDANUM. 302.

Peucedanum (*Silaus*) foliolis pinnatifidis, laciniis oppoſitis. *L. S. N. p.* 957.
*Seſeli pratenſe Silaus forte Plinio. C. B.*
H. in pratis humidulis; *die güldene Aue, bey dem Itteroder Sumpf, bey Mibl,* ♃. Fl. *Auguſto.*

## CONIUM. 299.

Conium (*maculatum*) ſeminibus ſtriatis. *L. S. N. p.* 956. *Wütſcherling.*
*Cicuta maior. C. B.*
H. in cultis, ruderatis, ad ſepes: e. g. *in der Klemde.* Fl. *Julio* & ½ *Aug.*

## ATHAMANTHA. 301.

Athamantha (*Libanotis*) foliis bipinnatis, planis, umbella hemiſphaerica, ſeminibus hirſutis. *L. S. N. p.* 956.
*Daucus montanus, apii folio albicans. C. B.*
H. in collibus dumoſis: *am Petersberge, Hoerſelberg, Frommesshoff, Kielforſt.* Fl. ½ *Jul.* & ½ *Aug.*

Athamantha (*Cervaria*) foliis pinnatis, inciſo-angulatis. *L. S. N. p.* 956. *Schwarzer Enzian.*
*Daucus montanus, apii folio maior. C. B.*
H. in collibus dumoſis: *am Petersberge, Hoerſelberge, auf dem Kielforſt, Frommeshoff.* Fl. ½ *Aug.* & ½ *Sept.*

## BUPLEURUM. 291.

Bupleurum (*rotundifolium*) involucris univerſalibus nullis, foliis perfoliatis. *L. S. N. p.* 953. *Durchwachs.*

*Perfoliata, vulgatiſſima, ſive arvenſis.* C. B.

H. in agris editioribus. Fl. ½ *Jun.* & ½ *Jul.*

Bupleurum (*longifolium*) involucellis pentaphyllis, ovatis univerſali ſub pentaphyllo, foliis amplexicaulibus. *L. S. N. p.* 954.

*Perfoliata montana latifolia.* C. B.

H. in collibus dumoſis & nemoribus: *über Wenigen Lupniz, im Hoerſelberge, auf dem Kielforſt, in den Hirſchhoernern.* +. *Auch im Vttenrodiſchen Garten.* Fl. ¼ *Jun.* & ¼ *Jul.*

Bupleurum (*falcatum*) involucellis pentaphyllis, acutis, univerſali diphyllo, foliis lanceolatis, obtuſis, petiolatis. *L. S. N. p.* 954.

*Bupleurum foliis petiolatis, falcato-ellipticis acutis. Hall. Cat. Goetting. p.* 176.

*Bupleurum folio ſubrotundo ſeu vulgatiſſimum.* C. B.

H. in collibus ſuburbanis: *vom Kielforſt bis an den Hoerſelberg.* Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

## LASERPITIUM. 306.

Laserpitium (*latifolium*) foliolis cordatis inciſo-ſerratis. *L. S. N. p.* 958.

*Libanotis latifolia altera.* C. B. *Weiſſer Enzian.*

H. in collibus dumoſis: *im Hoerſelholze über Wenigen Lupniz, in den Hirſchhoernern über Kahlenberg.* +. Fl. ½ *Jul. prior.*

Laserpitium (*Prutenicum*) foliolis lanceolatis, integerrimis, extimis coalitis. *L. S. N. p.* 958.

H. in humidulis ſylvae: *Kohlberg, gleich bey dem Rothenhoff, und auch in der Morgenſeite deſſelben.* *). ½ *Aug.* & ⅙ *Sept.*

*) Radix *ramoſa teres, fuſca biennis.* Caulis *ſuperne ramoſus, ſulcatus hirſutus,* ramique *ſtriati glabriuſculi reſiniferi.* Folia *bipinnata ſubhirſuta, pinnulis lanceolatis integris & inciſis, extima trifida.* Umbella *univerſ. rara inaeqaalis* Involucri *univerſ. foliola* 8 — 11. *lanceolata, margine membranacec concava reflexa,* partialis *foliola* 7 — 11. *lanceolata membranacea concava reflexa.* Flores *floſculoſi ſteriles.* Corolla

rolla *alba irregularis.* Petala 5. *cordata, apice mucronato inflexo, anteriora maiora.* Semina 2. *tubis coronata oblonga, hinc plana, inde convexa, alis quatuor membranaceis candidis percurſa, hirſuta, viscida.* Plantae *odor gravis, ſapor amarus nauſeoſus, habitus laetus, viridis.*

## SIUM. 310.

SIUM (*nodiflorum*) foliis pinnatis, umbellis axillaribus, ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 959. *Bachhippen.*

*Sium ſive Apium paluſtre, foliis oblongis. C. B.*

H. in rivulis & foſſulis: *Michelsbach, im Joh. Thal, unter dem Kloſterholz, u. ſ. w.* Fl. ½ *Jul.* & ½ *Aug.*

SIUM (*falcaria*) foliis linearibus, decurrentibus, connatis. *L. S. N. p.* 959.

*Eryngium arvenſe, foliis ſerrae ſimilibus. C. B.*

H. in agris editioribus. Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

## ANGELICA. 309.

ANGELICA (*ſylveſtris*) foliis aequalibus, ovato-lanceolatis, ſerratis. *L. S. N. p.* 959.

*Angelica ſylveſtris, maior. C. B.*

H. in pratis humidiusculis: e. g. *gegen Streckda, u. ſ. w.* Fl. *Aug.* & ½ *Sept.*

## SCANDIX. 319.

SCANDIX (*Pecten*) ſeminibus laevibus, roſtro longiſſimo. *L. S. N. p.* 961.

*Scandix ſemine roſtrato vulgaris. C. B.*

H. in agris: *um den dürren Hof, am Wadeberg, unter dem Moſeberge.* Fl. ¼ *Mai.* & ¼ *Jun.*

SCANDIX (*Cerefolium*) ſeminibus nitidis, ovato-ſubulatis. *L. S. N. p.* 961.

*Chaerophyllon ſativum. C. B. Kerbel.*

H. in cultis & fimetis aliquando quaſi ſponte. Fl. *Mai.* & ½ *Jun.*

## CHAEROPHYLLUM. 320.

CHAEROPHYLLUM (*ſylveſtre*) floſculis omnibus fertilibus, caule aequali. *L. S. N. p.* 961.

*Myrrhis ſylveſtris ſeminibus laevibus. C. B.*

H. in pratis, pomariis. Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

*) *Flores floſculoſi ſteriles ut ſequentes.*

CHAEROPHYLLUM (*Myrrhis*) radice lignoſa perenni, foliis hirſutis, ſeminibus flavis, obſcure ſtriatis. *Hall. Cat. Goetting. p.* 184.

H. in pratis, ad ſepes paſſim. Fl. ½ *Jun.* & *Jul.*

CHAEROPHYLLUM (*bulboſum*) caule laevi, geniculis tumidis. *L. S. N. p.* 961.

*Cicutaria bulboſa. C. B.*

H. in nemoribus & cultis dumoſis: *am Fuß der Michelskuppe, am Rammesberg, am Wege vor Stedtfeld.* ♃. Fl. ½ *Jun.* & *Jul.*

CHAEROPHYLLUM (*temulentum*) caule ſcabro, geniculis tumidis, umbellis cernuis. *L. S. N. p.* 961.

*Chaerophyllum ſylveſtre. C. B.*

H. in ruderatis, nemoribus, ſepibus. Fl. ½ *Jun.* & *Jul.*

CHAEROPHYLLUM (*hirſutum*) caule aequali, foliis inciſis, acutis. *L. S. N. p.* 961.

*Cicutaria paluſtris latifolia alba & rubra. C. B.*

H. in ripis & pratis humidulis, ſylveſtribus: e. g. *über Winterſtein, in der Ruhl, um Farnrode, im Stadtgraben, bey dem Taſchengehaege.* Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

## AETHUSA. 317.

AETHUSA (*Cynapium*). *L. S. N. p.* 960. *Gleis.*

*Cicuta minor petroſelino ſimilis. C. B.*

H. in cultis agris, fimetis. Fl. *Julio* & ½ *Aug.*

PHEL-

## PHELLANDRIUM. 315.

PHELLANDRIUM (*aquaticum*) foliorum ramificationibus divaricatis. *L. S. N. p.* 960.

*Cicutaria paluſtris, tenuifolia. C. B.*

H. in ſtagnis & foſſis: *im Stadtgraben, Michelsbach, Gaak.* Fl. *Jul.* & ½ *Aug.*

## SESELI. 322.

SESELI (*Carvifolia*) foliis bipinnatis ſub-linearibus, petiolis baſi membranaceis, ſeminibus ovalibus. *L. S. N. p.* 962.

*Carvifolia C. B? Dillen. Catal. Giſſenſ. p.* 136.

H. in nemoribus editis gramineis: *im Eichhoelzgen, Moſeberge oſtwaerts, im Kohlberge, um Moſebach, u. ſ. w.* Fl. ¼ *Jul.* & *Aug.*

## PASTINACA 324.

PASTINACA (*ſativa*) foliis ſimpliciter pinnatis. *L. S. N. p.* 962.

*Paſtinaca ſylveſtris, latifolia. C. B.*

H. in pratis, verſuris, collibus: Fl. *Julio, Aug.* & ½ *Sept.*

## ANETHUM. 326.

ANETHUM (*graveolens*) fructibus compreſſis. *L. S. N. p.* 963.

*Anethum hortenſe. C. B.*

H. in fimetis, cultis, ruderatis, ſponte quaſi. Fl. *Jul.* & ½ *Aug.*

## AEGOPODIUM. 330.

AEGOPODIUM (*Podagraria*), foliis caulinis, ſummis ternatis. *L. S. N. p.* 963.

*Angelica ſylveſtris, minor, ſive erratica. C. B. Gierſch.*

H. in cultis, ſepibus. Fl. ⅓ *Jun.* & ¼ *Jul.*

## APIUM. 329.

Apium (*graveolens*) foliis caulinis cuneiformibus. *L. S. N. p.* 963.

*Apium paluſtre & officinarum. C. B.*

H. in ſtagno: *der Klemdeteich* +. Fl. *Aug.* & ½ *Sept.*

## PIMPINELLA. 328.

Pimpinella (*ſaxifraga*) foliis pinnatis, radicalibus, ſubrotundis, ſummis linearibus. *L. S. N. p.* 963.

α) *Pimpinella ſaxifraga minor. C. B.*

β) *Pimpinella ſaxifraga maior altera. C. B.*

γ) *Pimpinella ſaxifraga, maior, umbella candida. C. B.*

H. α) in paſcuis, verſuris, collibus. β). in pratis exſuccis & paſcuis. γ) in pratis depreſſis: *Unter dem Kloſterholze, im Georg. Thal.* Fl. α) $\frac{1}{5}$ *Jul.* - ½ *Sept.* β) *Jun.* & *Jul.* γ) *Julio* & ½ *Aug.*

## CARUM. 327.

Carum (*Carvi*) *L. S. N. p.* 963. *Kümmel.*

*Cuminum pratenſe, Carvi officinarum. C. B.*

H. in pratis & pomariis. Fl. *Maio.*

*Trigynia.*

## VIBURNUM. 332.

Viburnum (*Lantana*) foliis cordatis, ſerratis, venoſis, ſubtus tomentoſis. *L. S. N. p.* 964.

H. in collibus dumoſis: *über Mosbach, bey Stedtfeld gegen Mitternacht, am Hoerſelberg, in den Hirſchhoernern, bey dem berüchtigten Hoerſelloch.* +. Fl. ½ *Mai. poſt.*

*) Pedunculi *ſaepe faſciati.*

Viburnum (*Opulus*) foliis lobatis, petiolis glanduloſis. *L. S. N. p.* 964.

Sam-

*Sambucus aquatica, flore ſimplici. C. B.*

H. in ſepibus humidulis: *in dem Stadtgraben, um Mosbach, gegen Fiſchbach.* Fl. $\frac{1}{6}$ *Mai.* & $\frac{1}{5}$ *Jun.*

## SAMBUCUS. 334.

SAMBUCUS (*nigra*) cymis quinquepartitis, caule arboreo. *L. S. N. p.* 965.

*Sambucus fructu in umbella nigro. C. B. Hollunder.*

H. in ſepibus & cultis. Fl. *Jun.* & $\frac{1}{6}$ *Jul.*

SAMBUCUS (*racemoſa*) racemis compoſitis, ovatis, caule arboreo. *L. S. N. p.* 965.

*Sambucus racemoſa, rubra. C. B.* Male *Attich.*

H. in nemoribus: *zwiſchen Stedtfeld und dem Klasberg, bey dem gehauenen Stein, um die Ruhl.* ✝. Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai. poſt.*

## STAPHYLAEA. 336.

STAPHYLAEA (*pinnata*) foliis pinnatis. *L. S. N. p.* 965.

*Piſtacia ſylveſtris. C. B.*

H. in dumetis: *gegen das Gefilde,* ✱ ſponte quaſi.

## ALSINE. 342.

ALSINE (*media*) petalis bipartitis, foliis ovato-cordatis. *L. S. N. p.* 966.

*Alſine media. C. B. Hünerdarm.*

H. in cultis, arvis, agris. Fl. *Apr.* ad *Oct.*

*Tetragynia.*

## PARNASSIA. 345.

PARNASSIA (*paluſtris*) *L. S. N. p.* 966.

Gra-

*Gramen parnaſſi, albo ſimplici flore.* C. B.

H. in uliginoſis & pratis humidulis: *im Joh. Thal, unter dem Kloſterholze, um die Creuzburger eingegangenen Teiche.* Fl. *Aug.* & ½ *Sept.*

*Pentagynia.*

LINUM. 349.

Linum (*catharcticum*) foliis oppoſitis, ovato-lanceolatis, caule dichotomo, corollis acutis. *L. S. N. p.* 968.

*Linum pratenſe, floſculis exiguis.* C. B.

H. in paſcuis & pratis montanis. Fl. *Julio* & *Aug.*

DROSERA. 357.

Drosera (*rotundifolia*) ſcapis radicatis, foliis orbiculatis. *L. S. N. p.* 969.

*Ros ſolis, folio ſubrotundo.* C. B.

H. in uliginoſis & ceſpitoſis: *vor Mosbach rechter Hand, über Ruhl nach dem Thal zu.* ✳. Fl. *Julio.*

*Polygynia.*

MYOSURUS. 355.

Myosurus (*minimus*) *L. S. N. p.* 970.

*Holoſteo adfinis, Cauda muris.* C. B.

H. in agris: *am Wadenberge, Teubachsgraben, unter dem Kloſterholz.* Fl. ½ *Apr.* & ⅔ *Mai.*

CLAS-

# CLASSIS VI.

## HEXANDRIA.

### *Monogynia.*

### BERBERIS. 399.

Berberis (*vulgaris*) pedunculis racemoſis. *L. S. N. p.* 988. *Berbisbeer.*

*Berberis dumetorum. C. B.*

H. in campis, ſepibus, cultis: *hinter dem Gottesacker, hinter der Klemde, gegen das Geſilde.* +. *in Farnrode.* Fl. ½ *Mai. poſt.*

### LEVCOIUM. 363.

Levcoium (*vernum*) ſpatha uniflora, ſtylo clavato. *L. S. N. p.* 975. *Hornungsblume.*

*Levcoium bulboſum vulgare. C. B.*

H. in nemoribus: *um die Bergwerke, zwiſchen Stedtfeld und um Klasberg, hinter der Spitalswieſe im Georg. Thal.* Fl. *Martio.*

### NARCISSUS. 364.

Narcissus (*Pſeudonarciſſus*) ſpatha uniflora, nectarii limbo campanulato, erecto, petalis aequali. *L. S. N. p.* 976. *Studentenblume.*

*Narciſſus ſylveſtris pallidus, calyce luteo. C. B.*

H. in pomariis paſſim verſus *meridiem.* Fl. ½ *Mart.* & ½ *Apr.*

### ALLIUM. 370.

Allium (*ſenescens*), ſcapo nudo ancipiti, foliis linearibus ſubtus convexis, laevibus, umbella ſubrotunda, ſtaminibus ſubulatis. *L. S. N. p.* 979.

*Allium radice ſeneſcente lignoſa transverſa. Hall. Catal. Goetting. p.* 83.

H. in rupibus, collibus: *um Wartenburg, den gehauenen Stein, um Viehburg, über Eichrodt, am Hoerſelberge.* Fl. *Auguſto.*

Allium (*urſinum*) ſcapo nudo, ſemicylindrico, foliis lanceolatis, petiolatis, umbella faſtigiata. *L. S. N. p.* 979.

*Allium ſylveſtre, latifolium. C. B.*

H. in nemoribus editis: *oben auf dem Kielforſt, im Stadtgraben bey dem Loeberbach, auf der Schmetten.* +. Fl. ½ *Mai.* & ⅙ *Jun.*

Allium (*inodorum*) umbella bulbifera, vagina bicorni, foliis carinatis. *Hall. Catal. Goetting. p.* 82.

*Allium caninum alterum Tragi.*

H. in rupibus, collibus, agris ſterilioribus: *um Wartenburg, Viehburg, im Gaenſethal, über Stedtfeld, Fiſchbach.* Fl. ⅓ *Jul.* & ½ *Aug.*

## CONVALLARIA. 383.

Convallaria (*maialis*) ſcapo nudo. *L. S. N. p.* 983.

*Lilium convallium album. C. B.*

H. in nemoribus: *um Mosbach, auf dem Kielforſt, im Hoerſelberge, bey Wenigen Lupniz.* Fl. ½ *Mai. poſt.*

Convallaria (*verticillata*) foliis verticillatis. *L. S. N. p.* 983.

*Polygonatum anguſtifolium, non ramoſum. C. B.*

H. in nemoribus & ſylvis editis: *im Hoerſelberg über Wenigen Lupniz, um die Spitze des Inſelbergs.* +. *über der Ruhl auf allen Kuhhalten.* Fl. ⅟₇ *Mai. auf dem Inſelberg,* ⅕ *Jun. poſt.*

Convallaria (*Polygonatum*) foliis alternis, amplexicaulibus, caule ancipiti, pedunculis axillaribus, ſubunifloris. *L. S. N. p.* 984.

*Polygonatum latifolium flore maiore. C. B. Weiswurzel.*

H. in collibus, rupibus: *am Rammesberg, bey Mosbach, um das Gefilde, am Petersberg, Hoerſelberg.* Fl. *Maio.*

Convallaria (*multiflora*) foliis alternis, amplexicaulibus, caule tereti, pedunculis axillaribus, multifloris. *L. S. N. p.* 984.

H. in

H. in nemoribus: *unter dem Kloſterholz*, *bey aen Stedtfelder Bergwerken*, *im Hellthal*, *um Wartenburg*. +. Fl. ½ *Mai.* & ¼ *Jun.*

CONVALLARIA (*bifolia*) foliis cordatis. *L. S. N. p.* 984. *Einblat.*

*Lilium convallium minus.* C. B.

H. in nemoribus editis: *im Eichhoelzgen*, *Hoerſelberg*, *über Wenigen Lupniz*, *auf der Schmetten*, *über Ruhl*, *bey dem Rühler Haeusgen*. +. Fl. ¼ *Mai.* & ⅛ *Jun.*

## ANTHERICUM. 380.

ANTHERICUM (*ramoſum*) foliis planis, ſcapo ramoſo, corollis planis. *L. S. N. p.* 982.

*Phalangium parvo flore ramoſum.* C. B.

H. in collibus: *am Petersberge bis nach Eichrodt in den Weinbergen*, it. *in den Hirſchhoernern am Hoerſelberg*. Fl. *Julio.*

ANTHERICUM (*Liliago*) foliis planis, ſcapo ſimpliciſſimo. *L. S. N. p.* 982.

*Phalangium parvo flore non ramoſum.* C. B.

H. in rupibus: *über der Hahngaſſe*, *über dem Hellthal*, *bey dem gehauenen Stein*, *im Joh. Thal.* +. Fl. ½ *Jun.*

## ORNITHOGALUM. 377.

ORNITHOGALUM (*luteum*) ſcapo anguloſo, diphyllo, pedunculis umbellatis, ſimplicibus. *L. S. N. p.* 981.

*Ornithogalum luteum*, *ſive pallidum maius.* C. B.

H. in pratis humidulis, ad ſepes: *bey dem Rothenhof*, *hinter der Klemda*, *u. ſ. w.* +. Fl. ½ *Apr.* ¼ *Mai.*

ORNITHOGALUM (*minimum*) ſcapo angulato, diphyllo, pedunculis umbellatis ramoſis. *L. S. N. p.* 981.

*Ornithogalum anguſtifolium*, *bulbiferum.* C. B.

H. in agris: *am Wadenberg, gegen Hoetzelsrode, um den dürren Hof.* Fl. *Apr.*

## ASPARAGUS. 382.

Asparagus (*officinalis*) caule herbaceo, erecto, foliis ſetaceis, ſtipulis paribus. *L. S. N. p.* 983. *Wilder Spargel.*

*Aſparagus ſylveſtris, tenuiſſimo folio. C. B.*

H. in collibus, agris, arvis: *am Petersberg, Rammesberg.* Fl. ⅓ *Jul.* & *Aug.*

GALEOPSIS foliis ovato-lanceolatis, molliſſimis & tomentoſis. *Hall. Cat. Goetting. p.* 330.

H. in agris: *auf den Berglaendern um Viehburg, Kaff und Maedelſtein.* Fl. ½ *Jul. poſt.*

*) Haec

*) Haec *eadem cum noſtra* eſſe videtur, cuius caulis *piloſus, pilis apice glanduloſis, molliſſimis*, folia *nervoſa obtuſa ſubſerrata*, verticilli *florum remoti*, intermediam inter Gal. *Ladanum* & Gal. *Tetrahit* ſpeciem ſiſtunt.

Galeopsis (*Tetrabit*) internodiis caulinis ſuperne incraſſatis, verticillis ſummis ſubcontiguis. *L. S. N. p.* 1100.

*Urtica aculeata, foliis ſerratis. C. B.*

α) *Fl. albo rubroque.*

α) *Gal. flore magno varicolore. Hall. Cat. Goetting. p.* 330.

H. α) in agris editis: e. g. *auf den Berglaendern, beſonders um Viehburg.*

β) in nemoribus editis: *um Winterſtein, zwiſchen Ruhl und Kittelsthal.* Fl. α & β ½ *Jul.* & *Aug.*

Galeopsis (*Galeobdolon*) verticillis ſexfloris, involucro tetraphyllo. *L. S. N. p.* 1100.

*Lamium folio oblongo, luteum. C. B.*

H. in nemoribus: *um Wartenburg, um die Weinſtraſſe, im Kloſterholz.* Fl. *Maio.*

## STACHYS. 638.

Stachys (*ſylvatica*) verticillis ſexfloris, foliis cordatis, petiolatis. *L. S. N. p.* 1100.

*Lamium maximum ſylvaticum foetidum. C. B. Waldſalbei.*

H. in nemoribus, ſepibus: *um das Gefilde, Mosbach, Klasberg.* Fl. $\frac{1}{6}$ *Jun.* & *Jul.*

Stachys (*paluſtris*) verticillis ſexfloris, foliis lineari-lanceolatis, ſemiamplexicaulibus. *L. S. N. p.* 1100.

*Stachys paluſtris, foetida. C. B.*

H. in agris humidulis & ripis. Fl. *Julio* & *Aug.*

Stachys (*Germanica*) verticillis multifloris, foliorum ſerraturis imbricatis, caule lanato. *L. S. N. p.* 1100.

*Stachys maior Germanica. C. B.*

H. in collibus & agris montoſis: *am Petersberg, über dem Kohlberg, über dem Kramthal überall.* Fl. *Julio.*

## NEPETA. 629.

Nepeta (*cataria*) floribus ſpicatis, verticillis ſubpedicellatis, foliis petiolatis, cordatis, dentato-ſerratis. *L. S. N. p.* 1096.

*Mentha cataria vulgaris & maior. C. B.*

H. in ruderatis: *an der Wartenburg, gegen Abend, um die Rangen, auf dem Taſchengehaege, hinter dem Gaak.* +. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & *Jul.*

## BALLOTA. 639.

Ballota (*nigra*) foliis cordatis, indiviſis, ſerratis, calycibus acuminatis. *L. S. N. p.* 1100.

*Marrubium nigrum, foetidum. C. B.*

H. in ruderatis & ſepibus. Fl. *Jul.* ad *Oct.*

## MARRUBIUM. 640.

Marrubium (*vulgare*) dentibus calicis ſetaceis, uncinatis. *L. S. N. p.* 1101.

*Marrubium album vulgare. C. B.*

H. in campis & arvis: *gegen den Rammesberg, um das groſſe Wehr, um das Gefilde und in Winterſtein.* +. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & *Jul.*

## SCUTELLARIA. 653.

Scutellaria (*galericulata*) foliis cordato-lanceolatis crenatis, floribus axillaribus. *L. S. N. p.* 1106.

*Lyſimachia coerulea, galericulata, vel Gratiola coerulea. C. B.*

H. in uliginoſis, ripis, pratis humidulis: *unter dem Kloſterholz, im Joh. Thal, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & $\frac{1}{4}$ *Aug.*

## THYMUS. 646.

Thymus (*Serpyllum*) floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis, obtuſis, baſi ciliatis. *L. S. N. p.* 1103. *Feldpolei.*

*α) Ser-*

*α*) *Serpyllum vulgare, maius. C. B.* *β*) *Serpyllum vulgare, minus. C. B.* *γ*) *Serpyllum vulgare, hirſutum. C. B.* *δ*) *Serpyllum vulgare, citri odore. C. B.*

H. *α. β. δ*). in collibus, paſcuis, ſylvis. *γ*). in rupibus & collibus: *um Wartenburg und Viehburg.* +. Fl. *α. β. δ*) tota *aeſtate* *γ*) ½ *Mai.* & *Jun.*

Thymus (*Acinos*) floribus verticillatis, pedunculis unifloris, caulibus erectis, ſubramoſis, foliis acutis, ſerratis. *L. S. N. p.* 1103.

*Clinopodium arvenſe ocymi facie. C. B.*

H. in collibus apricis: *am Rammesberg, Michelskuppe, Petersberg, um Wartenburg.* Fl. ¼ *Jun.* & *Jul.*

## PRUNELLA. 654.

Prunella (*vulgaris*) foliis ovato-oblongis, petiolatis. *L. S. N. p.* 1106.

*α*). *Prunella maior, folio non diſſecto. C. B.*

*β*). *Prunella* (*grandiflora*) *coerulea, magno flore. C. B.*

H. *α*) in pratis, nemoribus, paſcuis praeſ. humidulis; *β*) in paſcuis editis: *um das Hoerſelholz, neben dem Moſeberg gegen Madlungen, zwiſchen dem Klasberge und dem Rangen.* Fl. *α*) & *β*) *Julio* & ¼ *Aug.*

## ORIGANUM. 645.

Origanum (*vulgare*) ſpicis ſubrotundis, paniculatis, conglomeratis, bracteis calyce longioribus, ovatis. *L. S. N. p.* 1103.

*α*) *Origanum ſylveſtre, Cunila bubula Plinii. C. B.*

*β*) *Origanum flore albo ſylveſtre. C. B.*

H. *α*) in collibus dumoſis *paſſim*; *β*) *in den Weinbergen bey Eichrodt.* Fl. *Julio.*

## CLINOPODIUM. 644.

CLINOPODIUM (*vulgare*) capitulis ſubrotundis, hiſpidis, ſetaceis. *L. S. N. p.* 1102.

*Clinopodium origano ſimile elatius. C. B.*

H. in collibus dumoſis: *um Wartenburg, das Gefilde, Klasberg, auf der Schmetten.* Fl. *Julio* & ¼ *Aug.*

*Angioſpermia.*

## OROBANCHE. 697.

OROBANCHE (*maior*) caule ſimplici, pubeſcente, ſtaminibus ſubexſertis. *L. S. N. p.* 1119.

*Orobanche maior, caryophyllum olens. C. B.*

H. in paſcuis: *in den Hirſchhoernern, zwiſchen dem Klasberg und Frommeshof, über dem Frommeshof gegen Norden* ✱. Fl. ⅔ *Jun. prior.*

## LATHRAEA. 661.

LATHRAEA (*Squamaria*) caule ſimpliciſſimo, corollis pendulis, labio inferiore trifido. *L. S. N. p.* 1108. *Drachenwurzel.*

*Orobanche radice dentata, maior. C. B.*

H. in nemoribus praeſ. ad rivulos: *im Kloſterholz bis jenſeit Stedtfeld.* ✚. Fl. *Aprili.*

## EUPHRASIA. 659.

EUPHRASIA (*officinalis*) foliis ovatis, argute dentatis. *L. S. N. p.* 1108.

α) *Euphraſia officinarum. C. B.*

β) *Euphraſia minor. Dill. Cat. Giſſ. App. p.* 53.

H. α) in omnibus pratis. β) in ſylvis & paſcuis editis. Fl. α) ⅗ *Jul.* & *Aug* β) *Julio.*

EUPHRASIA (*Odontites*) foliis linearibus, omnibus ſerratis. *L. S. N. p.* 1108.

*Euphraſia pratenſis, rubra. C. B.*
H. in agris humidulis & inundatis. Fl. *Julio* & *Aug.*

EUPHRASIA (*lutea*) foliis linearibus, ſerratis, ſuperioribus integerrimis. *L. S. N. p.* 1108.
*Euphraſia pratenſis lutea. C. B.*
H. in collium paſcuis: *um das Gefilde, am Petersberge, von Fiſchbach bis nach Eichrodt, in den Weinbergen, auf dem Hoerſelberg, über W. Lupnitz.* Fl. ½ *Aug. poſt.*

## RHINANTHUS. 658.

RHINANTHUS (*Criſta galli*) corollarum labio ſuperiore compreſſo breviore *L. S. N p.* 1107.
α) *Alectorolophus calycibus hirſutis. Hall. Cat. Goetting. p.* 312.
β) *Pedicularis pratenſis lutea vel Criſta galli. C. B.*
γ) *Criſta galli anguſtifolia montana. C. B.*
H. α) in agris: *am Rammesborn, dürren Hof, dem Gefilde, Winterſtein;* ♃. β) in pratis humidulis paſſim; γ) in paſcuis: *zwiſchen Mosbach und Ruhl.* Fl. α) *Junio.* β) ½ *Mai.* & ½ *Jun.* γ) *Julio.*

## MELAMPYRUM. 660.

MELAMPYRUM (*arvenſe*) ſpicis conicis laxis, laceris. *L. S. N. p.* 1108.
*Melampyrum purpuraſcente coma. C. B. Wachtelweizen.*
H. in agris. Fl. ½ *Jun.* - ½ *Aug.*

MELAMPYRUM (*nemoroſum*) ſpicis corroſis, coloratis: bracteis cordato-lanceolatis, calycibus lanatis. *L. S. N. p.* 1108.
*Melampyrum coerulea coma. C. B.*
H, in nemoribus: *Kloſterholz, Moſeberg, Kohlberg, u. ſ. w.* Fl. ½ *Jun.* & *Septemb.*

Melampyrum (*pratenſe*) florum coniugationibus remotis. *L. S. N. p.* 1108.

*Melampyrum luteum latifolium. C. B.*

H. in omnibus ſylvis. Fl. ⅓ *Jun.* & *Jul.*

Melampyrum (*ſylvaticum*) corollis hiantibus. *L. S. N. p.* 1108.

*Melampyrum floribus ſparſis, binatis, hiantibus, ſeſſilibus, foliis omnibus indiviſis. Hall. Cat. Goetting. p.* 313.

H. in pratis montanis: *über Ruhl, gegen Winterſtein und Proterrode.* Fl. *Julio.*

## SCROPHULARIA. 678.

Scrophularia (*nodoſa*) foliis cordatis, baſi transverſis, caule obtusangulo. *L. S. N. p.* 1113. *Braunwurzel.*

*Scrophularia nodoſa, foetida. C. B.*

H. in nemoribus & ſepibus umbroſis: *im Kloſterholz, um die Weinſtraſſe*, it. *in ſylvis caeduis.* Fl. *Junio* & ½ *Jul.*

Scrophularia (*aquatica*) foliis cordatis, obtuſis, petiolatis, decurrentibus, caule membranis angulato, racemis terminalibus. *L. S. N. p.* 1113.

*Scrophularia aquatica, maior. C. B.*

H. in ripis: *am Michelsbach, an der Neſſe und Kipping.* Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

## DIGITALIS. 676.

Digitalis (*purpurea*) foliis calycinis, ovatis, acutis, corollis obtuſis, labio ſuperiore integro. *L. S. N. p.* 1114.

*Digitalis purpurea folio aſpero. C. B.*

H. in ſylvis montoſis caeduis: *um die Weinſtraſſe, gegen die Rühlerhaeusgen, am Inſelberg, um Mosbach, gegen Unkerrode.* Fl. *Jul.* & ¼ *Aug.*

Digitalis foliis calycinis, linearibus, acutis, flore venoſo. *Hall. Cat. Goetting. p.* 309.

*Digitalis lutea, magno flore. C. B.*

H. in

H. in nemoribus: *um Wartenburg und Viebburg über dem Hellthal.* +. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun. prior.*

## ANTIRRHINUM. 668.

Antirrhinum (*arvenſe*) foliis ſublinearibus, inferioribus verticillatis, calycibus piloſo viſcidis, floribus ſpicatis, caule erecto. *L. S. N. p.* 1111.

*Linaria arvenſis coerulea. C. B.*

H. in agris arenoſis, arvis: *um Wartenburg, Viehburg, das Gefilde, am Epgeneller Weg, bey Stedtfeld.* Fl. *Julio.*

Antirrhinum (*Linaria*) foliis lanceolato-linearibus, confertis, caule erecto, ſpicis terminalibus ſeſſilibus, floribus imbricatis. *L. S. N. p.* 1112.

*Linaria vulgaris, lutea, flore maiore. C. B.*

H. in agris, collibus, ſylvis caeduis: e. g. *am Rammesberg, Petersberg, u. ſ. w.* Fl. *Julio & Aug.*

Antirrhinum (*minus*) foliis lanceolatis, obtuſis, alternis, caule ramoſiſſimo, diffuſo. *L. S. N. p.* 1112.

*Antirrhinum arvenſe, minus. C. B.*

H. in collibus, agris: *am Petersberg, gegen Fiſchbach, gegen W. Lupniz.* +. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun. & Jul.*

Antirrhinum (*Orontium*) corollis ecaudatis, calycibus corolla longioribus. *L. S. N. p.* 1112.

*Antirrhinum arvenſe maius. C. B.*

H. in agris, arvis: *um Moſeberg, Wartenburg, Viehburg, Kaff, Mosbach.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun. & Jul.*

## PEDICULARIS. 664.

Pedicularis (*paluſtris*) caule ramoſo, calycibus calloſo-punctatis, corollis labio obliquis. *L. S. N. p.* 1109.

*Pedicularis pratenſis purpurea. C. B.*

H. in uliginoſis & pratis humidis: *im Joh. Thal, um Mosbach, unter dem Kloſterholz.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

Pe-

PEDICULARIS (*ſylvatica*) caule ramoſo, calycibus oblongis, angulatis, laevibus, corollis labio cordato. *L. S. N. p.* 1109.
H. in ſylvarum paſcuis humidulis: *im Moſeberg, im Kohlberg, um Mosbach, gegen die Hohe Sonne.* Fl. ⅕ *Mai.* & ½ *Jun.*

# CLASSIS XV.

## TETRADYNAMIA.

### *Siliculoſa.*

### DRABA. 717.

DRABA (*verna*) ſcapis nudis, foliis ſubſerratis. *L. S. N. p.* 1127.
*Burſa paſtoris, minor, loculo oblongo. C. B.*
H. in paſcuis, arvis, collibus. Fl. ⅓ *Apr.* & ½ *Mai.*

### MYAGRUM. 713.

MYAGRUM (*ſativum*) ſiliculis ovatis, pedunculatis, polyſpermis. *L. S. N. p.* 1126.
α). *Myagrum ſativum. C. B. Dotter.*
β). *Alyſſon foliis ovatis glabris, profunde dentatis. Hall. Catal. Goetting. p.* 240.
H. α) in agris editis: *um Rammesborn, Frommeshof, über Eichrodt*; β) in agris *lino obſitis.* Fl. α) ⅓ *Mai.* & ½ *Jun.* β) fl. *cum Lino.*

MYAGRUM (*paniculatum*) ſiliculis lentiformibus, orbiculatis, punctato-rugoſis. *L. S. N. p.* 1126.
H. in agris editis: *um Wartenburg, Viehburg, Maedelſtein, bey dem Rothenhof.* Fl. ⅔ *Jun.* & ½ *Jul.*

### IBERIS. 721.

IBERIS (*nudicaulis*) foliis ſinuatis, caule nudo ſimplici. *L. S. N.*
*Naſturtium petraeum, folio paſtoris burſae. C. B.*
H. in rupibus, paſcuis: *um Maedelſtein und Kaff.* +. Fl. ⅓ *Apr.* & ⅕ *Mai.*

ALYS-

## ALYSSUM. 722.

ALYSSUM (*campeſtre*) ſtaminibus terminalibus ſetis interpoſitis. *L. S. N. p.* 1130.

*Thlaſpi Alyſſon dictum, campeſtre & minus.* C. B.

H. in arvis collium & campis: *auf dem Rammesberg, Wadenberg, u. ſ. w.* Fl. *Maio.*

## COCHLEARIA. 720.

COCHLEARIA (*Armoracia*) foliis radicalibus lanceolatis, crenatis, caulinis inciſis. *L. S. N. p.* 1129. *Meerrettig.*

*Raphanus ruſticanus.* C. B.

H. in agris & pratis humidulis, hinc inde: *am Rammesberg, im Grimmelbach, u. ſ. w.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

## THLASPI. 719.

THLASPI (*arvenſe*) ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis, dentatis, glabris. *L. S. N. p.* 1128.

*Thlaſpi arvenſe, ſiliquis latis.* C. B.

H. in arvis, agris cultis. Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai.* & *Jun. Sept. reflor.*

THLASPI (*perfoliatum*) ſiliculis ſubrotundis, foliis amplexicaulibus, cordatis, ſubſerratis. *L. S. N. p.* 1128.

*Thlaſpi arvenſe, perfoliatum, maius & minus.* C. B.

H. in arvis collium: *am Wadenberg, Eichhoelzgen, Geſilde.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Apr.* & $\frac{2}{3}$ *Mai.*

*) Folia *integerrima, ima ovata obtuſa*, petala *calyce maiora*, ſiliculae *obcordatae.*

THLASPI (*campeſtre*) ſiliculis ſubrotundis, foliis ſagittatis, dentatis incanis. *L. S. N. p.* 1128.

*Thlaſpi arvenſe, Vaccariae incano folio, maius.* C. B.

H. in campis: *gegen Madlungen, W. Lupniz, zwiſchen Fiſchbach und Trenkelhof.* ✝. Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & *Jun.*

THLASPI (*Burſa paſtoris*) ſiliculis obcordatis, foliis radicalibus pinnatifidis. *L. S. N. p.* 1128.

*Burſa paſtoris maior, folio ſinuato.* C. B.
*Burſa paſtoris media.* C. B.
H. in arvis, cultis, ruderatis. Fl. *Apr.* & *Mai. auct. reflor.*

*Siliquoſae.*

## RAPHANUS. 736.

Raphanus (*Raphaniſtrum*) ſiliquis teretibus, articulatis, laevibus, unilocularibus. *L. S. N. p.* 1136.
*Rapiſtrum flore albo, ſiliqua articulata.* C. B.
H. in agris, praeſ. *gegen W. Lupniz, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* - *Sept.*

## ERYSIMUM. 729.

Erysimum (*officinale*) ſiliquis ſpicae adpreſſis. *L. S. N. p.* 1113.
*Eryſimum vulgare.* C. B.
H. in ruderatis ubique. Fl. *Junio* ad *Oct.*

Erysimum (*Barbaraea*) foliis lyratis, extimo ſubrotundo. *L. S. N. p.* 1113.
*Eruca lutea latifolia, ſive Barbaraea.* C. B. *Wnterkreſſe.*
H. in ripis: *Neſſe, Hoerſel, Michelsbach.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & *Jun.*

Erysimum (*Alliaria*) foliis cordatis. *L. S. N. p.* 1113.
*Alliaria.* C. B. *P. p.* 110.
H. in nemoribus, ſepibus. Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai poſter.*

Erysimum (*Cheiranthoides*) foliis integris, lanceolatis. *L. S. N. p.* 1133.
*Myagrum ſiliqua longa.* C. B.
H. in agris cultis: *über W. Lupniz, um das Hoerſelholz, im Uttenrodtiſchen Garten, am Steige.* ✱. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

## CHEIRANTHUS. 730.

Cheiranthus (*Eryſimoides*) foliis lanceolatis, dentatis, caule erecto, ſiliquis tetragonis. *L. S. N. p.* 1113.

H. in

H. in rupibus & collibus: *am Hoerſelberg, über Eichrodt.* +. Fl. ½ *Mai. poſt.*

*) Videtur *Levcoium luteum ſylveſtre hieracifolium. C. B. Pr. p.* 102.

## ARABIS. 732.

ARABIS (*Thaliana*) foliis petiolatis, lanceolatis, integerrimis. *L. S. N. p.* 1134.

*Burſae paſtoris ſimilis ſiliquoſa maior, vel maioribus foliis. C. B.*

H. in agris editis: *um Wartenburg, Viehburg, Maedelſtein, auf der Kaff.* Fl. ⅓ *Apr.* & ¼ *Mai.*

## BRASSICA. 734.

BRASSICA (*campeſtris*) radice cauleque tenui, foliis caulinis uniformibus, cordatis ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 1135.

*Braſſica campeſtris, perfoliata flore albo. C. B.*

H. in agris: *um Rammesborn, W. Lupniz, Hoetzelsrode, u. ſ. w.* Fl. ½ *Mai.* & ¼ *Jun.*

BRASSICA (*Napus*) radice cauleſcente, fuſiformi. *L. S. N. p.* 1135.

*Napus ſylveſtris. C. B.*

H. in agris paſſim. *Seritur copioſe.* Fl. *Mai.*

## TURRITIS. 733.

TURRITIS (*glabra*) foliis radicalibus, dentatis hiſpidis, caulinis integerrimis, amplexicaulibus, glabris. *L. S. N. p.* 1135.

*Braſſica ſylveſtris, foliis circa radicem cichoraceis. C. B.*

H. in nemoribus editis: *im Hellthal, auf dem Geisrück, zwiſchen Stedtfeld und dem Klasberg, auf der Schmetten.* +. Fl. ¼ *Mai.* & ⅓ *Jun.*

TURRITIS (*hirſuta*) foliis omnibus hiſpidis, caulinis amplexicaulibus. *L. S. N. p.* 1135.

*Eryſimo ſimilis hirſuta, non laciniata alba. C. B.*

H. in collibus: *am Hoerſelberg, auf dem Rammesberg, um Mosbach, Wartenburg.* +. Fl. ½ *Mai. poſt.*

TURRITIS (*pauciflora*) foliis radicalibus ovatis, obtuſis, glaberrimis integris.

*An Arabis (Turrita) foliis amplexicaulibus, ſiliquis recurvis planis linearibus, calycibus ſubrugoſis? L. S. N. p.* 1135.

*An Braſſica ſylveſtris latifolia, foliis non ſinuoſis. C. B. Pin. p.* 112?

*Braſſica alpina perennis. Rupp. Fl. Jen. p. 75. Hall. Cat. Goetting. p.* 253.

H. in iugo praealti montis *Kielſorſt ienſeit Hoerſel.* +. Fl. 12 - 20. *Mai.*

## DENTARIA. 726.

DENTARIA (*bulbifera*) foliis inferioribus pinnatis, ſummis ſimplicibus. *L. S. N. p.* 1131.

*Dentaria heptaphyllos, baccifera. C. B.*

H. in nemoribus: *um die Bergwerke, zwiſchen Stedtfeld und dem Klasberg, über Rühl, bey der Steinkohlengrube.* +. Fl. 20 - 30. *Mai.*

## CARDAMINE. 727.

CARDAMINE (*impatiens*) foliis pinnatis, inciſis, ſtipulatis, floribus apetalis. *L. S. N. p.* 1131.

H. in nemoribus & ſylvis caeduis: *auf der Schmetten, um den Klasberg, bey der Hohen Sonne.* +. Fl. ⅓ *Mai.* & ⅕ *Jun.*

CARDAMINE (*hirſuta*) foliis pinnatis, floribus tetrandris. *L. S. N. p.* 1131.

*Naſturtium pratenſe, folio rotundiore. C. B.*

H. in nemoribus ad rivulos: *im Georgenthal hinter der Spitals-Wieſe, vor dem Nadelthor, an der Neſſe.* *. Fl. ⅔ *Mai. poſter.*

*) *Stamina conſtanter ſex, duo breviora, quatuor longiora: an itaque diverſa a Linnaei ſpecie?*

CAR-

Cardamine (*pratenſis*) foliis pinnatis, foliolis radicalibus ſubrotundis, caulinis lanceolatis. *L. S. N. p.* 1131.

*Naſturtium pratenſe, magno flore. C. B.*

H. in pratis humidulis. Fl. *Maio.*

Cardamine (*amara*) foliis pinnatis, axillis ſtoloniferis. *L. S. N. p.* 1131.

*Siſymbrium Cardamine vel Naſturtium aquaticum maius & amarum. C. B. Wilder Brunnenkreß.*

H. in rivulis: *im Georgenthal, auf der Kalten Studte, an der Hoerſel, über Farnrode, u. ſ. w.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai. poſter.*

## SINAPIS. 735.

Sinapis (*arvenſis*) ſiliquis multangulis, toroſo-turgidis, roſtro longioribus. *L. S. N. p.* 1136. *Hederich.*

*Rapiſtrum flore luteo, foliis inciſis vel ſinuatis. C. B.*

H. in agris ubique. Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai. - Sept.*

Sinapis (*alba*) ſiliquis hiſpidis, roſtro obliquo, longiſſimo. *L. S. N. p.* 1136.

*Sinapi apii folio. C. B.*

H. in cultis & agris, *inter olera.* ✱. Fl. *Julio* & *Aug.*

## SISYMBRIUM. 728.

Sisymbrium (*Naſturtium*) ſiliquis declinatis; foliis pinnatis, foliolis ſubcordatis. *L. S. N. p.* 1132. *Brunnenkreß.*

*Naſturtium aquaticum, ſupinum. C. B.*

H. in rivulis & ſtagnis: *unter dem Kloſterholz, bey dem Heil. Geiſt, bey Seebach, Haetzelsrode, Farnrode, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

Sisymbrium (*ſylveſtre*) ſiliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis lanceolatis, ſerratis. *L. S. N. p.* 1132.

*Eruca paluſtris & naſturtii folio, ſiliqua oblonga. C. B.*

H. in pratis humidis, ripis & inundatis hinc inde. Fl. *Jul.* & *Aug.*

Sisymbrium (*amphibium*) ſiliquis declinatis, oblongo ovatis, foliis pinnatifidis, ſerratis. *L. S. N. p.* 1132.

α). Siſymbrium (*paluſtre*) L. *Raphanus aquaticus alter. C. B.*

β). Siſymbrium (*aquaticum*) L. *Raphanus aquaticus, foliis in profundas lacinias diviſis. C. B.*

H. in foſſulis & inundatis hinc inde: e. g. *an den Pfefferteichen bey Oberellen, bey dem Creuzburger Salzwerk.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* – *Sept.*

Sisymbrium (*Sophia*) petalis calyce minoribus, foliis decompoſito pinnatis. *L. S. N. p.* 1133.

*Naſturtium ſylveſtre tenuiſſime diviſum. C. B.*

H. in cultis & ruderatis *paſſim.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & *Jul.*

# CLASSIS XVI.

## MONADELPHIA.

### *Decandria.*

### GERANIUM. 746.

Geranium (*cicutarium*) pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnatis, inciſis, obtuſis. *L. S. N. p.* 1143.

*Geraninm Cicutae folio minus & ſupinum. C. B.*

H. in agris, arvis, cultis, collibus paſſim. Fl. *Maio* & *Aug.*

Geranium (*paluſtre*) pedunculis bifloris, longiſſimis, declinatis, petalis integris, foliis quinquelobis, inciſis. *L. S. N. p.* 1143.

H. in uliginoſis ſylvarum & ripis rivulorum: *beym Siebenbrunn unter dem Kloſterholz, im Joh. Thal, um Mosbach, Farnrode, um den Inſelberg.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & *Jul.*

GERANIUM (*pratenſe*) pedunculis bifloris, foliis peltatis, multipartitis, rugoſis, pinnato-laciniatis, acutis, petalis integris. *L. S. N. p.* 1143.

*Geranium batrachioides, ſive Gratia Dei Germanorum. C. B.*

H. in pratis: *an der Neſſe und Hoerſel.* Fl. *Junio & Jul.*

GERANIUM (*Robertianum*) pedunculis bifloris, calycibus piloſis, decemangulatis. *L. S. N. p.* 1144.

*Geranium Robertianum primum, viride & rubens. C. B.*

H. in nemoribus, rupibus, ſepibus, ruderatis. Fl. *Maio-Oct.*

GERANIUM (*lucidum*) pedunculis bifloris, calycibus pyramidatis, angulatis, rugoſis, foliis quinquelobis, rotundis. *L. S. N. p.* 1144.

*Geranium lucidum ſaxatile. C. B.*

H. in rupibus humidis: *im Hellthal, im Landgrafenloch, bey dem gehauenen Stein.* ✝. Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai. poſter.*

GERANIUM (*molle*) pedunculis bifloris, foliisque floralibus alternis, petalis bifidis, calycibus muticis. *L. S. N. p.* 1144.

*Geranium folio malvae rotundo. C. B.*

H. in ruderatis, ſepibus, cultis. Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* & $\frac{2}{3}$ *Jun.*

GERANIUM (*columbinum*) pedunculis bifloris, foliis quinquepartito-multifidis, angulatis; laciniis acutis, capſulis glabris, calycibus ariſtatis. *L. S. N. p.* 1144.

*Geranium batrachioides, Collum gruis Germanorum. C. B.*

H. in agris collium & rupibus: *um Wartenburg, am Rammesberg, Petersberg, Dürrenhof.* Fl. *Jun.-Sept.*

GERANIUM (*diſſectum*) pedunculis bifloris, foliis quinquepartito multifidis, petalis emarginatis, longitudine calycis, capſulis villoſis, *L. S. N. p.* 1144.

H. in

H. in agris & cultis collium: *am Rammesberg, hinten im Joh. Thal:* in hortis *hinc inde.* +. Fl. *Junio. - Sept.*

Geranium (*rotundifolium*) pedunculis bifloris, petalis integris, longitudine calycis, caule proſtrato, foliis reniformibus, inciſis. *L. S. N. p.* 1144.

H. in ruderatis, cultis, ad ſepes. Fl. *Maio & Jun.*

Geranium (*ſanguineum*) pedunculis unifloris, foliis quinque partitis, trifidis, orbiculatis. *L. S. N. p.* 1144.

*Geranium ſanguineum maximo flore. C. B.*

H. in rupibus: *um Wartenburg, am Petersberg, um das Gefilde, um den Frommeshof, am Hoerſelberg.* Fl. ½ *Mai.* & ½ *Jun.*

*Polyandria.*

## MALVA. 751.

Malva (*rotundifolia*) caule repente, foliis cordato-orbiculatis, obſolete quinquelobatis. *L. S. N. p.* 1147.

*Malva ſylveſtris folio rotundo. C. B.*

H. in ruderatis & campis. Fl. *Junio* ad *Sept.*

Malva (*ſylveſtris*) caule erecto, herbaceo, foliis lobatis, obtuſis, pedunculis petiolisque piloſis. *L. S. N. p.* 1147.

*Malva ſylveſtris folio ſinuato. C. B.*

H. in ruderatis, verſuris, campis, collibus. Fl. *Jul. & Aug.*

Malva (*Alcea*) caule erecto, foliis multipartitis, ſcabriuſculis. *L. S. N. p.* 1147.

*Alcea vulgaris maior. C. B.*

H. in collibus dumoſis: *zwiſchen dem Klasberg und Frommeshof, am Wadenberg, Rammesberg, auf der Viehburg.* +. Fl. ½ *Jul. & Aug.*

AL-

## ALTHAEA. 749.

ALTHAEA foliis imis reniformibus, ſemiquinquelobis, ſummis quinquepartitis, ſerratis, hirſutis.

*An Althaea (hirſuta) foliis trifidis ſubtus piloſo-hiſpidis? L. S. N. p.* 1146.

H. in collibus: *Petersberg*, *Rammesberg*, *um das Gefilde*, *im Kramthal.* Fl. *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

*) Radix *ramoſa lignoſa*, *annua.* Caulis teres, ramoſus *hirſutus.* Folia *ima crenata*, *ſtipulae ovato-lanceolatae.* Pedunculi *uniflori hirſuti*, *folio longiores.* Calyx exterior *octofidus hiſpidus rugoſus*, *laciniis lanceolatis lineatis*, *calycem interiorem aequantibus.* Calyx interior *hiſpidus rugoſus.* Corolla *monopetala vix calyce longior*, *unguibus obcordatis roſeis.* Capſulae *reniformes ſubhirſutae*, *rugoſae.* Semina reniformia nitida.

# CLASSIS XVII.

## DIADELPHIA.

### *Hexandria.*

## FUMARIA. 760.

FUMARIA (*bulboſa*) caule ſimplici, bracteis longitudine florum. *L. S. N. p.* 1153.

*α*). Fumaria (*cava*) L. *Fumaria bulboſa*, *radice cava*, *maior*, *flore rubro & albo. C. B. Walperskoerner.*

*β*). Fumaria (*ſolida*) L. *Fumaria bulboſa*, *radice non cava*, *maior. C. B.*

H. *α*) in nemoribus, ſepibus, praeſ. verſus *Wartenburg.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Apr. poſt.*

*β*). in nemoribus & pone ſepes umbroſas. Fl. $\frac{1}{2}$ *Apr. prior.*

Fumaria (*officinalis*) pericarpiis monoſpermis, racemoſis, caule diffuſo. *L. S. N. p.* 1153.

*Fumaria flore purpureo. C. B.*

H. in cultis, agris pinguibus. Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai.-Aug.*

*Octandria.*

## POLYGALA. 761.

Polygala (*vulgaris*) floribus criſtatis, racemoſis, caulibus herbaceis, ſimplicibus, procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis. *L. S. N. p.* 1154.

*Polygala vulgaris. C. B.*

H. in paſcuis, collibus, ſylvis: e g. *um Wartenburg, im Moſeberg, Kohlberg, um Mosbach.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai.* & $\frac{1}{5}$ *Jun.*

*) Var. foliis *rotundioribus*, flore *albo, rubro, violaceo.*

*Decandria.*

## SPARTIUM. 765.

Spartium (*ſcoparium*) foliis ternatis ſolitariisque, ramis inermibus angulatis. *L. S. N. p.* 1156.

*Geniſta anguloſa & ſcoparia. C. B.*

H. in campis, ſylvis: *unter Viehburg, im Eichhoelzgen.* +. *bey dem Dietrichsberg.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

## GENISTA. 766.

Genista (*tinctoria*) foliis lanceolatis glabris, ramis teretibus, ſtriatis, erectis. *L. S. N. p.* 1157. *Halbſchart.*

*Geniſta tinctoria, Germanica. C. B.*

H. in paſcuis, collibus, ſylvis: e. g. *um Mosbach.* Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Genista (*Germanica*) ſpinis compoſitis, ramis floriferis, inermibus, foliis lanceolatis. *L. S. N. p.* 1157.

*Geniſta*

*Geniſta ſpinoſa, minor, Germanica. C. B.*

H. in paſcuis, ſylvis: *im Moſeberg, Kloſterholz, Kohlberg, um die Hohe Sonne.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Mai.* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

## ANTHYLLIS. 733.

Anthyllis (*Vulneraria*) herbacea, foliis pinnatis, inaequalibus, capitulo duplicato. *L. S. N. p.* 1160.

*Vulneraria pratenſis. C. B.*

H. in collibus: *am Rammesberg, um das Gefilde.* Fl. *Julio.*

## ONONIS. 772.

Ononis (*arvenſis*) floribus racemoſis, geminatis, foliis ternatis, ramis inermibus. *L. S. N. p.* 1159.

*Anonis ſpinis carens, purpurea. C. B.*

H. in campis, collibus: e. g. *am Wadenberg.* Fl. *Julio* & *Aug.*

Ononis (*ſpinoſa*) floribus racemoſis, ſolitariis, foliis ternatis, ramis ſpinoſis. *L. S. N. p.* 1159. *Haubechel.*

*Anonis ſpinoſa, flore purpureo & albo. C. B.*

H. in campis, verſuris, agris, collibus. Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* ad *Sept.*

## OROBUS. 780.

Orobus (*vernus*) foliis pinnatis, ovatis, ſtipulis ſemiſagittatis, integerrimis, caule ſimplici. *L. S. N. p.* 1164. *Waldwicken.*

*Orobus ſylvaticus, purpureus, vernus. C. B.*

H. in nemoribus: *um den Klasberg, im Eichhoelzgen, um das Gefilde, über dem Kohlberg.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Apr.* & $\frac{1}{3}$ *Mai.*

Orobus (*tuberoſus*) foliis pinnatis, lanceolatis, ſtipulis ſemiſagittatis integerrimis, caule ſimplici. *L. S. N. p.* 1164.

*Orobus ſylvaticus, anguſtifolius, aſphodeli radice. C. B.*

H. in omnibus ſylvis: e. g. *gegen Mittag.* Fl. *Maio* & $\frac{1}{2}$ *Jun.*

## LATHYRUS. 781.

LATHYRUS (*Niſſolia*) pedunculis unifloris, foliis ſimplicibus, ſtipulis ſubulatis. *L. S. N. p.* 1164.

*Lathyrus ſylveſtris, minor. C. B.*

H. in agris: *über dem Gramthal.* ✻. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{5}$ *Jul.*

LATHYRUS (*tuberoſus*) pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis ovalibus, internodiis nudis. *L. S. N. p.* 1165.

*Lathyrus arvenſis, repens, tuberoſus. C. B.*

H. in agris argilloſis: *unter dem Moſeberg, bey der Pulvermühle, um den Kohlberg.* Fl. *Julio.*

LATHYRUS (*pratenſis*) pedunculis, cirrhis diphyllis, foliis lanceolatis, cirrhis ſimpliciſſimis. *L. S. N. p.* 1165.

*Lathyrus ſylveſtris, luteus, foliis Viciae. C. B.*

H. in pratis, praeſ. humidulis. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & *Jul.*

LATHYRUS (*ſylveſtris*) pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis enſiformibus, internodiis membranaceis. *L. S. N. p.* 1165.

*Lathyrus ſylveſtris maior. C. B.*

H. in collibus dumoſis: *am Rammesberg, Michelskuppe, Petersberg, Geſilde.* ✝. Fl. *Julio.*

## VICIA. 782.

VICIA (*piſiformis*) pedunculis multifloris, petiolis polyphyllis, foliolis ovatis, infimis ſeſſilibus. *L. S. N. p.* 1165.

*Piſum ſylveſtre perenne. C. B.*

H. in dumetis collium: *gleich vor Stedtfeld im Waeldgen gegen Norden, auf dem Hügel, nebſt dem Bupleuro latifolio, Viburno, Lantana, u. ſ. w.* ✻. Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun* & *Jul.*

VICIA (*dumetorum*) pedunculis multifloris, foliolis reflexis, ovatis, mucronatis, ſtipulis ſubdentatis. *L. S. N. p.* 1165.

H. in nemoribus: *um die Rangen.* ✻. Fl. *Julio.*

VICIA

Vicia (*ſylvatica*) pedunculis multifloris, foliis ovalibus, ſtipulis denticulatis. *L. S. N. p.* 1165.

H. in nemoribus editis: *im Hoerſelberg, bey W. Lupniz.* ♃. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jul. pr.*

Vicia (*Cracca*) pedunculis multifloris, floribus imbricatis, foliolis lanceolatis, pubeſcentibus, ſtipulis integris. *L. S. N. p.* 1165.

*Vicia multiflora. C. B.*

H. in collibus dumoſis: *am Petersberg, um das Gefilde.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

Vicia (*ſativa*) leguminibus ſeſſilibus, ſubbinatis, erectis, foliis retuſis, ſtipulis notatis. *L. S. N. p.* 1166.

*Vicia ſativa, vulgaris, ſemine nigro. C. B.*

H. in cultis agris *hinc inde.* Fl. *Julio* & *Aug.*

Vicia (*lathyroides*) leguminibus ſeſſilibus ſolitariis, erectis, glabris, foliis ſenis, inferioribus obcordatis. *L. S. N. p.* 1166.

H. in agris arvisque ſiccioribus: *um Wartenburg, Viehburg, Kahlenberg, Mosbach.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & *Jul.*

Vicia (*ſepium*) leguminibus pedicellatis, ſubquaternis, erectis, foliolis ovatis, integerrimis, exterioribus decreſcentibus. *L. S. N. p.* 1166.

*Vicia dumetorum maxima. C. B.*

H. in ſepibus. Fl. *Mai.* & *Jun.*

## ASTRAGALUS. 799.

Astragalus (*Cicer*) cauleſcens, proſtratus, leguminibus ſubgloboſis, inflatis, mucronatis, piloſis. *L. S. N. p.* 1174.

*Cicer foliis oblongis, hiſpidis, maius. C. B.*

H. in verſuris: *am Wadenberg und Petersberg.* ♃. Fl. *Jul.* & $\frac{1}{3}$ *Aug.*

Astragalus (*glycyphyllos*) cauleſcens, proſtratus, leguminibus ſubtriquetris, arcuatis, foliis ovalibus, pedunculo longioribus. *L. S. N. p.* 1174. *Darmkraut.*

*Glycyrrhiza ſylveſtris, floribus luteo-palleſcentibus. C. B.*

H. in nemoribus: *auf der Schmetten, um Frommeshof, bey dem Klasberg, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{4}$ *Jun.* & *Jul.*

## TRIFOLIUM. 802.

Trifolium (*officinale*) leguminibus racemoſis, nudis, diſpermis, caule erecto. *L. S. N. p.* 1176. *Steinklee.*

α). *Melilotus officinarum Germaniae. C. B.*

β). *Melilotus officinarum Germaniae, flore albo. C. B.*

H. α). in agris, collibus, campis. Fl. *Jun. - Sept.*

β). in collibus, muris. ♃. Fl. *eod. temp.*

Trifolium (*repens*) capitulis umbellaribus, leguminibus tetraſpermiis, caule repente. *L. S. N. p.* 1177.

*Trifolium pratenſe album. C. B.*

H. in pratis, paſcuis, verſuris. Fl. *Jun. - Oct.*

Trifolium (*rubens*) ſpicis villoſis, longis, corollis monopetalis, caule erecto, foliis ſerrulatis. *L. S. N. p.* 1177.

*Trifolium montanum, ſpica longiſſima rubente. C. B.*

H. in paſcuis: *um Wartenburg, Viehburg.* Fl. $\frac{1}{5}$ *Mai.* & *Jun.*

Trifolium (*pratenſe*) ſpicis ſubvilloſis, cinctis ſtipulis oppoſitis, membranaceis, corollis monopetalis. *L. S. N. p.* 1177.

*Trifolium pratenſe, purpureum. C. B.*

H. in pratis, verſuris. Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai. - Aug.*

Trifolium ſpicis villoſis, foliis inſidentibus, vaginarum caulis latioribus. *Hall. Cat. Goetting. p.* 283.

*Trifolium montanum, purpureum maius. C. B.*

H. in ſylvis: e. g. *um den Inſelberg, im Moſeberge, Kohlberge.* Fl. *Jun. - Sept.*

*) Humillimum in monte *Inſelberg.*

Tri-

Trifolium (*arvenſe*) ſpicis villoſis ovalibus, dentibus calycinis ſetaceis, aequalibus. *L. S. N. p.* 1177.

*Trifolium arvenſe, humile ſpicatum, ſive lagopus. C. B.*

H. in agris, arvis. Fl. *Jul.* & *Aug.*

Trifolium (*ſcabrum*) capitulis ſeſſilibus, ovatis, calycibus villoſis, inaequalibus. *L. S. N. p.* 1177.

H. in paſcuis: *im Georgenthal bey dem Steinbruche.* *. Fl. $\frac{2}{3}$ *Mai. prior.*

*) Caulis *procumbens* foliaque *obcordata, denticulata, villoſa,* calyx *ovatus decemſtriatus villoſus, denticulo altero reliquis longiori, omnibus erectis; ſemen unicum.*

Trifolium (*montanum*) capitulis terminalibus, corollarum vexillis ſubulatis, caule erecto, foliis lanceolatis. *L. S. N. p.* 1177.

*Trifolium montanum, album. C. B.*

H. in paſcuis & pratis montanis: *um Seebach, unter dem Inſelberg, um den Frommeshof, gegen Wartenburg.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{3}$ *Jul.*

Trifolium (*fragiferum*) capitulis ſubrotundis, calycibus inflatis, bidentatis, reflexis, caulibus repentibus. *L. S. N. p.* 1178.

*Trifolium fragiferum, Friſicum. C. B.*

H. in pratis humidis: *die güldene Aue, und gegen Streckda.* +. Fl. $\frac{1}{4}$ *Jul.*

Trifolium (*agrarium*) ſpicis ovalibus, imbricatis, vexillis deflexis, perſiſtentibus, calycibus nudis, caule erecto. *L. S. N. p.* 1178.

*Trifolium pratenſe luteum, capitulo Lupuli, vel agrarium. C. B.*

H. in paſcuis: *bey dem Eichhoelzgen, gegen Wartenburg, u. ſ. w.* Fl. *Jul.* & $\frac{1}{2}$ *Aug.*

Trifolium (*ſpadiceum*) ſpicis ovalibus, imbricatis, vexillis deflexis perſiſtentibus, calycibus piloſis, caule erecto. *L. S. N. p.* 1178.

*Tri-*

*Trifolium montanum, lupulinum. C. B.*

H. in pratis montanis humidulis: *vor Winterſtein und auf der Schlottwieſe unter dem Inſelberg.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & *Jul.*

Trifolium (*procumbens*) ſpicis ovalibus, imbricatis, vexillis deflexis, perſiſtentibus, caulibus procumbentibus. *L. S. N. p.* 1178.

H. in paſcuis, arvis, agris: *um Viehburg, Wartenburg, Kaff.* Fl. $\frac{1}{2}$ *Jun.* & *Jul.*

Trifolium (*filiforme*) ſpicis ſubimbricatis, vexillis deflexis, perſiſtentibus, calycibus pedicellatis, caulibus procumbentibus. *L. S. N. p.* 1178.

H. in pratis montanis humidulis: e. g. *im Hellthal.* Fl. *Jun.* & *Jul.*

## HEDYSARUM. 793.

Hedysarum (*Onobrychis*) foliis pinnatis, leguminibus monoſpermis, aculeatis, corollarum alis breviſſimis, caule elongato. *L. S. N. p.* 1171.

*Onobrychis foliis viciae, fructu echinato, maior. C. B.*

H. in collibus & ruderatis: *am Petersberge, gegen Stedtfeld, um die Michelskuppe.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Jun.* & $\frac{1}{2}$ *Jul.*

## CORONILLA. 789.

Coronilla montana. *Hall. Cat. Goetting. p.* 268.

*Colutea ſiliquoſa minor. C. B.*

H. in Vineis: *am Hoerſelberg, bey Eichrodt, in den Hirſchhoernern, bey dem Hoerſchelloch mit dem Carduo deflorato und andern ſeltenen Pflanzen.* ✱. Fl. $\frac{2}{3}$ *Jun. prior.*

## HIPPOCREPIS. 791.

Hippocrepis (*comoſa*) leguminibus pedunculatis, confertis, margine exteriore repandis. *L. S. N. p.* 1169.

*Ferrum equinum, Germanicum, ſiliquis in ſummitate. C. B.*

H. in

H. in collibus & paſcuis: *am Rammesberge*, *am Hoerſelberge*, *bey Eichrodt um den Klasberg.* +. Fl. ½ *Mai.* & ⅕ *Jun.*

MEDICAGO. 805.

MEDICAGO (*falcata*) pedunculis racemoſis, leguminibus lunatis, caule proſtrato. *L. S. N. p.* 1180.

*Trifolium ſylveſtre luteum, ſiliqua cornuta, vel Medica fruteſcens. C. B.*

H. in collibus, campis, verſuris: praeſ. verſus *Septentr.* Fl. ½ *Jul.* & *Aug.*

MEDICAGO (*lupulina*) ſpicis ovalibus, leguminibus reniformibus, monoſpermis, caule procumbente. *L. S. N. p.* 1180.

*Trifolium pratenſe, luteum, capitulo breviore. C. B.*

H. ubique in pratis, agris, ruderatis. Fl. *Jul.* & *Aug.*

MEDICAGO (*polymorpha*) leguminibus cochleatis, ſtipulis dentatis, caule diffuſo. *L. S. N. p.* 1180.

MEDICAGO (*minima*) leguminibus cochleatis, aculeis uncinatis alternis alterne donatis, ſtipulis integris. *L. S. N. p.* 1181.

*Trifolium echinatum, arvenſe, fructu minore. C. B.*

H. in verſuris: *um die Michelskuppe, gegen Morgen.* ✱. Fl. ⅓ *Mai.* & ¼ *Jun.*

ERVUM. 784.

ERVUM (*tetraſpermum*) pedunculis ſubbifloris, ſeminibus globoſis, quaternis. *L. S. N. p.* 1166.

*Vicia ſegetum, ſingularibus ſiliquis glabris. C. B.*

H. in agris humidulis pinguibus: *unter dem Moſeberg über dem Kramthal.* +. Fl. ⅓ *Jun.* & ¼ *Jul.*

ERVUM (*hirſutum*) pedunculis multifloris, ſeminibus globoſis, binis. *L. S. N. p.* 1166.

*Vicia ſegetum, cum ſiliquis plurimis hirſutis.* C. B.

H. in paſcuis, collibus, agris: e. g. *um Wartenburg, u. ſ. w.* Fl. $\frac{1}{3}$ *Mai.* & $\frac{1}{3}$ *Jun.*

## LOTUS. 803.

Lotus (*corniculata*) capitulis depreſſis, caulibus decumbentibus, leguminibus cylindricis. *L. S. N. p.* 1179.

α). *Lotus pentaphyllos, flore maiore luteo, ſplendente.* C. B.

β). *Lotus pentaphyllos minor, glabra.* C. B.

H. α) in pratis humidulis uliginoſis: e. g. *um Mosbach, im Moſeberge, im Joh. Thal, unter dem Kloſterholz.* Fl. *Junio.*

β). in paſcuis, verſuris, pratis. Fl. *Jun.-Sept.*

*) Folia *ſubvilloſa*, ſiliquae *glabrae*.

# CLASSIS XVIII.

## POLYADELPHIA.

*Polyandria.*

## HYPERICUM. 808.

Hypericum (*quadrangulum*) floribus trigynis, caule quadrato, herbaceo. *L. S. N. p.* 1184.

*Androſaemum alterum aliquibus Hypericoides.* C. B.

H. in ripis, foſſulis: *an der Neſſe, am Wadenberge, bey dem Rothenhof, und im Joh. Thal.* +. Fl. $\frac{1}{4}$ *Jul.* & *Aug.*

Hypericum (*fallax*) floribus trigynis foliis ovato-oblongis, rugoſis, calycisque laciniis ovatis, obtuſis, caule ſubquadrangulari.

*An hypericum vulgare tertium Tragi?*

H. in

H. in pratis montanis humidulis: *vor Winterſtein, auf der Schlotwieſe, unter dem Inſelberg, um Mosbach.* Fl. *Jul.* & ½ *Aug.*

*) *Memorabilis certe varietas, niſi genuina ſpecies, forſan cum inſequente priorem connectens.*

HYPERICUM (*perforatum*) floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtuſis, pellucido-punctatis. *L. S. N. p.* 1184.

*Hypericum vulgare. C. B.*

H. in collibus, rupibus, arvis, paſcuis. Fl. ½ *Jun.* & *Jul.*

HYPERICUM (*humifuſum*) floribus trigynis, axillaribus, ſolitariis, caulibus ancipitibus, proſtratis filiformibus, foliis glabris. *L. S. N. p.* 1184.

*Hypericum minus, ſupinum vel ſupinum glabrum. C. B.*

H. in agris, arvis, paſcuis: *bey dem gehauenen Stein.* ✱. *zwiſchen Oberellen und dem Hitſchhof,* ✚. *vor Mosbach gegen Mittag, unter der Schanze gegen Morgen.* Fl. *Jun.* - ½ *Aug.*

HYPERICUM (*montanum*) floribus trigynis, calycibus ſerrato-glanduloſis, caule tereti, erecto, foliis ovatis, glabris. *L. S. N. p.* 1184.

*Aſcyrum vel Hypericum glabrum bifolium non perforatum. C. B.*

H. in ſylvis & nemoribus: *im Kloſterholz, um Wartenburg, im Hoerſelholz, über W. Lupniz.* ✚. Fl. *Julio.*

HYPERICUM (*hirſutum*) floribus trigynis, calycibus ſerrato-glanduloſis, caule erecto, foliis ovatis, ſubpubeſcentibus. *L. S. N. p.* 1184.

*Androſaemum hirſutum. C. B.*

H. in nemoribus: *im Hoerſelholz, über W. Lupniz, im Moſeberg, gegen das Gefilde, um den Klasberg, auf der Schmetten.* Fl. ⅔ *Jul. poſt.*

Hypericum (*pulchrum*) floribus trigynis, calycibus ſerrato-glandulosis, foliis cordatis, glabris, bracteis integerrimis, caule tereti. *L. S. N. p.* 1184.

*Hypericum minus, erectum. C. B.*

H. in ſylvis: *im Moſeberge, gegen Morgen.* ♃. Fl. 1-16. *Jul.*

Reliquae Claſſes XIX-XXIV. Syngeneſia, Gynandria, Monoecia, Dioecia, Polygamia, Cryptogamia, ob ſpatii anguſtiam in tomum D. V. futurum reſervantur.

VIRO

ILLUSTRI AMPLISSIMOQUE

DOMINO

# ANDREAE ELIAE BÜCHNERO,

S. R. I. Nobili, Conſiliar. Archiatr. & Comit. Palat. Caeſar. Potentiſſ. Reg. Boruſſ. Conſil. intimo, Medicin. & Philoſoph. Natur. in regia Fridericiana Profeſſ. publ. ordinario, Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum Praeſidi meritiſſimo

# HISTORIAM

de

## Iſchuria veſicali periculoſiſſima, ob Proſtatae fungoſitatem & abſceſſum enormem exorta, animadverſionibus ad uſum Praeceptorum artis ſpectantibus illuſtratam,

in publicam grati animi ſignificationem pro ſua in Illuſtrem Academiam Cooptatione offert

CHRISTOPHORUS MOLINARIUS,

Auguſtalis Aulae & Inclyt. Facult. Vindobon. Medicus, Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum,

Demetrius III^tius,

Inſtituti Scientiarum Bononienſis, nec non Academiae Caeſar. Regiae Roboretanae Sodalis,

# Illuſtris Ampliſſimeque Vir.

*Haeſi diu multumque, Illuſtris Doctiſſimeque Praeſes, deliberans, utrum Opella iſtbaec digna eſſet, quae ad gratias cum Tibi, tum univerſae Academiae agendas, ex eo quod me in Coetum Veſtrum cooptaveritis, offerretur. Nam ſi eam conferebam cum refertiſſimis doctrina, eruditione, eloquentia Monumentis illis, quae ad perpetuam nominis Veſtri gloriam artisque utilitatem Academiae Actis inſerta ſunt, abſtinere non poteram, quin pudore ſuffunderer. Quis enim aut ſtupidus, aut ſuarum rerum amans eſſe poteſt ita, ut exiſtimet; Hiſtoriam morbi ſane non vulgaris, at nullo artificio contextam, tumultuariisque obſervationibus leviſſime illuſtratam, occupaturam honorifice locum inter graviſſima ſcripta, quae, ne veteris noſtrique aevi Academicos celebratiſſimos nominem, Tu, Vir Ampliſſime, Ornatiſſimusque* TREWIUS *in lucem protuliſtis? Qua cogitatione eo magis torquebar, quod coniiciebam, expectare vos a me, ut transmitterem Diſputationem illam de univerſis, unde veſica infeſtatur, vitiis, quam Vobis inſcribendam ſciebatis. Cuius licet pretium tale futurum non ſit, quod dignitatem expectationemque veſtram adaequet, id nihilominus habitura ſaltem erit boni, ut doctiores acutioresque, ac ego ſum, Viros excitet, ad morbos iſtos, ſane frequentiſſimos & a nemine, quantum ego ſciam, collectim explanatos, luculentius diſſerendos.*

*Verum*

*Verum cum clinicae, quae in tam populoſa urbe circumſtant undique, occupationes ſubtrahant mihi tempus, quod ei accurate elaborandae neceſſarium eſt, nollemque humaniſſimae invitationi Tuae inurbane reſpondere, qua me monuiſti, Te in eo, qui proditurus eſt, Actorum Tomo, daturum locum lucubrationi meae, ſi quam paratam haberem; malui inconſideratus videri, quam aut ſuperbus, aut inofficioſus.*

*Tuae itaque benignitati confiſus ſcriptiunculam hanc audeo ad Te mittere, quae publicam ſignificationem contineat grati animi erga Academiam mei, pro tanto in me collato honore, teſteturque me daturum operam non ſolum, ut tractationem de Veſicae morbis, quoad vires meae ferunt, elaborem, ſed & quacunque ratione liceat, coner oſtendere, me, ſi minus doctrina polleo, voluntate ſaltem bene de Academia, deque Te merendi haud indignum prorſus eſſe, quem benevolentia proſequamini. Faxit Deus, Vir Illuſtris Ampliſſimeque, ut Coetus noſter, ars Medica, atque ego ipſe, qui tibi tantum debeo, Te doctiſſimisque luminibus tuis, quam diutiſſime perfruamur. Vindobonae Pridie Nonarum Julii,* CIↃIↃ CC LXV.

*Iſchu-*

# *Iſchuria veſicalis periculoſiſſima, ob Proſtatae fungoſitatem & abſceſſum enormem in Viro ſexagenario exorta, & pro lethali habita, attamen feliciter curata.*

Sexageſimo aetatis anno proximus Vir, ſanguineae temperiei, ſcorbuticis affectionibus obnoxius, crebrioremque mingendi pruritum a plurimis annis paſſus erat. Et quoniam, ſeverioribus ſtudiis ſellulariaeque vitae deditus, mentem defatigaverat, lautiorique victus rationi indulgebat, meiendi difficultate doloroſisque veſicae ſpasmis prehenſus ſaepe eſt; dumque urinae emittendae inſtaret, torquebatur adeo, ut, lotii vix propulſa guttula, illico prae dolore ardoreve, in urethra & veſicae collo exortis, deficeret animo. Atque his quidem ſymptomatibus in Italia celebrium Virorum ope occurſum eſt pluries, praecipue Bononiae, Urbe illuſtribus in arte noſtra Viris ditiſſima, in qua aeger ſalutarem amici noſtri, dum viveret ſuaviſſimi, praeclarique haud minus Medici quam Chirurgi, Molinellii, opem expertus eſt.

At cum inopinato e miti Italiae coelo, vix a pertinaci Iſchuria illic per catheterem ſublata levatus, ad nos ſe hyemali tempeſtate tranſtuliſſet, frigore, vitae genere diverſo, ac imprimis noſtratium vinorum inſuetudine, incidit in eumdem, de quo ſuperius dixi, morbum die viceſima nona menſis Januarii 1762. ex eo praeſertim, quod prae pudore, cum in colloquio eſſet, per horas multas lotium niſu cohibuit. Hinc protinus acerbo circa pubem dolore, una cum febri valentiſ-

ſima corripitur, hypogaſtrio toto, tympani ad inſtar, intento, cui binis nyćthemeri ſpatio, Venae ſectionibus catheterisque inſitionibus proſpicere tentatum eſt, etſi fruſtra.

Cum itaque diriſſima iſthaec ſymptomata adhucdum perdurarent, in conſilium ego accitus, aegrum validiſſima febri aeſtuantem, ſed alto ſopore oppreſſum, inveni, ventre in molem maximam exſurgente, veſicaque ad umbilicum uſque inflata, & lotio oppleta, quae amphoram ſummae magnitudinis referebat. Cenſui propterea novam ſanguinis, cum e tuſa vena, tum ex oris venarum, quae in ano ſunt, ope hirudinum, detractionem, & utiliſſimam & expeditiſſimam eſſe. Atque his peractis auctor fui, ut enemata modo emollientiſſima parva copia & repetitis vicibus, modo acriora in alvum immitterentur, non praetermiſſis ſemicupiis. Verum nec novae cruoris emiſſiones, nec ea, quae intus aut extus emollirent, nec oleoſa in urethram leniſſime iniecta, levamen aegro attulerunt: quandoquidem nec guttula urinae ab aegro, ſenſuum omnium prorſus experte, reddebatur, quin imo ventris magis magisque, ob novi lotii ad veſicam indeſinenter appulſi copiam, inflati rupturam imminere, niſi alio artis praeſidio urina evocaretur, metuebamus.

Hac de cauſſa rati ſumus, auctore Celso, ſatius anceps, quam nullum experiundum eſſe auxilium: & magno Hippocrate in Aphoriſmis nobis praelucente, ad morbum extremum extrema praeſidia adhibuimus. Hinc cum Catheteris ope, ſaepenumero in urethram immiſſi, fruſtra urinae eductio tentaretur, & affectio indies exacerbaretur, ad veſicae punctionem, quia vires in aegro nondum attritae videbantur, confugiendum eſſe exiſtimavi.

Quoniam vero quibusdam ex iis, qui aegro adſtabant, operatio haec videbatur nimis periculoſa, ſubventum eſt aegro aliis atque aliis, ſed incaſſum, cum intus, tum extus adhibitis medicaminibus, ita ut altera cum nocte dies effluxerit, prius-

priusquam id nobis concederetur. At aegro interea inſecurae ſorti derelicto, & tumor ventris, & febris & ſopor invaluerunt adeo, ut tandem, ne ille ſuccumberet, peragendae punctionis, quam ego ingeminabam unicam eſſe, quae in hoc caſu iuvare poſſet, facta mihi poteſtas fuerit.

Advocavi igitur inſignem ſcientia & exercitatione Virum, *Joannem Nepomucenum Houmburgium*, Auguſtorum Chirurgum, ac ne ad anceps plenumque periculi experimentum deſcenderetur, niſi neceſſitate prorſus cogente, tentavit is prius catheterem in veſicam immittere; verum continuo ſenſit quid duri circa veſicae os obſtare, quo minus catheter in veſicam penetraret. Hinc ad digiti in anum inſertionem confugere neceſſe fuit, ut intimius duritiei iſtius, catheteri obſiſtentis, naturam perveſtigaret. Et ſane deprehendit, Proſtatam in tumorem longum, durum ingentisque molis excreviſſe, qui occupaverat ſedem veſicae, unde haec, cum nimia urinae copia diſtenderetur, fuerat in abdomen prorſus protruſa. Qua ex re cum intellexiſſemus, fiſtulae argenteae in urethram inſertionem non ſolum inutilem, ſed & pernicioſam eſſe, praeſertim cum ſanguinem hac extracta proſilientem, dum aeger aliorum manibus tractabatur, conſpexiſſem, iudicavimus, non eſſe ulterius differendam punctionem, ſi quidem aegrum vellemus ex orci faucibus eripere.

Diſſentiunt Auctores de loco, in quo punctura inſtituenda ſit: nos vero, penſatis hinc inde omnibus circumſtantiis, exiſtimavimus, illum a tumore Proſtatae, & a naturalis ſitus mutatione hic definiri. Quapropter indubium eſſe credidimus, aperiendam in hypogaſtrio, ſupra pectinis oſſa, veſicam fore, eo in loco, unde olim *Petrus* Francus volebat, ut calculus eximeretur, eaque ratione, qua, docente celeberrimo Heistero per altum, ut vocant, apparatum calculi extractio ſolet inſtitui. Nam eam, quae in perinaeo fieret, fruſtraneam reddidiſſet Proſtatae moles cavum pelvis ingreſſa.

Cum ergo locus ille altero aptior viſus eſſet, ſumſit dexterrimus chirurgus ferramentum, illi prorſus ſimile, quo aqua hydropicorum evocatur, quodque *Trocar* ſive *Trois quarts* vocant. Ne vero recta illius introductione peritoneum, ſupremo veſicae inhaereſcens, ſimul vulneraretur, ita inſtrumentum aptavit moderatusque eſt, ut ictus oblique verſus veſicae cervicem pertingeret. Atque hac pertuſa adhibitisque ceteris artis adminiculis, erupit protinus ſummoque impetu cruentae urinae plusquam ſex medicarum librarum pondo. Et quamvis veſica in propriam ſedem rurſus collapſa videbatur, ex ea nihilominus, compreſſo vehementius hypogaſtrio, ſex circiter ſaniei unciae expreſſae ſunt. Quibus mane peractis, aeger, qui per biduum, pulſu exiſtente debili parvoque, alto ſopore obrutus erat, mentis compos illico factus eſt, veſicae punctionis minime conſcius. Cuius vulnus, ſimplicis adinſtar, deligatum, brevi temporis ſpatio coaluit. Verum circa eiusdem diei meridiem is nova valenteque febri correptus eſt, nec, ventre licet molli & ſubſidente, lotium ex urethra excernebat ullum. Ad maiorem itaque inflammationem praepediendam, ſanguis pertuſa vena eductus eſt.

Cum vero *Houmburgius* quarta pomeridiana catheterem iterum per urethrae iter in veſicam voluiſſet ducere, eadem, quam ſuperius recenſuimus, dura reſiſtentia impeditus, etſi non adeo pertinaciter, ut antea, fuit, quominus libere illum truderet. Sentiens autem illam aliquantisper cedere, ita dextre fiſtulam direxit, ut, patefacto tandem veſicae itinere, tres urinae librae, cum magna puris copia intermixta, proſilierint; quae ut conſpeximus, credidimus relinquendum eſſe in veſica catheterem, ne Proſtata, ulcere eroſa pusque excernens, urinae iter, tot tantisque laboribus reſeratum, denuo intercluderet: Et ſane eadem die ad veſperam, ut & tertia poſt mediam noctem hora, urinae librae duae, eiusdem indolis ac pridie, per catheterem prodiere. Poſtridie vero

hora

hora nona antemeridiana, etſi aeger iam a febri doloribusque, quibus peracta punctione acriter affligebatur, eſſet immunis, fiſtulam tamen in veſicam inſertam liquimus. Et quidem inſtante meridie, erupere ex ea lotii purulenti librae duae: extracto vero ſexta eius diei hora pomeridiana cathetere, ut a grumoſo cruore, quo inferciebatur, repurgaretur, diligentiſſimo Artifici, fiſtulam iterum in veſicam impellenti, ſpongioſa ſeſe iterum obtulit moles renitens, urinaeque iter, ut pridem, occludens. Arti vero ceſſit, absque eo quod aeger dolorem ullum perciperet, atque inde libra eiusdem, ac antea, urinae effluxit. Quotiescunque enim educebatur lotium per fiſtulam, comprimebatur manu hypogaſtrium, ut urina e veſica praeter modum laxa protruderetur. Interea ad ea, quae poſt veſicae punctionem purulentique humoris animadverſionem animum adiecimus, illico in uſum vocantes artis praeſidia, quae ad abſtergendum, & ad veſicae robur reſtituendum ſunt validiora.

Ac primum locum Cortici Peruviano dedimus, utpote qui & roborat, & gangraenam inhibet, & ſuppurationem procurat benigniorem. Ex hoc cum drachmam unam ſingulis binis horis exhibuimus aegro deglutiendam, tum decoctionem, congrua mellis portione adiecta, in veſicam iniiciebamus. In eius vero uſu tamdiu perſtitimus, quamdiu morbi ſaevities id remedii genus exposcere viſa eſt, doſi pariter ad morbi ſtatum alternatim adaucta, vel imminuta. Cum enim ea eſſet ſtatuta lex, ut ſi quando catheter e veſica educebatur repurgandus, iter urethrae ad veſicam congruo cereo ſervaretur apertum, ſic & urina prodibat libere, & e varia puris ſpecie quantitateve, quomodo curatio eſſet attemperanda, colligebamus. Animadvertens itaque & puris albicantis copioſum effluvium, & in aegro aliquoties integro biduo virium imminutionem, appetitum cibi proſtratum, horripilationem totius corporis moleſtam, calorem ſitimque increſcen-

ſcentem, quae omnia ſunt ſuppurationis indicia, in iis exhibendis inſtiti, quae, ut ſuperius ſcripſimus, abſtergentia & balſamica vocari a Medicis conſueverunt. E quorum numero illa praeſertim ſelegi, quae in huiuscemodi morbis expertus ſaepe ſum efficaciſſima: Bolos nempe ex Rheo electo, Sapone Veneto, Succino albo, Camphora, Terebinthina & balſamo Peruviano confectos ter in die aſſumendos, epota deſuper ſeri lactis vaccini depuratiſſimi libra: veſperi vero ex Melonum Papaverisque ſeminibus, cum Amygdalis dulcibus, emulſionem. Atque his praeſidiis non ſolum veſica urinaria, unde magna profecto puris concocti quantitas defluxit, eſt probe abſterſa, verum etiam alvus, alias adſtricta, ſoluta eſt cum aegri levamine. Et quoniam peculiariter veſicae curandae proſunt ea medicamina, quae fluida in forma adminiſtrantur, cum humores, qui in corpore ſunt, in eam facile confluant, ut inde lotium excernatur; acceſſi deinde ad medicatas illas aquas, quae ſingularem vim ad veſicae morbos habere demonſtravit repetita hominum ſapientiſſimorum experientia.

Iniecta igitur in eam, ope fiſtulae, aqua calcis vulgaris, intermixta decoctioni hordei, & ſufficienti mellis quantitati, iuſſi, ut aeger memoratis ſuperius bolis ſuperbiberet repetitis vicibus, loco ſeri, libras duas aquae ex Oſtreorum calce paratae, cui libra una caprilli lactis eſſet infuſa. Atque haec viginti dierum ſpatio adminiſtrata mirum eſt, quam profuerint. Non enim ſolum veſica abſterſa eſt & eluta; verum etiam ſpontanea illa mingendi cupiditas, quae a natura eſt, & ſublata prorſus toto hoc tempore videbatur, excitata eſt iterum ita, ut fere naturalis urinae fluxus quotidie, & ſine moleſto niſu ſequeretur, quo pacto ſanis hominibus lotium emittere volentibus ſolet contingere.

At quia mingendi iſthaec cupiditas invaleſcebat adeo, ut in pruritum ardore doloreve moleſtiſſimum degeneraret, ſepoſi-

ſepoſitis bolis & calcaria ex oſtreis aqna, unde exſtimulationem iſthanc oboriri ſuſpicabar; praeſcripſi Peruviani corticis drachmam, & ex althaeae radicibus malvaeque foliis & floribus decoctionem, lacte caprillo perfuſam, ad potum. Veſperi vero congruam Trochiscorum de Gordonio recentiſſime paratorum portionem in emulſione e melonum papaverisque ſeminibus amygdalisque dulcibus confecta. Quibus rebus effectum eſt, ut aeger iterum facilius liberiusque, & ſine ardore doloreve ullo, urinam emitteret, quae colorem quidem naturali fere ſimilem habebat, expers vero non erat ab omni eius indolis pure, ac illud fuerat, quod toto anterioris menſis tempore copioſe redditum memoravimus.

At cum iterum ad internum oſtreaceae aquae lactisque uſum rediiſſemus, isque ad longum tempus protraheretur, evanuere ex urinis omnia vel tenuiſſima puris veſtigia, atque id, quod curationis caput erat, conſequuti ſumus, ut nempe abſterſa probe roborataque eſſet urinaria veſica, & obex ille, qui, pertinaciſſime lotii exitum inhibens, aegro interitum minitabatur, ſublatus eſſet ita, ut urinam liberrime naturalique prorſus modo aeger ad arbitrium excerneret.

Sub curationis tempus victus ratio inſtituta eſt qualem febris modus, purisque effluvium exposcebant, tenuis nempe, circa initia humectans, demulcens, &, ut in hoc morborum genere a Medicis praeſcribi conſuetum eſt, obliniens. Morbo vero depulſo, conceſſum eſt, ut quae revocandis viribus proſunt, aſſumerentur, ſed frugaliſſime. Atque hac ratione Proſtatae fungo, in veſicam usque procul dubio propullulante, exſiccato, & ulcere abſtergentibus glutinantibusque auxiliis conſolidato, & veſica ex ingenti atonia, quam ob tantum humorum confluxum detentionemque contraxerat, liberata, & in ſibi naturalem ſtatum, molem, ſedemque reſtituta, aegrum perfectam nactum eſſe valetudinem certiſſimo

argu-

argumento eſt, quod is proſpere a Februario anni 1762, quo veſica puncta a nobis eſt, ad hunc, quo ſcribimus, annum CIↃIↃ CCLXV. vitam in Italia, quo poſt morbum ſe ſe contulit, tranſegiſſe comperimus.

## *Scholium.*

Quot quantisque gravibus afflictionibus veſica urinaria tentetur, haud ignotum eſt iis, qui cum in ſubtilioris anatomes ſcientia, tum in medendis humani corporis affectionibus longo uſu verſati ſunt. At inter pertinacia veſicae mala pertinaciſſimum ſane periculoſiſſimumque illud eſt, quod Proſtatam afficit, quo fit, ut haec vel in tumorem abnormem, vel in abſceſſum degeneret: quoniam illa corpus eſt globoſum & quaſi cordiforme, mox ante veſicam in collo ſitum, quod & totum urethrae principium cingit, & peregrino humore ſi turgeat, aut calculis obſideatur (1) facile urinae iter occludit.

Lapidem in Proſtata cadaveris Eminentiſſimi Cardinalis *Morigii* fuiſſe, a celeberrimo VALSALVA repertum, immortalis famae Vir MORGAGNUS litteris prodidit (2). Glandulam vero hanc tumidam duramque ſuppreſſae urinae cauſſam extitiſſe, PARAEUS, RIOLANUS, MURALTUS, DOLAEUS, REISELIUS pridem memoriae mandarunt, & dehinc Viri celeberrimi, HEISTERUS, PLATNERUS, BENEVOLUS, VALLISNERIUS, RIEDLINUS confirmarunt. Atque ipſe MORGAGNUS, qui animadvertit non ſemper totam Proſtatam eſſe tumidam: Nam, ut

(1) Vid. *Chriſtophor. Pohlii* Diſſert. Lipſ. ventilat. anno 1737. de Proſtatis calculo affectis.

(2) De ſedibus & cauſis morbor. per anat. indagat. Epiſt. anat. med. XLII. art. 37. pag. 174.

ut inquit (3), *haud raro eius tantummodo ſuperior ambitus aut undique, aut certa ex parte ſic excreſcit & tumet, ut urinae exitum occludat.*

Morbum autem hunc ſaepenumero cum ſcorbuto affectos, tum venereo morbo male mulctatos invadere comperuimus: cum enim e ſanguine, omnium humorum fonte, imbuto particulis varii generis, & praecipue, cum ſcorbutica labes regnat, acrioribus, deriventur ſecernanturque alia humida ad varios corporis uſus, & imprimis ad irrorandas obliniendasque peculiares partes deſtinata, mirum non eſt, ſi ii, qui ſubſunt ſcorbuto, quorum alioqui lotium acerrimum foetidiſſimumque eſt (4), tententur crebrius veſicae morbis; eadem ratione ac illis accidit, quos lues venerea haud ex arte tractata male habet. Nam hi utplurimum vel urethrae, vel veſicae, vel glandularum ſeminalium, vel Proſtatarum aliarumque corporis glandularum morbis, ſummopere dilaniantur. Nec enim dubium eſt, quin celticum illud virus ſeſe in obſcoenas partes, humoribus lubricantibus, glandulis varii generis, canaliculisque mucaginem exprimentibus refertiſſimas, intrudens, cum nec e corpore exturbatum ſit, nec ſaltem refraenatum, illas erodat, & forte ſub conglutinatis intempeſtive ulcusculis diutius nidulans, cuniculosque ſenſim ſenſimque agens, aggrediatur principes partes, maleque mulctet. Quemadmodum fuſe ſatis celeberrimus Astrucius in Opere ſuo omnibus numeris abſoluto docuit, & quampluribus obſervationibus abunde illuſtravit. Hinc ex innumeris pertinaciori lue afflictis paucos vidimus vel a Proſtatae, aliarumve glandularum, vel a veſicae morbis immunes.

Ne

(3) Ibid. Epiſt. anat. med. XLI. art. 17. pag. 155.

(4) Vid. a Treatiſe of the ſcurvy. By *James* Lind, of the diagnoſtices of the ſcurvy. Chap. 2. pag. 161.

Ne quid dicam de iis, qui, quamplurium annorum ſpatio venereis divexati tormentis, non modo Iſchuria Dyſuriave diriſſima ſaepenumero prehenſi ſunt, verum etiam Proſtatae, perinaei, veſicaeque urinariae abſceſſu, ob accreta variae indolis corpora, vel fungos in eadem germinantes, ita affligebantur, ut, eroſis veſicae membranis, lotium per annos ex eiusdem & perinaei ulcere ſummo aegrorum incommodo ſtillaverit. De quo morborum genere peculiari doctrina ſermonisque elegantia egit Vir expertiſſimus *Hieronymus* LAPI, in Diſſertatione ſua, de *Curatione ſtranguriae contumacis, frequentem maleque tractatam gonorrhoeam conſequentis* (5). Nos quoque vexatos a multo tempore hac affectione binos Viros, etſi veſicae pars exeſa corruptaque erat, ex integro reſtituimus.

Creditu igitur facile eſt, in aegro noſtro utriusque morbi fortaſſe ſeminia in haſce ſedes iacta ab iuventute fuiſſe, quae, per aetatem variasque alias ſimul conſpirantes cauſſas exacerbata, periculoſiſſimam dein affectionem produxerunt. Pluribus enim annis dyſuria ſtranguriave aegro noſtro detento, catheteris ope urinam extrahere, ut hic ſublevaretur, opus fuit: Proſtatam igitur ſenſim ſenſimque ob affluentium pravorum humorum copiam laxiorem redditam increviſſe, ulceratamque in magnam molem degeneraſſe, exiſtimandum, ni fallor, eſt, per quam pertinaciſſima Iſchuria inde ſuborta eſt. Atque idem aegro noſtro contigiſſe videtur, quod Illuſtris MORGAGNUS de Cive ſuo, Viro Patricio ſexaginta amplius annos nato, prodidit (6), his verbis: *Cum tumor & durities Proſtatae incepit, coeptum quoque aegrum eſſe principio aliquo retentionis urinae tentari; cum vero demum uſque adeo tumor auctus fuerat, ut repentina accedente ſanguinis per eam glandulam circumque ipſam maiori motus tarditate,*

(5) In Collect. Diſputat. ad morbor. hiſtor. & curation. facient. Illuſtris HALLERI Tom. IV. pag. 127.

(6) Epiſt. anat. med. XLI. Art. 13. 14. pag. 153.

*ditate, meatus per eam ductus, nonniſi immiſſo catheteris ſolido corpore ſatis urinae patere poſſet, hanc amplius nequiiſſe per ſe ſibi exitum aperire.* Nam poſtquam pluribus tormentis cruciatus deceſſit, glandulam Proſtatam MORGAGNUS, diſſecto eius cadavere, invenit praeter naturam totam turgidam tantaeque duritiei, *ut quaſi ex cartilaginis & ligamenti commiſta ſubſtantia conſtare ſecantibus videretur.*

In Opuſculis quoque ſuis pathologicis (7) Illuſtris HALLERUS memorat, ob Proſtatam ſcirrhoſam ſubortam eſſe urinae incontinentiam, quae procul dubio, ut ipſe ait, a perpetuo ſtimulo adfluentis puris orta erat, nec non a ſcirrho Proſtatae, qui ſphincteris veſicae conſtrictionem inhibuerat. Ex quibus omnibus colligimus, in hoc morborum genere, circa affectionis initia, affectas partes ipſamque morbi ſedem, quantum fieri poteſt, eſſe diligenter inquirendas, demiſſis prudenter debitoque tempore in veſicam, per urethrae iter, cereis argenteisque fiſtulis: Tunc enim ſi quae in veſicae collo, aut in ipſa veſica oriuntur, etſi levia obſtacula, facillime deteguntur, & cum internis aptisque medicaminibus tum chirurgicae manus ope, cuncta, quae ſedes haſce afficiunt, mala facilius demoliuntur.

Cavendum tamen, quod experientia compertum eſt, ne in veſicae afflictionibus quocunque tempore, aut Iſchuriae genere, in urinae iter Catheter immittatur: nam ſi argentea fiſtula in erumpente urethrae, colli veſicae, huiusque ipſius inflammatione promovetur vi adhibita, poteſt accidere, ut maior inflammatio, aut convulneratis cunctis partibus gangraenae periculum exoriatur. Et ſane monuit iam aevo ſuo celeberr. Chirurgus *Hieronymus Fabricius ab* AQUAPENDENTE, qua ratione Catheter in veſicam coniiciendus ſit: Et noſtro, alii in chirurgica arte inſignes Viri, inter quos merito recenſendi

bbb 2 ſunt

(7) Obſerv. XXXV. pag. 82.

ſunt Heisterus atque Platnerus, plura de hac medendi ratione agitarunt: quoniam per nimiam in Catheteris uſu cunctationem, aut feſtinationem novimus mala crebrius fuiſſe exacerbata.

Ut vero in iis, quae ad morbi noſtri hiſtoriam illuſtrandam faciunt, inſiſtamus preſſius, nam uberiorem morborum veſicae tractationem ad aliud tempus reſervamus, illud animadverſione ſumma dignum cenſemus, quod in Iſchuria, utplurimum veſicali, exiſtimetur per argenteam fiſtulam educendam eſſe urinam eo ſolummodo tempore, quo veſica prae nimia lotii quantitate aſſurgit turgida & oppleta in hypogaſtrium, regionemque hanc elevat, intenditque. Cum alias putetur id eſſe pathognomonicum oppletae lotio veſicae ſignum.

Porro crebra nos docuit experientia, magnam ſatis, absque eo quod grandis ſit hypogaſtrii tumor, quantitatem urinae in veſica contineri, quae lethales ſaepenumero morbos producere conſuevit. Quod in aureo ſuo Opere (8) ampliſſimus doctiſſimusque Morgagnus hisce verbis confirmat, dum ait: *Sed ut aliae in aliis morbi cauſae, aliaeque corporis, & partium, & urinae conditiones ſunt, ita alia alii Medico in alio aegrotante eſſe eorum, quae cito agit, aut differt, ratio poteſt. Me quidem in meo facilioribus cito, ſed fruſtra adhibitis, in Catheteris uſu celeritatis non poenituit, quamvis Chirurgo nimia adeo videretur, ut propter exiguam hypogaſtrii tenſionem nihil urinae in veſica eſſe aſſeveraret.* Et profecto ſaepius animadvertimus, in veſicam apoplecticorum, in quibus omnes ſenſus oppreſſi erant, confluxiſſe ingentem urinae copiam, & ob partium inſenſilitatem & atoniam diutius retineri, e cuius in humores reſumtione obruti aegri citius pereunt. Iccirco poſtquam, ut ſuperius monuimus, e cunctis ſymptomatibus morbique notis in unum collectis noveri-

(8) Epiſtol. anat. med. XLI. Lib. 3. de Morb. ventr. Art. 14. pag. 154.

verimus, lotium adeſſe, neque poſſe adhibitis cum intus, tum extus artis praeſidiis evocari, tentandum protinus eſt, ut id ſagaci fiſtulae ope conſequamur, ne aeger lethali ſopore opprimatur. Nam ſi haec operatio protrahatur in longum tempus, diſtenditur in immenſum, ob lotii copiam, veſica, & huius ſphincter collumque adeo contrahitur, ut catheterem nulla ratione recipiat, vel ſinat in veſicam usque demitti. Atque hinc utplurimum per hoc iter nec guttula urinae educi poteſt, & ſi obſtinatius per catheterem inflammatas hasce ſedes urges, augebis inflammationes, unde abſceſſus, aut gangraenam ipſam accerſes.

Quantum vero pertinet ad Catheteris inſitionem, plura eſſe poſſunt, quae id impediant; quae magna ſane cum ad noſcendum, tum ad tractandum morbum, cautione opus habent. Nam interdum glandula Proſtata eſt vel turgeſcens, vel inflammata, vel ulcere exeſa, aut indurata, unde urethrae iter anguſtius redditur, vel prorſus occluditur, cum haec, ut ſupra monuimus, ante veſicae collum locata, urethrae principium ambiat, & pro mole vel aucta, vel imminuta, liberum urinae e veſica profluvium impediat, aut ex integro cohibeat. Quodſi binae poſteriores glandulae illius prominentiae, a celebri Heistero in Anatomes ſuae Compendio *natiformes* nuncupatae, humoribus ſupervacuis turgeant, hae non modo veſicae collum affatim ſtringunt atque obturant, verum etiam neceſſariam ſphincteris actionem ex integro praepediunt. Quin admiratione dignae ſunt quoque propagines illae Proſtatae intra veſicam ipſam aſcendentes, quas acutiſſimus Morgagnus cum in Adverſariis anatomicis (9), tum in Epiſtola anatomico-medica (10) ab ſe inventas fuiſſe, ſcribit,



(9) Adverſ. anat. 3. Animadverſ. XIV. pag. 25.
(10) Epiſt. anat. med. XLI. art. 18. 19. pag. 155. & ſeq. Et in Epiſt. anat. med. LXVI. art. 6.

bit, quasque obſervatum eſt, eſſe modo ſimplices, modo duplices, quemadmodum *Thomas* BARTHOLINUS Patavii memorat, ſe quondam reperiiſſe aiens ex ſubſtantia glanduloſa & candida intra veſicam tubercula bina forma & magnitudine teſtium, aequaliter ſe ſupra foramen volventia, quae cedebant ſyringae immiſſae, ſed ſtatim recidebant in priſtinum locum illa extracta.

Ex his itaque Proſtatam infeſtantibus noxis colligere quisque peritus artifex poteſt, mirabilia ſane diverſaeque naturae phaenomena naſci, quorum quodlibet ſumma animadverſione dignum eſt. Atque illud imprimis, quam facile haec urinae itinera, ut occludi, ita difficulter reſerari valeant: Requiri hinc circa morbi initia ſummam medentis induſtriam, progrediente vero affectione opus eſſe dexterrima Chirurgi manu, quae inhaerentibus iam vitiis ſuccurrat, magis nocitura praepediat, ipſamque aegri mortem ſedulo, quantum in ſe eſt, avertat.

Si quae vero diriſſima eſt humanum corpus torquens affectio, ea ſane eſt, quam Proſtata, ob nuper recenſita vitia, veſicalem Iſchuriam efficit, cui niſi protinus ſuccurratur, in lethalem urinae ſuppreſſionem tranſit. Ad evocandam vero urinam e veſica, cuius os, ut meminimus, a tali obice obſtructum prorſus eſt, nullam aliam viam ſuppetere, nemo poteſt negare, praeter illam, quam artifex parat ope ferramenti veſicam vulnere inflicto aperientis. Quod ab aliis *veſicae punctio*, ab aliis *Paracenteſis* appellatur. At in huius adminiſtratione plura ſunt, quam diligentiſſime perpendenda. Nam priusquam inſtituatur, perveſtigare oportet morbi cauſſas, deinde, quantum fieri poteſt, veſicae cumprimis, tum adiacentium illi partium & conditionem, & ſtatum: ne errantes in ſtatuendo loco, ubi vulnus fiat, aeger, qui alia ratione ſervari potuiſſet, contortus fruſtra letho detur. Et quidem in diverſas, quantum ad rationem, qua operatio fiat, ſententias celeberrimi Chirurgicae artis Magiſtri abierunt. Quibusdam, quem-

quemadmodum Dionisius tradidit, una cum vetuſtioribus ea medendi methodus videbatur recta, quae in calculi curatione adhiberi ſolet, qua perinaei ſedes conciditur cum apparatu, ut vocant, magno, lapis extrahitur, ſcalpello ad latus ſiniſtrum ſuturae perinaei intruſo.

Inſigniores tamen Chirurgi modum hunc contendunt eſſe & periculoſiorem & dolorificum magis, ex eo quod urethra ac veſicae collum diſſecantur inutiliter, & partium iſtarum inflammatio utplurimum augetur, Proſtata inſuper ſeminalibusque ductibus male mulctatis. Hinc alii auctores ſunt, ut vulnus ea methodo iisdemque ferramentis in ea perinaei ſede fiat, ubi in parvo, ut aiunt, apparatu, vel in laterali methodo pertundi veſica per perinaeum ſolet: quoniam omnes eae partes, quae in ſuperiori operatione laeduntur, manent intactae in hac illaeſaeque, ſecto tantum veſicae corpore. Unde & vehementiores dolores, & intenſior veſicalis cervicis inflammatio ab aegro arcentur, & vulnus ipſum citius faciliusque conglutinatur.

Riolanus, qui eo quo floruit tempore, haud vulgarem famam conſequutus eſt, indicat in *Enchirid. anat.* Lib. 2. Cap. 30. ſe, ubi urinae profluvium ex integro cohibetur, & catheter in veſicam compelli nequit, perforaſſe ſcalpello, vel in perinaeo, vel in hypogaſtrio, veſicam, dum ait: *Scalpello profunde uſque ad veſicam lateraliter, donec urina fluxerit, adacto,* ſe multos ab orci faucibus eripuiſſe. Quam operationem Theveninus, Pariſienſis Chirurgus, in Operibus ſuis ſcalpello pariter peragendam eſſe cenſuit: cui conſentit haud incelebris quondam Pariſienſis Chirurgus Saviardus, ſingularem veſicae punctae perinaeo pertuſo morbique hiſtoriam in Operibus ſuis chirurgicis referens (11). Stupendus ille ſui aevi Chirurgus, *M. Aure-*

(11) Obſerv. LXXIV. de perinaei punctione pag. 324.

*M. Aurelius* SEVERINUS (12), de ſectione ad eliciendam morantem urinam neceſſaria agens, ſic fatus eſt: *Neque medicamentis omnibus, neque catheterismis interdum obtinetur, ut lotium, quod urinarii meatus vitio multos uſque dies moratum ſit, elici poſſit; homine ad obitum continuo properante. Difficile ne igitur tibi videtur fortaſſe, ſi ad collum veſicae, qua lithotomia conficitur, per ſcalpellum, anguſto foramine, caeſura dextra incidatur? Sed hanc ipſam quam dixi curationem ineundam tradidit Joannes* ARCULANUS *Autor eius rei, quantum equidem, primus in Comm. ad Q. Razis ad Manſorem Cap.* 103. *quam ego rem in extremis & hominis aegri aliorumque praeſidiorum nil praeſtantium caſibus non refutandam, aut detrectandam admonere volui.*

TOLETUS in libro de Lithotomia ſua acum, triangulari quidem cuſpide, attamen nudam huic operationi perficiendae exiſtimavit aptiſſimam.

Leidenſis etiam Lithotomus DENYSIUS acu, ſed alterius figurae ac vulgaris, utebatur, qua methodum extrahendae e veſica urinae conatus eſt emendare.

Verum primores artis, quae manu curat, Antiſtites in eo conveniunt omnes, ut adhibeatur acus triangularis, quam *Troicars* vocant, tubulo conveſtita. Per eam enim haud amplius, ac ſatis eſt, foramen efficitur, & tubulus eodem cum ipſa tempore intruditur, per quem, acu ſubtracta, profluit liberrime, quamdiu opus eſt, e veſica urinae vis, & integra curatio citius tutiusque magno cum aegri emolumento perficitur. Atque hac ratione ſe feliciſſime aegros curaſſe immortalia Germaniae noſtrae Decora, HEISTERUS & PLATNERUS teſtantur. Dubitare idcirco non licet, quin reliquis inſtrumentis, quae hactenus a variis inventa eſſe memoravimus, praeferen-

(12) De efficaci Medicina Part. 2, chirurg. efficacis. De Section, Cap. XII. pag. 81.

ferendum hoc ſit, quod ratio & confirmata experimentis auctoritas comprobarunt.

Jam vero ad operationem, quae in hypogaſtrio fit, quoniam eam hac in curatione ceteris antetulimus, neceſſe habemus orationem noſtram convertere. Atque eam priori loco laudat HEISTERUS (13), inquiens: *Acus, ſive clavus chirurgicus tubulo incluſus modo laudatus, ſupra pubis oſſium iuncturam, hoc eſt, ea parte, quae in curatione calculi, per altum apparatum inſtituta, ſolet incidi, in anteriorem corporis veſicae partem provide deprimitur, receptaque acu, per tubulum in plaga relictum, urina emittitur.* Conſentit PLATNERUS, qui addit (14), oportere hominem cubare ſupinum, cum vulnus non facile glutinetur, quoniam ob lotii, ſi ex eo promanat, effluxum, mala ulcera in tunica illa celluloſa, quae ſub peritonaeo eſt, ſaepenumero exoriuntur.

Tum PALFINUS facillimam eam eſſe pronuntiat, id tantum monens, ut acus ſit longior, quod a celebri Pariſienſi Chirurgo MERIO obſervatum refert (15). ROSETUS quoque, Libro de Partu caeſareo, cum RIOLANO & TOLETO commodiſſimam expeditiſſimamque hanc artis eſſe operationem fatetur. Quibus, COLOTO teſte, TURBIERIUS, Pariſienſis quondam Chirurgus, eſt adnumerandus, in Libro ſuo de Lithotomia: ſtabilieruntque DOUGLASSIUS, in ſua Lithotomia, & MIDLETONUS in Libro de alta operatione, non modo faciliorem, ſed & minus periculoſam hanc, quam quae in perinaeo fit, eſſe medendi rationem. Atque huius ſententiae auctorem fuiſſe Magnum VAL-

(13) Inſtit. Chirurg. Part. 2. Sect. 5. Cap. CXLIV. de punctur. perinaei ſive veſicae pag. 1011.

(14) Inſtit. Chirurg. rational. de Veſicae paracenteſi §. 1247. pag. 300.

(15) Anat. chirurgical. Tom. I. Chapitr. XIX. de la veſſie et de l' urethre, pag. 158. & ſeq.

VALSALVAM, ſuperior forte tanto Praeceptore discipulus, MORGAGNUS, in Opere Cedro digniſſimo, quod avidiſſime legimus (16), narrat, dum refert, anno 1714. VALSALVAM Equiti, ſuppreſſa urina laboranti, reſpondiſſe: *Si forte eiusmodi contingat ſuppreſſio, nec lotio naturalem viam reſerare liceat, quod alii proponebant, ab ſe quoque probari, ut ferro per perinaeum ſcite adacto, novam aperirent.* Quin illud inſuper addebat, *ſi quid forte id facere prohiberet, tum neceſſitate urgente eadem acu, per quam hydropicis aqua emittitur, continuo ſupra pubis oſſa oblique deorſum ad veſicam demiſſa, urinam poſſe evocari.* Ac tandem ne conquiſita nimis eruditione moleſtiam legentibus creemus, WEITBRECHTIUM Petropoli eodem modo militi opem tuliſſe legimus (17).

Atque hae fuerunt in cauſſa, cur aegro noſtro levamen laturi, eam cenſuimus eſſe adhibendam. Et vero inutiliter perinaeum punxiſſemus, ex eo quod erat indubium affectam ex ingenti Proſtatae tumore non hanc ſolum glandulam, ſed per eius propagines veſicam ipſam fuiſſe. Veſica quippe cum e ſede ſua dimota, & in ventrem, lotio quam maxime diſtenta, prorſus eſſet extruſa, tundi ſine periculoſiori partium, quae prope ſunt, laeſione haud facile potuiſſet. Praeterquam quod huiuscemodi punctio abſceſſum, in quem Proſtata abierat, diffregiſſet, unde nova malorum caterva, ut compertum eſt, erupiſſet. Nam quemadmodum le DRANIUS (18), HILDANUS (19), PETITUS (20), Viri expertiſſimi obſervarunt, e magnis

(16) Epiſt. anat. med. XLII. De morb. ventr. Art. 36. pag. 174.

(17) Commerc. litter. Norimb. Anni 1733. Hebd. 2. n. 1.

(18) Obſervations de Chirurg. Tom. 2. Obſerv. LXXVI. pag. 163. & ſeq.

(19) Obſerv. chirurg. Cent. V. Obſerv. LXIV. pag. 455. alibique in variis obſerv. & praecipue in Cent. 2. Obſerv. LXV. pag. 137.

(20) Memoires de l'academie Roiale de Chirurg. Tom. I. pag 619.

magnis perinaei abſceſſibus non modo laeditur veſica, ſed cum materies, quae in hac quandoque detinetur, hac illac fluat agatque, inteſtinum corroditur, & varii generis fiſtulis, raro aut difficulter curabilibus, exeditur: Ex quo & illud fit, ut, communicatis ſordium ductibus, excrementa per veſicam, & viciſſim urina per alvum excernantur; quod non tantum foedum ſummopereque moleſtum eſt, ſed & quam maxime periculoſum. Quandoquidem acrior forte urina rectum vicinasque partes, refertas cellulis pinguedinoſis perpetuae illarum lubricationi a natura deſtinatis, exedit, unde praeter fiſtulas, inflammationes gignit, nates quandoque ipſas occupantes, quemadmodum mihi ante aliquot annos videre contigit in viro ſexaginta ultra annos nato, cui dextra nates integra & inflammata erat, & ob ſuppurationem tabo diffluebat. Quod ſi alvinum excrementum in veſicam tranſit, ibique reſtitans corrumpitur magis, lotioque, quod itidem acrius reddit, permiſcetur, quam labem membranaceo viſceri in putredinem ſatis prono non inferet?

Omnia itaque eo nos ducebant, ut laboranti aegro conſuleremus hac tantum ratione, quam cum hic, tum in nonnullis aliis huic ſimilibus eventibus unicam eſſe, ad quam liceat confugere, cognoſcebamus. Hanc enim poſcunt ſcirrhoſi Proſtatae tumores, & quaecunque circa interius veſicae os exceſcunt tuberes, catheteris etſi ſubtiliſſimi ingreſſum reſpuentes: prout de cive ſuo Paterniacenſi octogenario HILDANUS refert (21), in cuius defuncti cadavere diſſecto *ſcirrhum magnitudinem ovi gallinacei adaequantem unciasque duas pendentem in ipſa veſica, & quidem ante collum ipſius tenaciter adhaereſcentem*, *invenit.*

Et perinaei punctionem vetant pertinaces illius indurationes, & haemorrhoidum duri tumores, & inteſtini recti ſcirrhoſae

 hoſae

(21) Oper. chirurg. Centur. 2. obſerv. 65. pag. 137.

hoſae incraſſationes, quas deprehenderunt, inſignis anatomicus RUYSCHIUS, poſtque ipſum VALSALVA & immortalis nominis Vir MORGAGNUS, qui in Epiſtola anatomico-medica XXXII. de alvi adſtrictione & de haemorrhoidibus agens, tumores huiuscemodi luculentiſſime perſequitur. Quibus accenſendum & illud eſt, uberiori commemoratione profecto dignum, quod in gravidis foeminis accidit aliquando, quae, cum pariendi tempus advenerit, parere nulla ratione queunt, haud alia de cauſſa, niſi e veſicae ob adſtrictum tenaciſſime ſphincterem extenſione, nec non ob ipſam vaginam coarctatam, quae facile conſtringitur, cum ſphincter eiusdem fibris cohaereſcat (22): hinc cum ob veſicae nimiam amplitudinem, qua uterus quam maxime comprimitur, tum ob vaginae iter occluſum, naturalis partus impeditur. Quod in uxore Spadani quondam Medici *Preſſeux* contigiſſe narrat praeſtans Leodienſis Chirurgus BLIERRIUS (23). Advocatus enim, ut huic laboranti foeminae opem ferret, ratus eſt nullam extrahendi foetum ſupereſſe viam praeter eam, quae operatione, quam *Caeſarianam* vocant, comparatur. Dum itaque longitudinalem in cute, muſculos inter & peritonaeum, inciſionem faceret, detexit inopinato, impediti partus cauſſam eſſe veſicam lotio redundantem, enormiterque diſtentam, eamque Caeſarianae quoque operationi obſtare. Opus igitur habuit tundere imum veſicae latus, quae lotio excreto ſubſidens, conſpicuum reddidit uterum, e cuius ſectione infans eductus eſt, matre non ſolum incolumi, ſed & apta, quae biennio poſt filiam eniteretur ſaniſſimam.

Ac egomet plures ante annos diſſecui cadaver gravidae mulieris, ab acutiſſima febre, quam pertinaciſſima Iſchuria excitave-

(22) Vid. celeberr. SANTORINI Obſerv. anat. pag. 203.

(23) Memoires de l'academie Royale de Chirurgie T. I. de Operat. caeſarea pag. 648. Obſerv. VII.

citaverat, interemtae, quae hydropica a quibusdam obſtetricibus, ab aliis vero & gravida, & ſimul hydropica, ob ingentem ventris molem, credebatur. Verum aperto abdomine reperi veſicam tantae molis, ut non modo utero, ſed & inteſtinis compreſſis & quaquaverſum compulſis, aſſurgeret ad praemaximi uteri gravidi amplitudinem. Ex quo fiebat, ut quamvis illa infantis motum nunquam ſe percepiſſe fateretur, praegnans nihilominus revera eſſet, quemadmodum a pluribus putabatur. Et ideo exiſtimabatur hydropica, propterea quod uterus, foetum ſeptimeſtrem gerens, augebat ventris molem, & inſuper aegrae crura praeter modum tumebant, humorum inferiorum circuitum retardante mole cum uteri, tum veſicae, e cuius punctione librae octo lotii proruperunt. Qua collapſa diligenterque e ſede ſua avulſa, gravidus uterus in conſpectum venit, unde foetum extraximus, qui, ſi mater ſupervixiſſet, nulla alia fortaſſe ratione lucem aſpexiſſet, ac per Caeſarianam operationem & veſicae in hypogaſtrio punctionem, quemadmodum in Spadana muliere accidit, propterea quod ingens & ab affluente lotio ſemper creſcens veſicae diſtentio, uterum comprimens, & ab hoc viciſſim repulſa, quo pacto tolli potuiſſet, non videam.

Ex his ergo omnibus patet, opinor, facilius, tutius, quin & neceſſarium eſſe, veſicam in hypogaſtrio pungere, quotiescumque aut illa conſpicitur ſupra hypogaſtrium extendi, aut fiſtula digitive in anum inſertione, vel in ipſius ore, collo, corpore, vel in recto inteſtino eſſe quid obſtans detegitur. Nec ideo credendum eſt, arbitrari nos, tutiorem ſemper fore hypogaſtrii punctionem: nam plura ſunt, quae faciunt, ut prae hypogaſtrio perinaeum ferro tentetur.

Perinaeum itaque caedendum eſt, ubi nullus hypogaſtrii tumor apparet, qui magnam veſicae, lotio repletae, amplitudinem definiat: ubi latentis praegrandis veſicae abſceſſus indicia ſunt: ubi circa perinaeum natura ipſa impetu quodam

 critico

critico impulit materiem morboſam, quae iam, perforatis veſicae membranis, iter ſibi parare occipit: ubi magni ponderis in veſica ſenſus eſt, qui ſaepenumero vel ſcirrhoſorum tumorum, vel materiei purulentae copioſe reſtagnantis, vel calculi in veſica deliteſcentis ſuſpicionem movet. Etenim quotiescunque aliquod ex indiciis iſtis luculenter patet, non diſcedendum eſt a perinaeo; quandoquidem, eo puncto vel ſecto, facilius cum pus, tum calculi aliave in veſica latentia corpora ſeſe manifeſtant, quibus derivatione, manu, ceterisve artis praeſidiis poteſt promtius occurri.

Qualicumque vero in loco, ſive is hypogaſtrium fuerit, ſive perinaeum, ſuadeant probe penſatae animadverſiones ſuſcipiendam eſſe punctionem, illud eſt utrique commune, ut veſica diligenter repurgetur, immiſſo per fiſtulam abſtergente aliquo liquore, ne ulcera, aut fiſtulae, quae Medicis Chirurgisve plurimum negotii faceſſunt, aut exoriantur, aut ſi exſtant, fiant poſtea incurabiles. Et quoniam membranaceus hic ſaccus a perpetuo urinae confluxu, dum urethra conſtricta eſt, dilatatur ita, ut vim ſeſe reſtituendi ſentiat in ſe vel imminutam, vel prorſus amiſſam, operam dare oportet, ut, quae in eam infunduntur, non repurgent tantum, ſed etiam adſtringant. Cui rei nulla alia pharmaca tam efficaciter prodeſſe, ac Corticem peruvianum & aquam ex oſtrearum calce paratam, confirmavit tam evidenter experientia, ut, quemadmodum inferius oſtendemus, ea praeſtent, quae miraculi loco habeantur.

Advertere interea operae pretium eſt, obſtacula, quae aut in veſica ipſa, aut in circumſtantibus partibus haerent, tolli, quam primum puncta, & lotii onere levata veſica collabitur, ſi praeſertim pus, dum abſceſſus latitat, educitur, ex quo fit, ut eo tempore facilior pateat catheteri aditus. Quod in aegro noſtro non neglleximus obſervare. In eo enim Proſtata, quae, cum turgeret materia, morbum fecerat, concidit

dit ſtatim, ac per punctionem diffluxit cum in veſicam, tum in urethram pus, ſivitque, ut fiſtula compelli poſſet, per quam pus & urina affatim emitterentur. Quod ſi adplicatio catheteris differatur, aut catheter iam inſertus extrahatur, ut deinceps immittatur, quando opus illo eſſe tempus admoneat, periculum eſt, ne obicibus iisdem aut turgentibus iterum aut coëuntibus, aeger acerbioribus, ac antea, tormentis, dum catheter immittendus eſt, excrucietur.

Quapropter non ſine ratione experientiſſimi chirurgicae artis Magiſtri ſuadent, ut variae longitudinis Catheteres praeſto ſint, qui ſecundum obſtaculorum naturam & ſedem aptentur. Haud enim raro accidit, fiſtulas removendis obicibus haud aptas eſſe, quemadmodum ſibi contigiſſe refert Hildanus (24). Quin illud quoque boni interdum applicatione congrui Catheteris obtinetur, ut, ſi, qui urinae profluvium inhibet abſceſſus, collum veſicae obſideat, catheteris propulſione disrumpatur, & Iſchuria alias pertinax ſolvatur, *Henrico* Meibomio teſte, qui ſingularem de hac operatione Diſſertationem, Catheteriſmi titulo, anno 1699. in lucem edidit.

Et relinquere inſertum veſicae catheterem neceſſum eſt pluribus de cauſſis. Et primum, ubi ſpongioſum urethrae corpus, ob affluentem ex ipſius canaliculis, aut ex Proſtata ipſa morboſa copioſam materiem, iter hoc adeo obſtruit & infarcit, ut corrodendo generet ulcuſcula, quibus urethrae cavum anguſtatur, vel urina reſtitat prorſus, vel difficulter promanat. Tum ubi, profluente disrupti abſceſſus materie, calculus per catheteris ictum percipitur circa ſphincterem; alioquin e continuo calculi irritamento os occluditur, & emergit Iſchuria. Nec non quandocunque veſica debilitate inſigni aut omnimoda atonia laborat, ut in ſenibus ſaepenumero, & in apoplecticis vidimus, ne musculares veſicae fibrae paralyſin patian-

(24) Cent. 2, Obſerv. 65. pag. 137.

patiantur, quae ſi ſenes prehendit, difficulter aut raro curatur. Cum contra, evocata crebrius per fiſtulam urina, adhibitisque nervinis roborantibusque praeſidiis, etiam in iis, qui effoeta prorſus aetate nondum ſunt, pertinaci huic morbo ſuccurri poſſe, celebres in arte Viri, quos inter eminet ſagaciſſimus PRINGLIUS (25), uſu comperuerunt.

Etenim in hisce morbis derivari e veſica lotium, & ſi quidem adeſt abſceſſus, pus, haud alia ratione poteſt, ac perpetuo reſeratum ſervando eius per virgam iter, quod, niſi relicto cathetere, non obtinetur. Cuius inſuper beneficio, praeterquam quod calculorum, puſtularum, ulcerum, e ſtagnatione acris materiae provenientium, generatio praepeditur, poteſt veſica quandocumque libet, & ſine aegri incommodo, liquoribus opportunis repurgari, ſi ſordet; conglutinari, ſi eſt eroſa; roborari, ſi laxa; relaxari, ſi criſpata; in eum denique ſtatum, qui naturae conditionique ſuae convenit, reſtitui. Quae nunc indicaſſe ſufficiat, cum de iis abunde diſputaturi ſumus in ea de Veſicae morbis disquiſitione, quam a nobis concinnari iam diximus.

Jam vero eloquar quaedam de medicaminibus iis, quae aegro noſtro non levamen tantum, ſed ſanitatem ipſam attulerunt. Et quidem, ubi urinariae viae contumaciſſimis infeſtantur morbis, leviſſima blandiſſimaque praeſidia adhibenda ſunt, quia uſu docemur, vehementia auxilia affectionem non modo exacerbare, ſed & incurabilem reddere: quod facile experiri quilibet poteſt, dum ob aculeatum calculum veſica, aut renes, acri tormento prehenduntur. Haud enim alio pacto dolor hic, ac emollientibus, laxantibus, opiatis, demulcentibus aliisve ſimilibus potius, quam pellentibus, atque illum vehementius promoventibus rebus, compeſcitur. Nihil igitur efficacius, nihil praeſtantius remediis iis, quae ſaponacea, balſamica, & ab-

(25) Eſſais d'Edimburg, Tom. II. art. 32. pag. 428. Obſerv. de Paralyſi veſicae.

abſtergentia ſunt. Haec enim eroſas a pure retento urinarias ſedes demulcendo obliniendoque, purgando item ab acribus humoribus, quibus perpetuo irrorantur, irritamenta denique ſedando, ſanant: ac praeterea ſanguinem balſamicis particulis impraegnando exeſas partes nova nutritii roris appoſitione reddunt a quocunque appellente acriori lotio tutiores. Coniungendus vero hiſce eſt Peruvianus cortex, quo nullum aliud pharmacum ſolidis elatere deſtitutis roborandis, benigniori ulcerum abſceſſuumque ſuppurationi procurandae, gangraenae vel imminenti prohibendae, vel exiſtenti depellendae, efficacius in artis ſuppellectile haberi audacter poſſumus experientiae fiſi pronunciare (26).

Neque tantum cortice balſamicisque rem cum aegro noſtro tranſegimus, etſi ea ſatis liberaliter, prout ratio ferebat, adhibuimus. Nam conſultum duximus largius in uſum vocare aquam calcis ex Oſtrearum teſtis paratae, quam lacte mixtam praeſcripſimus affatim epotandam. Cavimus vero, ut teſtae iſthaec, antequam in calcem redigerentur, eluerentur probe, deinde in aqua ebullirent, tum exſiccarentur, atque ita calcinarentur: non ſolum quia hoc pacto abeunt facilius in calcem, ſed quia bibentibus nec nauſeam cient, nec ventriculum, nimiae ſalis marini efficaciae impatientem, irritant atteruntque. Huius enim remedii poteſtatem in veſicae renumque calculis ſolvendis emolliendisque eſſe ſummam, didiceramus a praeclaro Edimburgenſi Medico *Roberto* WHYTT (27), qui, maiore ad ſolvendum humanum calculum facultate pollere aquam ex

(26) Vide celeberr. *Abrah.* VATERI Diſput. de efficacia admiranda Chinae-Chinae ad gangraenam ſiſtendam in Anglia obſervata. Wittemb. anno 1734. Vid. quoque Obſerv. medicinal. Societ. Edimburg. Tom. 3. art. V. & VI. pag. 38. & 49.

(27) Eſſais & obſerv. de Medicine de la Societè d' Edinbourg Tom. VI. Art. LXIX. pag. 259.

ex oſtrearum calce, demonſtravit, ac ea quae paratur ex calce vulgari, quae nec adeo lithontriptica, nec homogenea, nec propter metallicas particulas, quibus vel a ſumma ignis vi in illam penetrante adhuc ſcatet, eſt ſatis tuta (28). Cum contra oſtrealis calx, rite, ut diximus, ſubacta, periculo omni caret, & calculum humanum, nondum quidem ſilicis duritiem adeptum, ſolvit. Quae cum confirmari experientia vidiſſem, nullo ſubſecuto veſicae incommodo, animum adieci ad coniiciendum, utrum & veſicae morbis, quos alia ac calculus cauſſa progignit, eſſet apta.

Nec tentamini defuit eventus, quemadmodum in hiſtoria memoravi. Huius enim aquae uſui arbitror eſſe tribuendum, ſi minus quod aeger omnino reſtitutus fuerit, ſaltem quod hoc beneficii multo citius, ac pro ratione morbi ſperare licebat, obtinuerit: quam opinionem vanam non eſſe oſtendit id, quod poſterius tentavi in ſeptuagenario ſene.

Cum enim hic homo ſcorbuticam humorum diatheſin nactus eſſet, plurimisque veſicae tormentis, Stranguria, Iſchuria, & urinae incontinentia diſcruciaretur, reddebat lotium modo cruentum, modo purulentum, conqueſtusque ſummo ſe in veſica pondere premi; excernebat aliquoties una cum pure ſedimentum quoddam rubrum, ponderoſum, & facile lapideſcens, quod matulae imum petebat. Quae omnia indicabant veſicam a calculo, quem catheter, non ſine acerbo languentis dolore inſertus, indubium reddidit, non ſolum obſeſſam, ſed etiam peſſime mulctatam. Poſtquam ergo iniectione in veſicam blandiſſimi oblinientisque liquoris, ex hordei decoctione cum melle & ſeminum lini, aut pſyllii mucilagine confecti, demulſiſſem cum dolorem in mingendo, tum calculi in veſicae parietes aſperiorem affrictum, & corpus congruis alvum ducentibus pharmacis repurgaſſem, praecepi, ut pilulas abſtergentes balſamicasque decem mane & veſperi aſſumeret, quae

(28) Ibid. pag. 292.

quae Saponis Veneti, Terebinthinae ana drachmas duas, ſalis Tartari, & Rhei electi, nec non balſami Peruviani ana drachmam unam recipiunt. Super quas oſtrealis aquae libram cum aequali lactis caprilli portione potaret; hac tamen lege, ut liquoris utriusque quantitatem indies, prout neceſſitas dolorve poſtulabant, augeret, vel imminueret. Quod ſi dolor in mingendo aderat, ſecedebatque magna vel puris vel cruoris cum urinis portio, dabantur, praecipue veſperi, emulſiones blandiſſimae demulcentesque, adiecto, quod ſatis erat, cum opii, tum trochiscorum de Gordonio recentium. Sique veſicae tormenta exacerbabantur, toti memoratarum ſuperius ſaponacearum pilularum maſſae addidi ſatis magnam Opii vim, grana nempe ad duodecim aut quindecim, ut conſuetae doſis uſu acutioribus quoque doloribus proſpicerem, quibus ſedatis lotium liberius proflueret.

Potiſſimum vero curationis praeſidium in calcaria Oſtrearum aqua repoſui. Nec immerito: evenit enim, ut ſenex noſter potans ad hanc diem ſingulis diebus tres quatuorve ex ea libras, nunc reddat ſine dolore & ſine niſu urinam, lotii incontinentia, ut pridem non divexetur, pondus moleſtum haud percipiat, imo nec puris nec ſanguinis quid in urinis ſubſidens excernat; cumque craſſae cuiusdam gravis ac rubrae materiei ſedimentum, ac ſi eſſet a lapicidina abraſum, petat creberrime matulae imum, ſummo aegri levamine, neque malorum, quae antea veſicam infeſtabant, exſtet veſtigium vel minimum, ipſeque vivat adeo alacer, ut vix calculi memor negotiis incumbat ſuis, dubitare non poſſumus, oſtrealem aquam non tantum ad calculum deterendum, ſed etiam veſicam reſtaurandam, peculiari potentiſſimaque efficacitate pollere; praeſertim ſi eius uſus ad menſes annosque proteletur. Quod tamen non ſemper neceſſarium eſt, quandoquidem ipſa renum urinariaeque veſicae ulcera celeriter quandoque conſolidat, quemadmodum in foemina quinquagenaria, ſedecim vicibus feliciter enixa, molis corporis gi-

ganteae, tribus abhinc annis expertus ſum. Nam poſtquam haec renum ſummis doloribus, ob calculum, ad plures menſes, unde macilentiſſima effecta erat, fuiſſet torta, emollientibus cum intus, tum extus adhibitis medicaminibus, inter ſummas anguſtias ingentesque cruciatus, calculum reddidit dimidium auricularem digitum craſſitie & longitudine aequantem. Cum itaque ulcus ab eo ſatis amplum in renibus concitatum fuiſſe exiſtimaſſem, ex eo quod non modo ſanguis, ſed etiam pus cum urinis plurium ſeptimanarum ſpatio magna ſatis copia effluebat, pilulas, quae recipiunt ſpecies diatragacanthi frigidi, ſaponem Venetum, Rheum, Opium, Succinum, Terebinthinam, balſamumque Peruvianum, exhibui, quibus ſuperbiberet quotidie aquae Oſtrearum calcis libram, dimidiae lactis caprilli commixtam, iubens, ut de die in diem utriusque liquoris portionem augeret, donec lactis libra tribus aquae calcis libris commiſceretur, ut tandem quatuor huiuscemodi liquoris libras in dies ſingulos aſſumeret. Quo regimine factum eſt, ut vix ſeptimanis ſex elapſis non ſolum urinae facile ſine cruore & pure, & nativa cum coloris, tum indolis dote prodirent, verum etiam, cunctis renum doloribus depulſis, priſtinam illa, quae ante tabeſcebat, valetudinem corporisque molem recuperavit. Cuius beneficio pariter obſervavi in aliis renum veſicaeque ulceribus, a calculo excitatis, erupiſſe cum urina copiam multam arenarum, cruſtularum, fruſtulorumque lapidum ſummo aegrorum levamine. Atque inſuper ulcera bene ſordida non modo probe deterſa, ſed commode hac potius, quam vulgaris calcis aqua fuiſſe conglutinata.

Atque his obſervatis coniicio, aquam hanc, ſiquidem prudenti temperatione commiſceatur lacti, haud inopportunam fore curandis quoque pulmonum abſceſſibus ulceribusque. Quod etſi nondum tentavi, experturus nihilominus ſum ſtatim, ac omnia, quae ad rem hanc faciunt, perpendero.

MEMO-




H. J. Tyroff del. et ſc.

# MEMORIA
VIRI
MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI
ET EXPERIENTISSIMI
# IOANNIS HIERONYMI KNIPHOF
VNIVERSITATIS ERFVRTENSIS RECTORIS MAGNIFICI,
Facultatis Medicae Senioris & Adſeſſoris primarii act. t. Decani, Collegii Sanitatis Adſeſſoris, Pathologiae & Praxeos Profeſſoris publici ordinarii, Academ. Caeſar. Naturae Curioſor. Adiuncti & Bibliothecarii meritiſſimi,

d. XXII. Ianuarii A. S. R. MDCCLXII.
placide defuncti
litteris conſignata
ab
## HERMANNO ERNESTO RVMPEL
Philoſoph. ac Jur. utr. Doct. huiusque Prof. publ. extraord. Gymnaſii evangelici Erfurtenſ. Directore, Academ. Caeſar. Naturae Curioſor. Sodali & Bibliothecario, & Electoral. Moguntinae Academ. Scientiar. utilium ab epiſtolis.

Si quae ſunt ſancta ac ſolemnia officia, quae a mortalibus facillime & promtiſſime perſolvi poſſunt, ea certe, quae cum voluptate quadam coniuncta homines ad ſe invitant ac quaſi alliciunt, omni paene difficultate carere videntur. In rerum enim natura hunc obſervamus ordinem, & hanc omnino firmatam legem, ut, quo plures & quo maiores ad eandem rem vires conſpirant atque nituntur, eo facilior inde actio oriatur, eoque perfectior.

Quum igitur ad illam, qua officiis adſtringimur, neceſſitatem quidam voluptatis accedit ſenſus, illorum exſecutionem reddi expeditiſſimam neceſſe eſt: Ubi inprimis id, quod ratio ſuadet, ſenſibus quoque dulce vel phantaſiae gratum exhibetur, tunc nihil ſolet his actionibus vel ſuſcipiendis facilius, vel perficiendis iucundius eſſe.

Quae rationis & ſenſuum concordia quum non ubivis ſit obvia, hinc ille in peragendis, quae ſibi incumbunt, officiis maximo ſucceſſu gaudebit, qui non illa ſolum voluptate movetur, quae actionem comitatur; ſed etiam in ipſa officii praeſtatione ſuam voluptatem ponit, & qui ultra ſenſuum illecebras elevatus ac ſublimis in ſola animi voluptate adquieſcit.

Grati autem animi ſignificatio, quae ab accepti beneficii memoria ſuaviſſima ſeiungi nequit, ſine dubio inter illa erit referenda officia, quae maxima voluptate ſeſe commendant. Nos igitur talem maculam contracturi eſſemus, quae nulla excuſatione elui poſſet, niſi *Illuſtris Academiae* Praesidis iuſſis obſequi, iucundiſſimamque *optimi* Kniphofii, cum quo, utpote adfinitate iunctis, ſaepe verſari, *Eiusque* vultum, mores ac virtutis doctrinaeque exemplum coram intueri licuit, memoriam recolere, honori nobis voluptatique duceremus.

Equi-

Equidem illos, qui deguſtatis (delibare enim ea oportet, non iis ad ſatietatem impleri) huius vitae bonis exiguis & ſuperatis, quae horum numerum longe transcendunt, calamitatibus, in alium orbem evolarunt, rerum noſtrarum cura minime tangi ſana ratio nos condocet.

Quae vivi geſſerunt, illuſtria facta recto alveo ad nos defluunt, noſtrasque opportunitates augent: ſed quemadmodum poſthac vires illorum, reſoluto qui illis nobiſcum intercedebat nexu, nihil nobis commodi procurant: ita quoque illorum conditionem noſtris actionibus nec adiuvari nec recreari poſſe, patet.

Quae occiderunt, quae pelago immerſa videntur ſidera, aliis lucent regionibus inque noſtras oras tenues tantum ac raros vibrant radios,

*Quos tu nec tenebras nec poſſis dicere lucem;*
*Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis:*

Nihilo tamen minus illis, quae maioribus exhibere debemus officiis ſua ratio ſuaque veritas inconcuſſa conſtabit; ea enim ſi adcurata lance expendantur, non proprie maiores adficiunt, ſed omne genus humanum, quod perpetuo cohaeret vinculo & homines nobiſcum viventes, imo nosmet ipſos reſpiciunt.

Juſtum enim eſt ac pium, de eo optime & honorifice ſentire eumque grata mente colere, cuius in nos cuius in alios quoscunque magna exſtitere merita. Nonne delectamur veris adſpectu, quod benefica manu flores ubique ſpargit? Quidni & maiorum induſtria, de noſtra ſalute laborante, mirifice delectemur, noſtramque voluntatem ſignis exprimamus luculentiſſimis, quum ex illorum cura, tanquam ex ſemine & germine noſtra felicitas propullulaverit ſenſimque adoleverit?

Dum itaque noſtro defungimur officio, deſideratiſſimique Kniphofii vitam in tabula quaſi depictam exhibemus, cum

Lecto-

Lectorum ſtudio, qui fata ILLIUS adcuratius noſſe cupiunt, cuius famam admirantur, inſervire, tum noſtro quoque deſiderio ſatisfacere, rerumque iucundiſſimarum memoriam nobis in mentem revocare ſtudebimus.

Ortum traxit NOSTER ex gentibus patriciis *Kniphofia* & *Bruckneria* per longiſſimum temporis tractum Erfurti Thuringorum magnis in rempublicam meritis magnaque laude florentibus. *Kniphofia* enim non tantum circa medium ſeculum decimum ſextum Hildeſiae ſummis fulſit honoribus 1); verum etiam ab eo tempore ad hanc uſque noſtram aetatem in magna celebritate nominis fuit; *Bruckneria* vero familia tam patriae viros, qui maximis praeeſſent muneribus, quam aliis terris viros eruditionis laude inſignes ſummosque ICtos dedit.

KNIPHOFII noſtri parens fuit *Jo. Melchior Kniphof*, Med. Doctor, cuius dexteritas in curandis morbis ac valetudine aliorum tuenda feliciter verſata fuit; mater vero *Anna Chriſtina*, *Hieronymi Bruckneri*, Ducis Saxo-Gothani a Conſiliis aulicis filia, quae, d. XXIV. Februar. A. S. R. MDCCIIII. fauſto omine hunc NOSTRUM enixa, patriae orbique litterato donavit. Avus eius fuit *Jo. Melchior Kniphof*, iuri dicundo praefectus in ditione Erfurtenſi, quae ad caſtrum Vippach pertinet; proavus *Henning. Kniphof*, civitatis Erfurt. Conſul ſupremus, qui praeter alia in civitatem merita poſteris ſuis ſtipendium familiare reliquit, ut eos hac ope inſtructos eo alacriores ad ſtudia ineunda redderet; huius autem aetas A. MDCLXIII. in turbulenta illa tempora incidit, quibus Erfordiae ſumma imis miſcebantur & quibus audaciſſimus quiſque ex inficeta plebe nullum alium ducem quam coecum quemdam impetum ſequebatur; plebis igitur indignationem contra ſe concitatam ſentiens, quum illud Horatianum apud ſe reputaret:

*Juſtum*

1) Vid. *Antonii* MOKERI Hyldeshemi, Univerſitatis Erphordianae, nec non Gymnaſii in Coenobio Auguſtiniano Rectoris Orationes & Programmata. Erphordiae. 1591. fol. 173, 174, 239.

*Juſtum & tenacem propoſiti virum*
*Non ardor civium prava iubentium,*
*Nec vultus inſtantis tyranni*
*Mente quatit ſolida,*

ac blanda compellatione civium multitudinem ante ipſius aedes congregatam emollire atque ad ſanam mentem reducere vellet, dum pedem e domo promovet, globuli ex bombarda excuſſi ictu traiicitur & cadens funeſtum ſuis furoris civilis monumentum relinquit.

Haec ornamenta familiae non, id quod alias fieri ſolet, ideo exponimus, ac ſi Kniphofius, propria gloria deſtitutus, omnem a maiorum imaginibus laudem mutuari coactus fuiſſet. Hereditate quidem accepit gloriam a maioribus partam; ſed de eadem propriis decoribus augenda nunquam non maxime fuit ſollicitus.

Nam multum quidem nos movent optima praecepta, magis exempla in illuſtri loco poſita nos inflammant; maximam autem exempla domeſtica vim in formandis ac regendis moribus demonſtrant. Quo maiori enim veritates, quas cogitamus, luce coruſcant, eo magis in mores influunt, & eo evidentius quoque ob oculos ponitur, id fieri ac praeſtari poſſe, quod praecepta poſtulant; exempla autem domeſtica eam maxime ob rem reliquis anteferri merentur, quod ſuo quodam iure ad nos pertineant & imitationi inprimis ſint adcommodata.

His igitur ducibus inſtructus ſemper ad optima quaevis magnis paſſibus contendit; *Eius* parentes non modo domi omnem dederunt operam, ut ingenium illius ad pietatem virtutemque formaretur, ſed *Eum* etiam praeceptoribus, qui ſcientiam inſtillarent, commendarunt. Elegantiorum litterarum fundamenta in *Eius* animo M. Weingaertner, Scholae Praedicatorum Rector doctiſſimus, poſuit, in quibus adeo profecit *Noſter*, ut facile inter aequales princeps iudicaretur. Sed

 primis

primis ſtatim infantiae annis dura ſubire coactus eſt fata, ut ad eas calamitates, cum quibus per omnem vitam homini eſt confligandum, mature praeparatus eo maiores vires adquireret iisque fortiter ſuperandis adſueſceret. Vix enim quatuor annos emenſus patrem amiſit fidiſſimum, qui quaſi omni ſuo defunctus eſſet officio, quod futurum hoc orbis eruditi decus procreaſſet, illius educationem ſoli coniugi moeſtiſſimae reliquit; quae prudens ac pia matrona patris partes in ſe devolutas ſuſcipiens omnem eo convertit curam, ut ad praeclara quaevis molle filii ingenium fingeretur.

Mox alia ſupervenit calamitas; infelix caſus puero perfregit coſtam, ut per integrum biennium & quod excurrit, ei ſub Chirurgorum manibus fuerit gemendum. Exigui haec res momenti multis eſſe videbitur; ſed rerum magnitudinem non ex ſuis primordiis, verum ex iis, quae inde enaſcuntur, aeſtimare debemus. Tum enim Noster firmum iniit conſilium ſe arti ſalutari conſecrandi, ut ipſe poſtea ſuae invigilare valetudini poſſet. Quod puerile conſilium, alias lubricum, praeſertim ſi ab imperitis initur parentibus, in Nostro non fuit optimo ſucceſſu deſtitutum. Talem enim iniit rerum ſuarum rationem, omniaque ad huncce ſcopum retulit, ut illud culmen, quod omnes, qui Eum norunt, *Illum* attigiſſe cum admiratione profitentur, conſcenderet.

Hauſtis litterarum elegantiorum primis elementis *Hermanno Nicolao* Stielero J. U. D. & Gymnaſii Directori perpoliendum ſe addixit, ex cuius ut ex reliquorum Gymnaſii Profeſſorum inſtitutione magnum fructum reportavit. Id tempus autem, quod alii adoleſcentes tribuunt aleae aut pilae, Noster partim ad artem pictoriam exercendam, figurasque ligno incidendas, partim vero ad res patriae ex antiquitatis ruderibus extrahendas ſibi ſumſit; & quum publice e Gymnaſio ad altiora dimitteretur A. MDCCXX. eleganti oratione deſcriptis Erfurti antiqui-

antiquitatibus collectae ſuae ſcientiae luculentiſſimum documentum edidit.

Inde ad celeberrimam Academiam Jenenſem ſe contulit & apud immortalem *D. Jo. Franc.* BUDDEUM Academiae Rectorem nomen ſuum profeſſus WUCHERERI, SYRBII & SCHMEIZELII ductum in philoſophia ſecutus fuit; imo, ut eo facilius verum a falſo diſcernere valeret, *M.* FABRICII lectionibus, in quibus, neſcio quae, paradoxa & ſesquipedalia verba de artis chiromanticae uſu iactabantur, interfuit. Matheſin, qua nec ullus alius ſolidae ſcientiae cupidus, nec Medicus carere poteſt, ut & humani corporis compagem ad leges mechanicas relatam *Cl.* WIDEBURGIUS *Ipſi* explicuit. Neque neglexit humanitatis ſtudia, quippe ſermonis latini vim atque elegantiam ex ſumme venerandi *D. Jo. Georg.* WALCHII ore hauſit, gallicae linguae ſuavitatem ex M. GREIFFENHAHNII inſtitutione hauſit.

Inde ad illa ſtudia, ad quae omnem ſuam mentem iam ab ineunte, ut diximus, infantia contulerat, & ad quae *Ipſius* ingenium natum videbatur, converſus, medicas WEDELII, HILSCHERI, & SLEVOGTII ſcholas frequentavit. TEICHMEYERO autem ita ſe devovit, eique tam carus fuit, ut utrum TEICHMEYERUS a KNIPHOFIO magis ſit cultus, an KNIPHOFIUS a TEICHMEYERO dilectus, in ambiguo ſit; id certe conſtat, KNIPHOFIUM TEICHMEYERI non modo auditorem fuiſſe, ſed etiam laborum ſocium; KNIPHOFIUS enim illius bibliothecae curam gerere, in illius officina chemica medicamenta elaborare, aegrotos illius nomine viſere, & commercio litterario cum exteris aegrotis, qui TEICHMEYERI opem implorabant, Praeceptorem variis diſtrictum negotiis ſublevare ſolebat. Quae res hanc opportunitatem habebat adiunctam, ut KNIPHOFIUS ſenſim ad praxin deductus rerum naturam ex ipſa experientia potius, quam vanis coniecturis cognoſcere, ſuamque ſcientiam ad morbos pellendos optimo cum ſucceſſu adplicare didicerit.

Hoc doctrinae atque experientiae theſauro inſtructus A. MDCCXXVII. patriam repetiit KNIPHOFIUS, ubi ampliſſimus, in quo decurreret, campus *Ei* eſt a Decano Facultatis Medicae, *D.* FISCHERO, apertus; KNIPHOFIUS enim Diſſertationem inauguralem publice defendit, in eaque leproſum, quem tanquam alterum Marſyam excoriatum Jenae ſanitati reſtituerat, exhibuit & lauream doctoralem reportavit, exindeque magna *Eius* cum in ſcholis medicis aperiendis, tum in relevandis aegris, opera atque induſtria fuit.

Ridere videbatur & KNIPHOFIO favere fortuna; at illa ſubito commutata magnam illius bonorum magnamque ſpei conceptae partem in fumum abegit. Funeſtum enim illud incendium, quod A. MDCCXXXVI. Erfordiam eſt depopulatum *Illius* quoque aedes inque iis librariam ſuppellectilem in cineres convertit. At *Ille* impavidus his feriebatur ruinis, fortunam, inquiens,

*Laudo manentem, ſi celeres quatit*
*Pennas, reſigno, quae dedit & mea*
*Virtute me involvo -- --*

Hac enim calamitate minime eſt fractus, quippe quae maximum *Eius* theſaurum, quem pectore gerebat, intactum reliquerat. *Eius* eruditio, virtus ac labor indefeſſus aliud ex alio felicitatis genus *Ei* pepererunt. Anno enim MDCCXXXIII. S. R. I. Academiae Naturae Curioſorum Collega adſcriptus & SOSAGORAE nomine inſignitus fuit, tamque ſtrenuum ſe praeſtitit laborum ſocium, ut *huius Academiae Praeſidis, Illuſtris Andreae Eliae* BÜCHNERI, *S. R. I. Nobilis, Potentiſſimi Boruſſorum Regis a Conſiliis ſanctioribus cet. cet. Mecaenatis noſtra laude maioris,* iudicio ac voluntate dignus fuerit aeſtimatus, cui A. MDCCXXXV. Bibliothecae Imperialis Academicae cura demandaretur; *cuius ſollertiſſimi & ad Academiae ſalutem incrementumque omnia referentis viri*

*ex*

*ex eo tempore tantus in hoc officio fuit labor, tanta adcuratio, tantumque in inſtruenda ordinandaque bibliotheca & reliquis huc pertinentibus rebus digerendis ſtudium, ut aeternum ſibi devinciret academiam, immortales ipſi gratias habituram* 2). Imo A. MDCCL. KNIPHOFIUS *Adiuncti* munere condecoratus inter optimates quoque *Illuſtris huius Societatis litterariae* cooptatus fuit, & multis eruditis commentationibus, Actis huius Academiae inſertis, nec non aliis ſagaciſſimi ingenii foetibus, quantus eſſet, demonſtravit.

Inter KNIPHOFII inventa referri meretur Thermometrorum emendata & ad artem medicam iuvandam adplicata conſtructio, ut & naturae varietatis in herbis conſpicuae non nuda quaedam & fortuita imitatio, ſed viva & adcuratiſſima expreſſio, cuius artis in *Botanica originali* ſpecimina *Ipſe* dedit & ſub *Eius* auſpiciis *Trampius*, Halenſis typographus, continuavit.

Academia & civitas Erfurtenſis *hunc Virum*, cuius tanta intuebatur merita, arctius ſibi devinxit, data *Ei* A. MDCCXXXVII. Profeſſione Medicinae extraordinaria, quam eodem anno cum ordinaria Inſtitutionum profeſſione commutavit. Eccleſia Minoritarum A. MDCCXXXXI, Orphanotropheum autem evangelicum A. MDCCXXXXV. Ephori partes in *Eum* contulit, *Eique* rerum naturalium & artefactarum; quae in Orphanotropheo colliguntur, curam demandavit; in qua gerenda magni quoque orphanorum Patroni officium adimplevit. Perrexit Academia *Eum* honoribus augere, quem ſtrenue in optimis quibuscunque laboribus pergere cernebat, *Eum*que non modo Facultati medicae aliquoties Decanum praefecit, ſed etiam, quum in eadem ad Senioris faſtigium adſcendiſſet, concordi calculo Rectorem Academiae Magnificum A. MDCCLXI. d. XXVII. Julii & altera vice A. MDCCLXII. d. XIV. Julii cooptavit.



2) Verba ipſius Illuſtr. PRAESIDIS, vid. *Hiſtor. Acad. Nat. Curioſ. Sect. X.* §. 186. pag. 578.

His fulgens honoribus Kniphofius in publico comparuit; liceat nobis paucis attingere, qualis in vita privata fuerit; nimis enim multa deeſſe putamus imagini, quae hominem ab una tantum depingit parte, quae externam quidem illius formam vivis exhibet coloribus, internam autem animi indolem, vitamque privatam, qua animus a commercio hominum vacuus relaxatur & in ſuis latebris deprehenditur, minime attingit. Expoſita itaque Kniphofii re familiari, admirandam *Eius* animi indolem breviter deſcribamus.

A. MDCCXXX. duxit *Catharinam Barbaram Kutzlebiam*, *Grauelii* Med. D. Gothani viduam. Vidit ex hoc matrimonio liberos quatuor nepotesque complures. Tres liberi adhuc ſuperſunt: *Chriſtina Catharina Jo. Gottlieb Heſſii*, Ducis Saxo-Leucopetrenſis Conſiliarii, vidua, *Jo. Godofr. Kniphof*, Medicinae D. & Practicus Lengfeldiae in Franconia, & *Cordula Maria* M. *Jo. Rud. Gottl. Gelmroth*, Paſtoris ad S. Thom. Erfurt. uxor. Quam iacturam Kniphofius A. MDCCXXXVII. mortua tori ſocia fidiſſima fecerat, feliciſſimo connubio cum *matrona quibuscunque ſui ſexus virtutibus exſplendeſcente*, *Martha Judith Boerneria*, tum *Henrici Rudolphi* Leo, J. U. D. vidua, iam *Illuſtris* Büchneri ex animi ſententia coniuge coniunctiſſima, Anno MDCCLII. d. XXIV. Octobr. contracto, reſarcivit.

Vultus Kniphofii fuit rectus atque ingenuus, ſtatura mediocris, maximam autem pulcritudinis partem natura in *Ipſius* animum contuliſſe videbatur. Vividum *Illi* erat ingenium & ad magna quaevis natum; *Eius* ſermones, quum inter amicos verſaretur, multo erant ſale conſperſi; amicis talem exhibuit, ut utrum ſinceritatem, benevolentiam officiaque *Illius* magis admirarentur, an *Eius* elegantiam, civilitatem & facilitatem, in dubio ſit relinquendum. Fortunae bonis ita eſt uſus, ut iis nec ad profuſionem, nec ad ſorditiem abuteretur. Eius domus adflictis aſylum fuit, multique, quos calamitas ad eam adegerat, laeti hilaresque ex ea diſceſſerunt. Virtus, pietas atque

que induſtria *Viro* inerat plane ſingularis; & nunquam diem praeterire paſſus eſt, quo non egregium quid eſſet molitus. Ultimo tempore, quum doloribus pectoris laboraret, hac eos voluptate delinivit, ut pictorem aleret, qui conchas & petrefacta, in Bibliotheca Academiae Naturae Curioſorum obvia, coloribus & imaginibus exactiſſimis, ipſo Kniphofio labori invigilante, imo non raro manus admovente, exprimeret, cuius operis nitidiſſimi exemplar adhuc in laudata Bibliotheca adſervatur. Sed quae vegeta olim *Eius* valetudo fuerat, demum ſenſim morbo pectoris labefactata ac plane exhauſta fuit; docta *Medici noſtri* ars diu cum morbi pertinacia eſt colluctata, ſed machina omnes *Illius* conatus eludente, naturae & mortalitati ceſſit animamque maxima vitae melioris ſpe inſtructam A. MDCCLXIII. d. XXIII. Januar. placidiſſime exhalavit.

## *Index Scriptorum*
# *B. Dn. Kniphoſii.*

Anno 1727. Diſp. inaug. exhibens Lepram Arabicam ſive Elephantiaſin obſervatam & curatam, *Praeſ. J. A. Fiſcher.* Erford.

A. 1737. Progr. de Phyſiognomia tanquam parte Semioticae.

1745. Progr. de Manuſcriptis praecipue medicis.

1746. Diſſ. de Febribus compoſitis, reſp. *Jo. Hugon. Franc. Spoenla.*

Diſſ. de Pica, reſp. *Franc. Goltz*, Sileſio.

1747. Diſſ. ſiſtens corticis Peruviani febrifugi ſuccedaneorum quorundam examen, reſp. *Jo. Thom. Vogt*, Lengefelda Eichsfeld.

Diſſ. de Gramine levidenſi praecellentiſſimo, reſp. *Jo. Jac. Berth*, Roemhilda - Franco.

A. 1748. Diſſ. de Thermis artificialibus, reſp. *Anton. Küffner*, Bohemo - Carolothermenſi.

A. 1748.

A. 1748. Diſſ. de eo, quod novo Medico novo opus ſit coemeterio, reſp. *Mart. Frid. Ludov. Eisfeld*, Heldrunga-Thuringo.

Progr. Novo Medico praxin non eſſe concedendam.

Diſſ. de tranſpiratione inſenſibili, reſp. *Jo. Jodoc. Kück*, Biberaco-Suevo.

Progr. de eo: Quemque ſuus vellicat vermis.

Diſſ. de Vexatorum theoria & hiſtoria, reſp. *Petr. Ambroſ. Lehmann*, Miſn.

1749. Diſſ. de Lactis diſcuſſione, reſp. *Theod. Auguſtin. Laurentio*, Bultſtadienſi.

Diſſ. de optima, oſſa in Sceleto conſtruendi, ratione, reſp. *Car. Ern. Aug. Loſſau*, Hamburgenſ.

Diſſ. de Operationibus pharmaco-chymicis, reſp. *Jo. Lud. Salmuth*, Anhaltino-Coethenſi.

1750. Diſſ. de Uſu Venae Sectionis in puerperis, reſp. *Jo. Ern. Biſchoff*, Schwarzburgico.

Diſſ. de Virgis, reſp. *Chriſt. Ern. Loeſcher*, Rochlicens. Miſn.

Progr. de Erroribus loci nonnullis.

Diſſ. de Errore loci, reſp. *Jo. Ern. Zeiher*, Leucopetr.

1751. Diſſ. de Salubritate Erfordiae, reſp. *Jo. Frieder. Tennemann*, Erfurt.

Diſſ. de Gutta ſerena, reſp. *Jo. Gottfr. Hoffmann*, Dunkelſpiela-Suevo.

Diſſ. de Medicamentis diureticis ſpecificis, reſp. *Andr. Ad. Siegfried*, Erfurtenſ.

Diſſ. de Reſpiratione, reſp. *W. F. Engel*, Erfurtenſ.

1752. Diſſ. de Morborum recidivis, reſp. *Jo. Georg. Engel*, Erfurt.

Diſſ. de Sectione venae medianae nonnunquam periculoſa, reſp. *Chriſt. Gottl. Kiebſch*, Berolin.

Diſſ. de Capite coniformi foetus, partum facilitante, reſp. *Aug. Gotthelf Grauel*, Gothan.

A. 1753.

A. 1753. Diſſ. de Inſania, reſp. *Car. Gottl. Goerner*, Oelsnitio-Miſnico.
Diſſ. de Nitro, reſp. *Dietr. Dav. Becker*, Hannov.
Progr. de Utili & iucundo in materia medica connexo.
1754. Diſſ. de Compreſſione, reſp. *Jo. Ad. Umlauf*, Eichsfeld.
Diſſ. de Pilorum uſu, reſp. *Jo. Gottfr. Kniphof*, Erfurtenſ. beati Kniphofii filio.
1756. Diſſ. de Incommodo & periculo, puerperio ex convivio baptiſmali imminente, reſp. *Henr. Gottfr. Trautmann*, Gerano.
1759. Diſſ. de Pediculis inguinalibus, inſectis, & vermibus homini moleſtis, reſp. *Cph. Wilh. Immanuel Reichard*, Erfurt.
1760. Diſſ. de Naphta nitri, reſp. *Georg. Melch. Gereon Henkel*, Erf.
1761. Diſſ. de Retentione lochiorum, reſp. *Ephr. Henr. Theod. Fiſcher*, Waſungenſi.
1762. Diſſ. de Regulo Antimonii medicinali, reſp. *Henr. Loeber*, Erfurtenſ.

### *In Actis Acad. Nat. Curioſ. Vol. V.*

Obſ. de Lue venerea poſt ſalivationem nova incrementa capiente.
--- de Prolapſu uteri, menſium excretionem impediente, apto tamen inſtrumento iterum repoſito.
--- de Morbis quibusdam anniverſario tempore recurrentibus.

### *In Volumine VIII.*

Singularia quaedam in Ictero nigro notata phaenomena cum ſectione anatomica.

### *In Miſcellaneis phyſico - medico - mathematicis Illuſtris* BÜCHNERI, *Trimeſtr. I.* 1727.

*Wohlgemeinte Vorſchlaege wie die Obſervationes aërometricae künftighin vermittelſt einer genauen Uebereinſtimmung der gewoehnlichen Inſtrumentorum zu allgemeinen Nutzen zu bringen*, p. 9.
*Von einer ſehr bequemen und nützlichen Art, die Kraeuter abzudrucken und nach ihrer Geſtalt vorzuſtellen*, *ibid. Trimeſtr. III.* 1730. p. 779.

Separatim prodierunt:

*Antwort auf Tit. Herrn D. Franc. Ern. Brückmann Sendſchreiben, die Kraeuter nach dem Leben abzudrucken, und dieſelben in ihrer natürlichen Geſtalt abgebildet zum allgemeinen Nutzen anzuwenden, betreffend.* Erfurt. 1733.

Botanica in Originali. *Das iſt: Lebendig Kraeuterbuch, worinnen die in hieſigen Landen wachſende Kraeuter nach ihrer Schoenheit vorgeſtellet werden. Erſtes hundert*, Erfurt. 1733. fol.

— — *Das iſt: Lebendiges Kraeuterbuch, worinnen nach ihrer Schoenheit alle in hieſigen Landen wachſende Officinalia vorgeſtellet werden.* ibid. 1733. fol.

— — Tom. II. Centur. I. vegetabilia in officinis non uſitata exhibens. ibid. 1733.

— — pharmacevtica, *Das iſt: Lebendiges Kraeuterbuch, in welchem die in den Apotheken gebraeuchliche Kraeuter auf eine neue Methode von den lebendigen Kraeutern ſelbſt abgedruckt ſind, und derſelben Nutzen beſchrieben iſt.* ibid. 1733. fol.

Botanica in Originali. *Das iſt: Lebendiges Kraeuterbuch, worinne nach ihrer Schoenheit alle in hieſigen Landen wachſende Gartengewaechſe vorgeſtellet werden. Erſtes Hundert.* ibid. 1733. fol.

— — *Das iſt: Lebendiges Kraeuterbuch, in welchem ſowohl diejenigen Blumen- Baum- und Küchengewaechſe, welche in den Gaerten Deutſchlandes überall bekannt ſind, als auch die fremden, ſo von curioſen Blumen-Liebhabern mit groſſer Mühe und Koſten angeſchaft werden. Erſtes bis drittes Hundert.* ibid. 1734-1736.

— — ſeu Herbarium vivum, in quo tam indigenae, quam exoticae plantae, Tournefortii, Rivini & Ruppii methodo collectae, peculiari nondum viſa operoſaque enchireſi, atramento impreſſorio obductae ectypum elegantiſſimum ſuppeditant. Centuriae XII. ibid. 1747. fol.

*Phyſicaliſche Unterſuchung des Pelzes, welchen die Natur durch Faeulnis 1752. auf einigen Wieſen hervorgebracht.* ibid. 1753. *in* 4.

MEMO-

# MEMORIA

VIRI

DVM VIVERET ILLVSTRIS, ET EXCELLENTISSIMI,

# JOANNIS DE GORTER,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,

Vniverſae Medicinae in Academia Harderovicena Profeſſoris ordinarii,

Reipublicae Harderovicenae Archiatri,

Eliſabethae I. Ruſſorum Imperatricis

Perſonae Medici

per quadriennium,

Academiae Naturae Curioſorum, Scientiarum Petropolitanae et Societatis Batavo-Harlemenſis Socii,

ex

*Commentariorum Lipſienſ. de rebus in Scientia naturali & Medicina geſtis Voluminis XI. Parte II.*

depromta.

Duplex eſt virorum doctorum ornamentum, alterum in doctrina, alterum in honeſtate poſitum. Doctrina, praeſertim ſi magna ſit & exquiſita, celebratur illa quidem facile ab omnibus, proditurque ſcriptis etiam ad exterorum memoriam, & gloria eius doctis viris omnibus communis eſt; verum honeſtas, quae non libris declaratur, ſed vita oſtenditur, fere non niſi civibus, amicis aut familiaribus innoteſcit, hisque ſolis tribuitur, quorum animum penitus perſpeximus. Quod quam parum recte fiat, vel hinc intelligitur, quia doctrinae opinio ſine gloria honeſtatis mera vel ingenii vel induſtriae admiratione cenſetur, ceterum non indicat, quod longe utilius eſt ad imitandum, & ad laudem glorioſius, fuiſſe alicuius animum, quem tantopere ſcientia ornarat, etiam in eius poteſtate, nec denique inquirit, an quis, quamvis praeclare vixerit in ſolitudine & inter libros, etiam inter homines vel bonus vel probus fuerit. Sed cum utrumque ſit neceſſarium viri docti ornamentum, optime videntur officio ſatisfacere, qui vitas eruditorum ſcribunt, ſi praeter narrationem eorum, quae ad rem literariam pertinent, imaginem vitae morumque intuendam proponant, nec poenitet nos, eiusmodi effigies aut cognoſcere aut proponere. Ideo cum a certiſſimis auctoribus omnem rationem vitae Gorteri, cum magna laude honeſtatis actae, cognoverimus, cum aliis quoque communicandum putavimus, quod ipſi non ſine ſumma voluptate legimus. Haud dubie, qui talem imaginem adſpectare cupiunt, ante omnia quaerent, qua erga Deum pietate fuerit. Magnam vero fuiſſe cognoſcent, ſi audierint, eum & libenter & crebro ſe ad divinos libros ſacrasque conciones legendas ac audiendas dediſſe, & hunc fructum inde deportaſſe, ut religionis veneratione

ratione atque amore plenus eſſet, ceterum vitam omnem divinae voluntati convenienter ageret, magna praeſertim animi tranquillitate beatam, quem nec proſperis, nec adverſis rebus ultra modum efferri paſſus eſt. Hinc integritas in ſentiendo & veritatis amor, qui ex omnibus eius ſcriptis cognoſcitur, quibus proponendis non ſermones hominum captabat, ſed utilitatem ceterorum & veritatem ſpectabat. Namque ſua modeſte tradidit; aliena raro & caute confutavit, ne aut glorioſus, aut rixoſus videretur, ac interdum maluit iniquas obiurgantium reprehenſiones praeterire, quam animos rixarum amantes, qui difficulter placantur, reſpondendo incendere. Similis huic modeſtiae humanitas in ceteris vitae partibus Gorterum amicis carum reddidit; neminem enim ſciens ac prudens umquam laeſit. Praecipue fuit temperantiae, qua corpus, quod a natura puer imbelle acceperat, ſubinde roboravit, nec ullo vitae tempore nimio cibo potuve gravatus eſſe dicitur. Acerrime contemſit ac fugit delicias & voluptates eas, in quibus magis eſt inopinata vitiorum diſciplina, quam aut honeſta oblectatio animi, aut corporis recreatio neceſſaria: nam tempus, a negotiis vacuum, vel ambulando tranſegit, vel muſica, quam ſua ſponte didicerat. Egenis praeſertim facilem ſe praebuit, ſive liberalitate, ſive conſiliis ſuccurrendum eſſet: quo loco prae ceteris ſtudium erga aegros commemorari debet, quorum non ſolum maximum numerum eius curae ſe commiſiſſe conſtat, ſed quos etiam diu noctuque ſine aliquo natalium aut divitiarum diſcrimine alacriter & fideliter iuvit. Ac ne tum quidem aliquid ex hac cura remittendum putavit, cum podagra eum lecto adfixit, quo tempore cuique conſiliis prodeſſe non deſiit. Docuit etiam auditores e lecto, quando hoc ipſo morbo vexabatur, quo uno argumento adſiduitas docendi, ſtudium, contentio & fides, quae hoc loco laudanda erant, planiſſime cognoſci poſſunt. Huic vitae gravitati nihil nimiae ſeveritatis aut moroſitatis adiunctum fuit; ſed ut adeuntibus fa-

cillimus erat & inprimis comis, ita, ſi tempus ferret, inter amicos adeo lepidus & urbanus, ut ſui ſermonis ſuavitate facile ceteros ad hilaritatem commoveret. Domi etiam talem ſe geſſit, qualem eſſe virum honeſtum volunt, hoc eſt, coniugis amantiſſimum, & liberorum optimum parentem, non alendo tantum, ſe educando, non indulgentia, ſed prudenti facilitate, & vero etiam virtutis eius praeclaro exemplo, quae divino auxilio in animis hominum gignitur. Filios praeſertim regendo, monendo & docendo ad veram doctrinam acuit, veraque laude dignos eſſe docuit. Corporis imaginem (fuit autem mediocris ſtaturae, nec propter maciem nimis exſiccum, aut a pinguedine craſſum) accurate expreſſam dicunt, qui eum quotidie viderunt, in tabula, quae libro *de inſenſibili perſpiratione* (Lugd. Bat. 1736.) & *Compendio Medicinae* (Patav. 1751.) praefixa eſt. Quem ergo huc uſque lectores virum honeſtiſſimum & imitatione dignum cognoverunt, eius reliquam vitae rationem enarrabimus, cum neminem eſſe credamus, quin tanti Viri vitam, quatenus in literis verſata eſt, per partes intueri cupiat.

Eamdem patriam habuit, quam vir ſummus VAN DER LINDEN, Enchuſam, celebrem Weſtfriſiae urbem, ubi a *Theodoro de* GORTER, cive apud Enchuſanos honeſto, a. 1689. d. 19. Febr. prognatus eſt. Materna familia, habuit autem matrem *Wilhelminam de* BOER, inde a longiſſimo tempore rei publicae pace belloque profuit, ideoque multis honorum documentis decorata eſt. Puerum incredibilis diſcendi ardor, & ſeverius, quam pro illa aetate, deſidiae odium ſuis valde commendavit, cum eum viderent tempus, a diſcendi neceſſitate reliquum, non iocando transmittere, ſed arithmeticis potiſſimum tractandis. Cum primum aetas poſtularet, ut certum vitae genus ſequendum eligeret, adplicuit ſe ad Chirurgiam, quam & in patria urbe, & Harlemi apud *Tiallingium* VAN DER HOUT didicit, unde Enchuſam redux, forte quod longius in Chirur-

Chirurgia cognoſcenda progreſſus fuerat, ipſi Medicinae ſua ſtudia dedicare ſtatuit. Sed ante omnia, ne qua difficultas obſtaret, accuratius tractavit graecas latinasque literas, ac ſedecim menſibus & praeceptoris Bogartii, Scholae Enchuſanae Conrectoris, & ſuo ipſius ſtudio, non contemnendam comparavit in hoc genere facultatem: mox enim Profeſſorum Leidenſium ſcholas utiliter frequentare potuit. Ad hos adiit a. 1709, operamque dedit Perizonio, unico humaniorum literarum praeceptori, Bernardo, Bidloo, *Le* Mort, Deckero & *Bernhardo* Albino, Medicis celeberrimis, denique magno Boerhaavio, enarranti botanicen, & materiam medicam, explicanti etiam Inſtitutiones, Aphoriſmos, methodum diſcendae medicinae, & medicamentorum vires. Hoc loco non praetereunda eſt laudabilis conſuetudo Gorteri, quae omnibus exempli loco commendari debet. Quidquid interdiu audierat, id, etſi fuit fideli memoria, tamen domi in adverſariis ſcripſit, ut et denuo cogitaretur, nec in magna rerum multitudine aliquid periret. Edidit interdum doctrinae documenta, praeſertim defendendis cum Albino theſibus phyſiologico-pathologicis, in quo genere plures ſtudioſi per vices exercebantur. Sic Leidae triennium egit: nam a. 1712. edita Diſputatione de Obſtructione, Doctor Medicinae creatus eſt. Enchuſae, huc enim Leida ſe contulerat, non ſolum aegrotis ſanandis quotidie auxit doctrinam, in Academia partam; ſed, quod multo potius eſt, quidquid, ut ante diximus, in adverſariis ſcripſerat, recognovit, ipſasque medicinae partes denuo tractavit, hoc eſt, cognita earum tractandarum ratione accuratius, utilius faciliusque examinavit ac cogitavit. Quae quidem res ut perquam neceſſaria eſt, ita tanti Viri exemplum graviſſima ad imitandum e hortatio videri debet. Ceterum phyſicos medicosque libros permultos eo tempore legit, & optima quaeque in ſchedis, quibus *Sylvae* nomen inſcripſerat, collegit. Incidit per hanc occaſionem in *Alph.* Borelli librum de Motu anima-

animalium, quo tractando incenſa eſt phyſicarum & mathematicarum rerum magna cupiditas, qua adiutus & calculum algebraicum ſine doctore ſibi familiarem reddidit, & machinam confecit, qua ſyrtes ante urbis portas removeri poſſent, etſi nonnullorum invidia inventionis gloriam aliis tribuere maluit. Item ſtaticam ſellam fabricavit, in qua ipſe ſuo corpore ſecundum SANCTORII mentem, incredibili cum patientia & accurata diaeta, inſenſibilem perſpirationem expertus eſt. Inde nata eſt occaſio ſcribendi nobiliſſimi libri de *inſenſibili perſpiratione Sanctoriana Batava*, qui & argumenti praeſtantia & doctrina Auctoris ſatis commendatus eſt, & vero etiam BOERHAAVII iudicio probatus, a quo ſcimus GORTERUM per literas ad edendum librum eſſe incitatum, & magnifica laude doctrinae ornatum. Sed de quo tam magnifice ſenſerat BOERHAAVIUS, eundem Curatoribus Academiae Harderovicenae commendandum cenſuit, quo tempore *Bartholomaeus de* MOOR e vivis diſceſſerat. In quo etſi multum tribuit GORTERUS voluntati BOERHAAVII erga ſe, tamen & patriae amor, & honores Commiſſarii Fori Judiciarii minoris, & Praeſidis eiusdem Collegii, iam ante ad eum delati, aliquamdiu eum ancipitem tenuerunt, donec, convento Leidae ipſo BOERHAAVIO, graviſſimis argumentis ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut Harderovicum commigraret. Ibi ergo factus eſt Profeſſor univerſae Medicinae anno 1725, quod munus ſequenti anno adiit, habita Oratione de dirigendo ſtudio in Medicinae praxi, ſ. de Tabulis pro diſciplina medica concinnandis. Eodem anno Archiater urbis, & A. L. M. ac Philoſophiae Doctor creatus eſt. A morte *Bartholomaei de* MOOR ad adventum GORTERI ultra annum medicae ſcholae habitae non fuerant: unde Studioſi omnes medicinae aliorſum ſe contulerant, defuitque GORTERO occaſio docendi. Cui incommodo ut ſuccurreret, primum Chirurgis ſua ſponte anatomen ſermone belgico tradidit, & praeterea Chirurgiam, qua re eos, qui latinam linguam didicerant, incitavit, ut Me-

dicinae

dicinae quoque cognitione imbui vellent. Quod quidem adeo feliciter eſt a GORTERO effectum, ut ſubinde tantus Studioſorum numerus e Belgio, Germania, atque adeo ex India occidentali conveniret, quantus numquam antea dicitur Harderovici fuiſſe. Duas horas quotidie Syſtema morborum generalium & particularium, a ſe conſcriptum, explicavit, quem librum inſtitutionibus & aphoriſmis Boerhaavianis ſubſtituit, in quibus interpretandis antea fuerat verſatus. Chirurgiam porro & Phyſiologiam docuit iuxta praecepta, a ſe vel typis edita, vel manu ſcripto tantum libro propoſita. Anni tempora ita deſcripſerat, ut aeſtate Botanicen ſecundum Boerhaavianam methodum traderet, hieme Chemiam experimentis illuſtraret, & Anatomen ſecandis cadaveribus, quorum copia e noſocomio Amſtelodamenſi ei conceſſa fuerat: Publicas lectiones deſtinavit iis locis copioſius explicandis, quos privatim non niſi celeriter percurrere potuerat. Huc pertinent praelectiones de *delirio*, *tuſſi*, *vertigine*, quae ab auditoribus calamo exceptae, deinde impreſſae ſunt, item de *morbis uteri*, *angina*, *febribus*, *uromantia*, aliaeque plures. Profuit etiam auditoribus explicandis caſibus medicis, eosque ſecum ad aegrorum lectos duxit. Omnino ſe commendavit ſingulari in docendo perſpicuitate, quae prompte diſſerendi facultate multo ſuavior reddita eſt. Diſputationes ab eo in mediis his occupationibus habitas infra poſuimus, & ceteros libros, quos hic laudare ſupervacuum foret, cum unusquisque videat, quanti fuerit ingenii, quanti laboris, quantaeque doctrinae, ita ſcribendo excellere, ut omnia conſentienti peritorum iudicio probarentur, & apud exteros recuderentur. Quam carus Harderovicenis fuerit, maxime eo cognitum eſt, quod filium GORTERI, DAVIDEM, patri ſocium adiunxerunt, & anno 43. Profeſſorem Botanices extraordinarium crearunt, ut in magna occupationum multitudine viribus eius parcerent. Unde neuter, etſi ambo aliorſum vocati ſunt, Harderovicum relinquere ſuſtinuit, ſed Aca-

Academiae per undecim annos profuerunt, poſtquam DAVIDES Medicinae & Botanices Profeſſor Ordinarius conſtitutus fuerat. Praeterea Academiae inſerviit Rectoratu quater gerendo: quartus autem Rectoratus in annum 40. incidit, qui Academiae ante centum annos conditae memoria ſolemnis fuit. Eodem tempore, cum Hagae Comitum GUILIELMO, Principi Arauſionenſi, ſuſceptam Belgii Gubernationem nomine Academiae gratularetur, impetravit, ut diplomata publica, quibus Doctores ornantur, auctoritate Principis confirmarentur. Nec doctrinae, nec dexteritatis in arte facienda fama domi ſe continuit; ſed quod inter omnes conſtat, non tantum admirationi fuit exteris, verum etiam doctiſſimorum virorum familiaritate per literas uſus eſt, in his BOERHAAVII, SWIETENII, MUSCHENBROCKII, HALLERI, atque etiam ad aegrotos finitimorum locorum ſaepiſſime vocatus, vel conſiliis, vel enchireſi chirurgica incredibilem ſui amorem apud omnes excitavit. Hoc modo undetriginta annos Harderovici vixit, nec umquam dicitur meliorem ſortem quaeſiiſſe. Sed cum tanti Viri fama ubique celebraretur, commovit etiam in Ruſſia eius admirationem, quo ab ELISABETHA I. per Legatum, Hagae morantem, una cum filio DAVIDE, voluerat enim Auguſta duos Perſonae Medicos creare, magna cum ſignificatione honoris Archiater vocatus eſt. Ac filius quidem eo ſe adduci paſſus eſt, ut hoc munus ſuſciperet; ſed pater, cum eſſet ſexagenario maior, eiusque valetudo ſubinde tentaretur, primum humaniſſimis verbis munus declinavit: tamen poſtea, ubi iuſſu Auguſtae ei oſtenſum eſſet, ſe, modo eum coram vidiſſet, rurſus dimiſſuram eſſe in patriam, faciendum putavit, ut tam honorificae voluntati erga ſe ſatisfaceret. Hinc anno 1754. cum filio maiorique parte familiae Harderovico Petropolim profectus eſt, non ſine magno civium dolore. Exceptus eſt perquam liberaliter & ſplendide, maximaque cum integritate & fide Archiatri munus per quatuor annos ita geſſit, ut Imperatrici unice probaretur.

Per

Per id tempus Socius Academiae Naturae Curioſorum, & Scientiarum Petropolitanae cooptatus eſt. Anno autem 58, privatus coniuge, eaque re vehementer adflictus, ab Auguſta petiit, ut reliquam vitae partem in patria tranquille agere ſibi liceret. Dimiſſus cum magna gratiarum actione, in poſterum idem ſalarium accepit, quod ei huc uſque ſolutum fuerat. Rediit per Lubecam, Hamburgum, Bremam & Weſtphaliam in Hollandiam, quantoque aegrius cives diſceſſum eius tulerant, eo alacrius laetiusque redeuntem exceperunt: quorſum pertinet, quod ſequenti anno Societas Scientiarum Harlemenſis eum in Sociorum numerum adſcivit. Conſtituerat Gorterus, Analyſin medicinae, quam propemodum abſolverat, retractare, ſi quibus in locis aliqua immutatione indigeret; ſed imbecillitas virium, tantis occupationibus tamque indefeſſo literarum ſtudio fractarum, non paſſa eſt rem perfici, ſuaſitque Gortero, vitae reliquum tempus ſine animi in literis contentione agere. Cauſa autem debilitati roboris fuit podagra, qua iam anno aetatis 63. ita affectus fuerat, ut propemodum de recuperanda ſanitate deſperandum videretur. Nihilo minus convaluit, ac tum quoque vim morbi ſuperavit, cum ſecundo anno a reditu e Ruſſia denuo tentatus eſt, quamquam ex eo tempore ſemper infirmum fractumque corpus habuit. Quo tempore ei primum cum hoc morbo colluctandum fuit, coepit vino prorſus abſtinere, nec niſi lacte & aqua uti; ſed poſt decem annos, ob aetatem ingraveſcentem, paulum vini denuo bibere. Aliquamdiu eum refecit gaudium de reditu filii Davidis e Ruſſia, unde anno 61. propter arthritidem diſceſſerat, aëris item ſalubritas apud Batavodurenſes, apud quos, relicta poſt filii reditum Enchuſa, cum Davide vixit. Verum maraſmus ſenilis, cum perpetua ad ſomnum propenſione coniunctus, pedum tumor oedematoſus, difficilisque reſpiratio, ſatis certi in illa aetate ac corporis conditione mortis nuncii, monuerunt Gorterum de appropinquante vitae fine, quem ita conſtanter

 intre-

intrepideque exſpectavit, ut hoc etiam tempore documentum eius pietatis in Deum ederet, quam omni vita demonſtrarat. Exſpiravit tandem anno 1762, d. 11. Septembris. Sed memoriam eius perpetuo conſervabunt & merita, & libri, & permulti doctiſſimi viri, qui eius diſciplina uſi ſunt, ſibique honori ducunt, talem praeceptorem habuiſſe, in his ſuperſtites filii, DAVIDES, Vir celeberrimus, cuius ſaepe in hac vitae enarratione mentionem fecimus, THEODORUS & HERMANNUS, Viri experientiſſimi, ille Enchuſanorum, hic Amſtelodamenſium Medicus. Quod ſi merita GORTERI laudes noſtras ſuperant; tamen amorem Viri & venerationem nullus umquam dies ex animis noſtris delebit.

---

## *Syllabus Scriptorum a b. Gortero editorum.*

De perſpiratione inſenſibili Sanctoriana Batava. Leydae, 1725. 4to.

De perſpiratione inſenſibili, editio altera, multis in locis aucta & emendata, atque commentariis in omnes aphoriſmos ſtaticos SANCTORII adornata. Leydae 1736. 4. Tab. aen. 3. cum effigie Auctoris. Recuſa Patavii 1748. 4.

De Secretione humorum e ſanguine, ex ſolidorum fabrica praecipue & humorum indole demonſtrata. Leydae 1727. 4. Tab. aen. 1. Recuſa Patavii 1751. 4.

Compendium Medicinae in uſum exercitationis domeſticae digeſtum. Pars I. de morbis generalibus. Leydae 1731. 4. Tab. aen. 2. Pars II. therapeuticam exhibens. Leydae 1737. 4. Recuſum Francof. & Lipſ. 1749. 4. Patavii 1751. 4. cum effigie Auctoris. Venetiis eod. anno 4.

Praxis Medicae Syſtema. Pars I. de morbis generalibus. Pars II. de morbis particularibus. Harderov. 1750. 8vo. Recuſum Patavii. 1752. 4t. & Lipſ. 1755. 4.

Mate-

Materies medica compendio medicinae accommodata, exhibens formulas, in uſum Studioſorum conſcriptas. Harderov. 1733. 4.

Formulae medicinales cum indice virium, quo ad inventas indicationes inveniuntur medicamina, in uſum Medicorum, praxin inchoantium. Harderov. 1752. 8. Recuſae Amſtelodami, ut ſub titulo legitur, apud fratres de Tournes. 1755. 8. ſed eſt editio Germanica, quae intentioni Auctoris minime ſatisfacit. Prior editio recuſa quoque eſt Francofurti & Lipſiae 1760. 4.

*Gezuiverde Geneeskonſt, of kort onderwys der meeſte inwendige Zickten, ten nutte der Zee- en Veld-Chirurgyns.* Amſt. 1744. 8. Editio ſecunda ibid. 1751. 8. Ed. tertia aucta ibid. 1761. 4.

*Gezuiverde Heelkonſt ter onderwyzinge van den leerenden en konſtoeffenenden Heelmeeſter.* Leyd. 1731. 8. Tab. aen. 1.

Chirurgia repurgata, ab Auctore recenſita, emendata, multisque in locis aucta. Acceſſit materia medica, Chirurgiae repurgatae accommodata. Leyd. 1742. 4. Recuſa Florent. 1745. 4. & Patavii 1750. 8. Viennae & Lipſiae. 1762. 4.

*Nieuwe gezuiverde Heelkonſt in het latyn beſchreven door* Joannes de Gorter, *in het Nederduits overgezet door* Hendrik Korp, *Chirurgyn te Amſterdam.* Leyd. 1746. 8.

Medicina Hippocratica, exponens aphoriſmos Hippocratis. Lib. I. Amſt. 1739. 4. Lib. II. ibid. 1740. Lib. III. & IV. ib. 1741. 4. Lib. V. VI. VII. ibid. 1742. 4. Totum opus recuſum, Patavii 1747. & 1753. 4.

Medicina dogmatica, tres morbos particulares, delirium, vertiginem & tuſſim, aphoriſtice conſcriptos & commentariis illuſtratos, pro ſpecimine exhibens. Harderov. 4to. Recuſa Patavii 1751. 4.

Morbi epidemici brevis deſcriptio & curatio per diaphoreſin. Harderov. 1733. 4. Recuſa Patavii. 1751. 4.

Exercitationes medicae quatuor: I, de Motu vitali. II, de Somno & vigilia. III, de Fame. IV, de Siti. Amſt. 1737. 4.

Recuſae Patavii 1751. 4. Harum prima ſeorſim prodiit Harderov. 1734. 4. & ſecunda ibid. 1737. 4.

Methodus dirigendi ſtudium medicum. Harderov. 1753. 4.

*Geneeskundig Onderzoek na de oorzack, voorkoming en Genezing van de tegenswoordig heerſchende Zickte on der het Rundvee; opgeſtelt door de medicynſche Faculteit te Harderwyck.* ibid. 1745. 8. Opuſculum patris & filii.

*Kort vertoog of aanwyzing hoe en waar de Sluitband der Kraamvrouwen moet gelegt worden.* Amſt. 1744. 8.

*Het regt gebruyk der Sluytband, nevens eenige verbetende behandelingen in Kraamvrouwen.* Amſt. 1752. 8. idem opuſculum ac praecedens, ſed auctius.

Diſputatio medica inauguralis de Obſtructione. Leyd. 1712. 4.

Oratio inauguralis de dirigendo ſtudio in medicinae praxi, ſive de Tabulis pro diſciplina medica concinnandis, dicta publice ipſis Idibus Junii, 1726. Harderov. 1726. 4. Recuſa Leyd. 1727. 4. coniunctim cum Tract. de Secretione humorum. Item Patavii 1751. 4.

Oratio de Praxis medicae repurgatae certitudine, dicta publice d. 14. Junii 1729. Leyd. 1731. 4. coniunctim cum Compendii medicinae parte I. Recuſa Patav. 1751. 4.

Oratio de Animi & corporis contentione mirabili, tam in ſecunda, quam adverſa valetudine, publice dicta d. 12. Junii 1730. Leyd. 1731. 4. coniunctim cum praecedente. Recuſa quoque Patavii 1751. 4.

Oratio pro Medico dogmatico, habita a. d. 19. Junii 1736. Harderov. 1741. 4to. coniunctim cum Medicina dogmatica. Item Patavii 1751. 4.

Oratio in centeſimum natalem, ſeu Annum Jubilaeum Academiae Ducatus Gelriae & Comitatus Zutphaniae, quae eſt Hardervici; habita a. d. 12. Junii 1748. Amſt. 1748. 4.

Diſſertatio de Suſtentaculorum vario uſu, inſerta Actis Phyſ. med. Acad. Nat. Cur. Vol. IX. Obſ. LXXVII. p. 316.

In

In de uitgeleeze Natuurkundige Verhandelingen. Amſt. 1734. ſeqq. 8.

*Onderzoek der Oorzaaken, waar door de Deelen in een lighaam t' zamen hangen. I. Deels. I. Stukje.* p. 94. ſqq.

*Genees- en Natuurkundige Verhandeling wegens het Zinken en Dryven der Longe van een jong-gebooren Kind. III. Deels Iſte Stukje.* p. 1. ſqq.

In het Merg der Academiſche Verhandelingen. Amſt. 1736. ſeqq. 8. ipſe, licet anonymus, edidit:

*Aanmerkinge over het wel en kwalyk leggen van de Sluitband der Kraamvrouwen. IV. Deels, 4de Stukje.*

*Onderzoek aangaande het Eeten der Pruimen. IV. Deels 5de Stukje.*

*Verhandeling over de Voeding van ſ'menſchen lichaam. IV. Deels 6de Stukje.*

*Verhandeling over de Gylmaking en het veranderen van Spys in voedrel. V. Deels 1ſte Stukje.*

*Onderzoek of onder het zwelgen een gedeelte van de Spys, Drank of Medicyn, in den Adembaaler komt. V. Deels 2de Stukje.*

*Onderzoek aangaande de Pynverwekkende Winden in ons lichaam. V. Deels 3de Stukje.*

*Voorreden ter approbatie van de Land- en Zee-Chirurgie van* Joh. Verrugge, vermeerdert door *J. D.* Schlichting. Amſt. 1734. 8.

Opuſcula varia, medico-theoretica. Patavii. 1751. 4. In his continentur 1). Tractatus de Secretione humorum. 2). Oratio de dirigendo ſtudio in medicinae praxi. 3). Exercitatio de Motu vitali. 4). Exercitatio de Somno & vigilia. 5). Exerc. de Fame. 6). Exerc. de Siti. 7). Exerc. de actione viventium particulari. 8). Oratio de Praxis medicae repurgatae certitudine. 9). Oratio de animi & corporis conſenſione mirabili, tam in ſecunda, quam adverſa valetudine.

Opuſcula medico-practica. Patavii 1751. 4. continent 1. Medicinam dogmaticam. 2. Orationem pro Medico dogmatico. 3. Morbi epidemici anni 1734. deſcriptionem & curationem.

Praeter haec ſcripta citantur adhuc in *Herm.* Boerhaave Methodo ſtudii medici ab Hallero edita, p. 555. *Joh. de* Gorter J. F. Mate-

F. Materia medica. Amſt. 1740. 4. ſed huius Auctor eſt *David de* GORTER. I. F. & pag. 1095. *Joh. de* GORTER Diſputatio de Cophoſi & hypocophoſi. Harderov. 1739. 4. ſed haec eſt diſputatio inauguralis Auctore *Theodoro de* GORTER. J. F.

## *Scripta inedita.*

*Naaukeurig Onderzoek wegens de Oorzaken der tegenswoordige belemmerde Scheepvaart ter Zee, en Vervuyling der Zee Havenen der Stadt Enkhuyſen: beneffens de hier toe vereiſchte hulpmiddelen: opgeſtelt volgens de Grond-Regulen der Wiskonſt.*

*De Mogelykheid van het eeuwigdurend Werktuig te kunnen maken, aangetoont.*

Medicina Hippocratica exponens Coacas Praenotiones Hippocratis. Pars Ima.

Commentaria in proprium praxis medicae Syſtema.

Oratio de mirabilibus proprietatibus & actionibus vitae, dicta publice d. XIX. Jun. 1742.

Exercitatio medica de Criſi, diebus criticis, & quid in his agendum.

Exercitatio medico-chirurgica de Sanguinis miſſione.

--- --- medico-theoretica de cauſa proxima Inflammationis. In qua Auctor novis argumentis ſententiam ſuam contra obſtructionem, ut cauſam proximam, adſtruit.

Lectio publica de morbis ſimpliciſſimis, habita anno 1725 & 1726.

--- --- in *H.* BOERHAAVE Inſtitutionum medicarum Caput, συμπτωματολογια παθολογιας inſcriptum, habita anno 1735. & 1736.

--- --- de morbis uteri. 1739-1741.

Lectio publica de morbis gravidarum & parturientium 1744. & 1745.

--- --- de Angina. 1745.

--- --- de Uromantia. 1748. & 1749.

--- --- de Febribus. 1750.-1751.

MEMO-

# MEMORIA

VIRI
DVM VIVERET EXCELLENTISSIMI
ET EXPERIENTISSIMI,

# JOANNIS FRIDERICI WEISMANNI

Sereniſſimi Marggravii Brandenburgo - Culmbacenſis Conſiliarii aulici atque Archiatri, Medicinae Profeſſoris publici ordinarii in Academia Erlangenſi Civitatisque Phyſici, Caeſareae Naturae Curioſorum Academiae & Societatis Botanicae Florentinae Socii,

d. XIX. Auguſt. A. O. R. MDCCLX.
pie placideque defuncti,

ex

*Programmate funebri*

depromta.

Etſi in illis, qui in extrema ſenectute morbo finiuntur, magnum eſt ex ipſa neceſſitate ſolatium: tamen virorum, meritis ac doctrina conſpicuorum, obitus reipublicae litterariae ſemper luctuoſus eſſe ſolet atque acerbus. Graviter igitur moleſteque ferimus iacturam, quam die XIX. ſuperioris menſis Auguſti MDCCLX. fecimus. Deceſſit enim eo die Vir, dum viveret, Illuſtris atque Experientiſſimus *Joannes Fridericus* WEISMANNUS, Sereniſſimi Marggravii Brandenburgo-Culmbacenſis Conſiliarius aulicus atque Archiater, Medicinae Prof. publ. ordinarius celeberrimus, civitatis Erlangenſis Phyſicus longe meritiſſimus, atque in omnium animis ingens ſui deſiderium reliquit.

Patria ei contigit Neapolis ad Aiſſum, ubi anno reparatae ſalutis MDCLXXVIII, die XXX. Auguſti, natus eſt. Patrem habuit *Andream* WEISMANNUM, Conſulem & Scholarcham optime meritum, ſimulque Pharmacopolam artis ſuae callentiſſimum. Mater fuit *Urſula*, genere *Streicheria*, femina omnibus ſexus ſui virtutibus conſpicua. Optimi hi parentes diligentiſſime curarunt, ut filius exoptatiſſimus pietate & doctrina liberali imbueretur. Ac prima quidem rudimenta poſuit in ludo patrio, in quo WISMARUS, ſcholae illo tempore Rector, & *Jo. Laurentius* SAMBSTAGIUS, Syndiaconus quondam Neapolitanus, praeceptores illius fuerunt. Quum autem vix duodecim annorum adoleſcentulus iamiam naturali quadam inclinatione ad ſanandi artem traheretur: quae domi ſuppetebat, occaſionem diſcendi, haud neglexit, ſed integrum quadriennium in optimi patris ſui officina pharmaceutica & laboratorio chymico verſatus egregie profecit, tutiſſimosque res medicas tractandi modos ſibi reddidit familiares. Poſtea, ut ad ſtudia academica magis magisque ſe praepararet, integrum triennium Roten-

bur-

burgenſe Gymnaſium celeberrimum frequentavit, ibique *Sebaſtiani* KIRCHMAIERI, myſtae quondam Rotenburgenſis primarii, ac Theologiae pariter atque Eloquentiae Profeſſoris publici, nec non *Godofredi* WERNERI, Gymnaſii olim Rectoris, inſtitutione tam feliciter uſus eſt, ut anno MDCXCVIII. auguſtiores Muſarum ſedes ingredi cum laude poſſet. Itaque fauſtis avibus Altorfium ſeſe contulit, ibique a Jureconſulto celeberrimo, SPIZIO, qui illo tempore faſces tenebat, in numerum civium academicorum receptus eſt. Quo facto recitationibus *Sturmiorum*, *Omeiſiorum*, *Roetenbeckiorum*, *Molleriorum*, *Hoffmannorum*, *Brunonumque* ita interfuit, ut gloriam auditoris diligentiſſimi acquireret.

Ut vero publica etiam induſtriae documenta daret, non tantum ſub immortalis STURMII praeſidio de *Motu ſtellarum ſecundo* diſputavit, ſed etiam paulo poſt, praeſide *Jacobo Pancratio* BRUNONE, commentationem academicam *de Emeticis* defendit. Exacto Altorfii triennio, aliam adhuc bonarum artium ſedem petere conſultum duxit, Jenamque ſibi elegit. Ibi *Wedelios* ac *Hambergeros* ſueta induſtria ſectatus eſt, nilque egit aliud, quam ut optimarum rerum, inprimis illarum, quae Medico neceſſariae ſunt, cognitione ſeſe locupletaret. Atque ut etiam in elegantioribus litteris, quas a teneris unguiculis impenſe amaverat, porro proficeret, *Burcardi Gotthelfii* STRUVII ſcholas numismaticas haud putavit negligendas. Sed ne ſic quidem animum diſcendi cupidiſſimum explere poterat. Itaque anno huius ſaeculi III. abiit ad Batavos, annumque integrum Lugduni atque Amſtelodami, ſingulari cum fructu, conſumſit, ac viros ſummos DECKERUM, ALBINUM, HOTTONEM, COMMELINUM, *le* MORT, BIDLOO, RUYSCHIUM & RAVIUM audivit. Ita confirmato apud Belgas animo, Jenam rediit, ibique ornamenta Doctoris medicinae & privilegia iure ſuo adeptus eſt, poſtquam ſub praeſidio *Jo. Hadriani* SLE-

VOGTII d. IV. Febr. MDCCV. de *Balſamo vero, quod vulgo Opobalſamum dicitur*, publice diſputaſſet.

In patriam deinde reverſus ita medicinam facere coepit, ut non minus viri experientiſſimi, quam vigilantiſſimi atque officioſiſſimi laude unus omnium maxime floreret. Quo factum eſt, ut brevi tempore munere Phyſici inclutae liberae civitatis Windshemenſis ornaretur; quam quidem provinciam admirabili gloria dexteritatis ac ſollertiae adminiſtravit, adeo, ut etiam ſaepiſſime in ſplendidiſſimas Franconiae noſtrae aulas, nobiliumque palatia, aegrotorum cauſſa, arceſſeretur.

In ſucceſſu rerum tam proſpero anno MDCCVIII. auſpicatum matrimonii foedus cum virgine pudiciſſima, *Joanna Eleonora Margaretha*, *Joannis Nicolai* HEROLDI, Conſiliarii olim Culmbacenſis, atque *Annae Barbarae*, natalibus Graefiae, filia, paciſcebatur; quod tam concordia mutua, quam filiorum duorum & quatuor filiarum foecunditate ſe commendavit. Sed ex his tres tantum filiae, *Margaretha Wilhelmina*, *Sibylla Carolina*, ac *Sophia Margaretha Friderica*, adoleverunt; reliquis infantibus optimi parentes mature orbati ſunt. *Margaretha Wilhelmina* autem, filiarum natu maxima, matrona ſummae exiſtimationis, nupſit Illuſtri atque Experientiſſimo *Petro Chriſtiano* WAGNERO, Sereniſſimi Marggravii Brandenburgo-Culmbacenſis Conſiliario intimo, ac domeſticorum Medicorum primo; viro, in tantum laudando, in quantum ipſa ſcientia ſalutaris, variaque rerum excellentiſſimarum cognitio intelligi poteſt, & cuius laus non Germaniae tantum finibus continetur. Duorum ex ea filiorum factus eſt pater, qui animo cultuque praeclaris parentibus digno efflorescunt. *Sibyllam Carolinam* domum duxit vir, dum viveret, ampliſſimus, *Julius Baumannus*, qui Fridrichsthalii & Hüttenſteinaci praedia hereditaria poſſidebat; quod quidem matrimonium ſterile haud fuit, ſed tam mater, quam filiolus, quem peperit, praematuram mortem obierunt. *Sophia Margaretha Friderica*, filiarum natu minima, exquiſitiſſimae

virtutis

virtutis femina, nuptum data eſt viro Illuſtri atque Experientiſſimo *Chriſtiano Friderico* GOECKELIO, Medicinae Doctori celeberrimo, Sereniſſimo Marggravio Brandenburgo-Culmbacenſi a conſiliis aulae, ac civitatis Erlangenſis Phyſico meritiſſimo, qui ex ea duos liberos genuit; at hi mox a partu Deo redditi ſunt. Ipſa harum trium filiarum mater praeſtantiſſima anno MDCCLIII, die XIX. Febr. naturae conceſſit, ſolaque morte optimum coniugem ſuum contriſtavit. Contigit igitur Divo WEISMANNO, felix maritus, felix pater, felix ſocer, felix avus ut eſſet. Sed iam reliquas illius res memoratu dignas exponere debemus.

Poſtquam Windshemenſibus ſuis diu profuerat, accidit, ut immortalis memoriae Princeps, Divus GEORGIUS WILHELMUS, eum vocaret Baruthum, atque Conſiliarii aulici & Archiatri dignitate cohoneſtaret. Itaque cum ſuis Baruthum transmigravit, ibique aliquot annos tam aulae, quam civitati, operam inſignem navavit. Tandem vero, poſt Divi GEORGII WILHELMI obitum, Erlangae (erat enim ſimul huius civitatis Phyſicus) habitare, atque in hac urbe amoeniſſima, quod reliquum eſſet vitae, exigere, in animum induxit; neque umquam potuit adduci, ut domicilium rurſus mutaret. Manſit igitur ex eo tempore in oppido hoc elegantiſſimo, cui divina providentia eam fortunam reſervaverat, ut ſplendida Muſarum ſedes in illo conderetur. Satis ſuperque notum eſt, anno MDCCXLIII. munificentia Sereniſſimi Principis hoc factum eſſe; ac licet illo tempore Divus WEISMANNUS noſter iamiam annum aetatis ſexageſimum quintum egreſſus eſſet, tamen, quia conſtabat, ſenectutem vires illius, tam animi, quam corporis, nondum fregiſſe, propter plurimum rerum uſum, & praeſtantem, qua conſpicuus erat, doctrinam (ob quam non modo Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae naturae curioſorum, ſed etiam Societatis Botanicae Florentinae ſodalis declaratus eſt) dignitate Profeſſoris medicinae publici ordinarii ornabatur; primumque in illuſtri Medicorum ordine locum ac-

 cipie-

cipiebat. A quo tempore, quavis occaſione oblata, animum ad commoda Academiae augenda paratiſſimum oſtendit. Obſervationes varias phyſico - medicas inſeri curavit Ephemerid. & Actis Nat. Cur. Commercio litterar. Norimberg. & Collectionibus Franconicis. Singulare coeruleum, Erlangenſe nuncupatum, invenit, de quo vid. Clariſſ. Model *de Borrace*. Collegii ſui Decanatum, quem vocant, ſaepe geſſit; faſces autem academicos bis tenuit, ac ſaepius adhuc eosdem potuiſſet ſuſcipere, niſi, ultimis temporibus, ob ingraveſcentem magis magisque aetatem, hunc honorem deprecari, ſatius putaſſet.

Ornabat virum, praeter pietatem non fucatam, aliasque virtutes, mira modeſtia, atque ab omni faſtu erat alienus; adeo, ut cum cuiuslibet ſortis hominibus, quovis loco & tempore, ſermones haberet, opemque petentibus ſubveniret. Non tantum in alta palatia, illuſtriumque domos aſcendere, ſed etiam in humiles caſas atque tuguria ſeſe demittere ſolebat. Artes ſimulandi non didicerat. Rectus erat, & ab intimo illius ſenſu numquam, ne minimum quidem, aut vultus, aut oratio, diſcrepabat. Utebatur vivendi genere, quo nihil eſſe poteſt ordinatius. Mane e lectulo ſurgebat albeſcente coelo, ac mature ad negotia curanda ſeſe accingebat. Quoties, qui auroram, Muſis amicam, haud negligunt, illum per urbis noſtrae plateas eo tempore, quo maxima mortalium pars adhuc ſomno indulget, ſenili greſſu deambulantem viderunt! Reliquum diei tempus iis, quae munerum, quibus ornatus erat, poſtulabat ratio, exigere ſolebat. Interdum alias curas variis laboribus mechanicis, quibus, more complurium magnorum virorum, admodum delectabatur, levabat. Omnibus erat acceptus, nemini gravis. Hunc tam egregium ſenem igitur die XIX. Auguſti morte, non quidem amplius inexſpectata, ſed tamen nobis acerba, amiſimus. Ipſe quidem (utamur verbis Plinii *iunioris*, quibus *Verginium* ſuum laudat) plenus annis obiit, plenus honoribus, illis etiam, quos recuſavit; nobis tamen quaerendus ac deſiderandus eſt, ut aevi prioris exemplar.

MEMO-

# MEMORIA

VIRI

EXCELLENTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI,

# JOANNIS GOTTLOB KRÜGERI,

Medicin. & Philoſoph. Doctoris & utriusque Profeſſoris publici ordinarii in Academia Helmſtadienſi, Academ. Caeſar. Nat. Curioſor. & Regiae Scientiar. Berolinenſ. Collegae, Societat. Teutonicae Goettingenſ. & Helmſtadienſ. Sodalis,

Brunſvigae d. VI. Octobr. MDCCLIX.

defuncti,

ex

*Programmate funebri*

deprompta.

Ex

Ex quo tempore rudis illa & ſimplex medicina, qualis antiquiſſimorum fuit, amplificari hominum ſtudiis, viaque & ratione aliqua doceri coepit, magna praecipue eius artis cum disciplinis mathematicis coniunctio intellecta eſt, & qui in ea exornanda primi aliquam poſuerunt operam, ſubſidio mathematum mature uſi ſunt. Ex antiquiſſimis Medicis Herophilus dicitur venarum pulſum dimenſione quadam ad muſicos pedes deſcripſiſſe per aetatum gradus *). Crinas quidam Maſſilienſis, teſte Plinio **), Aſtronomiam vocavit in ſubſidium, & ad ſiderum motus ex ephemeride mathematica cibi & medicamenti ſumendi tempora deſignavit, ſecutus ſine dubio Aegyptios Medicos, a quibus doctrina de ſignificatione ſiderum, & intelligendo inde dierum horarumque diſcrimine, profecta eſt, praecipue Petosirin illum, cuius mentionem Juvenalis ***) iniicit:

*-- -- -- capiendo nulla videtur*
*Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.*

His quidem & aliis Medicorum conatibus cordatiores inter Romanos viri, ut Plinius documento eſt, minime favere viſi ſunt, quod ſimplicem medicinam, & remedia ſolo uſu & experimento quaeſita, probabant magis, nimiam vero ſubtilitatem artis, & ſcientiae oſtentationem averſabantur. Erant enim artes illae, quarum inſtrumento exornare medicinam cupiebant, tam parum

*) Plinius H. N. Lib. XXIX, Cap. 1. Censorinus de Die natali Cap. 12.

**) l. c.

***) Sat. VI. v. 579.

rum excultae eo tempore, tam vero corruptae perverſarum opinionum vanitate, ut iure cenſere viderentur prudentiores, nullum eas aut parum ſalubre adiumentum arti medicae praebere. Hodie vero, artibus aliis aeque ac medicis ingenioſorum hominum ſollertia excellenter excultis & propemodum perfectis, explorata ſatis & manifeſta eſt mathematicae disciplinae cum naturali & medica ſcientia coniunctio, & qui earum artium doctrinam copularunt, eorum ſtudia, novimus, & ad locupletandam rei medicinalis ſcientiam fructuoſa, & ad nominis celebritatem illuſtria fuiſſe. Quorum in numero merito cenſendus fuit, quem nuper rebus humanis praematuro fato ereptum Academia noſtra & orbis eruditus luget, *Jo. Gottlob* Krügerus, Doctor Medicus & Philoſophus multis inſignibusque meritis celebratus. Hunc enim vidimus inſigne plurimarum artium, praecipue mathematum, ſtudium ad exornandam Medicinae & rerum naturalium ſcientiam attuliſſe, ita ut ſubinde collatis Phyſicae, Mathematicae, Muſicae etiam, diſciplinae rationibus, variarum rerum quaeſtiones ſcite non minus quam iucunde explicaret, eaque re multam apud eruditos gratiam iniret, nec minorem acquireret famam. Documento ſunt ſcripta eius in vulgus edita, quorum indicem ad calcem huius ſcriptionis dabimus.

Patriam habuit Halas Magdeburgicas, ubi anno huius ſaeculi XV. natus eſt patre *Joanne* Krügero, cive & fabro automatario, in re ſatis lauta conſtituto, matre *Chriſtiana*, reverendi quondam viri, Hoffmanni, apud Skeudicenſes ſacerdotis ſenioris meritiſſimi, filia. Horum parentum unicus filius *Joannes Gottlob* tres habuit ſorores germanas, quarum non omittenda eſt mentio. Maximam natu in matrimonio habuit Zieglerus, officio movendi organi pnevmatici, quod carmina Deo publice canenda grandi ſonorum convicio moderatur, in templo Ulriciano functus. Huius filia eſt illa Experientiſſimi Vntzeri uxor, ultra ſortem ſexus ſui eruditione & ſcriptis

clara, & quaedam veluti Theano & Sappho aevi noſtri, cuius ingenium avunculus, tum opere eius philoſophico praefatione annotationeque exornando, tum impertita ei laurea poetica a. CIↃIↃCCLIII, cum maxime Prorector Academiae noſtrae, honoravit. Altera ſororum eius primum Reverendo TOELLNERO, Paſtori eccleſiae Charlottaeburgi prope Berolinum, nupſit, e quo *Jo. Gottlieb* TOELLNERUM, nunc Theologiae in Academia Francofurtana Profeſſorem publicum, genuit, & ſecundis nuptiis defuncti mariti ſucceſſori, Venerabili PROZENIO, iuncta eſt, qui nunc ſacris apud Stetinenſes praeeſt, & Conſiliarii in Conſiſtorio eccleſiaſtico honore eminet. Duas has ſorores fatum praeripuit Noſtro, tertia ex omni germanitate ſuperſtes, adhuc eſt, vidua GIESENII, mercatoris apud Croſſenenſes in Sileſia honeſtiſſimi.

Patrem quidem mature amiſit parvulus adhuc puer, ſed curam eius educandi hoc maiorem ſuſcepit mater, rectiſſimi exempli & probitatis eximiae femina, quae quod ad multam aetatem vivendo proceſſit, hoc ſenectutis ſuae levamentum multo maximum habuit, quod in dignitate & incrementis filii, quae cerneret ipſa, fructum curae & educationis ſuae capere iucundiſſimum poſſet. Cum id eſſet aetatis, ut litterarum doctrina poſſet inſtitui, nec negligendae viderentur dotes ingenii, quas a natura praeclaras acceperat, deductus eſt in ſcholam Halenſis Paedagogii, eaque brevi ſuſcepit cultum ingenii, quod ad ſollertiſſimam magiſtrorum, quos ibi nactus erat, inſtitutionem nobilis accedebat commilitonum aemulatio, quae ſtudium alere pueri, & aſſiduis veluti ſtimulis excitare ad intendendos ingenii nervos videbatur. Huius veteris ſodalitii memoria Noſterm ſuavem iucundamque per omnem aetatem conſervavit, ſolebatque ille, quod plurimos eorum, quos olim aut duces aut ſocios ſtudiorum ſuorum habuiſſet, magnis in re publica ſacra & literaria honoribus florere videbat, cum multa de adoleſcentia ſua, in eorum contubernio utiliter acta, memoriter

&

& iucunde narrare, tum maxime recordari magni illius & immortalis memoriae Theologi, Baumgartenii, quo praeceptore & inſpectore ſe uſum, cum multa honoris & grati animi ſignificatione memorabat.

Nomen civitati Academiae patriae mature dedit, a. cIↃIↃCCXXVI. die XXVIII. Martii, Prorectore *Jo. Friderico* Schneidero, Juris & Philoſophiae Profeſſore publico, ipſa tamen ſtudia Academica anno demum huius ſaeculi XXX. aggreſſus eſt. Dedit autem ſe Philoſophiae, naturalis maxime, Matheſeos & Medicinae diſciplinis percipiendis, in quas naturali quodam inſtinctu & amore ferri videbatur, easque tanto perſecutus eſt ardore ſtudii, quanto debebat is, qui ornamento & praeſidio his disciplinis futurus erat. Aſſidue igitur frequentavit ſcholas cum aliorum Philoſophiae & Medicinae Doctorum, quibus tum florebat Academia Halenſis, tum maxime celeberrimorum Virorum Hoffmanni & Alberti ſeniorum, Junckeri, Schultzii, quorum non ſatis habuit auditionibus publicis intereſſe, privatim etiam ſermonibus & conſiliis fieri doctior ſtuduit, & ſaepius adeundo & ſalutando in eorum amicitiam inſinuatus, ex erudita tantorum virorum conſuetudine familiarique ſermone magnum doctrinae ſuae compendium fecit. Itaque brevi crevit atque eminuit, & Diſſertatione *de Determinatione mentis per motiva*, a. cIↃIↃCCXXXIIII. publice defenſa, initium fecit publicandi ingenii, eo quidem ſucceſſu, ut quidam, opinione efflorescentis in eo doctrinae permoti, privata eius inſtitutione erudiri cuperent. Quo tanquam proſpero laborum ſuorum auſpicio excitatus, ulterius progredi, iuſque & facultatem docendi conſuetis eruditionis ſpeciminibus acquirere ſibi, animum induxit, & a. cIↃIↃCCXXXVII. ab Ordine Philoſophico iuſto exploratus examine, ſolemnique Diſputatione *de nonnullis ad motum globuli e ſclopeto exploſi pertinentibus*, moderatore *J. H.* Schultzio, velitatus, ab eodem tum Decurione & brabeuta ſummos in Philoſophia honores impetra-

petravit. Eaque occaſione *S. R.* BAUMGARTENIUS, cui Diſſertationem inſcripſerat Noſter, hunc ei honorem habuit, ut addita epiſtola, *de Veterum coniunctione Matheſeos cum Philoſophia*, novos ei honores publice gratularetur.

Poſt haec habendis praelectionibus ſe totum dedit. Sed eos labores dum nimium urget & cumulat, ex aſſidua contentione animi infirmitatem contraxit, quam correcturus, relaxando paullulum animo mutandoque ad tempus coelo, peregrinationem in Sileſiam ſuſcepit. Unde poſtquam rediit confirmatus, alacriore animo ad priſtinos ſe recepit labores, nec tantum auditiones inſtituit frequentes, ſed etiam libris utiliſſimi argumenti exarandis, quicquid haberet ſubſecivi temporis impertiit. Pertractabat autem tum maxime mathematicas, & Philoſophiae, praeſertim naturalis, diſciplinas, quod ei generi eruditionis plurimum tribuebat, tantamque inde famam & exiſtimationem collegerat, ut magnus etiam naturae cognitor HOFFMANNUS ſaepius uteretur KRÜGERO, eiusque de rebus naturalibus ſententiam exploraret. Inter haec animum ad tradendas Medicinae partes adiecit, idque non minore ſucceſſu & approbatione hominum perfecit. Quo pacto cum Ordinis Medici ſtudia in ſe convertiſſet, oblatos ſibi honores in Medicina ſummos, anno CIↃIↃCCXLII, habita prius diſputatione ſolemni *de Senſatione*, quam ſolus defendit, ab eius Ordinis Decano, Ill. HOFFMANNO, recepit.

Ex eo tempore magis magisque inclaruit, nec minores honorum, quam famae, acceſſiones habuit, quod ingenium KRÜGERI, ad diſciplinas, quibus ſe addixerat, veluti natum & a natura factum, utilitatis rei litterariae cauſſa dignis afficiendum praemiis, & maioribus, quo excurreret, ſpatiis committendum videbatur. Primum ei fructum laboris, in Academia hucuſque exantlati, literae Potentiſſimi Boruſſorum REGIS, menſe Auguſto anni CIↃIↃCCXLIII. perſcriptae, attulerunt, quibus collaudata prius dexteritate & induſtria KRÜGERI, locus

ei

ei Profeſſoris Medicinae in Academia Halenſi extraordinarii delatus, ſimulque ſpes amplioris emolumenti pro meritis capiendi clementiſſime facta eſt. Anno CIↃIↃCCXLV. ab Academia Caeſarea Naturae Curioſorum ſodalis allectus eſt, collato nomine *Fauſtini II*, paremque honorem anno ſequente ab Academia Regia Scientiarum Berolinenſi accepit.

Etſi autem his auctus honoribus magna exiſtimatione hominum florebat Halis, haud tamen ita fatum eſſe videbatur, ut Academia, in qua veluti adoleverat KRÜGERI fama, eundem ſibi proprium vindicaret, conſummataque eius dignitate apud ſe retineret. Nam anno CIↃIↃCCLI. literis *Sereniſſimi Ducis Brunſvico-Luneburgici*, Domini noſtri clementiſſimi, in Academiam Helmſtadienſem evocabatur. Deceſſerat apud nos doctor Medicus celebratiſſimus *Petrus* GERIKE, Chemiae, Medicinae theoreticae & Materiae medicae profeſſione functus, cui provinciae inter exteros nemo aptior KRÜGERO videbatur. Atque hic quidem, cum paullo ante profeſſio in Academia Petropolitana ſibi oblata eſſet, deprecari eum honorem maluerat, quod diſceſſu eo longius ſe abſtrahi a patria & neceſſariis ſuis aegre ferebat; Helmſtadienſem tamen provinciam cum mandari ſibi videret, nullam moram interpoſuit, quin clementiſſimi *Ducis* voluntati obſecutus itineri ſe pararet. Impetrata igitur a Potentiſſimo *Rege* diſcedendi venia, anno CIↃIↃCCLI. menſe Maio Helmſtadium venit, & a civibus academicis, qui magno eius deſiderio flagrabant, honorifice exceptus, novum mox *Principis* erga ſe indulgentiae documentum expertus eſt, cum ei locus in Ordine Philoſophico, & ius facultasque Philoſophiam publice docendi, iuſſu Sereniſſimi *Ducis* ſingulari concederetur.

Profeſſorium munus inſigni auditorum concurſu auſpicatus eſt parique favore & exiſtimatione continuavit. Praelectionibus & ſcholis habendis diſputationes publicas interſeruit haud infrequentes, commentationibus item utilis argumenti

ſtilo explicandis, faciendaque medicina, otium ſi quod haberet, utiliter diſpunxit, partesque doctoris Medici ea implevit diligentia, ut expectationem de ſe concitatam ſuſtineret, & magnam Academiae utilitatem afferret. Sigillatim exiſtimationis ſuae, qua Krügeri merita proſequeretur, haud multo poſt, quam Helmſtadium adveniſſet, tempore, ſignificationem Societas, quae ibi floret, Ducalis Teutonica dedit, cum eum ſociis ſuis honorariis adſcriberet, quem ei honorem & Goettingenſis ante Societas detulerat. Tantus praeterea tamque conſtans exterorum favor, proſecutus eſt Noſtrum, ut, quamquam donatus iam Helmſtadienſi Academiae eſſet, certatim tamen eum vindicare ſibi & quaſi repoſcere conarentur. Nam altero ſtatim, poſtquam ad nos acceſſerat, anno, literis humaniſſimis Illuſtriſſ. Comitis Holzendorfii, Praeſidis Senatus in Saxonia ſacra ſummi, actum cum eo eſt, de capiendo loco tertio in Ordine Medicorum Academiae Vitembergenſis, qui tum obitu *Abrahami* Vateri vacabat. Nec alium ei nuntium afferebant literae celeberrimi cuiusdam viri anno ciↄiↄcclvi. perſcriptae, quibus deſignatus Profeſſor Medicinae in Academia Jenenſi nuntiabatur. Krügerus autem tanto Academiae Helmſtadienſis amore tenebatur, tantumque ſe beneficiis clementiſſimi *Ducis* ſui obſtrictum ſentiebat, ut lautis etiam, quae aliunde offerrentur, conditionibus remittere nuntium non dubitaret.

Quanta etiam publice eruditioni eius & peritiae, rerum praeſertim naturalium, fides & auctoritas ſit attributa, vel ipſius *Sereniſſimi Ducis* iudicio, plurimis declarato documentis, eſt cognitum. Reperto a. ciↄiↄcclv. prope Helmſtadium fonte medicato, cum ex uſu reipublicae videretur hoc praeſidium ſanitatis accuratius cognoſci, datum hoc a *Principe* negotium Krügero eſt, ut quae natura eius fontis & quae vis eſſet, qui legitimus uſus, & quae ſalubritas ex eo percipienda, ſingulari ſcripto exponeret. Quod ille tanta cum approbatio-

batione perfecit, ut *Sereniſſimus Princeps*, clementiſſimis ad eum datis literis, operam hac in re navatam cum multa benignae voluntatis ſignificatione collaudaret, luculentumque ei laboris praemium iuberet perſolvi. Aeque benigne excepta eſt brevis alia commentatio *de cauſſis terrae motus*, quam a. CIƆIƆCCLVI. literis ephemeridum Brunſvicenſium, quibus res ad publicam inſignes notitiam enarrantur, inſerendam curaverat. Alii negotio, quod ei anno ſuperiore mandabatur, amplo & laborioſo diutius inſudavit, &, inclinata iam valetudine, ſupremas veluti vires impendit, in eo tamen expediendo ſummum Principalis erga ſe gratiae argumentum habuit, nec minorem fidei dexteritatisque ſuae laudem tulit e vita. Nempe conſtitutum erat ordinatione *Principis*, ut Pharmacopolarum operae & omnis res medicamentaria ad disquiſitionem vocaretur, &, ſi quae invenirentur corruptelae, reſtitueretur in melius. KRÜGERUS, ut peritiſſimus rerum medicinalium, is videbatur, cui auctoritate *Principis* munito rei inquirendae negotium committeretur. Itaque vocatus Brunsvigam mandata ſumma fide & diligentia perſecutus eſt, & in opere laborioſo & difficili quatuor amplius menſes conſumſit, brevique abſolviſſet, niſi morte praeventus ſub ipſum negotii finem eſſet. Praeterimus alias eiusdem fere generis cauſſas, in quibus opera KRÜGERI aut conſilium deſideratum eſt.

Magiſtratu Academico primum a. CIƆIƆCCLIII. functus eſt, quo tempore grave vulnus ex obitu matris ſuae accepit, quae quamquam ſeptuagenaria ſatis magnum vitae ſpatium emenſa eſſet, tamen ob pietatis, quod dederat, exemplum, & plura alia virtutum ornamenta, magnum filio deſiderium ſui reliquit. Alterum Conſulatum Academiae a. CIƆIƆCCLVII. geſſit. In utroque prudentiam fidemque ſuam in tuendis Academiae commodis approbavit, nec caruit amore civium, quod gravitatem muneris facilitate officii & inſigni ſuavitate ſermonis temperare ſolitus, facile animos hominum ſibi conciliabat.

Prae-

Praeſidis & brabeutae in Ordine Medico munus bis omnino adminiſtravit, & anno CIↃIↃCCLVIII, poſt deceſſum *Laurentii* HEISTERI, pro Decano geſſit. Qua in functione officii cum plurimos Candidatos, commiſſionibus eruditis ſpectatos, ſummis Medicinae honoribus ornavit, tum maxime anno MDCCLIV, quo primum id muneris gerebat, decem Doctores Medicinae ritu ſolemni renuntiavit.

Ad fortunam eius domeſticam quod attinet, ſociam vitae, amantiſſimam ſui, & ſpectatae virtutis, habuit *Mariam Reginam*, natam patre *Joanne* RUHLEMANNO, Regiae praefecturae ad Islebiam, *Helfte* vocatur, curatore, qua cum matrimonium anno CIↃIↃCCXLIV. contractum ad rei familiaris tutelam et fructum aliquem vitae perquam ſibi commodum expertus eſt. Ex ea ſuſcepit duo filios, *Fridericum Auguſtum*, & *Joannem Sigismundum*, quorum ille decimum tertium, hic undecimum aetatis annum agit. Proſtratam luctu, e praematuro mariti deſideratiſſimi obitu, Viduam allevet Deus benigniſſime, & divini ſolatii fomentis recreet: donum, orbatum praeſidio, ipſe tutela ſui Numinis defendat, & ſpem ſuccreſcentem filiorum provehat, efficiatque, ut paternis inſiſtentes veſtigiis, ad paternum decus connitantur, utilemque aliquando operam praeſtent reipublicae.

Functus eſt Noſter Brunsvigae morte ſubita, cum, abſoluto fere, quod a *Principe* ſibi mandatum erat, inquirendae ordinandaeque rei medicamentariae negotio, iam de reditu ad lares domeſticos cogitaret. Attulerat ad hanc operam cauſſarium invalidumque corpus, iam inde ab annis aliquot tenaci moleſtaque infirmitate conflictatus, quae ſtudiis laboribusque ſuis quantumvis intentum ſaepius tardabat, eiusque cauſſas ipſe a iuventute nimio labore exercita, variisque in ſtudiis evigilata, repetebat, unde vitio contracto corporis, inteſtinum malum, quod iuvenilis robur aetatis ſuppreſſerat, profectioribus annis invaleſcere graviusque af-

fligere

fligere videbatur. Perſtitit tamen in ſuſcepto opere, & gratum officium *Principi*, etiam cum impendio ſanitatis, facturus, mandatum ſibi negotium ita perſecutus eſt, ut propius abeſſet a fine. Reliquum tamen quod erat, quum aeque commode ab abſente & per literas poſſet confici, & valetudinis in deterius inclinatae ratio domeſticae curae levamentum poſtulare videretur, ſupplicibus *a Sereniſſimo Principe* literis petiit, ut, profligato plurimum ac paene confecto negotio, poteſtas ſibi domum revertendi fieret. Dictus iam erat dies VI. Octobris, quo de miſſione KRÜGERO danda in Senatu ſecretiore ageretur. Sed eo ipſo die, & paullo ante quidem, quam decretum de eo fieri deberet, hora nona ante meridiem, ſubito ictus ſanguine, exceſſit e vita. Corpus eius decimo eiusdem menſis die veſpertino funere elatum & in coemeterio S. Magni ſepultum eſt.

---

# Scriptorum
# *Jo. Gottlob Krügeri*
## *Index.*

I. Diſſertatio Philoſ. *De Determinatione mentis per motiva.* Praeſ. M. C. A. Büttnero, Hal. 1734. 4to.

II. Diſſert. inaug. philoſ. *de nonnullis ad motum globuli e ſclopeto exploſi pertinentibus.* Hal. 1737. 4.

III. *Naturlehre, nebſt Kupfern und vollſtaendigen Regiſtern, mit einer Vorrede von der wahren Weltweisheit begleitet von F. Hoffmann.* Edit. I. Hal. 1740, 8vo. Edit. II. Hal. 1744, 8. Edit. III. Hal. 1750, 8.

IV. *Gedanken von dem kalten Winter des Jahrs* 1740. Hal. 1741. 8. Edit. II. Hal. 1746. 8.

V. *Abhandlung von den Steinkohlen.* Hal. 1741. 8. Edit. II. Hal. 1746. 8.

VI. *Phyſicotheologiſche Betrachtungen einiger Thiere.* Hal. 1741. 8. Edit. II. Hal. 1746. 8.

VII. Diſſertatio inauguralis medica *de Senſatione.* Hal. 1742. 4.

VIII. *Naturlehre zweyter Theil, welcher die Phyſiologie oder Lehre von dem Leben und der Geſundheit der Menſchen in ſich faſſet, nebſt Kupfern und vollſtaendigen Regiſter.* Hal. 1743. 8. Edit. II. auct. & emend. Hal. 1748. 8.

IX. *Anmerkungen über des H. G. R. Wolfens Auszug aus der Rechenkunſt, zum Gebrauch ſeiner Zuhoerer entworfen.* Hal. 1743. 8.

X. *Traité du Caffeé du Thé & du Tabac, par J. G. Krüger.* Hal. 1743. 8. Edit. II. Hal. 1746. 8. Eſt verſio commentationis Germanicae antea editae.

XI. *De novo Muſices, quo oculi delectantur, genere, oder vom Farben - Clavicymbel.* Tomo VII. Miſcell. Berolin. 1743. 4.

XII. *Zuſchrift an ſeine Zuhoerer, worinnen er ihnen ſeine Gedanken von der Electricitaet mittheilet, und ihnen zugleich ſeine künftige Lectionen bekannt macht.* Hal. 1744. 8. Edit. II. notis aucta, Hal. 1745. 8.

XIII. *Grundriſ eines neuen Lehrgebaeudes der Arzneygelahrheit.* Hal. 1746. 8.

XIV. Ge-

XIV. *Geſchichte der Erden in alleraelteſten Zeiten.* Hal. 1746. 8.

XV. *Gedanken von der Algebra, nebſt den Primzahlen von* 1. *bis* 1000000. Hal. 1746. 8.

XVI. Eine Trauerrede *von den verſchiedenen Gemüthsbeſchaffenheiten, mit welchen die Menſchen aus der Welt zu gehen pflegen.* Hal. 1747. 4.

XVII. *Anmerkungen über des Freyh. und Canzlers von Wolf Geometrie und Trigonometrie, zum Gebrauch ſeiner Zuhoerer entworfen.* Hal. 1747. 8.

XVIII. *Naturlehre dritter Theil, welcher die Pathologie oder Lehre von den Krankheiten in ſich faſſet.* Hal. 1750. 8. Edit. II. 1755. 8.

XIX. *Naturlehre dritter Theil, welcher den zweyten Hauptabſchnitt der Pathologie, die beſondere Pathologie, enthaelt.* Hal. 1750. 8. Edit. II. Hal. 1755. 8.

XX. *Diaet oder Lebensordnung.* Hal. 1751. 8.

XXI. *Gedanken von der Erziehung der Kinder.* Hal. 1752. 8.

XXII. *Ordnung, in welcher man die Arzneigelahrheit erlernen müſſe.* Hal. 1752. 8.

XXIII. *Philoſophia naturalis experimentis confirmata.* Hal. 1753. 8.

XXIV. *Traeume.* Hal. 1754. 8. Edit. II. 1758. 8.

XXV. *Vom Helmſtaedtiſchen Geſundbrunnen.* Helmſt. 1755. 4.

XXVI. *Verſuch einer Experimental-Seelen-Lehre.* Halle und Helmſt. 1756. 8.

XXVII. *Gedanken von den Urſachen des Erdbebens.* Halle und Helmſt. 1756. 8.

XXVIII. *Gedanken von Gott.* Helmſt. 1757. 4.

XXIX. *Fortſetzung der Nachricht vom Helmſtaedtiſchen Geſundbrunnen.* Helmſt. 1757. 4.

XXX. *Unterricht wie ein Soldat ohne Arzneyen ſeine Geſundheit erhalten und ſich curiren koenne.* Halle und Helmſt. 1758. 8.

XXXI. *Die erſten Gründe der Naturlehre auf eine leichte und angenehme Art zum Gebrauch der Jugend und Anfaenger entworfen.* Halle und Helmſt. 1759. 8.

# D. CHRISTOPH. IACOBI TREW APOLOGIA ET MANTISSA OBSERVATIONIS DE CEDRO LIBANI a) ET CEDRORVM LIBANI HISTORIAE. b)

---

a) Horum Novorum Actorum T. I. Obſ. CI. p. 409. ſeqq. Tab. VIII. IX.

b) Quae continet eandem obſervationem iisdem verbis ac tabulis in ſchediaſmate peculiari a bibliopola excuſa, hoc titulo: D. CHRISTOPHORI IACOBI TREW *Cedrorum Libani hiſtoria, earumque character botanicus cum illo Laricis, Abietis Pinique comparatus. Accedit brevis Diſquiſitio, an haec arbor ſit illa ipſa in ſacro codice prae omnibus celebrata, & vel Aeres vel Beroſch dicta; itemque, an graecis Botanicis fuerit cognita, cum tabulis aeneis II. Norimbergae impenſis Wolfgangi Schwarzkopfii* 1757. 4. pagg. 28.

OLAVS CELSIVS, S. Th. D. & Prof. Upſal. celeberrimus in ſuo Hierobotanico c) Part. I. p. 74. annotat: „ *Arborum Libani montis in ſacris ſcripturis numerantur genera fere quinque nobiliora, videl.* Beroſch, Aeres, Algummim, „ Tidhar & Theaſſchur. *Harum unam eſſe* Cedrum *interpretibus, & hinc Lexicographis, dictam, non eſt, quod dubitemus.* „ Ex his arboribus ſecundum CELSIVM 1) *Beroth, Beroſch* eſt *Abies* vulgo *Cedrus Libani* P. I. p. 74-105; 2) *Aeres* eſt *Pinus* p. 106-134; 3) *Almyggim, Algummim, Ligna pretioſa ex India Orientali,* an *Sandali?* p. 171-184; 4) *Tidhar* declaratur pro nomine ſignificationis obſcuriſſimae: denotat namque aliis *Ulmum*, aliis *Buxum*, aliis *Pinum*, aliis *Fagum* & aliis πευκην *Piceam*, aliis *Sapinum, Laricem, Taedam*; aliis idem eſt, quod Arabibus *Scg*; aliis eſt *Platanus Indica, Acer* P. II. p. 271-273; 5) *Theaſſchur, Teaſſchur*, quod nomen pariter varie interpretantur Auctores a CELSIO citati, illoque notante quinque minimum arborum ſpecies producunt ex hac una; aliis nimirum eſt *Cedrus*, aliis *Abies Libani, Populus, Ulmus, Pinus*, aliis denique *Buxus*, quem ſignificatum pro vero CELSIVS agnoſcit p. 153-156; de quibus horum nominum ſignificationibus me certiorem quoque fecit abs me conſultus Dom. IO. ANDR. MICH. NAGEL, celeberrimus Linguarum Orientalium & Metaphyſ. in Univerſitate Altorfina Profeſſor publicus ordinarius, &

c) *OLAVI CELSII S. Th. D. & Prof. Upſal. Hierobotanicon, ſive de plantis Sacrae Scripturae diſſertationes breves. Upſaliae ſumtu Auctoris* 1745. *Pars poſterior. Ibid.* 1747. 8. mai.

& Univerſitatis Bibliothecarius &c. in litteris d. 14. Nov. 1765. humaniſſime ad me datis, qua occaſione ſimul de ſignificatione nominis *Oren* haecce commentatus eſt: ſemel tantum, nempe IES. XLI, 14. legitur *Oren*, de quo nomine Maſorethae annotant, ultimam litteram ſcriptam eſſe minorem. Interpretes LXX. habent πίτυν; Targum *Urna*; Vulg. & SEB. MVNSTERVS *Pinum*; LVTHER. *Cedern*; CASTAL. *Orno*; ZELTNERVS *Aborn*; IVN. & TREMELL. *Ornum*; verſio Gall. Geneveníis *Frene*. Hactenus ille. Addo, CELSIO l. c. P. I. p. 185-193. *Oren*, *Arân* eſt *Arbor Arabica ſpinoſa*, *baccifera Abul-Fadli d*), quem auctorem in explicandis ſtirpium nominibus Arabicis potiſſimum ſequutus eſt.

In Libano inveniri arborem a recenſitis penitus differentem, egregie venuſtam atque praegrandem, teſtantur omnia hodoeporica, eamque nominant *Cedrum*.

Quibus characteribus propriis atque perpetuis ſe praecipue diſtinguunt *Cedrus*, *Larix*, *Pinus* atque *Abies rubra albaque* vulgo dicta; in prima mea lucubratione ſecundum aliquas fructificationis partes iam expoſui, hasque figuris aeri inciſis illuſtravi *e*); quibus nunc maioris illuſtrationis gratia quaedam novae tab. XII. accedunt figurae.

A) Ad Cedri characteres pertinent Obſ. tab. IX. Hiſt. tab. II. figurae 1-20. delineatae, & quidem fig. 1-9. repraeſentant

*d*) De hoc auctore einsque opere CELSIVS l. c. praef. p. 4. haec refert: „*Hunc in publica auctione, ut loquimur, codicum MS.* „*Viri celeberrimi JACOBI GOLII care emtum Upſaliam me-* „*cum avexi anno ſuperioris ſeculi XCVIII. Volumen eſt in folio* „*ſatis ſpiſſum, & nitidiſſime exaratum. Fronti codicis addita* „*olim fuit, manu ipſius Golii, haec inſcriptio: Manuſcriptum* „*Abu'l Fadli, Fil. Akmed Schierziibitae, tractans de Medi-* „*cina, & re Botanica. Opus amplum, ex ſcriptoribus Ara-* „*bum optimis quibusque compilatum &c*

*e*) Obſ. p. 415. 419. tab. IX. Hiſt. p. 7. 11. tab. II.

ſentant iulum eiusque ſtamina & antheras; fig. 10-15. conum iuniorem eiusque partes; quae figurae omnes ſecundum producta Cedri Chelſeanae factae ſunt. Fig. 16. 17. ſiſtunt conum perfectum ex ipſo Libano; fig. 18-20. ſquamas Cedri Chelſeanae coni perfecti & ex maturitate diſſoluti, harum axem & ſemina alata, quarum partium brevem explicationem vide locis citatis *f*). Pertinent porro ad Cedri characteres novae figurae 1-7. tab. XIII, quae figurae delineant conum perfectum Cedri Chelſeanae; ſcilicet fig. 1. *a*. integrum conum cum ſuo pedunculo *b* a ramo avulſo, cum qua figura conferri poteſt Plantarum ſelectarum *g*) Dec. I tab. I. quae exhibet imaginem rami Cedri Chelſeanae, cum tribus conis perfectis & totidem iulis magnitudine naturali. Fig. 2. repraeſentat eundem conum per axem diſſectum, ubi *c. c.* ſeminum ſitus indicatur. Declarant hae figurae: conos Cedrorum Chelſeanarum in omnibus quidem convenire cum Libaniticis; ſed, perfectos etiam, compagis eſſe laxioris. Fig. 3-7. exhibent partes eiusmodi coni per coctionem in aqua diſſoluti *h*). Hae figurae delineant ſquamas cum ſeminibus alatis. Semina ipſa quidem

*f*) Obſ. p. 416. Hiſt. p. 8.

*g*) *Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia, Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa doctaque pinxit GEORGIVS DIONYSIVS EHRET Germanus, occaſione haud vulgari collegit, nominibus propriis notisque ſubinde illuſtravit, & publico uſui dicavit D. CHRISTOPH. JAC. TREW Medicus Norimbergenſis; in aes incidit & vivis coloribus repraeſentavit JOANNES JACOBVS HAID, Pictor & Chalcographus Auguſtanus. Fol. reg.* Huius operis Decas I. prodiit 1750. II. 1751. III. 1752. IV. 1754. V. 1755. VI. 1760. VII. 1765. VIII. vero propediem & IX. X. denique Deo iuvante, quam primum fieri poterit, expectanda eſt.

*h*) Has ſquamas, ut & conum integrum, atque per axem diſſectum, figuris iisdem iam repraeſentavi Plantar. ſelect. Dec. VI. tab. LXI. fig. *b*-*q*.

dem videntur imperfecta, nihilominus tamen ſunt idonea, ut illis in Anglia nunc Cedri copioſe propagentur, quod iam indicavi *i*). Fig. 3. refert imum ſquamarum verticillum cum ſeminibus alatis *c. c.* & axis veſtigio *d;* fig. 4. unum verticillum medium, in quo pariter ſemina alata *c. c.* conſpiciuntur; fig. 5. eſt maior medii verticilli ſquama ſeparata a facie interna cum binis, quae obtegit, ſeminibus alatis *c. c.*; fig. 6. eiusmodi verticilli ſquama minor cum ſeminibus alatis; fig. 7. ſemen alatum ſeparatum.

B) Ad Laricis *k*) characteres pertinent figurae 21 - 25. Obſ. tab. IX. cum explicatione brevi p. 418. Hiſt. tab. II. cum explicatione brevi p. 10. quae repraeſentant ſquamam internam (quae interna ſquama in cono adulto magnitudinem & figuram vix, colorem vero rubicundum & contextum tenerum in coriaceum mutat) & externam in nexu, & ſeparatam cum ſeminibus ad ſingulas ſquamas binis alatis. Accedunt nunc tab. XIII. fig. 8 - 28. ex quibus 8 & 10. huius tabulae ſiſtunt primae aetatis iulum integrum; 9. 11. per axem diſſectum magnitudine naturali, 12. aucta; 13. 14. eius antheras cum filamentis breviſſimis, & integras, & ex maturitate, exploſo polline, hiulcas; 15. 16. eſt ſtrobilus primae aetatis cum ſquamis internis prominentibus; 17. per axem diſſectus; 18. 19. eius ſquama interna a facie interna & externa; 20. ſtrobilus ſeu conus a ſquamis internis liberatus, in quo apparent ſquamae externae denudatae; 21. eſt coni huius ima ſeries ſquamarum externarum cum ſeminum rudimentis ſeu germinibus & cum pedunculo;

*i*) Obſ. p. 412. Hiſt. p. 4.

*k*) Eſt Larix *C. Bauh. pin.* 493. *Dod. pempt.* 648. *Cam. epit.* 45. 46. Larix folio deciduo, conifera. *I. B. Hiſt. I. p.* 265. Abies foliis faſciculatis obtuſis *Linn. H. Cliff.* 450. *Mat. med.* 437. *Roy. Lugdb.* 85. *Gmel. Sib. I. p.* 176. Pinus foliis faſciculatis obtuſis *Linn. Spec. Plant. Tom. II. Vindob.* 1764. *p.* 1420. n. 7.

culo; 22. eiusmodi conus iunior ſine ſquamis internis per axem diſſectus; 23. ſunt eius ſquamae externae ſeparatae magnitudine naturali & aucta; 24. eſt conus perfectus ſeu adultus; 25. per axem diſſectus, ubi axis ſquamarum, & ſeminum interiacentium nexus apparet; 26. eſt ima ſeries ſquamarum externarum cum ſeminibus alatis; 27. ſemen alatum ſeparatum; 28. ab ala denudatum.

C.) Abietis albae *l*) characteres delineati ſunt Obſ. tab. IX. & Hiſt. II. fig. 26-30. & quidem 26. 27. eſt ſquamae externae primordium a facie externa & interna, cum internae, lingulae a GESNERO vocatae *m*), primordio; 28. ſquama perfecta a facie externa cum adhaerente ſquamula interna ſeu lingula GESNERI; 29. haec lingula ſeparata; 30. ſquama perfecta a facie interna cum binis ſeminibus alatis. His novae adduntur tab. XIII. figurae 29-44: ex quibus 29. ſiſtit ramulum huius abietis cum foliis & iulis; 30. iulum ſeparatum; 31. per axem diſſectum; 32. eius pedunculum; 33. eius antheras, & adhuc clauſas, & hiulcas; 34. ramulum cum ſtrobilo primae aetatis; 35. eiusmodi ſtrobilum ſeparatum; 36. per axem diſſectum; 37. paullo adultiorem cum prominentibus lingulis; 38. eiusdem partem inferiorem reſectam; 39. eiusmodi ſtrobili ſquama a facie interna cum ſeminum rudimentis magnitudine naturali & aucta; 40. a facie externa magnitudine naturali cum lingula adhaerente; 41. ramus cum foliis & parte inferiore coni perfecti eiusque pedunculo cum ramo continuo; 42. ſquama minor perfecti coni ſeparata a facie interna cum ſemine alato; 43. coni matureſcentis pars ſuperior cum prominentibus lingulis adhuc virentibus; 44. coni maturi pars ſuperior cum lingu-

*l*) Eſt Abies Taxi folio fructu ſurſum ſpectante *Tournef. Inſtit. R. H.* 585. Abies, *Weiſs Dannen*, *Camer. Ep.* 48. 49. Pinus foliis ſolitariis emarginatis *Linn. Spec. plant*, *l. c. no.* 8.

*m*) Vid. Obſ. p. 418. Hiſt. p. 10.

lingulis iam aridis. Huc pertinet etiam fig. 1-4. tab. XIV. ubi fig. 1. eſt ſquamarum verticillus inferior a facie interna, in qua apparent, axis reſectae veſtigium *a*; ſemina alata bina ſingularum ſquamarum *b. b*; & una ex interpoſitis lingulis ſquamae ſequentis, huic antecedenti a tergo adhaerens *c.* in ſitu ſuo. Fig. 2. eſt huius verticilli ſquama ſeparata a facie interna cum binis ſeminibus alatis; fig. 3. eadem ſquama a facie externa cum ſequentis ſquamae lingula adhaerente; fig. 4. lingula ſeparata a facie externa.

D.) Abietis rubrae *n*) characteres indicantur Obſ. tab. IX. Hiſt. t. II. fig. 31-35. & repraeſentant coni ſquamam externam & internam. Fig. 31. eſt coni adhuc teneri ſquama interna valde exigua *a*, externae *b* adhaerens; 32. interna ab externa ſeparata; 33. coni adulti ſquama externa a facie externa cum adhaerente ſquamula interna; 34. ſquamula eius interna, incrementum vix notabile capiens, ſeparata; 35. ſquama externa a facie interna cum binis ſeminibus alatis in ſitu ſuo. His figuris reſpondent easdemque illuſtrant tab. XIV. figurae novae 5-10. & tab. XVI. fig. 1-10. Fig. 5. tab. XIV. eſt coni maturi apex cum ſquamis externis hiantibus; 6. ſquama externa a facie externa cum adhaerente interna ſeu minori; 7. haec minor ſeparata; 8. ſquamarum externarum verticillus inferior ſeparatus, ubi in conſpectum veniunt axis veſtigium *a.* ſemina bina alata ſingulis ſquamis incumbentia *b. b.*; fig. 9. ſemen alatum ſeparatum; 10. ſemen nudum. Pertinent porro ad hos Abietis rubrae characteres novae figurae 1-10. tabulae XVI. Harum fig. 1. repraeſentat conum iuniorem; 2. *a.* huius coni ſquamam externam a facie externa cum

 adhae-

*n*) Eſt Abies tenuiore folio, fructu deorſum inflexo *Tournef. l. c.* Pinus foliis ſolitariis ſubulatis, mucronatis, laevibus, bifariam verſis *Linn. Spec. edit. cit. p.* 1421. *n.* 11. varietas *β* Picea maior prima ſeu Abies rubra *C. Bauh. pin.* 493.

adhaerente ſquamula interna; magnitudine naturali; 2. *b.* talem ſquamulam a ſquama adultiori ſeparatam; 3. *a.* eſt haec ſquama adultior cum adhaerente ſquamula; 3. *b.* eadem ſquama externa a facie interna cum ſeminum rudimentis; fig. 4. iulorum congeries, membranae communi adhuc incluſa; 5. iulus denudatus; 6. per axem diſſectus; 7. exhibet antheras ſeparatas adhuc clauſas cum operculo ſuo *a* magnitudine naturali; 8. aucta; 9. 10. *a* easdem antheras magnitudine naturali & aucta, exploſo polline hiulcas; 9. *b.* 10. *b.* earundem antherarum operculum ſeparatum.

E.) Pini *o*) characteres aliquot delineatos iam continet Obſ. tab. IX. Hiſt. t. II. ubi fig. 36. eſt coni ſquama a facie externa cum tuberculo proprio; 37. a facie interna cum binis ſeminibus alatis: reliquos characteres exhibet tab. XV. & XVI. ſcilicet tab. XVI. fig. 11. repraeſentant iulos in hoc genere in racemum collectos, & membrana communi obvolutos, cuius membranae, poſt iulorum incrementum diſruptae, hic conſpiciuntur laciniae; 12. apparent duo iuli primae aetatis ſeparati integri, & tertius per axem diſſectus, omnes magnitudine naturali; 13. per axem diſſectus magnitudine aucta; 14. eius antherae adhuc clauſae & operculo ſuo tectae; 15. 16. iulus maturior integer magnitud. nat. & aucta; 17. 18. per axem diſſectus; 19. eius antherae exploſo polline hiulcae; 20. 21. conus primae aetatis, figurae ferme globoſae, magnitud. nat. & aucta; 22. conus provectioris aetatis iam magis in coni figuram prolongatus; 23. eius ſquamae a facie externa & interna, magnitud. nat. & aucta. Tab. XV. fig. 1. ſiſtit imaginem coni maturi, ex globoſa figura, quam aliquamdiu ſervat, vere in conicam mutati cum ſquamis adhuc compactis

*o*) Eſt Pinus ſilveſtris vulgaris Genevenſis, *J. B. I.* 253. Pinus foliis geminis primordialibus ſolitariis, glabris, *Linn. H. Cliff.* 450. *Spec. cit. p.* 1000. *n.* 1.

pactis earumque tuberculis prominentibus, magnitudine naturali; 2. talis conus cum ſquamis ex maturitate disiunctis; 3. eius verticillus inferior ſeparatus a facie interna, ubi in conſpectum veniunt ſemina alata, ad ſingulas ſquamas bina, cum axis veſtigio in medio; tab. XVI. fig. 24. conus maturus cum ſquamis iam ſeiunctis per axem diſſectus, in quo conſpiciuntur ſemina alata *a. a.* ſquamis *b. b.* interſita; 25. ſemen alatum ſeparatum.

Qui horum generum characteres inter ſe confert, facile aſſenſum praebebit, illorum ſingulos proxime ad ſe invicem accedere, quare etiam Perilluſtris Eques LINNAEVS haec genera coniunxit, primum *p*) Abietis & deinde *q*) Pini nomine generico. Sunt enim ſingula haec genera ſecundum ſyſtema ſexuale monoecia, ſive quae flores maſculinos ſeu ſtamineos ſteriles que, & femininos ſeu piſtillatos & fecundos ſimul quidem in una ſtirpe, ſed loco a ſe invicem remoto, excludunt. In arboribus coniferis iuli ſunt flores maſculini, & coni flores feminini, quorum ſingula ſemina vel potius germina ſtigmate, tanquam organo feminino, gaudent. Num in ſingulis his generibus in floribus femininis differentia notanda veniat, obſervandi tempus mihi haud erat, nec operae laborioſae pretium fore putabam. Nihilominus tamen ex conorum figura & ſtructura diverſa atque etiam ex foliorum varia diſpoſitione, haec genera, ut diverſa, diverſis nominibus genericis diſtingui poſſe, iam monui *r*).



*p*) *CAROLI LINNAEI Genera Plantarum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum & proportionem omnium fructificationis partium. Lugd. Bat. apud Conrad Wishoff* 1737. 8. mai. p. 294. n. 732.

*q*) *Spec. Plantar. edit. cit. p.* 1000. & *Gen. Plant. edit. V. Holmiae* 1754. *p.* 434. *n.* 956.

*r*) *Obſ.* p. 418. *Hiſt.* p. 10.

Arbor, quae materiem ſuppeditavit Templi Hieroſolymitani aliorumque palatiorum aedificationi, itemque multis aliis operibus in ſacro codice celebratis, vocatur ibidem *Eres;* & hanc eſſe ipſam *Cedrum* Libani modo memoratam, communis eſt opinio, id quod ipſe CELSIVS *s*) atque MILLERVS *t*) faten-

*s*) *Acta literaria & ſcientiarum Sueciae. Vol. tertium, continens annos* 1731-1734. 4to a. 1733. Upſaliae 1738. apud Gottfried Kieſewetter 4. p. 50. *Hierobot.* p. 106.

*t*) *The Gardeners Dictionary: containing the Methods of cultivating and Improving the Kitchen, Fruit and Flower Garden, as alſo the Phyſik Garden, Wilderneſs, Conſervatory and Vineyard* &c. *adorn'd with Copper Plates, by* PHILIP MILLER, *Gardener to the Worshipful Company of Apothecaries at their Botanick Garden at Chelſea and F. R. S. The ſecond Edition* (prima mihi deficit) *corrected, London printed for the Author, and ſold by C. Rivington* 1733. fol. mai. *The third Edition* eodem titulo eademque forma 1737. (quarta editione pariter careo) *The fifth Edition corrected, Dublin, printed by S. Powell for R. Gunne &c.* 1741. eadem forma. *The ſixth Edition, carefully reviſed and adapted to the preſent Practice &c. London, printed for the Author and ſold by John and James Rivington.* 1752. eadem forma. *The ſeventh edition* (eodem titulo eademque forma) *reviſed and altered according to the lateſt Syſtem of Botany; and embelliſhed with ſeveral Copper-Plates, which were not in the former Editions* &c. *London printed for the Author, and ſold by John Rivington &c.* 1759. fol. mai. In editione II. III. & V. (procul dubio etiam in IV.) hanc ſtirpem Cedri; in VI. & VII. vero Laricis nomine recenſet A., quum tamen in ſecunda editione monuerit, ſe TOVRNEFORTIVM (qui Laricis generi Cedrum adſcripſit) ſequi noluiſſe, quia inter Cedrum & Laricem obſervavit materialem differentiam in floreſcendi & fructificandi modo (*in the manner of flowering and fructification*); ſe ipſum vero Cedri nomen ſelegiſſe, quia communis eſt opinio, hanc ſtirpem eſſe Cedrum,

fatentur. Quia vero hae Cedri tales, quales hodie adhuc in Libano inveniuntur, & a RAVWOLFIO *u*) atque DE LA ROQVE *x*) deſcribuntur, itemque quales etiam Londini in Horto Chelſeano ex ſemine Cedri Libaniticae educatae conſpiciuntur *y*), caudicem obtinent monſtroſum, reſpectu totius huius arboris, Pini, Abietis &c. brevem, praetereaque ab

Cedrum, cuius in ſacra ſcriptura mentio fit, & hoc nomen propterea ob antiquitatem praeferendum eſſe, ac omni iure huic arbori competere.

*u*) *LEONHARTI RAUWOLFFEN, der Arzney Doctorn und beſtellten Medici zu Augſpurg, eigentliche Beſchreibung der Raiß, ſo er vor dieſer Zeit gegen Auffgang inn die Morgenländer, fürnehmlich Syriam, Judaeam, Arabiam, Meſopotamiam, Babyloniam, Aſſyriam, Armeniam* &c. *nicht ohne geringe Mühe und groſſe Gefahr ſelbs vollbracht* &c. *alles in drey unterſchiedliche Thail mit beſondern Fleiß abgethailet* &c. *gedruckt zu Laugingen durch Leonhard Reinmichel* &c. 4to P. II. p. 280. Singulis partibus peculiaris praefixus eſt titulus. Prodiit etiam hoc opus mutata tantum generalis tituli plagula: *in vier unterſchiedliche Thail* &c. *in Coſten und Verlag Georg Willers* 1583. 4. Tres priores partes ſunt eaedem cum priori editione, ſed quarta pars acceſſit hoc peculiari titulo: *der vierte Thail Leonh. Rauwolfen, der Artzney Doctorn, etlicher ſchöner auſsländiſcher Kreuter, ſo uns noch unbekant, und deren doch by den alten Medicis, und in ſeiner Rayß in die Morgenländer gethon, gedacht wird, artliche und lebendige contrafactur* &c. *getruckt zu Lauingen, durch Leonh. Reinmichel, in verlegung Georgen Willers,* 1583. Figurae ſunt ligno exciſae, & inter has adeſt Cedri Libaniticae rami cum frondibus & conis iunioribus figura, fol. 17. n. 280.

*x*) *Voyage de Syrie & du Mont Liban* &c. *par Mr. DE LA ROQVE Tom. I. A Amſterdam chez Herm. Uytwerf* 1723. 12° mai. p. 68. cum figuris 2. aeri inciſis.

*y*) Vid. noſtram *obſervat.* p. 409. tab. VIII. & *Hiſtor.* p. 1. & tab. I.

ab imo ad verticem ex ramis copioſis craſſiſſimisque nodoſum, CELSIVS *z*) atque MILLERVS *aa*) recuſant agnoſcere *bb*), hanc arborem eſſe τον Aeres S. Script.; quas ob rationes pluresque alias, a CELSIO additas *cc*), Aeres huic eſt Pinus vulgaris *dd*). Si ita res ſe haberet, ſequeretur, ut SALOMO ex Libano non alias acceperit arbores, quam Pinos vulgares. Quia vero ipſe CELSIVS docet *ee*), Pineta dari ubique, atque etiam in Palaeſtina & Judaea; abſonum fuiſſet, pinos ex alieno territorio conquirendas, & magnis ſumtibus adferendas, curaſſe, quae in proprio territorio, vel ſaltem propiore, colligi potuiſſent. Regerere quidem quis poſſet, in Libano vetuſtiores, & hinc grandiores, tunc temporis reperiundas fuiſſe, quam in aliis regionibus; ſed an hoc probari poſſit, & ad hanc controverſiam tollendam ſufficiat, alii iudicent.

Non obſtantibus contradictionibus allegatis, in mea lucubratione, titulo tum Obſervationis, tum Hiſtoriae *ff*) publicata,

*z*) *Act. Suec.* l. c. p. 68. *Hierobot.* P. I. p. 122.

*aa*) In omnibus Dictionarii ſui editionibus citatis conf. nota t.

*bb*) Num hic vel ille hanc opinionem primus propalaverit, aſſerere nequeo, quia huius Dictionarii editione prima careo, hincque neſcio, quo anno edita ſit, numque eadem contineat, an minus: editio II. an. 1733. prodiit, & eodem anno CELSIVS in Actis Suec. l. c. mentem ſuam declaravit.

*cc*) Excerptas illas indicavi in mea *Obſ.* p. 436. *Hiſt.* pag. 18. ſimul vero, ut opinor, ſufficienter diſſolvi.

*dd*) *Act. Suec.* l. c. p. 50. Hebr. *Eres* Arab. *Ers*, *Pinus*, quae *Zanavbar* iisdem (*Hierobot.* p. 106. eadem leguntur) & quidem Pinus mas *Abu'l Fadli* (conf. nota ſuperior *d*) ſeu vulgaris C. B. quam ſententiam primum in Actis Suec. (vid. not. *e*) & deinde fuſius in ſuo Hierobotanico (vid. not. *c*) expoſuit.

*ee*) *Act. Suec.* l. c. p. 71. 72. 77. *Hierobot.* p. 125. 127. 133.

*ff*) Vid. nota ſuperior *a* & b.

cata, tueri ſuſcepi communem & antiquam ſententiam, ſcilicet Cedrum Libani eſſe eandem arborem, quam Rex SALOMO & ad Templum Hieroſolymitanum, & ad plura palatia regia aedificanda adhibuit, quaeque in S. Codice Aeres vocatur *gg*). Et quia in Novis litterariis Goettingenſibus *hh*), ubi huius lucubrationis mentio fit, recenſionis Auctor pro ſuſtinenda CELSII ſententia nova *ii*) ac antea nunquam audita (hanc arborem eſſe ipſam Pinum vulgarem), novas ſtruxit obiectiones; hae autem mihi pariter nondum perſuadent, ut antiquam ſententiam deſeram; commodum duxi, his nova quoque opponere argumenta, quae in nota expoſitionis Cedri Libani Plantarum ſelectarum *kk*) iam indicavi, hic autem notae citatae potiora repeto, quaedam illis addo, omniaque figuris confirmo. Ordine ergo obiectiones illae cum reſponſionibus recenſendae ſunt.

I. Aſſertum, *Cedrum in Libano monte reperiundam ab huius montis incolis hodie adhuc vocari Aeres* *ll*), *omnem litem decidere videri*, recenſionis auctor p. 1171. quidem concedit, ſed monet: *indagandum eſſe, num arabica huius regionis vernacula lingua uſitate*

*gg*) *Obſ.* p. 427. *Hiſt.* p. 19.

*hh*) *Goettingiſche Anzeigen von gelehrten Sachen unter der Aufſicht der koeniglichen Geſellſchafft der Wiſſenſchaften Der zweyte Band auf das Jahr 1757. Goettingen gedruckt bey Pockwitz und Barmeier*, 8. p. 1169.

*ii*) Novam eſſe ſuam ſententiam, concedit ipſe CELSIVS Act. Suec. l. c. p. 50. Hierobot. p. 106.

*kk*) Dec. VI. p. 28. b. tab. LX & LXI. ubi tabula prior ſiſtit Cedri annoſae & monſtroſae figuram eandem, quam Obſ. tabula VIII. & Hiſt. tabula I. exhibet; tabula poſterior vero Cedri iunioris & rectiſſimae figuram, quam hic tab. XIV. fig. 11. paullulum imminutam repraeſentat.

*ll*) *Obſ.* p. 427. ſequ. *Hiſt.* 19. ſeq.

*te ita vocetur haec arbor, an tantum ab illis, qui hunc montem inhabitant, & curioſis peregrinatoribus eam monſtrant, eadem ſic nominetur, quibus ſolis haud maior fides habenda eſſet, quam illis, qui Prophetarum in Palaeſtina ſepulchra oſtendunt, & lucri cauſſa rebus affingunt nomina, de quibus peregrinantes ſciſcitantur, quaeque poſtea ipſi pro veris habent mm).*

Ad haec reſpondeo

1) Non ſolum SCHVLZIVS in lucubratione mea ſaepius laudatus, ſed etiam P. a S. T. (PHILIP a Sancta Trinitate *nn*) & GABRIEL BREMOND *oo*) teſtantur, Cedrum Libani ab incolis huius montis hodie adhuc vocari *Ars* & *Azara pp*), quae

*mm) Dieſes ſcheinet entſcheidend zu ſeyn — Allein man muß wiſſen, ob der Baum gewöhnlich in der Land-Sprache ſo heißt, oder ob ihn nur die auf dem Libanon ſo nennen, die ihn den Fremden zeigen. Den letztern allein wäre ſo wenig zu glauben, als denen, ſo die Gräber der Propheten im gelobten Lande zeigen: denn um Gewinſt zu haben, hat man Dingen die Nahmen gegeben, nach denen die Reiſenden fragten; und mit der Zeit ſelbſt geglaubt, daß dis die wahren Nahmen wären.*

*nn) Orientaliſche Reiſe-Beſchreibung.* Francof. 1631. 8. Libr. III. cap. II. p. 168.

*oo) Viaggi fatti nel Egitto ſuperiore & inferiore* &c. *opera del Sign. GABRIEL BREMOND Marſilieſe, da lui ſcritta in Franceſe* &c. in Bologna 1680. (quam Gallicam editionem ego non vidi) 8°. min. Lib. II. Cap. XXIII. p. 317.

*pp*) Commode hic infero, quae ſupra p. 446. laudatus D. Prof. NAGEL benevole mecum communicavit: 1) Erz, Ers & Arz unam eandemque rem ſignificant. Huius nominis prima littera, quae a eſt, habet pro vocali *plata*, & nunc ut *a*, nunc ut *e*, pronunciatur, de quo inter philologos non convenit. Interim Syri ſeu Maronitae, qui hodie montem Libanum inhabitant, quique Arabicam linguam ut vernaculam uſurpant, hoc nomen pronunciant Arſ.

quae nomina antiqui Arabum interpretes barbari, MATTHEVS

Arſ. Quod ad ſignificatum huius vocis attinet, is plus quam ſimplex videtur, quia optimi lexicographi docent, eam ſignificare arborem coniferam, *cedrum*, *pinum*, *piceam*, *iuniperum*. Sed ſi vox haec accurate conſideretur, nihil aliud ſignificat, quam *cedrum*, id quod, ut opinor, MATTHAEVS HILLER in ſuo Hierophytico (*Obſ.* p. 425. *Hiſt.* p. 17. iam citato) Part. I. p. 378. ſequ. ita diſpoſuit: „ Hebraicum Cedri nomen Aeres „ a firmitate inditum, quam Arabes ſignificant verbo *araza*, vel „ trajectis literis ſcripto *azara*. Nam & materia cedri, & fru- „ ctus firmitatem habet, & arbor firmiſſima nititur radice, ma- „ xima ſcilicet ſpatio & amplitudine. Indidem derivatum Arabi- „ cum nomen *Arzon*, quod, quum eiusdem ſit originis, for- „ misque Hebraicis duplici ſegol animatis reſpondeat, latioris „ tamen, in Arabum ſermone, ſignificationis eſt, & quamlibet „ *Schagro-Sſanaubari*, arborem coniferam denotat, cedrum „ videlicet, *pinum* & *piceam*. Itaque *cedrum*, ut ex Giggejo „ conſtat, vocitant *marem*, cuius conus pityibus ſeu ſtrobilis ca- „ ret: *Pinum* dicunt foeminam maiorem, *Piceam* vero mino- „ rem; idemque ex Malajeſa, qui eſt de materia ſeu ſimplici- „ bus liber, colligi poſſe, ait Golius. Rabbini etiam, ſeptem, „ quae fingunt, Cedri generibus, *pinum*, *piceam*, *abietem* „ & *cupreſſum* annumerant, *laricem* quoque cedro ſimillimam „ adjecturi, ſi notuiſſet. Nos aliud diſcrimen cedri non admit- „ timus, quam quod antiquiſſimi Autores, *Theophraſtus* & *Dioſco-* „ *rides* tradiderunt. *Majoris*, id eſt, *Libanicae*, & *minoris*, „ *Lyciae*, ſeu *Sabinae bacciferae*, & *Phoeniciae*, *Juniperi* magni- „ tudine. Scriptura S. Pinum & Piceam -- diſtinctis a Cedro „ vocabulis inſignivit: Cedrum vero maiorem, quae reſinam fun- „ dit, ab alia non reſinifera diſtinxit &c. „ Ex his apparet, addit Dom. Prof. NAGEL, *Pinum* & *Juniperum*, quales nomine *Erz*, *Erſ*, vel *Arz*, vel *Arſ*, inſigniuntur, *ſpecies* tantum *Cedri* eſſe: nam *Erſ* & *Arz* unum idemque eſt, & Philologi ultimam conſonantem huius nominis non uno modo, ſed quidam ut *z*, quidam ut *ſ*, pronunciant. Notatu quoque

HTEVS SILVATICVS *qq*), & SIMON JANUENSIS

digna ſunt ſequentia, pergit laudatus Dom. Prof. NAGEL, ex SIMONIS Lexico manuali Hebraico p. 79. ſeq. „*Eres* „*cedrus*, a firmitate & ſtabilitate radicum. Hodienum Cedrum „ Libani ab incolis huius montis *Arſ* vocari, teſtis eſt PHILIP- „ PVS a S. Trinitate in itinerar. L. III. c. 2. Pinum tamen intelligit „ OL. CELSIVS in Hierobot. P. I. p. 106. ſeq. Sed haec *Pi-* „ *nus* nihil aliud tamen eſt, quam *ſpecies Cedri*, uti HILLERVS „ annotavit.„ Cum his conveniunt, quae Summe Reverendus Vir, Dom. IO. SIGISMVNDVS MOERL, hic Norimb. ad Div. Aegid. Antiſtes, Prof. Publ. & Gymnaſii Inſpector, rogatus pari benevolentia ad me die 13. Nov. 1765. retulit: „Quantum in „ Lexicographis reperire poſſum, Arabes in ſua alias diviti & „ copioſa lingua, unicum tantum habent nomen, quod *Cedrum* „ ſignificat, & idem nomen eſt Hebraicum *Eres*, quodque vero „ *Ars* ſive *Arſon*, quemadmodum Chaldæi *Aras* vel *Arſa*, „ pronunciant. Verbum vel Radix *Araſa*, unde hoc nomen de- „ rivatur, & quod in Arabica lingua adhuc viget, redditur, „ *firmus*, *ſtabilisque fuit*, *radicibus in ſolum firmiter defixis*, „ quales *Pini* ſunt & *Cedri*. Inde nomen *Ars* Arabum non ſo- „ lum pro *Cedro*, ſed etiam pro *Pinu*, immo quandoque pro „ *Junipero* uſurpatur. Eſt etiam nomen commune, quod unam- „ quamque arborem coniferam indicat. Hiſpanos etiam alias „ Cedrum *Alerza* vocare, traditur, quod nomen idem eſt, ac „ *Eres* cum Arabico articulo Al.„

qq) *Liber. Pandectarum. Medicinae omnia. Medicine. ſimplicia. continens. quem. ex. omnibus. antiquorum. libris. aggregavit. eximius. artium. et medicinae. Doctor. MATTHEVS. SILVATICVS. ad. Sereniſſimum. Sicilie Regem. Robertum.* (ad calcem) anno Domini MCCCCLXXIII. fol. max. cap. LXI. col. 6. *Pandecte. Opus Pandectarum* &c. Venet. 1492. fol. cap. 58. p 24 *a.* col. 2. *Opus Pandectarum medicine Matthei Silvatici nuper impreſſum cum quotationibus omnium auctorum in locis propriis & cum Simone Januenſi* &c. — 1512. fol. p. 27. *b.* col. 2. Eodem tit. fol. Lugd. 1534 cap. 59. p. XXIII. col. 2. *Pandectae Medicinae. Opus Pandectarum Medicinae*

SIS vel GENUENSIS *rr*) tranſtulerunt in *Cedrum.*

2. Haec autem Cedri nomina arabica non finxiſſe Libani incolas; ſed ſecundum ipſos Arabes *Erz* & *Arz* (aeque ac Hebraicum nomen *Aeres*) eſſe nomen huius tantum arboris generis proprium; & (quia affinitas linguae Hebraicae & Arabicae probat, hanc affinitatem non eſſe accidentalem) ſignificare veram SALOMONIS *Cedrum*, iuxta petitum meum, ex ore Domini Profeſſoris FORSCAAL, me certiorem reddidit Dom. GEOR-

mmm 3 GIVS

*dicinae Clariſſ. Viri Matthei Silvatici* &c. *nuperrime caſtigatius redditum* &c. *ac plurimis celeberrimorum Autorum, inprimisque SIMONIS GENUENSIS, adnotationibus decenter illuſtratum* &c. Lugd. 1541. fol. cap. 59. p. xxiij. *a.* col. 2. In omnibus his editionibus locis citatis legitur: „*Arz* eſt *Cedrus,*„ & edit. 1492. ut & 1541. additur: „ *Arab. Arz, Grec. Aroza,* „ *Latine vero Riſi.*„

*rr*) *Clavis ſanationis elaborata per venerabilem virum magiſtrum SIMONEM IANUENSEM Domini pape ſubdyaconum & capellanum medicum* &c. Folio. (mei exemplaris prima plagula deficit) Venetiis 1486. ſine numero paginarum, fol. *b.* 5. col. 4. ſub finem. *SIMONIS IANUENSIS opuſculum cui nomen clavis ſanationis ſimplicia medicinalia Latina Greca & Arabica ordine alphabetico mirifice elucidans recognitum ac mendis purgatum: & quotationibus Plinii maxime: ac aliorum in marginibus ornatum: et quam diligentius ac correctius id fieri potuit impreſſum.* fol. Venetiis 1514. p. 10. col. 1. ubi in utraque editione haec notatu digna leguntur: *Arzara. apud Avicennam eſt rizi. et in Serapio. etiam. vero in capitu. de pino dicit quod maſculus ex pino dicitur Arz. et hoc affirmat auctoritate Haniſe. Verum in libro de doctrina arabica exponitur quod arz eſt Cedrus arbor, & rizi vocatur ibi reuz. puto tamen Arz eſſe quandam ſpeciem Abietis. cuius lignum ſubruffum dicitur noſtro idiomate arzex, in antiquis tamen ſynonimis invenio quod Arz eſt cypreſſus. Ste. Arzum rizi vocavit. Non eſt mirum ſi plura uno eodemque nomine vocentur apud peregrinas linguas cum idem apud nos invenitur.*

GIVS GVILIELMVS BAVRENFEIND, Norimbergenſis, & Pictor egregius *ss*) nominati Profeſſoris comes itineris litterarii, quod Daniae Monarcha, munificentia vere regia, praeter alium ſcopum, praecipue ad inveſtigandas res naturales, easque potiſſimum, quae nonnullis S. S. locis dubiis lucem quandam adferre poſſent, in regiones orientales ſuſcipiendum a. 1760. clementiſſime mandavit, ſed, contra omnium vota, ſucceſſu valde turbato *tt*).

3). Peregrinatores, qui Libanum montem viſitarunt, ſcire quidem poterant, ad templum Hieroſolymitanum aliaque palatia excellentia aedificanda regem SALOMONEM arbores ex monte Libano petiiſſe; ſed ſtatuere, illis etiam cognitum fuiſſe, has arbores in ſacro codice vel *Aeres* vel *Beroſch* nominari; atque huius montis incolas haec nomina ab illis demum didiciſſe: veri minus ſimile eſt, quam aſſerere, eadem nomina his incolis per continuam traditionem nota facta fuiſſe. Neque vulgi vernacula nos de his certiores reddere poteſt. Noto enim notius eſt, quam parum vulgus de genuinis naturae productorum nominibus ſollicitus ſit. Quid? quod harum rerum nomina antiqua in genere incertae ſignificationis ſunt, niſi deſcriptio illis addita eorum verum ſignificatum declarat; id quod iam monui *uu*), atque propterea ſatis, niſi me omnia fallunt, demonſtravi *xx*), EZECHIELEM Prophetam *Aeres* nomine

*ss*) In litteris Cairo d. 8. Julii 1762. ad me datis.

*tt*) Siniſtro enim, eheu! fato laudatus FORSCAAL & BAVRENFEIND, Arabia felici vix ſalutata, diem ſupremum obierunt: alter in ipſa urbe Mocha, felicis Arabiae inſulae eiusdem nominis metropoli; alter, qui pari ſe morbo affectum ſenſit, navimque conſcendit, in ſinu Arabico prope promontorium, *Gardefoi*, ſeu *Guardafuy*, dictum, atque haud longe a Mocha diſtans.

*uu*) Obſ. p. 436. Hiſt. p. 28. conf. nominum aliquot arborum Libani explicatio ſupra p. 446. exhibita.

*xx*) Obſ. p. 428. Hiſt. p. 20.

mine non aliam arborem indigitaſſe, quam *Cedrum* ſic dictam hodie adhuc in Libano ſuperſtitem, quia deſcriptio addita cum nulla arbore, quam cum hac, convenit.

Dn. SCHVLZIVS, nunc Halae Magdeb. ad D. Vlricum Archidiaconus, linguae Arabicae optime narus *yy*), ſuperiori anno 1766. Norimbergae praeſens, aſſertum Dom. FORSCAAL coram confirmavit, addiditque, idem nomen aliis arboribus coniferis ſeu reſiniferis, tantum defectu nominum propriorum *zz*), tributum eſſe; quocum aſſerto etiam conveniunt ea, quae de defectu nominum propriorum in lingua Hebraica ex ipſo CELSIO atque HILLERO *a*) citavimus, eaque, quae docuit SALMASIVS *b*), atque

*yy*) Qui doctrinam fidemque ſuam ſatis comprobavit deſcriptione itineris ſui orientalis, cuius initium exſtat in ulteriori relatione de ſuſcepto, Judaeorum ſalutis cauſſa inſtituto. (*Fernere Nachricht von der zum Heil der Juden errichteten Anſtalt* &c. *Zweytes Stück.* Halle 1762. 8.

*zz*) Nomina propria ſaepius deficere in lingua Arabica, omnes conſentiunt philologi, licet ſit diffuſiſſima; de qua prolixitate DAN. GE. MORHOFIVS (in *Polyhiſtoris continuatione* Lubecae, ſumtibus Petri Boeckmanni 1708. 4. editae &c. L. IV. p. 54. ſequ.) mira refert his verbis: „*Arabica Lingua omnium inter* „*Orientales diffuſiſſima eſt, ob infinitam pene vocabulorum* „*multitudinem, dum una res, pro variis accidentibus, qui-* „*bus diſtinguitur, varia habet nomina, ut ex Anton. Giggeji* „*& Jac. Golii Lexicis patet: Quinimo tantam eſſe linguae eius* „*luxuriem, P. Angelus a S. Joſepho, in Gazophylacio Perſico,* „*obſervat, ut 1000. habeat vocabula, quae gladium, 80. quae* „*mel, 500. quae leonem, & 200. quae ſerpentem ſignificent.*„

*a*) Obſ. p. 427. Hiſt. p. 19.

*b*) *De Homonymis hyles iatricae* &c. *Trai. ad Rh. 1698.* fol. mai. cap. CIII. p 170. *a. B.* annotavit his verbis: „*Notabamus ſuperiori exer-* „*citatione, Arabes iuxta cum Hebraeis* cedrum *vocare* Erz *vel* „Erzi *vel* Arzi, *& cum Articulo* Alarz *vel* Alarzi. Pinum *tamen* „*etiam vel* Piceam *hoc nomine vocarunt.*„

atque BOCHARTVS *c*). His quidem contradicere CELSIVS *d*) „ ita molitur: *Proinde egregie falluntur Salmaſius & Bochartus, dum* Pi„ num *etiam, ſed proprie, Arabibus* Cedrum *denotare volunt. Certe eius* „ *ſignificationis veſtigium nobis apud Arabes obſervare numquam datum* „ *eſt.* „ Sed vix credibile videtur, tantos hos Viros haec ſine fundamento, & veritatis teſtimonio aſſeruiſſe.

Ex his patet, vocem *Ers* & *Ars* vel *Arz* minime eſſe nomen ſpecificum unius arboris, ſed genericum plurium reſiniferarum. Hinc etiam CELSIVS ex Rabbinis & Talmudicis adducit, τον *Ers* Arabum eſſe nomen generale *e*). Neque abſonum erit, ſi vocem Germanicam *Harz* & *Harzbäume* (quae pariter deſignant plura arborum reſiniferarum genera, pariterque unam tantum earum ſpeciem, *Piceam*, ſignificanter *Harzbaum* appellant) ab eadem voce *Arz* deduco, quia ſola aſpiratio diſcrimen inter utramque vocem, Arabicam & Germanicam, facit; notumque praeterea eſt, ſeculo circiter XII. quo Arabum doctrina efferebatur *f*), praecipue vero Sec. XIV. quo eorumdem opera plurima in latinum converſa, typis excudi

*c*) *Geographiae ſacrae pars poſterior Chanaan.* Francof. ad Moen 1674. 4. c. XXXVI. p. 706. *Opera omnia* Lugd. Bat. 1712. fol. mai. p. 636. ubi haec leguntur: „ *Proprie quidem* Erez *eſt* Cedrus; „ *ſed &* Erez *generale nomen eſt ad omnes arbores reſiniferas.* „ *Proinde cum Ebraeorum alii ſeptem, alii decem, alii viginti* „ *quatuor numerent ſpecies* Erez; *in eo cenſu ſemper eſt* Pinus, „ *Et Arabes* Erz *vel* Arz *pro* Cedro *frequentius, ſed & pro* Pi„ nu *uſurpant, ut ex Giggeo conſtat.* „.

*d*) Act. litt. Suec. p. 60. Hierobot. p. 114. ubi utroque in loco, vel ex errore typographi vel ex alia editione, citatur Salmaſius p. 166. c. 170.

*e*) Act. Suec. l. c. p. 50. Hierobot. p. 106. conf. Obſ. p. 426. Hiſt. p. 18. ſequ.

*f*) Conf. MORHOFII *Polyhiſtoris continuatio* l. c. p. 54.

cudi coeperunt *g*) indeque ſtirpium nomina Arabica, generica & ſpecifica, in Germania quoque facta fuiſſe notiora. Porro, dum AVICENNA aliique Arabes Cedrum vocarunt *Scerbin* vel *Serbin h*) aut *Xerbin i*), hoc nomen conſiderandum eſt ut Cedri ſpecificum, quo ſcilicet illam ab aliis τȢ *Ers* vel *Aeres* ſpeciebus diſtinxerunt, proutſi ipſe AVICENNA l. c. addit: *et haec quidem arbor eſt de genere arboris Pini, & habet fructum ſimilem fructui Cupreſſi, ſed eſt minor eo* &c. Hoc autem, quod de fructus magnitudine commemoratur, falſum, & hic error Obſ. p. 435. Hiſt. p. 27. notatus eſt.

Occurrit aliud adhuc Cedri ſynonymum Arabicum, *Chitran*, *Kitran*, & cum articulo *Alchitran k*). Illo enim aevo haud

*g*) Conf. *Annalium typographicorum Tom. VI. & ult. Opera* MICH. MAITTAIRE p. 95.

*h*) AVICENNA. *Secundum volumen habet expoſitionem additam GENTILIS* &c. Venetiis a Philippo pincio Mantuano impreſſum. 1523. die 17. Jul. ſumt. Luc. Anton de Giunta Florentini. Libr. II. tract. II. cap. DCLXXII. Fol. max. ſine pagg. *AVICENNAE Arabum Medicorum Principis Canon Medicinae ex GERARDI Cremonenſis verſione & ANDR. ALPAGI Bellunenſis caſtigatione, a IO. COSTAEO, & IO. PAVL. MONGIO annotationibus iam pridem illuſtratus, nunc vero ab eodem COSTAEO recognitus, & novis alicubi obſervationibus adauctus &c.* Venetiis, 1595. apud Juntas. Fol. mai. Tract. II. p. 400. *b.* cap. 675. Quo nomine, *Scerbin* vel *Serbin*, conſtanter Cedrum inſignitam, & ab *Ers*, *Eres* ſeu *Pinu* ſolicite diſtinctam, apud Arabes ſe reperiſſe CELSIVS monet *Act. Suec.* l. c. 61. *Hierobot.* 114.

*i*) SIM. IANVENSIS (vid. not. *qq.*) l. c. in expoſitione vocis Kitran fol g. col. 2.

*k*) AVIC. edit. 1523. l. c. & cap. ccxiiij. edit. 1595. l. c. & p. 301. *a.* col. 1. cap. 163. SYLVAT. (conf. nota *pp*) edit. 1491. cap. ccccxlix. IANVENS. (vid. not. *qq*) edit. 1486. fol. d. col. 1.

haud inſolitum fuit, tum diverſas ſpecies, diverſo charactere praeditas, uno comprehendere nomine generico; tum veras & genuinas ſpecies unius generis, diverſis ſignare nominibus. Ipſe ABVLFADLI, interprete CELSIO *l*), docet non ſolum; *Arſan* eſſe arborem *Zanavbar*, eiusque eſſe tres ſpecies, marem nempe & foeminam, hancque maiorem minoremque, (ex quibus, ſecundum CELSIVM, *Pinus magna* ſeu *mas* eſt *Pinus vulgaris ſeu Genevenſis*; *foemina maior* eſt *Pinus ſativa ſeu Italica*, *& foemina minor* eſt *Cembro* Italorum. Utrum rectius haec maior, illa minor? quia *Cembro* (de qua poſthaec plura) arbor eſt praegrandis: an hanc Pinus ſativa ſeu Italica magnitudine ſuperet, iudicent illi, qui eam in patrio ſolo creſcentem vident, quod mihi haud contigit) verum etiam addit, *foeminam minorem* vocari quoque *Tanub*. Cur ergo per *Sherbin* & *Scerbin* vel *Xerbin* aut Kitran non etiam intelligatur peculiaris τῦ *Arſon* ſpecies? Neque etiam Hebraei & Arabes tantum hoc vitio obſcuritatis laborabant, ut unum idemque genus diverſo nomine, & ſpecies unius generis diverſis nominibus genericis deſignaverint; ſed etiam alii populi, immo ex his pariter illi, qui ſtirpium recenſioni *ex profeſſo*, ut aiunt, ſeu ita dicti botanici, operam dederunt. Qui de his certior fieri cupit, vel CASP. BAVHINI pinacem tantum evolvat, ubi in omnibus fere paginis huius aſſerti exempla inveniet, & ſigillatim obſervabit, non ſolum p. 490. *Cedro coniferae ſeu Libani* nomen *Cedri* datum eſſe, ſed

In AVICENNAE editione latine reddita edita a Gerardo citata l. c. haec leguntur: „Chitran (*id eſt Cedrus*) *quid eſt? eſt ar-* „*bor, quae nominatur* Alſcerbin„ &c. Nomen Arabicum *Chitran* vel *Ketran*, Graecum Κεδρος, Latinum *Cedrus*, & Germanicum *Cedern* unum idemque, & ſecundum harum linguarum idioma tantum mutatum eſſe, demonſtratione haud eget.

*l*) *Act. Suec.* l. c. p. 51. ſeqq. *Hierobot.* p. 107. ſeqq.

ſed etiam p. 488. *Thuyae*, ſive *Arbori Vitae*, ſtirpi peculiaris plane generis, & p. 487. *ſtirpibus bacciferis*, iterum diſtincti generis, quas alii nomine *Oxycedri*, alii rectius nomine *Juniperi* diſtinxerunt: ſic etiam alia *Pini ſpecies* dicebatur *Pinaſter*, alia *Picea*, alia *Mugo*, aliaque *Taeda ibid.*

Nomen huius arboris Hebraicum, *Aeres* vel *Eres*, Libani eiusque regionis incolis, & praecipue Maronitis, ab omni tempore, ob omnium linguarum orientalium affinitatem, per traditionem familiare eſſe; veriſimilius eſt, quam quod illud a peregrinantibus demum didicerint, quod ſupra p. 462. iam monui. Quod autem Cedrorum hodienum in Libano ſuperſtitum nomen *Aeres* vel *Eres* ſit antiquum, genuinum, & proprium; extra omne dubium ponit EZECHIEL. Hic enim Propheta c. XXXI. *Aſſuris m)* maieſtatem arboris cuiusdam (quam

m) Conf. *Obſ.* p. 428. *Hiſt.* p. 20. CORNELIVS CORNELII A LAPIDE in Commentariis in quatuor Prophetas maiores l. c. opinatus eſt, *Pharaonem* & *Aegyptios* vocari hic *Aſſur*, uti & IE-„SAIAE 52, 4, idque, quia Aegyptii ab Aſſyriis erant oriun-„di; vel potius, quia gloria, potentia & regno ſe iactabant pa-„res regibus Aſſyriorum; & quia aeque, ac Aſſyrii, a Chal-„daeis erant vaſtandi — quia toto hoc capite prophetans con-„tra Pharaonem, continue agit de hoc *Aſſur*: ergo *Aſſur* eſt „*Pharao.* Secundo, poſtquam egit fuſe de *Aſſur*, non expli-„cat, nec comparat eum *Pharaoni*; ergo quae de Aſſur dicit, „ea de Pharaone intelligenda. -- -- Tertio, quia Pharaonem non „tam comparat Aſſyrio, quam Cedro, ut patet in ſequentibus.„ Sed IO. ULRIC. URSINVS *Arboret. Biblic.* p. 292. arg. 12. argumentis chronologicis, a monarchia Aſſyriae deſumtis eum refutans, ſuſtinere in ſe ſuſcepit, ab uſitato ſignificatu diſcedendum non eſſe. Commentarii citati aſſervantur in bibliotheca Fenizeriana, Norimbergae ad divi Laurentii aedem cathedralem fundata, ex qua illos benevole mecum communicatos accepi.

 Sed

(quam v. 3 & 8. *Aeres montis Libani* vocat) prae reliquis excellentis ſchemate repraeſentat, & v. 3 9. ita definit, ut cum illa (propter ſuam celſitudinem, ramorum copiam, longitudinem, craſſitudinem pulchritudinemque, nec non frondium denſitatem, umbram inſuper ampliſſimam amoeniſſimamque) nulla alia arbor, multo minus ulla pini ſpecies, comparari poſſit, & *Cedrus Libani* ſolummodo his characteribus deſcriptis perfecte reſpondeat, id quod iam monui *n*), ſed recenſionis Goett. Autor ſicco pede tranſiit. Mea vero faltem opinione maioris momenti eſt, quam omnis critica nominis ſignificatus disquiſitio: Si quis producere poterit *Abietem* vel *Pinum* cum illa deſcriptione in omnibus convenientem, ſententiam meam lubens meritoque mutarem. Et quia *Aeres*, *Eres* Hebraeorum & *Ers* Arabum ſynonyma tantum ſunt (quod ipſe CELSIVS *o*), ipſeque ſaepius citatus recenſionis Autor *p*) monet), nemo autem *Pinum vulgarem* & *Libani Cedrum* pro una eademque arbore agnoſcet; facile inde patet, Eres & Ers utramque arborem ſimul haud poſſe ſignificare, niſi harum uni eidemque ut proprie ſeu ſignificanter adſcribatur, alteri vero accurata diſtinctione tantum tribuatur.

Cedros in Libano creſcere, ſuperius p. 447. indicavi, & eundem montem pinis quoque obſitum eſſe, ex MONCONYSIO annotavi *q*). THEOPHRASTVS *r*), (ut CEL-

Sed haec, ad ſcopum non pertinentia, tantum obiter, quia in prima mea lucubratione l. c. legitur *Pharao*; hic autem ſecundum verſionem LVTHERI *Aſſur*.

*n*) Conf. Obſ. & Hiſt. l. c.

*o*) Act. Suec. p. 50. Hierobot. p. 106.

*p*) l. c. p. 1172.

*q*) Obſ. p. 428. Hiſt. p. 20.

*r*) *THEOPHRASTI ERESII de Hiſtoria plantarum Libri decem graece*

CELSIVS *s*) obſervavit) refert quidem: neque in Syria neque in Phoenice reperiri Pinum; ſed CELSIVS l. c. monet, THEOPHRASTVM, de ſtirpibus peregrinis ſcribentem, non raro falli, SALMASIVMque *t*) in eundem errorem deduxiſſe; ipſe vero deinde plures citat auctores, qui contrarium teſtantur *u*). Et quum procul dubio ante huius montis devaſtationem

*graece & latine — illuſtravit IOANNES BODAEUS a STAPEL Medicus Amſtelodamenſis. Acceſſerunt IVL. CAES. SCALIGERI in eosdem libros animadverſiones & ROBERTI CONSTANTINI annotationes. Amſtelod. apud Henric. Laurentium* 1644. fol. mai. Libr. V. c. 8. p. 533. & lib. IX. c. 3. p. 972.

*s*) Act. Suec. p. 76. Hierobot. p. 132.

*t*) Hyl. Jatr. p. 168. col. a. f. ubi hic pariter affirmat Syriam nec pinum nec piceam ferre.

*u*) In Act. Suec. & Hierobot. locis citatis haec leguntur: „*Alia omnia lego apud Viros, fide digniſſimos, magnam partem* „αὐτόπτας, *qui* pinos *non in Syria tantum, & Phoenicia, ſed* „*etiam in Judaea viderunt frequentes. Cyrillus Alexandr. in* „*Eſaiam pag.* 848: *Mons eſt Phoenices Libanus, cedris cupreſſis ac* pinu *denſus; & ipſis thuris fruticibus Propterea au-* „*tem maxime admirationi eſt hic mons, quod maximam vim* „*ligni habeat, & arboribus abundet proceriſſimis, & fragran-* „*tiſſimis. Hieronymus in Hoſ.* 4. 6. „ (ubi de arboribus Libani ſermo eſt. „ *Crebrae hic creſcunt* Cedri *enodes & imputribiles, miraque proceritate ſublimes. Rectae quoque & electae abietes, odoriferae cupreſſi, ſeu cypariſſi, pingues oli-* „*vae*, pini, *buxi*, &c. *Joan. Phocas Deſcr. Syriae, inter* „*Leonis Allatii* Σύμμικτα, *p.* 6: *Jugo inhaeret pulcherrimus,* „*& ſacris literis decantatus Libanus, mons praegrandis, a* „*vertice ad pedes nivis tractus, veluti cincinnos, indutus,* „pino, cedro, *cupreſſoque conſitus; & aliis fructiferis variis* „*atque abundantibus plantis refertus. Adamnanus de locis ſan-* „*ctis,*

tionem *v*), (cuius mentionem quoque facit Summe Reverendus Dominus IO. CHRISTOPH. HARENBERGIUS Coenobii S. Lau-

„*ctis L. II: Egredientibus de Chebron in campi latitudine ſita*
„*ad aquilonalem plagam, haud procul a margine viae, ad ſiniſtram occurrit* pinoſus *non grandis mons, tribus millibus a*
„*Chebron diſtans, a cuius* pineto pinea *ad Hieroſolymam usque*
„*in camelis vehuntur* ligna *ad focos nutriendos. Barthol. Saligniacus Itin. Hieroſ. To. 8. cap. 5: per hanc portam (Hieroſolymis) invehebantur* ligna pinea *de Carmelo. Guil. Tyrius Bell. Sacr. Lib. II. cap. 13.* ſylvam pineam *Berytenſium*
„*civitati vicinam eſſe refert, quae Chriſtianis eandem oppugnantibus ad componendum ſcalas ligneas, turres, arietes,*
„*& alias quaslibet rei bellicae machinas copioſam & idoneam*
„*praeſtaret materiam. Quas* pinus *Berytenſes vidit etiam*
„*Monconyſius* (Obſ. p. 428. Hiſt. p. 20. iam citatus): *De valle non procul a Libano ſita La Roque Deſcr. Syriae pag. 160.*
„*loquitur: La continuelle verdure des* pins, *& des chênes verds*
„*fait toute ſa beauté.* Pinorum *& quercuum perpetuus viror*
„*inſignem illi pulchritudinem conciliat. Et p. 209. ad Daphnen*
„*Antiochenſem Satyrici applicat verſus, qui loci cuiusdam delicias depingens, inter modulos ſuaviſſimos* pinorum *non obliviſcitur:*

„*Nobilis aeſtivas platanus diffuderat umbras,*
„*Et circumtonſae trepidanti vertice* pinus,
„*Et baccis redimita Daphne, tremulaeque cupreſſus.*

„*Porro circa Machanajim, ubi ſcalam in ſomno vidit Jacobus*
„*Patriarcha,* pinetum *fuit, referente Monconyſio, Itin. p.*
„*320. Meibomius in Fabrica Trir. in epiſt. ad lectorem: Accedit, quod* pini lignum *vulgare ignotum eſſe nequiverit, quum*
„*etiam in monte Libano creſceret, & vicinis provinciis, &*
„*inſulis.*„

*v*) Obſ. p. 432. Hiſt. p. 24.

S. Laurentii ante Schoeningen Praepoſitus, Ducatus Brunſvigo-Luneburgo-Guelferbytani Scholarum Inſpector, reliq. in ſuo commentario de templo SALOMONIS) *x*), in Libano & *Cedri & Pini* copioſiſſime olim extiterunt, concedo, pro Templo reliquisque operibus regiis ſtruendis utrarumque caudices Hieroſolymam vectos fuiſſe: Pinorum pro minus, Cedrorum (ob materiei durae, reſinoſae atque fragrantis, ideoque putredini rimisque maxime reſiſtentis, praeſtantiam) pro magis excellentibus.

Utriusque ligni proprias virtutes iterum laudandus HARENB. l. c. p. 1063. ex THEOPHRASTO *y*) PLINIO *z*)

*x*) *Von dem Salomoniſchen Tempelbau, II. Kap. 2ter Abſchnitt, ſo in der Ueberſetzung und Erklärung 1. Kön. VII. beſtehet*, qui commentarius exſtat in Bibliotheca Brema-Verdenſi (*Brem- und Verdiſche Bibliotheck, worin zur Aufnahme der Wiſſenſchaften inſonderheit der theologiſchen, philologiſchen und hiſtoriſchen, allerley brauchbare Abhandlungen und Anmerkungen mitgetheilet werden. Hamb. bey Chriſtian Wilh. Brandt* 8vo quam Bibliothecam, ad collectionem meam non pertinentem, perofficioſe mihi ſuppeditavit Plurimum Reverendus Dominus CHRISTOPH. BIRCKMANN ad aedem divi Aegidii Diaconorum Senior) *des vierten Bandes drittes Stuck* 1758. no. I. p. 573. *Jo. Chriſtoph Harenbergs andere Zugabe zur Abhandlung von dem Tempel Salomonis.* Exſtat Bibliothecae citatae vol. IV. part. IV. n. V. p. 1057. & locus citatus p. 1062. his verbis latine redditis: ante invaſionem Mahometanorum in Syriam tota regio montana Libani Cedris erat obſita & repleta. Cyrillus in commentario p. 469. nota *u*, citato Lib. V. Tom. IV. p. 848. & varii Epiſcopi Syriae, aliique Scriptores, qui ante Saeculum VII. vixerunt, teſtantur, ante Mahometanorum in Syriam invaſionem Libanum Cedris refertum fuiſſe, quod Dom. HARENB. l. c. p. 1062. conſignavit.

*y*) L. V. edit. Stapelian. p. 521. *Natura perpetua, cupreſſus,* cedrus,

z) & DE LA ROQVE *a*), ſollicite collegit, recteque inde con-

cedrus, *ebenus*, *celtis*, *buxus*, *olea*, *oleaſter*, pinus, *quae taedam gerit &c.* *Sed diuturnior inter has* cupreſſus *videtur: — poſt* cupreſſum *ac* thuiam, *morum aeternam potiſſimum eſſe arbitrantur — Dicunt &* pinum *plus*, *quam abietem*, *corrodi a teredine poſſe: hanc enim eſſe amaram*: Pinum *vero dulcedinis nonnihil habere*, *eoque magis*, *quo fuerit teda refertior.* Conf. quae in comment. Stapeliano p. 522. ſeqq. de Thya (Arbore Vitae); & Cedro leguntur, Eiusdem libri cap. 8. p. 533. *Abies*, pinus, cedrus (*ut ſummatim contingam*) *ſunt aptiſſimae navibus*: *triremes enim*, *atque longa navigia ex abiete*, *levitatis gratia faciunt. Rotunda vero ex* pino, *quoniam non putreſcat. Nonnulli etiam triremes ex eadem condunt*, *quod abiete carent. Qui Syriam Phoenicemque incolunt*, cedro *utuntur*, *quia* pino *etiam egent. Cyprii picea. Hanc enim illa inſula habet. Videturque* pino *praeſtantior.* Bod. a Stapel in notis & comment. p. 536: Pini *materies in aqua praeſertim ſalſa*, *diutiſſime durat — eligitur* Pinus, *quod non rumpatur*, *ponduſque ſuſtinere poſſit.*

z) CAII PLINII SECUNDI hiſtoriae naturalis Libri XXXVII. quos interpretatione & notis illuſtravit IO. HARDUINUS e Societate Jeſu &c. Tom. II. Pariſiis typis Ant. Urbani Couſtilier 1723. fol. mai. L. XVI. c. XL. §. LXXVIII. p. 36: *Cariem vetuſtatemque non ſentiunt cupreſſus*, cedrus, *ebenus*, *lotos*, *buxus*, *taxus*, *iuniperus*, *oleaſter & olea — Rimam fiſſuramque non capit ſponte* cedrus, cupreſſus, *olea*, *buxus*. §. LXXIX. *Maxime aeterna putant ebenum cedrumque*, *claro de omnibus materiis iudicio in templo Epheſiae Dianae: utpote cum tota Aſia exſtruente quadringentis annis peractum ſit*, *convenit tectum eius eſſe e* cedrinis trabibus. Cap. XLII. §. LXXXI. p. 38. Pinus & cupreſſus *adverſus cariem tineasque firmiſſimae — Pinus*, *piceae*, *alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. Obrutae terra plurimis durant annis. Eaedem ſi non integantur*, *cito ſeneſcunt: mirum in modum fortiores*, *ſi humor extra quoque ſuperſit.*

*a*) Voyage de Syrie p. ſuper. 455. nota *n* citat. p. 69. *l'odeur agre-able*,

concluſit SALOMONEM ſapientiſſime ſelegiſſe *cedrinum* lignum ad templi res, perennitati & venuſtati dicatas, *pineum* vero ad canales & aquaeductus ſubterraneos parandos. Sane! ipſimet nos experimur, conclavium tabulata ſcriniaque ex ligno *pineo* fabricata, libero humidoque praeprimis aeri expoſita, facillime tineas foedare, erodere atque corrumpere.

II. Dum CELSII ſententiae: Cedros Libani ob caudicis craſſitudinem & ramorum copiam ad navium malos (cuius uſus EZECHIEL c. XXVII. 5. mentionem facit) *non idoneas eſſe*, opposui *b*): *hunc uſum, tanquam frequentem, haud inveniri adnotatum, & EZECHIELEM l. c. ubique de rebus ſelectiſſimis pretioſiſſimisque a Tyriis in uſum vocatis ſermonem inſtituiſſe: quando autem de operibus excellentiſſimis ſtruendis agitur, ſuperflui ablatio, etiam cum damno, haud animadvertitur.* Et dum ad haec recenſionis A. ibid. p. 1172. obiicit, *ſe ex loci citati lectione de eiusmodi pompa non con-*

*able, qui ſort de leur bois, leur* (vieux & jeunes) *eſt auſſi commune — le Fruit — leur qualité eſt d' exhaler une odeur très-douce, & de contenir une eſpece de baume épais, & transparent, qui découle dans ſon temps par de petites ſentes, & tombe goutte à goutte — p. 70. le bois du* Cedre *eſt blanc & tendre immediatement ſous l' écorce, mais il eſt dur, & rougedtre en dedans, & extremement amer, ce qui le rend incorruptible, & preſqu' immortel. Il ſort du Cedre une reſine odoriferante.* Odor amoeniſſimus, quem ſpargunt Cedri (iuvenes & veteres) ipſis eſt communis — fructus — qualitas eſt, exhalare odorem ſuaviſſimum, & gaudere balſami ſpecie ſpiſſi, per exiguas fiſſuras manantis & ſuo tempore guttatim deſtillantis — Lignum cedrorum, proxime ſub cortice, album eſt & tenerum, ſed interius durum & rubellum, valdeque amarum, unde eſt incorruptile fermeque immortale; Exſudat ex cedro reſina fragrans.

*b*) Obſ. p. 431. Hiſt. p. 23.

*convictum eſſe c)*, reſpondeo: 1) quia *d)* Tyrii *lignum abiegnum ex monte Hermon ſeu Sanir pro tabulatis*; *cedrinum pro malis ex Libano*; *quercinum pro remis de Baſan*, petierunt; nonne haec pompam & luxum ſatis declarant? Nam abiegnum & quercinum lignum multo propius obtinere; & loco *cedrini pineum* adhibere, potuiſſent, niſi ſelectiora ac pretioſiora eligere ipſis placuiſſet. Porro, nonne eodem titulo recte notantur reliqua, quae illis ibidem exprobrantur? Nimirum, ſecundum verſionem eandem *p.* eadem, & *excellentia ſedilia (praetoriola) ex inſulis Chitim (Italiae)*, *tranſtra ex ebore indico*, *vela ex Byſſo varia de Aegypto*, *operimenta ex purpura & hyacintho de inſulis Eliſae* &c.

Mitto autem hunc cedrorum vetuſtiſſimarum & monſtroſarum truncorum craſſiſſimorum abuſum, quia non ſolum nusquam conſtat, Cedrorum caudices tunc temporis iam tam craſſos fuiſſe, quam poſtea annotati reperiuntur; verum etiam, atque praecipue, quia nihil urget, ut tales ſupponantur: monui enim iam *e)* caudices mediae aetatis aut iuniorum ſeligi potuiſſe, quarum 80. pedes altarum SCHULZIUS ſuo tempore in Libano vidit *f)*.

Omnes

*c) Wir wiſſen uns bey Leſung des Ezechielis noch nicht hievon zu überführen.*

*d)* Secundum verſionem, quae exſtat hoc titulo: *Teſtamenti veteris & novi Biblia ſacra, ex Hebraeo & Graeco Latina facta — cum adnotationibus FRANC. VATABLI*, &c. *Hanoviae typis Wechelianis, apud Claudium Marnium & haeredes Jo. Aubrii* 1605. 4. mai. p. 1162. col. 1. quem librum ex Bibliotheca aedis cathedralis D. Sebaldi benevole mecum communicatum accepi.

*e)* Obſerv. p. 431. Hiſt. p. 23. ſequ. Plura argumenta, Cedrorum uſum pro malis navium confirmantia, addidit ſaepius laudatus HARENBERGIUS in Biblioth. ſuper. pag. 371. nota *x*. citata p. 1164.

*f)* Obſ. p. 421. Hiſt. p. 13.

Omnes autem cedros natura ſua brevibus & monſtroſis tantum gaudere caudicibus, obloquitur experientia. Non ſolum enim conſenſu plurium auctorum *g*) probatur, iuniores ſemper recta & aequali meta aſſurgere, &, uti SCHULZIUS addit, ad 80. pedum altitudinem pervenire; verum etiam ipſe ibidem bigam auctorum citavi, qui parem creſcendi modum in annoſioribus quoque obſervarunt; cauſſam pariter eodem loco iam indicavi *h*), ex qua hic naturalis earum ſtatus in monſtroſum mutari poſſit, nempe non, niſi ex ſolitario potiſſimum earum proventu & incremento; atque ſimul exemplo Pinorum vulgarium ſimili illuſtravi, quod aſſertum omnes confirmant ſilvicolae.

Vt autem hunc creſcendi modum, & Cedris & Pinis communem, ad naturae ipſius ductum demonſtrare & ab omni ſcrupulo liberare poſſim, tab. XV. fig. 4. (conf. citatae Obſ. tab. VIII. Hiſt. tab. I.) repraeſentandam curavi partem pineti, ubi Pini vulgares confertim ſuccreſcentes aequali rectoque trunco aſſurgunt, & fig. 5. eiusmodi Pinum ſolitariam, ad vias & ſilvarum margines creſcentem, in caudicem irregularem ramisque craſſis & longis ab imo ad cacumen usque cinctum degenerantem, repraeſentat. Et ut idem de Cedri modo creſcendi eodem conſtet, rogavi ſaepius laudatum EHRETUM, ut mecum communicet figuras aliquot Cedrorum iuniorum, ex quibus anno 1759. obtentis, unam figuram adultioris & 20. circiter pedes altae ſiſtit tab. XIV. fig. 11, (quae eadem eſt, ac illa Plantar. ſelectar. t. LXI, paullulum tamen, ad chartae magnitudinem, hic imminuta) cuius vertex *a* palatus eſt, ne

O o o 2 caudex

*g*) Obſ. p. 424. Hiſt. p. 16. Cedros iuniores pyramidis in modum, uti Cupreſſi, creſcere, annotavit quoque DE LA ROQVE p. 69. loco p. ſuper. 455. nota *x* citato.

*h*) Obſ. p. 429. Hiſt. p. 21.

caudex in curvum deflectat *i*), & quae perfecte ſimilis eſt alteri figurae cedri, quam DAPPERVS *k*) p. 36. a dextris monſtroſae repraeſentat, (ex quo auctore illam mutuaverit, reperire haud potui) quamque ſi perſpicaciſſimus CELSIVS aeque ac monſtroſarum Cedrorum figuras aliorum auctorum, attendiſſet, praeoccupatam de omnibus Cedris monſtroſis opinionem non foviſſet. Omnium ergo iuniorum Cedrorum ſolitariarum caudex rectiſſimus eſt (ex quo naturalis earum conditio, & ex accidenti tantum indicato monſtroſa mutatio, ſatis, opinor, patet) & ſeneſcentes ex ramorum luxuria ſolummodo eundem monſtroſum habitum obtinent, quem Cedri Chelſeanae obtinuerunt, & tab. VIII. refert. Si enim eiusmodi arbores confertim naſcuntur, denſitas illarum impedit, quo minus caudex a recto tramite decedere, & rami inferiores incrementum capere, queant; cauſſa potius eſt, *ut* hi rami ſponte ſua, teſte experientia, areſcant, unde omne nutrimentum in caudicis incrementum & directionem cedit: Praeterea, ita creſcentes arbores aeris iniuriis, ventorum praecipue agitationibus, in recto ſuo progreſſu haud turbantur. Secus vero idem contingit, ſi harum arborum ſolitariarum rami inferiores amputentur (quod MILLERUS loco ſaepius citato de duabus Cedris Chelſeanis adducit, quae poſt talem purgationem vix reliquarum magnitudinem dimidiam adeptae ſunt) quia ſuccus nutricius

*i*) Quod omnino neceſſum eſſe, ad conſervandam rectitudinem iuniorum cedrorum ſolitarie educandarum, monet MILLERUS in ſuo Dictionario, pagina ſuperiore 454. nota *t.* indicato.

*k*) *Aſia oder genaue und gründliche Beſchreibung deß gantzen Syrien und Paleſtins, oder gelobten Lander. — Aus verſchiedenen alten und neuen Scribenten ſo wohl, als [illegible] Bericht warhafftiger Augeszeugen und Unterſucher zuſammen getragen von Doct. O. DAPPER. Amſterdam, in verlag Jac. Meurſen Wittibe.* 1681. fol. mai.

eius ramorum ſponte ſua areſcentium ad caudicem redit, eius vero, ex vulneribus amputatorum ramorum tranſudantis, multum perit; immo caudicis reliquus ſuccus (ob cicatrices corticis, per quem potiſſimum, in arboris incrementum, ex radicibus promovetur) in progreſſu ſuo turbatur: ex quibus allatis ſimul ratio palam fit, cur Cedri in Libano, poſt huius montis devaſtationem, ſparſim tantum in earum iuventute relictae, tam breves, craſſos monſtroſosque caudices obtinuerint.

III. Vitio mihi vertitur *l*), quod ad CELSII argumentum pro ſua firmanda ſententia maximi ponderis (nempe *Ers Arabibus non ſignificare Cedrum ſed Pinum*) *haud reſponderim, immo huius argumenti ne quidem in reliquorum eius argumentorum recenſione m) mentionem fecerim.* Ad hoc argumentum reſpondens lubens fateor, me illud argumentum minime ullius, multo minus maximi, ponderis agnoviſſe, & propterea conſulto ad illud haud reſpondiſſe, ſilentio potius praeteriiſſe, quia omnibus ante CELSIVM in confeſſo eſt, nomen arabicum Ers omnino quidem ſignificare Pinum, ſed etiam, atque frequentius, idem nomen Cedrum denotare, quod in reſponſione ad obiectionem I. ex probatiſſimis auctoribus iam demonſtravi *n*). Confiteor ergo, &

*l*) Nov. litter. Goetting. p. 1172. *Das allerwichtigſte, ſo Celſius für ſeine Meinung anführet, finde nicht beantwortet, ja nicht einmal unter Celſii Gründen mit angeführet, nehmlich daß Ers im Arabiſchen keine Ceder, ſondern Pinus iſt.*

*m*) Obſ. p. 426. Hiſt. p. 18.

*n*) Vid. pag. ſuper. 458. ſeqq. nota *pp.* p. 463. cum nota *b*. item p. 464. cum nota *c*. quibus nunc addo iterum laudandum HARENBERGIVM l. c. p. 1066. ſeqq. ubi ſimul ad conſentientem JOSEPHVM, hiſtoriographum, Judaeorum Sacerdotem, templi ſacra eorumque contenta ſuis oculis contemplatum, atque adi-

& hic repeto, certiſſimum eſſe, quod Ers Arabum aeque, ac Aeres Hebraeorum, Pinum ſignificet; ſed aeque certum eſſe, quod hoc nomen pariter, & quidem frequentius, Cedrum indicet, proptereaque utrique arborum generi (ob linguae arabicae, ceterum ampliſſimae, quoad nomina ſpecifica inopiam) o) commune eſſe, id quod, harum linguarum inſcius, ex viris earundem ſatis gnaris didici p). CELSIVS ergo huius vocis *Ers*, in ABVLFADLI codice manuſcripto q) repertae, omnium interpretum ſententiae contrariam ſuperſtruxit.

IV. Ibidem mihi imputatur, *videri, me hebräicum & arabicum nomen tantum pro affini & ab uno eodemque etymo derivando habere, quum tamen penitus eadem ſint r).* Ego vero s) ex HILLERI Hierophytico ibidem citato tantum aſſerui, HILLERVM *hoc nomen Hebraicum Aeres & Arabicum Araza vel Azara ut & Arzon, ab uno eodemque etymo derivare.* Etſi autem haec nomina, Hebraicum *Eres* & Arabicum *Erz*, vi vocis eadem ſunt; differunt tamen pronunciatione & ſcriptione. Quid ergo vitii vel erroris ſubeſt, annotaſſe, ſingula haec nomina ab uno etymo derivari? t) Ut autem mihi, linguarum orientalium, ut

primam veteris teſtamenti in Graecam linguam translationem, in Aegypto mox poſt Judaeorum ibidem adventum ab ipſis inſtitutam, provocat.

o) Conf. p. ſuper. 460. nota *pp*. p. 463. nota *zz*.

p) Vid. not. ſuper. *n*.

q) Vid. p. ſuper. 447. nota *d*.

r) Es ſcheinet aus S. 19. Herr T. habe den Hebräiſchen und Arabiſchen Namen blos für verwandt, und von einerley Stammworte entſpringend gehalten, da ſie doch beide völlig einerley ſind.

s) Obſ. p. 427. Hiſt. p. 19.

t) Vid. p. ſuper. 460. not. *pp*. & conf. D. FORSCAAL p. ſuper. 461.

ut iam ſupra faſſus ſum, inſcio, de etymo harum vocum certum conſtet; conſului ſupra laudatos viros, orientalium linguarum peritiſſimos *u*).

Etymon nominis Eres & Erez ſupra p. 459. expoſitum & a CELSIO quoque *x*) allegatum dat mihi occaſionem examinandi unum adhuc CELSII argumentum a radicibus Cedri deſumtum, quo Pino tribuit radices maiores in profundum actas, minores in latera & per ſumma ceſpitum ſparſas *y*); Cedro vero (ſecundum relationem DAPPERI *z*), vel potius auctoris, ex quo eam hauſit) radices non firmas, ſed per ſummam tellurem diſperſim iacentes, maximam partem nudas *a*), quibus relatis ſuam ſententiam ſuperſtruxit. Quam falſa autem ſit haec relatio, vel ex eo iam probari poteſt, quod Cedri in Libano adhuc ſuperſtites per plura iam ſecula ſolo firmiter infixae perſtiterint, & relationis auctori tantum licuerit ſummas obſervare Cedri radices, quas omnino, more aliarum arborum coniferarum, adeoque etiam Pini, per ſoli ſuperficiem extendunt, non autem medias infimasque, quae in profundum deſcendunt, & palorum inſtar caudicem firmant. Etſi autem annoſae Cedri radicum conformationem & diſtributionem producere nec ego potui, ſollicitus tamen fui, ut de iunioris Cedri radicum conditione certior fierem. Petii ergo a ſaepius laudato EHRETO, ut eiusmodi radicis imaginem quoque procuraret, quam tab. XIV. fig. 12. exhibet; & poſtea non minus, iterum laudandi MILLERI rogati humanitas mihi miſit eiusmodi

*u*) Vid. not. ſuper. *n*.

*x*) Act. Suecic. p. 63. Hierobot. p. 116.

*y*) Act. l. c. Hierobot. p. 117.

*z*) l. c. p. 38. col. 2.

*a*) Act. Suec. p. 64. Hierobot. p. 118.

modi Cedri iunioris integram arbuſculam cum omnibus ſuis radicibus, quae cum EHRETI figura collatae eandem exhibent diſpoſitionem ac fabricam, ſatisque docent, has radices non tantum caudicem extremum ambire, verum etiam ex ima mediaque eius parte in profundum deſcendere. MILLERVS loco ſaepius citato refert de Cedris Chelſeanis in horto ad quatuor alvei angulos plantatis, eas, propter murum lapideum, quo alveus ſeptus eſt, radices ſuas contraxiſſe; & perſuaſus eſt, easdem in ſpatio libero ſe extendendo illud occupaſſe. Ut ergo de differentia radicum Cedri & Pini natura ipſa certior fierem, Pini quoque, eiusdem ferme aetatis, radices tab. XV. fig. 26. delineandas curavi, atque maioris illuſtrationis cauſſa, ibidem fig. 27. abietis rubrae, itemque fig. 28. abietis albae ſic dictae, iterum huius ferme aetatis in uno eodemque ſolo collectarum, addidi, quae cum radice Cedri collatae ſatis demonſtrant, Cedri radices annoſas non ſolum Abietum, verum etiam Pini radices, amplitudine & copia, ſi non ſuperaturas, certe illis haud inferiores evaſuras eſſe.

V. Ibid. adſtruitur, *me non negare nomen Aeres pluribus arboribus fuiſſe commune, & tunc tantum ſignificare Cedrum, quando ipſi iungatur Libanus.* Atqui vel hoc effatum non mihi ſed SCHVLZIO tribui *b*): eo lubentius tamen illi ſubſcribo, quo frequentius olim ſpecies diſtinguebantur addito patriae vel ſoli natalis nomine. Sane ita diſtinguebatur Rubus Idaeus ab arvenſi, quia, ut in C. B. Pin. p. 439. n. 111. notatur, copioſius in Ida naſcitur; hinc Ranunculus Illyricus, Luſitanicus, Aſiaticus, Alpinus, Creticus; Iris Chalcedonica, Florentina, Illyrica, &c. Nonne ipſa Cedrus diſtinguebatur in Cedrum Libani, Palaeſtinae & Syriae ſeu coniferam, in Phoeniciam & Lyciam ſeu bacciferam? atque hae Cedri & genere & ſpecie a ſe invicem peni-

*b*) Obſ. p. 428. Hiſt. p. 20.

penitus ſunt diſtinctae. Nonne Pinus diſtinguebatur in urbanam, ſativam, domeſticam, Italicam, ſilveſtrem, Genevenſem, montanam, maritimam, Idaeam &c.? Quae tamen ut ſpecies tantum differunt. Unde patet, SCHULZII diſtinctionem in Aeres ſimpliciter ita dictam, & Aeres Libani, ſatis ſuperque fundatam eſſe, videturque Pſalm. XXIX. v. 5. idem indicare, dum ibi legitur: Vox Jehovae confringit *Araſin*, confringit Jehova *Araſin Libani* (confringit *Pinos*, confringit *Pinos Libani*, ut CELSIVS *c*) vult). Quod ſi enim *Eres* & *Eres Libani* una eademque eſſet arbor, cur *Eres ſine* & *cum diſtinctione* repetitur, & quaenam ſubeſſet emphaſis? Mihi ergo videntur haec nomina diverſa indicare, vocem Jehovae tam potentem eſſe, ut confringat *Pinos*, immo (ut ZELTNERVS in ſua bibliorum verſionis LVTHERI editione addit) *Cedros*, arbores multo grandiores robuſtioresque.

Ceterum in hac controverſia non quaeritur, an Eres Libani vocari poſſit Abies vel Pinus; ſed, quaenam ſit ea huius vel illius ſpecies illa ipſa arbor, quae a SALOMONE ad Templi aliorumque palatiorum conſtructionem ex Libano petita fuerit? eam eſſe Cedrum vulgo ſic dictam, absque ambagibus probari mihi ſaltem videtur ex eo, quod τον Eres Libani SALOMO e regione alius territorii petierit, & magnis ſumtibus e longinquo afferendam curaverit, quum tamen τον Eres ſimpliciter ſic dictam, ſeu Pinum, in proprio territorio, vel ſaltem longe propiore, reperire potuiſſet, ut ſupra iam p. 456. ex ipſo CELSIO monui.

Ceterum ſilentio praeterire haud poſſum, hanc meam exercitationem proſtare quoque recenſitam in eruditis relationibus Roſtochienſibus *d*); ſed huius recenſionis A. haud meam

c) Act. Suec. p. 64. Hierobot. p. 118.

d) *Gelehrte Nachrichten auf das Jahr 1757. Roſtock und Wiſsmar, verlegts Joh. Andr. Berger und Jac. Boedner*, ein und vierzigſtes Stück n. V. p. 471.

meam intellexit mentem, quando p. 472. addit: *in fine monſtratur, nec* Beroſch *nec* Aeres *S. Codicis arborem eſſe hodie* Cedrum *dictam e)*; quum tamen omne ſtudium meum eo directum eſt, ut demonſtrem, nomine *Aeres* intelligendam eſſe Cedrum, *qualis hodie adhuc in Libano reperitur.*

Denique monendum reſtat, nonnullos *Cedrum Libaniticam* confundere cum *Cedro Sibirica* ita dicta, quam deſcripſit PHIL. IO. von STRAHLENBERG *f*), ſimul vero addidit: an Cedri, quae in Libano aliisque Aſiae auſtralis locis creſcunt, cum Sibericis conveniant, neſcio; nuces ſaltem, quae ex regionibus calidioribus veniunt, ſunt maiores. Quod vero ad arborem attinet, puto, utrasque ſibi valde ſimiles eſſe: Sibericae namque creſcunt pyramidis ferme in modum, plerumque ampliores & craſſiores abietibus. Coni etiam ſimiles ſunt conis abietum, ſed bis vel ter maiores, & coni ſingulis ſquamis interiacet nux, quarum quilibet conus 40 ad 50 & plures continet &c. g). Haec deſcriptio, & quae in Auctore ſequuntur, extra omnem

*e*) *Zuletzt wird gezeigt, daß ſo wenig der in der Bibel* Beroſch, *noch der* Aeres *genannte Baum die heutige* Ceder *ſey.*

